



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

UN

GENT





IUS
BELLIE & PACIS
HUG: GROTIJ.
illustratum
a
Ioann Adamo
OSIANDRO
D.
Sumptibus.
Ioan̄ Georgo Coffa



OBSERVATIONES

Maximam partem Theologicae,

IN LIBROS TRES

DE

JURE BELLI

ET PACIS,

HUGONIS GROTII.

Publicata

à

JOHANNE ADAMO OSIANDRO,

SS. Theol. D. & P.P.



TUBINGÆ,

Impensis JOH. GEORGH COTTÆ,

Typis JOH. HENRICI REISII.

ANNO M DC LXXI,



SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

WILHELMO
LUDOVICO,

Duci Wirtembergiæ & Teccia, Co-
miti Mompelgardensi, Dynastæ in Hay-
denheim,

Domino meo Clementissimo.



Ludovico decimo
tertio Galliarum Regi
fama Justitiæ incluto
) (2 suum

DEDICATIO.

suum quondam de Jure Belli & Pacis Opus inscripsit Hugo Grotius ausus adire illum, qui eo tempore inter Magnates & Clypeos terræ eminebat, Argumenti Fiducia fretus & Patrio Solo pulsus ubi Libertas regnat, sub Sceptro refugium quaesivit Justitiae Titulo allectus. Favit homini extero Vultus Majestatis serenior, nec indignum aestimavit sua Dignitatis fastigio sub Liliorum Principatu fovere Germen peregrinum, Vitam & Spiritum largiri reflorescere discipienti, qui ferè in herbâ molitionum politicarum fuisset extinctus. Commendavit Opus Auctoris Ingenium, quod singulare & divinum; Materia quam pertractavit, quæ Justitia & Legibus armata & armis decoratâ; Ordo ad-

mi-

DEDICATIO.

mirandus, qui in venustum Corpus
Membra & partes compegit, quod
nisi Tubera quædam Errorum,
quos Mercuriale Sydus & versatilis
Religio adsperfit, foedarēt, Apellis
Tabulas & Lysippi Marmora con-
summato Artificio potuisset supera-
re. Quanquam verò Tertulliani Ju-
dicio necesse sit in Corpore & quan-
tum velis integro aut puro ut nævus
aliquis effruticet, aut verrucula ex-
surgat aut lentigo sordescat; Cœ-
lum ipsum nulla Serenitas tam cola-
ta purget, ut non alicujus Nubecu-
læ flocculo resignetur, non tamen
permittendum censui ut Ulcera sin-
ceræ pietati inimica, quæ purulento
contagio nocere possunt intacta
manu theologicâ relinquerentur,
atque animatus non tantum à Stu-
diosis,

DEDICATIO.

diosis, sed & Viris magni nomini,
hoc Opusculum in abstersionem
Heterodoxias, quæ per singulas pe-
nè fibras Caputum serpit, adornavi

Tuo verò Serenissime Princeps
Nomini Celsissimo illud inscribo
meliori Jure quàm Grotius Poten-
tissimo Ludovico. Conceptus est
hic foetus in Serenissimi Parentis
Solo, crevit in illius Urbe principa-
li, natus est in illius quam hæcenu-
clemèter fovit Abela, Matre in
Israël; cui itaque exponendus, nisi
illi Soli vel ejusdem Filio, qui suum
Orbem illustrat, & omni lauda-
bili conatui faventer adspirat. Mo-
vit Grotium decantata Regis emi-
nentissimi Justitia, quæ Basis cæte-
rarum Virtutum, ex qua illæ in de-
centem Magnitudinem excrescunt.

Eâdem

DEDICATIO.

Eâdem gaudes Coronâ , quam con-
similes Gemmæ ambiunt & accen-
dunt. Vix enim rationis illuxère
Crepuscula , & vitiorum angues
tanquam alter Hercules generosè
compressisti, adolescens factis gran-
descere, coepisti , & nostram acce-
dens Academiam cum exoratus à
Senatu nostro Rectoris Munus Tibi
imponi clementer admitteres, quàm
aptus esses Justitiæ Sceptro, toti mul-
titudini subditorum regendæ lucu-
lenter ostendisti. Vidimus in TE
Prudentiam Christophori, Pieta-
tem Ludovici, Severitatem & Cle-
mentiam Fridericorū, Magnanimi-
tem EBERHARDI, Serenissimi
Parentis foecundè efflorescere, Spe
concepta de uberrimo fructu, adul-
toris ætatis ornamento. Dignum

) (4

itaque

DEDICATIO.

itaque Tuis Virtutibus Argumen-
tum Tibi in præfenti Libello confe-
crari debuit. Umbram gratiosæ
protectionis Ludovicus Rex indulfit.
Exuli Grotio, Tua Serenitas plus fa-
vit civi, subdito, Ministro, compel-
lavit accedentem, audivit differen-
tem, mensæ & lateri admovit tam
amplissimi Favoris radios ex humi-
litate debito, depresso modestiæ
vultu penè refugientem, nunquam
satis laudato Majorum Illustrissi-
morum Exemplo, qui ultra seculum
à primis ferè restauratæ Religionis
initiis in hunc usque diem vel in
Aula Concionatores, vel in Aca-
demia Professores Orthodoxiæ sta-
biliendæ ex Osiandrinâ Familiâ
gratiosè legerunt. Quî ergò non
grati Animi aliquod Indicium, re-
diret

DEDICATIO.

diret ad TE qui tot Beneficentiæ
monumentis illud provocasti.

Accipe itaque SERENISSIME
PRINCEPS hoc quaecunque Opu-
sculum Sereno Vultu, Manu placi-
dâ dignare Patronoque sinu fove.
Ludovicum hætenus, hoc est, Afy-
lum populi TE exhibuisti acceden-
tibus, Justum in obsequio erga SE-
RENISSIMUM PARENTEM,
in Amore erga Fratrem, in Cle-
mentia erga Subditos; Favisti illi,
qui quondam ex Ambone sacro Te
exceptit primùm Academiae nostræ
Limina salutantem Vaticinio Jaco-
bæo, & Nasiræum inter fratres com-
pellavit, atque cum Josepho Felici-
tatis incrementa ex Scaturigine di-
vina hausturum ex annorum incre-
mento prædixit, qui TIBI gratula-

DEDICATIO.

tus est Rectori Universitatis cum
Daniele Satrapâ illustrissimo Persi-
dis in cætu publico acclamando: *Rex
in aeternum vive!* Favebis porrò,
& quæ vox Calamo chartæque infu-
dit studiosæ Juventutis, Typis com-
missum & Libro hoc comprehen-
sum clementer respicies. Poterunt
alii quorum in Generatione aurum
vel argentum miscere voluerunt su-
peri offerre aliquid limatius, Ego,
cui Verbi divini Veritas præstat au-
ro, gemmis & melle, nihil sincerius.

Præcelsissima Tua Serenitati

devotissimus

Johann · Adam Osiander,
D. & P. P.



L. B. Sal.

CUm ante Annos aliquot suavis
 quorundam Studioforum, qui non tantum
 docti sed & pijs esse desiderabant, Grotij Li-
 bros de Jure Belli & Pacis percurrerem, atque depre-
 hensis qua cum fidè nostra pugnant, meam commu-
 nicarem *Printis*, exceperunt illi Verba & Charta
 commiserunt, ne effluerent dicta. Non putavi tanti
 hac esse ut publico Soli exponi possent & suffecit mihi,
 ubi devius à Veritate Biblica fuit Grotius monuisse
 & Amicis indicasse, sed ceperunt vulgari excepta,
 Bibliopola sollicitare, ut, qua intra privatos parietes
 quibusdam fuere proposita, publico exhiberentur.
 Hæsi aliquantisper, victus tamen Amicorum moni-
 tis, obtemperare malui, quàm refragari *Votis* urgen-
 gentium; præprimis dum deprehendissem VIROS Cla-
 rissimos *Dn. Bæclerum* & *Dn. Zieglerum* in idem
 ferè per omnia mecum conspirasse & illum Theologi-
 ca parcius attingisse inhaerentem profundius litera-
 tura politiori & politicis Disquisitionibus, hunc ve-
 rò aliquid ex Officinâ sacrâ petiisse, & sicubi opus
 Socinianam Impietatem ubi transparet, sed brevi-
 ter perstrinxisse. Accessit Plausus VIRI Magnifici
Dn. NICOLAI MYLERI, Patroni Maximi, quò

non

PRÆFATIO.

non tantum relegere dignatus est hoc Opusculum, sed & Calculo suo probavit, adjectis monitis, ut Authorum quoque mentionem injicerem, & cum quandoque desint variores, Verba illorum adderem: unde excrevit, quod compendiosè conceptum: Molestum erat Typographo assequi sensum, ob abbreviaturas, quas Celeritas vocis in dictante pepererat: unde ut utus oculus Correctoris fuerit diligens, errata irrepserunt, & qua quandoque alio Charactere exprimenda uniformiter fuerunt exhibita. Ipsa Observationes non ejusdem conditionis sunt, nec eodem subsistunt fulcro: quaedam enim abstergunt, qua Orthodoxia opposuit Grotius deliquium passus in Veritate theologicâ; quaedam attingunt ultra citroque disputata inter eruditos, qua intra probabilitatis Metas consistunt; quaedam denique Lectori attento suggerunt, qua profundius expendenda & uberius explicanda; quaedam etiam ex aliorum mente disputata sunt. Primi generis Observationibus puto tenaciter esse inhaerendum, in cæteris verò dissensum facile admittam, cum vivamus ibi, ubi errari solet, nec humanitatis, sed divinitatis sit in nullo prorsus cessitare. Favebit itaque benevolus Lector, & indubitanter vera suo calculo probabit, minus verò elaborata vel suâ dexteritate juvabit vel equanimitate suâ emendabit. Exarabam Tubinga ultimo Anni 1670 die.

Super Annotationes

in *Librum HUGONIS GROTII,*

De

JURE BELLI ET PACIS,

Scriptas

ab acutissimo Theologo &
Philosopho,

DN. JOHANNE ADAMO OSIANDRO,
SS. Theol. D. Pastore & P. P.

Jus bello pacique suum dux GROTIUS aptat:
Ivit & ad Superos inclyta fama libri.
Obvertens Soli foetum: Pia lumina vultu
Sustinet hic recto vix OSIANDER, ait:
Abstergitque favens maculas, lucemque te-
(nebris.

Infert, & meritum pumice comit opus.
Gaudet magnanimis *Sapientia* culta repertis,
Inque senex ævum lima superstes abit.
Ipsa refulsuri securum præstat honoris
Eusebie, & regnis officiosa *Themis*.
Linea Protogenis victi sic clarat *Apellem*:
Luso ita *Parrhasius* Zeuxide nomen habet.

Christophorus Caldenbach.


SCA.

SCAZONTES.

Dum scribere cessat Doctor ignea mentis
Decus meum De JURE PACIS & BELLII,
Ego scribere pergo, languidum stylum stringens
OSIANDRIO DE JURE, Jure plus aequo:
ÆTERNITAS est illud, illa perstabit
Decreta Libro Maximoque Scriptori;
Nec Censor Obelo pervigilque Corrector
ÆTERNITATIS illa JURA dispunges.

M. M. H.

PRO:



PROLEGOMENA

In

HUGONIS GROTH

LIBROS.

DE

JURE BELLI ET
PACIS.

Olenne est Scriptori-
bus præfari, & in limine Ar-
gumenti pertractandi pri-
mas exhibere lineas, quod
& fecit *Hugo Grotius*, quem

Grotius.

Antequam ergo
aggrediamur examen commenti, operæ pre-
tium duximus, nonnulla de occasione. Scopo
fatto, inscriptione & divisione hujus libri præ-
libare. Opus hoc est fœtus *Hugonis Grotij*,
Viri maximi, & in literatura politiore peri-
tissimi, quo lumine juxta *Vossium* cum magno
Erasmo nihil eruditius vidit vel Sol, vel Solum
sustinuit. Natus is est in Belgio fœcundâ
magnorum Ingeniorum Matre, educatus in
fide ac religione reformatâ, literis & artibus
non leviter tinctus, sed profundè imbutus
sensum cœpit opes Animi in Juventute expli-

In Belgio
natus est.
Juveni pro-
vincia Syn-
dici deser-
tus.

A

care

Postea Ar-
miniano-
rum parti-
bus acce-
dit, incar-
ceratur, li-
beratur.

care, nec multi adhuc zvi capax Syndici Ro-
terodamensium partes egregiè sustinuit. Ar-
minianorum verò favens partibus cum Jo-
hanne Barnefeldio Advocato generali, Ægi-
dio Ledenbergio, Ultrajectino Secretario &
Rumoldo Hogebertio Superiorum Iram in
se concitavit, & capite plexo Barnefeldio, qui
adstantibus dixit: *Dilecti Cives, morior non
ut Patria proditor, sed ut ejus amantissimus.*
Ledenbergii verò cadavere, quod duobus in
ventre ictibus faucibusque abscissis in carce-
re inventum in capulo clauso & crate pertra-
cto in locum fontibus paratum, atque illic ex
patibulo suspeso,) carceri addictus fuit per-
petuo, quem ultra biennium in Arce Lovens-
steinia detentum fida conjunx inclusum cistæ
liberavit, & loco librorum Gorcum exportari
curavit, qui Antwerpianam veniens ad Ordines
rescripsit, *se liberationem quasi se & invenisse, fe-
cisse autem quod omnes Creatura facere consue-
verunt, in posterum se nihil adversus illos tenta-
turum.* Sententiã contra ipsum latã anno hujus
seculi 19. decimo octavo Maij hinc forsan Le-
ctori quanquam prolixiorẽ, pon tamen in-
gratã subjungimus cujus hæc est Formula: *Cum*
Hugo Gotius, ante Roterodamensium Syndicus,
ac nunc in custodiam traditus, reuque, coram
Dominis delegatis, quos potentissimi Provincia-
rum fœderatarum Ordines questioni de eo ha-
benda preposuerant, ac mox coram Dominis
judicibus, quibus summa eorundem potentissi-
morum Ordinum autoritas totius negotij cogni-
sionem atque judicium detulerat, extra com-
pedes

Sententiã
lata & pro-
nunciata
adversus
illum.

pedes cruciatuq; confessus sit: CUMQUE IDEM DOMINI JUDICES inde compertum habuerint, eum (etsi nemini fas sit ea vincula ac fundamenta legum conuellere aut temerare, quibus Provinciarum foederatarum regimen ad haec uque tempora subnixum, & auxiliante diuini numinis gratiâ aduersus hostium ac maleuolorum vim, insidiasque, & molitiones inconcussum stetit) tamen eò progressum esse, ut status religionis unâ cum aliis turbare, Ecclesiamque DEL ingenti tristitiâ atque angore afficere ueritus non fuerit, prolatis in eam rem atque ipso opere tentatis inusitatis quibudam & reipublice exitiosis principiis praeceptisque, per quae non modo privatim, sed etiam in comitiorum conuentuumque publicorum celebritate, scriptis, uationibusque, atque aliis id genus modis asseruit, ac multis etiam persuasit, competere singulis seorsum Provinciis in religionem summum ius atque potestatem, nihil uti ad 'Provincias socias foederatasque ejus rei cura pertineat: Atque insuper eundem reum assensu, suffragioque suo, & quibudam scriptis fecisse, uti multa opiniones nouae, formulisque inita concordiae repugnantes, ac nunquam antè in reformatâ Ecclesiâ approbata, excussae, aduersus solemnem sacrorum ritum in Ecclesias hujus reipublice inueherentur, atque illic defenderentur. Quin & eundem reum ita se penitus in uam causam demisisse, ut, licet sciverit haud esse decurionum Schielandia leges ullas sciscere, tamen eorum nomine conscripserit formaueritque inuicem edictum, quod uicesimo & primo

die Junij, anno millesimo, sexcentesimo, decimo
 & sexto editum nomine prætoris, assessorumque,
 & decurionum Schielandia fuit: qui, cum non
 ignorarent templa omnia publica intra sua ju-
 risdictionis fines ab ejusmodi concionatoribus
 teneri, qui novis imbuti opinionibus essent, ta-
 men eo edicto sanxerunt, uti ne alibi, quàm
 in supra dictis templis, sacros conventus cele-
 brare, veræque reformatæ religioni operam da-
 re fas esset: qui secus facissent, eorum uti do-
 mus, borreum, fœnile, navis, cymba, fundus,
 aliæque loca, in quæis sacra ea peracta essent,
 publicarentur, etiamsi forte is, ad quem earum
 rerum dominium, proprietatque pertineret, in
 eos conventus non consensisset, cui integra dan-
 taxat relinqueretur actio adversus conducto-
 rem, eosve, qui talem cœtum convocassent: tum
 & ut trecentis florenis is muldaretur, qui con-
 cionatus illic esset, quique sacramenta admini-
 strasset, aut textum Biblicum cœtus præligisset,
 aliosve sacros actus obivisset, denique qui con-
 ventum indixisset, aut eum locum inhabitaret,
 ubi cœtus initus esset: quæ de causa is etiam è
 vestigio in custodias includi posset, donec exso-
 luta præsens pecunia foret: repertis insuper qui-
 busdam insolitis rei judicariæ modis, sequibus
 iste erat, uti confiteri crimen existimaretur,
 qui respondere ad interrogata recusaret, neque
 è dictis duntaxat testium sententia ferretur.
 Deinde hunc ipsum quoque, ne his malis justa
 remedia adhiberentur, neve opiniones ejusmodi
 novæ à sacro limine arcerentur, assidue illud
 operam dedisse, uti in fœderatis Provinciis nul-
 la Sy-

la Synodus Nationalis haberetur, aut permitteretur, quamvis ad pellendas eas, quæ in religionis statu enata erant, difficultates, remedium hoc esse præfens & necessarium judicaretur à Serenissimo magne Britannia Rege, ab Illustrissimo Principe Anraico, à majore Provinciarum parte, atque à multis Hollandia civitatibus, quarum erat notabilis autoritas. potestaque. Eundem quoque reum ad eum finem hæc talia jactasse, Synodos supreme Ordinum, jurisdictioni aliquid præjudicari adferre: in causa Synodi neque suffragiis, neque numero suffragiorum agendum esse: fore id adversus majestatem, libertatemque & jura Hollandiæ, si ejus Provinciarum Ordinibus, aut majori eorum parti, sine plenâ eorum assensione obruderetur Nationalis Synodus. Ad hoc, eundem reum, quo acrimus adversus hanc obniteretur, quosdam secretes conventus cum delegatis ex VIII. urbibus peregrisse, uti de tota re dispicerent ante inter se, consultarentque, atque ita mox ex composito in comitiis Illustris Ordinum sententias arte consonantes dicerent. Ad hæc, eundem reum, injussis Ordinibus Hollandiæ, cum etiam nihil quidquam de mandato Ordinum Ultrajectensium, aut Transsyssulanorum compertum haberet, ausum fuisse in edibus Joannis ab Odenbarnevelt obnuntiationem quandam nominis trium simul Provinciarum, Hollandiæ, Ultrajecti, & Transsyssulaniæ conscribere, quæ eodem conjunctim atque ex pacto in potentissimorum fœderatorum Ordinum consensu, novo inauditoque more, restata sunt, cætera-

rum Provinciarum legatos, qui Nationalem Synodum maturarent, malorum gravissimorum & immedicabilium auctores fore: eundemque etiam antea hanc obnuntiationem in Senatum delegatorum ab Ordinibus Hollandia, secus quam fieri solet, attulisse, atque illic recitavisse, neque suffragia decretumve super ea rite aut ordine expectasse. Eundem quoque assensisse, & unâ cum delegatis ex VIII. urbibus effecisse, ut magnâ sociorum despiciatione litera ea, quas federati Ordines super Nationali Synodo ad Hollandia Ordines dederant, nondum aperta lectaque retrorsum missa rejectaque sint. Quin & eundem cum aliis unâ formavisse epistolam, qua nomine Ordinum Hollandia scripta ad Christianissimum Gallia Regem fuit, ob hanc causam, uti Majestas ejus falso crederet Synodi Nationalis convocacione id agi, ut supremis Magistratibus, nobilibusque, & spectatissimis Provinciarum vasallis jura collationis & patronatus adimerentur: tum uti existimaret DD. Ordines Generales in convocanda ea Synodo nihil nisi appellationem Ordinum Generalium sibi assumere; atque uti rogaretur ejus Majestas, ne quemquam ex sua ditione ad Synodum venire sineret, sed ut Hollandia potius adversus ceterorum factiones (ut quidem ibi vocant) opem auxiliumque ferret. Qua omnia illius pertinebant, uti & Nationalis Synodus, & ea remedia, que erant componendis tantis in religione dissensionibus, impedirentur. Sed & eundem rem in Anglia, monitu Joannis ab Oldenbarnevelt, tentavisse & exquisivisse

Epi-

Episcoporum judicia, ut, si amplius obfisti non
 posset, saltem quidam eorum ad Synodum ve-
 nirent, qui novitati opinionum non adversarentur:
 Cum tamen omnium fœderatarum Pro-
 vinciarum rectores multis Recessuum actis, pa-
 ctionibus, transactionibusque ac decretis mutuo
 sibi inter se promiserint, seque huic legi adstrin-
 xerint, ut opibus omnibus, vitæque & sanguine
 reformatam Evangelij doctrinam, que in hisce
 Provinciis ubique suscepta est, protegerent, ac
 tuerentur, nihil ut in ea immutarent ipsi, im-
 mutari ve ficerent: denique quamvis ad hancce
 normam anno Dei Domini que nostri millesimo
 quingentesimo octuagesimo octavo juramenta
 omnia, que à gubernatoribus, & prefectis, du-
 cibique, ac militibus exigentur, ita compo-
 sita, & publico decreto comprobata essent, uti
 sanctissime suam fidem obligarent iis Ordinibus
 Generalibus, qui in fœdere semel icto, atque in
 defensione vera reformatæ religionis perdura-
 rent: postremò quamvis in omni deditioe ca-
 ptarum urbium pactio interposita fuerit, uti
 necesse haberent eam exercere religionem, que
 à victoribus fœderatisque suscepta jam ubique
 erat. Insuper eundem, cum haud sufficere istac
 crederet, ausum etiam fuisse ope sua auxilia-
 que statum reipublicæ civilem turbare, uti de-
 inde in eo ad arbitrium paucorum cuncta con-
 stituerentur: atque in his rebus eam viam in-
 stitisse, ut multis ecclesiasticis, laicisque, qui se
 injuria affectos, relegatosque, & electos atque
 oppressos querebantur, justitiam legesque im-
 plorare, ac juris remedia persentiscere non con-

cederetur, sed uti civitatum Magistratibus vires animique suppeditarentur, ne Curiarum juridicarum mandata in eam rem impetrata audirent. Dein, uti mutuan sibi inter se operam navarent conatibusque suis autoritatem illustrium DD. Ordinum pretererent, eundem rem super his, & id genus aliis negotiis, monitu Joannis ab Oldenbarnevelt, multos claudestinos conventus cum delegatis ex supra dictis civitatibus peregrisse, uti de tota re dispicerent antè inter se, consiliaque in unum conferrent, atque ita mox in comitiis Ordinum ex compaeto suffragiis consonarent, decretaque ejusmodi, uti pro re nata opus esset, conficerent, in quibus quidem cæteris etiam plura rerum, capita, de quibus separatim alio atque alio tempore ad Senatum Ordinum retulerant, recognita ac repetita fuerunt, uti in unum de iis conderetur unum decretum, quod & factum fuit, cum à Joanne ab Oldenbarnevelt composita, ac mox ore ac verbis tenus in unam conclusa summam est formula acerrimi Senatus-consulti, quod die quarto Augusti, anno millesimo sexcentesimo, decimo & septimo conditum est, quo mandata Curie utriusque juridice adversus factiosos eorum conatus impetrata, declarantur nulla atque invalida, manenturque civitatum Rectores & Magistratus, ne iis obtemperent: atque etiam potestas sit iisdem Magistratibus, uti præsidia sibi armatorum militum legant, & sacramentum ab illis exigant, non sociis fœderatisque in commune, sed ipsis solis præstandum: ac jubentur omnes præfecti,

pra-

praeatoresque & iudices, qui iurejurando sese Hol-
 landiae obstrinxerunt, decretum illud ex fide,
 quam debebant exequi: denique causum fuit,
 uti tribuni omnes, ducesque, & milites, qui al-
 lecti in ordinarias copias erant, cogerentur spre-
 tis aliorum omnium jussibus, Ordinibus dunta-
 xat Provinciae cujusque, qui stipendia ipsis sol-
 verent, Magistratibusque earum urbium, ubi
 in praesidiis essent, fidem atque obsequium com-
 modare: quod si adversum ea facerent, ignomi-
 niosa missione sacramento militia solvendos fo-
 re. Quibus rebus illud demum effectum est,
 uti adversus Cuias iuridicae acrior suscepta mo-
 litio sit, atque ut edictum quoddam, quod con-
 scio hoc reo compositum, atque ab ipso recogni-
 tum est, publicè Magistratum Harlemen-
 sium nomine promulgaretur, quo supremae Cu-
 riae adessores contumaces ac refractarios esse,
 contraque bonum & honestum, atque adversus
 iurijurandi fidem fecisse, & sententias eorum,
 nullas atque invalidas esse declarabatur, pro-
 pterea quòd officium suum quibusdam impertie-
 rant, qui praeter jus fasque se oppressos conque-
 rebantur. Sed & illuc hinc contigit, uti Ma-
 gistratus Rectoresque supra dictarum VIII. ur-
 bium, cum Ioannes ab Oldenbarnevelt identi-
 dem monisset vigilandum, & securitati con-
 sulendum esse, novos milites legerint, ac sub ve-
 xillis habuerint, aut, quae ante crexerant ve-
 xilla, immutaverint, iisque plures milites ad-
 diderint, exacto ejusmodi sacramento, quo &
 singulis civitatibus fides obsequiumque promit-
 teretur, & foederati Ordines, atque Illustri A-

nus Princeps, praefectus generalis, excluderentur: adjecto etiam hoc mandato, uti Magistratibus urbium obtemperarent, adversus quoslibet, atque etiam contra foederatos Ordines, Illustrissimumque Principem, si iidem Magistratus existimarent aliquid ab his tentari, quod juri suo libertatique crederent officere. Eundem quoque reum auscultavisse monitis Joannis ab Oldenbarnevelt, atque assensisse, uti pariter Rotterodamenses quoque novum militem conscriberent, atque ut ex sententiâ supra dicti Senatusconsulti Brielam quidam delegati, ignaro Illustrissimo Principe, praefecto generali, mitterentur, qui ordinarias cohortes illic in praesidiis collocatas supra dicto sacramento adigerent, aut recusantes exauctorarent. Super hoc, sciuisse eundem reum non esse novi militis conscriptionem factam ad inhibendas seditiones plebis, cum quod similiter conscriptus ejusmodi miles esset Horna & Gouda, ubi haud metuendi erant tales tumultus, tum quod Ultrajecti idem factum esset: in quâ urbe ab anno usque millesimo, sexcentesimo, & decimo praesidiarii militis ingentes validaque copia ad depellendos civicos motus erant collocatae; deniq; quod Rotterodamenses atq; Ultrajectini Schoonhoviam, ubi duae foederatorum Ordinum cohortes in praesidiis erant, milites recens à se lectos miserint, ne ea urbs factioni suae subtraheretur: quemadmodum & hic ipse reus quosdam è decurionibus Delphensibus permovere studuit, uti ejusmodi novi militis conscriptione pariter sibi opus esse crederent. Sed & intellexissa eundem reum

rem ad inhibendos civicos motus hand necessum esse, uti tam multa novorum militum cohortes conscriberentur, aut uti ob eam causam federatis Ordinibus, Praefectoque generali sacramentum non dicerent. Atque etiam eundem rem una consultavisse de stipendiis novorum militum inter civitates, quarum negotium agebatur, pro rata parte constituendis, aut in rationes eas, quae cum federatis Ordinibus haberent, referendis; cum tamen ipse fateatur non debuisse eos federatis Ordinibus obtemperare, si Magistratus urbium contraria imperarent. Tum & eundem cum aliis deliberavisse de copiis auxiliaribus Galliae exanctorandis, aut de cohortibus caeteris, si qua grandiores essent, in pauciora capita contrahendis, uti in facili foret unde stipendia novo militi exolverentur. Ad hoc, eundem per idem Senatusconsultum, studuisse formulam sacramenti, ad quam ordinaria cohortes adiguntur, in hanc sententiam detorquere, quasi ante omnia obsequi deberent Ordinibus cujusque Provincia, unde stipendia acciperent, Magistratibusque earum urbium, ubi praesidia agerent, etiam adversus federatos Ordines, contraq; Illustrissimum Principem, si forte ii diversa juberent: ut & hac ipsa re, atque etiam novi militis delectu summa potestas popularibus factionis, istiusce foret in cunctis fere copiis militares harum Provinciarum. Super hac, eundem quoque in supra dictis conventiculis comprobasse, & una cum Hanio atque Hogerbetio, ex consilio Joannis ab Oldenbarnevels, formavisse eam orationem, qua ha-

bita

bita nomine *Harlemensium* in comitiis *Ordinum Hollandia*, & suffragiis ceterorum ejusdem factionis confirmata fuit, quæ asserebant iidem *Harlemenses*, nunquam fore, uti aut ceteras fœderatas *Provincias* in causa religionis quidquam se invitis facere, aut *Curias juridicas* ulla mandata adversus placita sua decernere sinerent. quin potius opes omnes & veltigalia reipublica averruncandis his rebus impendi oportere. tum & debere ordinarias fœderatarum *Provinciarum* cohortes *Magistratibus urbium* earum, in quas praesidii gratiâ mitterentur, sacramentum dicere, eosque propugnare, etiamsi quid ab his per causam aut pretextum religionis imperaretur: denique quæ pecunias, quas extra ordinem promittere in *erarii subsidium*, solent, cautionibus iniustitæ adstrinxerant, atque in eum modum ceteras civitates, sociosque veluti ad novi fœderis leges invitarent. Eundem quoque rem curavisse eam orationem ex *Belgico* in *Gallicum* sermonem verti, & in alias terras mitti; atque etiam super hac re consilia, cum legato quodam extero communicavisse. Mox, cum Illustrissimus Princeps *Briela* validius praesidium ex fœderatarum *Ordinum* cohortibus eo consilio imposuisset, uti ne in eâ urbe etiam novus miles conscriberetur, eundem rem palam id improbavisse, & unâ cum quibusdam ex *Senatu delegatorum* effecisse, ut ad *Fontanum* ab *Oldenbarnevels*, & ad *Hollandia* civitates, tanquam in re trepidâ ancipitiq;ue, litera scriberentur, atque ut ex eodem *Senatu* quidam *Briela* mitterentur, qui Illu-

strissi.

strissimum Principem ab incepto transvorsum-
 agerent. Eundem quoque, uti presidium isti
 factioni adderet, decrevisse atque concepisse u-
 nâ cum delegatis, ex octo urbibus formulam
 cuiusdam mandati, quod decimo & quarto die
 Maji, anno 1618. supra dicta octo civitates
 delegatis dederunt, quo potestas iisdem delega-
 tis facta fuit, ut, nullâ ad Senatum relatione
 factâ, liberè inter se statuerent de ejusmodi re-
 mediis, qua aut adhiberi jam cœperant, aut
 àinceps comparanda esse viderentur, adversum
 eos, qui Synodum Nationalem maturarent,
 aut novi militis missionem molirentur; (quod
 quidem non ad alios proferri, nisi ad Illustrissi-
 mum Principem, & ad potentissimos federatos
 Ordines potuit, qui in utrumque hoc negotium
 intenti erant.) denique quo permissum iisdem
 delegatis erat, ut data invicem fide promitte-
 rent sibi inter se auxilium, suppetiasque, & in-
 demnitatem, ita uti pro re nata opus esse vide-
 retur. qua res eò pertinebat, uti inter se in no-
 vum fœdus coirent, in cuius societatem etiam
 Ordines Ultrajectini invitati fuere, quorum
 nomine mox simile mandatum est editum die
 tertio Junij, anno millesimo, sexcentesimo, de-
 cimo & octavo styli veteris. quanquam Magi-
 stratus urbis Ultrajectina, cum impensius ani-
 madverteret, quò istud pertenderet, non aliter
 illud comprobare sustinuit, nisi hac cautione,
 ut delegatis neutiquam fas foret ope aut assen-
 su violenta & extrema tentare, aut nova so-
 cietatis leges sancire, qua extra commune Pro-
 vinciarum fœdus essent. Exhibi, cum DD.
 Ord-

Ordines Ultrajectini cornerent in pestem aravis novum militem retineri, eamque ob causam delegatos ex confesso suo, justo numero, Hagam misissent, uti cum Illustrissimo Principe de novi militis exauctoratione agerent, eundem reum cum Syndico Hanio & Hogebertio, & cum Secretario Ledenbergio in adibus Ioannis Vtenborgardi consultavisse, qua potissimum ratione, quave via permoveri possent ceteri delegati Ultrajectini, uti ne acceptum super ea re mandatum excederent. Mox & eundem reum, postquam de his ad Ioannem ab Oldenbarnevelt retulisset, injussu eorum, quorum actor Syndicusque erat, adfuisse unà cum suprà dicto Syndico in adibus Danielis Tresellii, in quas ceteri delegati Ultrajectini data operâ convocati erant, atque illic eum eosdem delegatos multis acerbis, pernitiosisque, & communi quieti atque publico Provinciarum statui inutilibus rationibus, & insuper suppliciarum pollicitatione ed adduxisse, uti accepta mandata Illustrissimo Principi non exponerent, sed Ultrajectum revertentur, magno reipublica urbuque Ultrajectina periculo. Quin etiam eundem reum illic ad hunc modum verba fecisse, uti potentissimos Ordines sœdetratos, Illustrissimumque Principem per vituperationem adversarios, invidosque, ac malevolos dixerit, adversus quos fidenter obniti, opibusque reipublica haud parcere oporteret: tum ut assereret exauctoratione novi militis animos auctum iri malevolis, ac damnum irreparabile suae factioni adferri, periculumque esse ne in graviora mala incidèrent, neve cetera civitates,

res, quarum salus in hoc vertebatur, rem eam iniquè ferrent: incerta atque intuta esse, qua ab ordinariis cohortibus sperarentur; opus hic esse, uti fiduciam ac spiritus sumerent: fore uti cetera civitates, partesque Hollandia, ad quas ea res pertineret, suppetias ipsis ferrent, causamque junctis viribus ad exitum perducerent, atque omni ope, qua proficisci ab humano ingenio posset, constantiam incepti servarent: tum & Hollandos ararii sui rationibus ita consulturos, ut hinc accepturi levamen aliquod Ultrajectenses essent: eosdemque etiam circa milites, quibus stipendia exolverent, in eum modum omnia ordinaturos, uti deinceps resciscerent quorum fides probata, certa que, aut dubia & fluxa esset. Qua omnia sic dicta factaque ab eodem reo fuere, etsi fateatur ipse se apud animum suum judicavisse, expeditâ commodâque viâ occurrere multis malis potuisse, si mandata ea delegati exposuissent. Dein, cum potentissimi Ordines federati Illustrissimum Principem rogassent, ut cum delegatis aliquot, quos ex confesso suo elegerant, Ultrajectum proficisceretur, atque illic exhortationem novi militis, convocationemque Nationalis Synodi, & id genus alia urgeret, eundem reum à paucis nobilibus, & trium civitatum legatis, atque insuper à quibusdam ex Senatu delegatorum Ordinum (qui potestatem ejus rei nullam à suis acceperant) id negotii sibi dari passum esse, uti unâ cum Syndico Hogerbetio, atque cum aliis Ultrajectum abiret. & Ordinibus Provinciae Ultrajectinae, ac Magistratui urbis opem, consiliumque, & omni-

unius generis copias promitteret; atque ut insu-
 per, si forte ab Illustrissimo Principe, & à lega-
 tu fœderatorum Ordinum exauctoratio novi
 militis sine Ordinum Ultrajecti norum suffraga-
 tione tentaretur, eam rem vi armisque impedi-
 ret, cuius quidem legationis suscepta causam
 fuisse sibi hanc confiteretur, uti propositum DD.
 Ordinum Ultrajectensium juvarent, atque uti
 ordinarias cohortes pariter indem ad eum fixam
 operam manusque commodare juberent, acceptis
 in eam rem literis ad ordinarii militis prae-
 fectis, stipendia ex Hollandia arario capientes,
 quâ conscribillata primitus à Ioanne ab Olden-
 barnevelts, sed in comitiis, qua tunc erant, reci-
 tata non fuere; quarum sententia erat, debere
 eos solis illis, quorum are mererent, Ordinibus-
 que insuper earum Provinciarum, in quas missi
 essent, fidem & obsequium prestare, eorumque
 decreta omnia observare, ac jubere observari,
 nihil uti adversum ea faciant, tententve, aut
 fieri, tentarive signant. Eundemque reum mox,
 postquam celeriter Ultrajectum venisset, & clan-
 destinis conventibus cum Ledenbergio agitasset,
 quâ via, quibusve pollicitationibus Ultrajectinos
 Ordines adoriri oporteret, ne novum militem
 sacramento solvi sinerent, sed uti eam rem im-
 pedirent potius, in confessu DD Ordinum unâ
 cum Hogerbetio, & aliis ejusdem factionis po-
 pularibus ea exposuisse, quorum causa venisset,
 consiliumque illis, & opem, copiasque promississe;
 atque ad eundem modum etiam verba fecisse
 apud Magistratum urbis, adductis ejusmodi ra-
 tionibus, qua & DD. fœderatis Ordinibus, Illu-
 strissi-

strisſimoque Principi ſ. timidolaſa eſſent, & Ultrajectinos acrius accenderent, animarentque, uti ne invitos ſe cogi ad miſſionem novi militis ſinerent. Inſuper hiſ cum Illuſtriſſimus Princeps quoque, & legati Ordinum Generalium illic adveniſſent, atque ediſſeruiſſent que acceperant mandata, eundem reum commodaviſſe operam ſuam ad componendum id reſponſum, quod nomine DD. Ordinum Ultrajectenſium ipsis redderetur: in quo ita orationem inſtituit, uti eos, qui cum Illuſtriſſimo Principe aderant, agnoſcere ſæderatorum Ordinum legatos noluerit, quamvis & tales ſe probaviſſent publicis litteris, quas ad fidem faciendam tradiderant, atque etiam in eum modum verba in Senatu feciſſent. Quin etiam eundem reum illic ſe immiſcuſſe curiſ Reipublica Ultrajectina, atque in clauſtris conventibus unâ adfuſſe, in queis centurioni Harzeveltio datum eſt ſummum in novos milites imperium. tum & operam eum dediſſe, uti privatim uni è conſulibus Ultrajectinis perſuaderet retinendum eſſe novum militem: atque etiam conſultaviſſe cum præſidiorum Præſecto, quam inſiſtere viam oporteret, ſi Illuſtriſſimus Princeps novi militis exauctorationem vi exequi anniteretur. Eundem quoque reum ſtudiſſe DD. Ordines Ultrajectinos permovere, uti adverſum hac manu, armis que tenderent, ac ſuſſiſſe uti fidas cuſtodias ad portas collocarent, ſecuritatique ſuæ conſulerent, & ut cives armati curiam cuſtodirent. Dein, cum centurioni Harzeveltio religio eſſet manus ſuas adverſus potentisſimos Ordines ſæderatos, contraque Illuſtriſſi-

mum Principem armare, eundem reum ad hæc
 dixisse, nihil id aliud esse, nisi degeneri animi
 ignaviam; meramque perfidiam, qua neque ho-
 norifica, neque utilis esse posset; ac satius mirari
 eam rem nequivisse. Super hac, eundem reum,
 uti etiam ordinaria cohortes contra ea, qua pa-
 rabantur, resisterent, sacramenti eas admo-
 nuisse, ad quod adacta essent, atque illud tali
 interpretatione pervertere voluisse, uti existi-
 maretur haud debere eas DD. Ordinibus fæde-
 ratis, Illustrissimoque Principi obtemperare ad-
 versus DD. Ordinum Ultrajectensium imperia,
 sed è contrario debere ea facere, & curare fieri,
 qua aut ii, quorum are merebant, aut Ordines
 Ultrajectini juberent discernentque, nihil uti
 adversum ea agant tententve, aut agi tentari-
 ve finant: atque etiam minitatum esse iudem,
 fore ut are diruerentur, si secus fecissent. Eun-
 dem quoque reum unà cum populatibus ejusdem
 factionis haud dubitasse præfecto præsidiorum
 imperare, ne aliorum jussa, nisi sua, Ordinumq;
 Ultrajectensium capesseret. Insuperque eundem
 reum, ut omni ope id, quod cœperat, pertendere
 se velle significaret, pridie quam exauctoratio
 novi militis facta est, Ducibus, Rectoribusque
 ordinarii præsidii supra dictas literas, qua Or-
 dinum Hollandia nomine scripta ad eos erant,
 in manum tradidisse, ut saltem desidere, & ni-
 hil contra moliri vellent: quo quidem casu Le-
 denbergius atque alii significaverant faciliè supe-
 rari posse præsens discrimen, quoniam sollicitè à
 se omnia circa novum militem ordinata erant.
 Postremò eundem reum ea ipsa nocte consilia

com-

communicavisse cum praesidiorum praefecto, ac deliberasse cum eo, quâ demum ratione efficeretur, ne Illustrissimus Princeps plures ex suis copiis in urbem introduceret; tum uti ad eum finem porta Amersfortensis fidei custodia teneretur: atque etiam dixisse: vim id fore, si ea causa Illustrissimus Princeps reserare portas conaretur. Quae quidem artes universa eò spectaverint, uti non solum Ultrajectina Provincia metropolis multo sanguine undaret, sed etiam totius reipublicae status, & vita Illustrissimi Principis in extremum adduceretur discrimen: effectumque est per has, & alias ejusmodi generis machinationes, conspirationesque, ut contigerit inter Ordines esse alios Ordines, aliud in rerum regimine regimen existere, novas societates iniuri adversus commune foedus, turbari in universam reipublicam ecclesiasticam & civilem statum, ararium exhauriri, decies deciesque & amplius centena millia expendi, dissidentiam passim, dissensionesque inter socios, atque inter cives excitari, foederis iniuri vincula dirumpi, provinciasque ad sui tutelam invalidas fieri, ac ferme in periculum venire, ne ad probrosam aliquam pactiorem descendere, aut etiam funditus interire cogantur. Quae ejusmodi sunt, uti in reipublica bene compositâ neutiquam ferri, sed publici exempli causa vindicari oporteat.

QUARE HIS ADDUCTI Domini iudices post maturam deliberationem, perspectis expensisque in omnibus, quae ad rem facerent, quibusque permoveri possent, jus dicentes nomine atque jussu Potentissimorum Ordinum foederatarum Pra-

*vinciarum, condemnarunt eundem reum, atque in praesens condemnant, ut carcere perpetuo at-
tineatur, eaque causâ deducatur in locum mu-
nitum, quem potentissimi Ordines foederati ad-
signabunt, atque illic per omne tempus vita cu-
stodius adservetur: bonaque ejus omnia fisco ad-
dunt. Actum in confesso eorundem Domino-
rum judicum, Haga-Comitum, pronuntiatum-
que XVIII. Maji, anno 1619.*

Conquestus est de ingrata Patria, & Fidem
Conjugis cominendavit in Epistola, ad Ery-
cium Puteanum scribens: *Fidem in patriam
praestiti: in uxore inveni. Ego publica liber-
tati cum studeo, amisi meam: Illa vicissim suam
mea impendit: neque tu frustra ipsam qua mihi
sum redditus rationem miraris. Quis enim li-
bertatem speraret ex arctiori carcere? Quis
caeli apertos haustus ex iis angustiis, qua vix
anima respiranti aerem transmitterent? Quis
denique tot custodum oculos effugere se posse spe-
raret ipsis custodum manibus & pedibus? Sed
nimirum equum erat inexpectata ratione eum
servari, quem adeo inexpectata pernicies op-
presserat. Quis enim futurum hoc credidisset?
Patria gloriam & eorum, qui in patria emine-
bant, tum vincita, tum soluta oratione, quan-
tum potui conquisus in sublime extuli. Pro hoc
merito merces mihi summa ignominia à civibus
meis redditur. Publicas opes patrocinio defen-
di, consiliis auxi; meas amitto: tutatus sum pa-
triae libertatem, constat id mihi tristissima ser-
vitate. Bene illud, quod uxorem in carcere
reliqui, & quidem me elapso arctius custodien-
dam,*

dam, ne quis jam dubitaret capi & innocentes & bene de suis meritos. Illa hoc tantum gnara elatum me, quod restabat eventus, anxia animi conjectura revolvens, vota fecit, quae ab a-
 mansissima mariti conjuge nemo expectaret; ut maritus à se quam longissimè abesset. Ego tum demum intelligens à quali uxore discessissem, tam graviter ferebam ejus absentiam, ut potius quam ea diu carerem, carceri me fuerim red-
 diturus. Gratulandum est saeculo, quod hoc potuerunt fama reverentia ac pudor, ut fami-
 nam illorum manibus extorquerent, quia jam aliam non habebant ira sua materiam. Illa ve-
 rò hoc laude dignior, quod tam facilem exitum, cum me emitteret, sperare non ausa est, inno-
 centia mea mihi conscia, atque, inde intelligens in quos homines incidissemus. Non in aliam magis isti versus congruunt:

Tu melius, certo meruisti pignore vita,

Ut tibi non esset morte probandus amor.

*Neque tamen jam defuncti sumus patientia ex-
 perimentis: superest pro carcere exsilium, &
 nescio an*

Fata mihi totum mea sint agitata per orbē.

In Galliam se recepit Exul, animatus à In Gallia
Exul.
 Petro Jannino, qui promisit securam in il-
 lo Regno stationem, seu ad tempus, seu in
 perpetuum: faventem expertus quoque Illu-
 strissimum Dn. Guilielmum du Vair Galliae
 sigillorum custodem, in cujus Epistola gallicè
 exarata Anno XXI. 13. Junij hæc leguntur: Mi-
 hi promitto, Liberalitatem Regis, (quae pro tem-
 pore ad nihil se extendit, quam ad tuam tan-

*rùm Necessitatem tuis jam Virtutibus obviam
aderam & meritis, ut offerat ipsis functiones ho-
nestas in rebus mundanis, in quibus sciunt Te
multùm acquisivisse cognitionis & dexteritatis
in illis tractandis. Non ero ultimus, qui se ge-
ret ad promovendum illud, quod poterit inser-
vire Tuo desiderio, & habebò charissimam, sicut
debeo, amicitiam Viri tam vari, sicut Tu es;
offerendo Tibi omnia, quæ posses expectare ab
illo qui est,*

Domine mi

Tuus &c.

Insigni Pœmate gratulatus est meliorem
sortem cum Libertate Caspar Barlæus, cujus
Numeri ita tripudiant :

*Hactenus invisâ detentus carceris umbra
Ereptum ulterius non tulit Hugo diem.*

*Eta viam inveniunt tabulis concluditur
arctis,*

*Quemque capax mundus non capit, arca
capit.*

*Navigat & liber, simul & captivus, & inter
Spemq; instumq; suum laudat, & odit opus;
Aut Solem mihi redder, ait, fraus ista prio-
rem*

Aut iterum ingenio sum miser ipse meo.

Quid fortuna stupes? toti mirabilis orbi

Non nisi vult miris liber abire modis.

Publicandi
hoc Scri-
ptum Au-
thor fuit
Nicolaus
Peireskius.

Movit autem ipsum ad hoc Opus elaboran-
dū VIR Illustris Nicolaus Claudius Fabricius
de Peiresk, Senator Aquensis, cujus vitam Pe-
trus Gassendus descripsit, qui omni operâ
contendit, ut aliquod Monumentum ære
peren-

perennius posteritati ab hâc ingeniosâ manu relinqueretur, cumque neminem sciret, qui par esset tantæ moli sollicitavit Grotium, Monstrum illud Ingenii, Virumque, ut sapius ipsum appellat Salmasius, verè ἕξοχώτατος, subministrans promovendo fætui media & dextram amicam. Ut verò Author noster stimulatus fuit à Peiresckio, ita una ipsum impulit defectus hujus Argumenti, cum ante cum nemo de hoc scripserit Methodo compari selectâ, atque desideratum diu fuerit, ut in hâc Materiâ aliquod opus Cedro & Libanide dignum prodiret. Fessus fuit ipse Grotius, cum Exemplo donaret Peiresckium adita Epistolâ, in qua sequentia leguntur. *Accipe jussis Carmina cœpta tuis, ait Poeta. Ego verò, Peiresci amplissime, non carmen, sed librum tibi mitto; tuo hortatu, tuisque auspiciis captum. Adderem, quod ipsa hac mea in Gallia habitatio non parum tibi debet, quo conciliante in virorum maximorum notitiam perveni: ita ut hoc quoque titulo, si quid inde fructus nascitur, id à te possit vindicari. Si dicam magno mihi dolori esse, quod tuo conspectu tuisque, colloquiis frui non licet, dicam quod verissimum est; sed huic damno solatium aliud quod adhibet V. N. frater tuus, frater sanè, non naturâ tantum, sed morum humanitate, qui &c.* Fuit insuper instructus sufficienti suppellectile literaria ad hoc ipsum, quod cœpit, verum in uno maximè laborabat, præconceptis scil. in Negotio Religionis Opinionibus, quod ipse non dissimulat. In voto

excellent

Ogi hæc.
nus non
tentatum
iter persuasit
Grotius

enim pro pace Ecclesiastica hæc leguntur: *Ab Adolescentia institutus in sacris literis, usus autem Magistris non idem circa divina sentiensibus.* Hinc indifferens quandoq; & suspensus, hinc *ἀμφοτέρω* in fide, nunc huc, nunc illuc inclinans. Nam primò Arminianorum dogmata probavit, dein motus officio cœpit etiam Photinianorum placitis adhærere, & tandem Pontificiorum Opinïonibus subservire voluit, quo animo, exprocaturus ne non leve auctoramentum purpuram sc. & Galerum, ut quidam existimant, an alia de causa non definire licet. Singula demonstrare in proclivî est, Arminianis enim favisse ipsa sortis adversæ Conditio & Proscriptio prodidit; maximè verò Liber, cujus Inscriptio *Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ Pietas*, in quo pagina trigesima prima & sequentibus *quinque illa dogmata*, ex quibus dissensus inter Gomaristas & Remonstrantes ortus masculè propugnat de *Predestinatione*, nimirum, quòd DEUS ab æterno decreverit credentes salvos facere. Alterum de *morte Christi*, quòd redempti per eam omnes, sed non omnes è captivitate eruti. Tertium de *Gratia Necessitate*, quod homo salutarem fidem à se non habeat, neque ex liberi Arbitrii viribus, sed necesse sit eum à DEO in Christo per Spiritum sanctum regenerari & renovari in Intellectu, Affectu seu Voluntate & omnibus viribus, ut verum Bonum possit rectè intelligere, cogitare, velle & perspicere secundum Verbum Christi Johan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quartum

de

Hoc uno
non suffi-
ciens quod
in fide nu-
batur.

”

”
”
”
”
”

de *Modo, quo Gratia operatur, ubi negat operationem talem esse, cui resisti non possit. Ultimum denique de Perseveratione, de qua an sit omnium, qui verè credunt dubitare Remonstrantes asserit, non verò Chryso-
 mum, Augustinum & Prosperum, confirmat etiam sua dictis Patrum, dilutis breviter, quæ valde obstare videbantur. Profecisse autem ad Photinianismū & per sinceriora grassatū vesti-
 gia ad majoris Impietatis & Licentiæ circum-
 docent omnia, Commentarii in V. & N. T. in quibus quoties arat Socini vitulā? quoties loligine hujus hæreses textum sacrum conspergit, & devenustare studet? familiaritas cum istiusmodi furfuris hominibus, partim per Epistolas, partim per Conversationem, ut etiam Martinum Ruarum hospitio Lutetiæ excepisse illum ferant; ipse denique liber præ manibus, in quo aliquoties plumæ Socinia-
 næ conspiciuntur, quibus sua vel vestire vel colorare voluit, nec veritus est scribere ad Vossium: *Non me pudeat consentire Socino, si quando is in veram veteremque incidit sententiam, ut sanè fecit in Controversia de Justitia per fidem & aliis nonnullis.* Luculentum autem indicium symbolicæ Religionis exhibet Epistola ad Crellium, in qua hæc leguntur: *Consistis & legere & relegere diligenter, quæcumque à Te proficiscuntur, expertus, quo cum fructu id antehac fecerim. Eo ipso tempore, quo literas tuas accepi, versabar in lectione tua interpretationis in Epistolam ad Galatas. Quantum judicare possum, & Scri-**

pti occasionem, & propositum, & totam seriem
 dictionis, ut magna cum cura indagasti, ita
feliciter admodum es affectus. Quare Deum
 precor, ut & Tibi & tui similibus vitam det,
 & qua alia ad istiusmodi labores necessaria.
 Mihi ad iuvandam communem Christianismi
 causam, utinam tam adessent viros, quam
 promptus est animus. Quippe mea prima eta-
 te per varia disciplinarum genera iactatum,
 nulla res magis oblectasti, quam rerum sacra-
 rum meditatio. Id in rebus prosperis modera-
 men, id in adversis solacium sensi. Pacis con-
 flicta & amari semper, & amo nunc quoque eo-
 que doleo, cum video tam pertinacibus iris com-
 mitti inter se eos, qui Christi se esse dicunt, si
rectè rem putamus, quantillis de causis! Tan-
 dem inter pontificios agens patellâ desulto-
 riæ mentis non indignum iudicavit Papismi
 operculum, quod probant Annotata in Con-
 sultationem Cassandri, Votum pro pace, &
 quæ Andreæ Riveto Antagonistæ opposuit.
 quid de eo narraverit Lucas Holstenius alii
 prodiderunt scil. suasisse ancipiti, ut Ecclesiæ
 Romanæ Nomen daret, quanti fecerit Dio-
 nysium Petavium ex Epistolis liquet, ubi in-
 ter cætera commendat librum supra laudatum
 & Censuræ submittit, scribens: *In eo scripso*
si quid est aut Catholicis sententiis discongruens
aut heteroqui à veritate alienum, aut minus
idoneum ad Pacem, de eo abs te viro eruditissi-
mo & cuius iudicium plurimi facio, moneri
percipio. Rogo, permittas mihi lumen de lu-
mine accendere. Et quam turpiter se dedit in
 Medita-

Meditatione de Anti Christo, quem propterea Hippolytus Fronto CaraCotta, qui creditur Molinæus, castigavit, & Samuel Maresius Orbi erudito prostituit. ~~Sane si commu-~~
 per fidei capita, deprehendemus pontificiis palpo subvenisse in Articulo de Papa, nuptiis, cibis, jejuniis, Cœlibatu Sacerdotum, cultu divino in ignotâ linguâ, Communione sub utraq; Libero Arbitrio & Merito, Transsubstantiatione, Invocatione Sanctorum, Imaginibus & earum cultu, versione & lectione Bibliorum in lingua vernaculâ; Unde etiam Jesuitæ libellum Belgicâ linguâ, quem Testamentum Grotii inscripserunt, passim in Vulgus disseminarunt, ut ostenderent partibus pontificiorum accedere paratum fuisse, & professionis luculentæ speciminibus in Scriptis prælusisse, favisse etiam, quâ Animi sinceritate non disputamus, Augustanæ Confessioni, & eidem addictis constat ex Animadversionibus illius in Consultationem Caslandri; ubi in præfatione ex Carolo Carassa Episcopo Averlano refert; *Cum primum lecta fuerit Augustana Confessio, non aversos ab ea fuisse Catholicos, sed judicasse eam nonnullis in locis egere Explicationis, & subjecit nihil hoc pronunciato Carassa esse verum.* Quam dissimilis autem sibi ipsi, qui quondam impugnavit Socini Commentum, & Defensionem Fidei Catholicæ de satisfactione Christi edidit, Anno hujus seculi decimo septimo; Hæresin pestem vocavit & venenum Ecclesiæ; Socinistis tribuit effrenem

Licentiam, Pontificiis verò Tyrannidem, & in hoc utrosque discrevit. Totus autem fuit, quod maximè dolendum, deditus infelici studio Pacis Ecclesiasticæ, quam sibi confinxit, quo illa vergunt, quæ Guilielmus du Vair ad illum perscripsit, in Epistolis ipse sparsim prodidit, in Annotationibus ad Cassandrum & Vindiciis Orbi exposuit. Unde non mirum multum luti hæsisse etiam huic Operi, nec dubium, si verâ religione fuisset instructus, longè nitidius effulsiurum, nec manum, quæ errata in theologicis castigaret, exacturum. Accusatus fuit etiam à quibusdam non tantum audaciæ in textus Scripturæ, sed & nimix præfidentix in cæteris studiorum Rationibus, de qua non nemo: *Ea videtur esse viri istius, in omnibus Magni, indoles, ut neminem sibi contradicentem, æquo animo ferre queat. Cæteris omnibus vellet esse, quod Discipulis suis Pythagoras, aut alter Palemon haberi, qui secum natus, secum moriturus litteras clamitabat. Id Nobilium Puteanorum (Virorum ut genere sic eruditione Clarissimorum, in quos Gratia & Musa liberali plane manu exquisitissima sua munia effuderunt)*

2) *Petrus Put. restabitur Frater alter, quem ajunt Virum Illustrem, immemorem etiam beneficiorum ab illis acceptorum, nuper in suis adibus parum moderate excepisse, & cum jurgiis à se dimis-
sisse, quod in verba sua jurare recusaret, & e-
jus Dictaturis obloqui ausus esset. Vitam finiit Anno supra millesimum sexcentimum quadagesimo quarto, decimo octavo Augusti, de*

Grotij Exi-
tus e vita.

1644

de quo Epistola D. Quistorpii nos informat, quam addere juvat: *Contendis à me, scribit N. N. ut perscribam quomodo, mundo huic valedicturus, Literatorum Phœnix Hugo Grotius se gesserit. En, paucis id habe. Conscenderat ille Stockholmiæ navim, quæ Lubecam ferretur; vehementibus per triduum in mari jactatus procellis, naufragium patitur, & ager ad Casubie litora appellit. Inde perquam incommodo curru, pluvia tempestate, per sexaginta & plura miliaria Rostochium nostrum devectur. Divertit ad Balemanniam. D. Stocmannum Medicum advocari curat, qui, etate, naufragio, incommodis itineris fractas vires advertens, vita terminum imminere præfagit. Secundo ab ingressu in hanc urbem die. (qui St. Vet. erat XVIII. Augusti) me hora nona vespertina ad se vocat. Accessi, propè modum in agone Virum constitutum offendi: compellavi, & me nihil maluisse affirmavi, quam ut mihi cum ipso incolumi sermones sociare licuisset. Regerit ille, ita DEO visum fuit. Pergo: ut ad beatam emigrationem se componat, peccatorem agnoscat, super commissa doleat, moneo; cumque inter loquendum Publicani peccatorem se fuentis, & ut Deus sui misereretur precantis, meminissim: Respondet: Ego ille sum Publicanus! Progredior, ad Christum, extra quem nulla est salus, ipsam remitto. Subjecit ille, In solo Christo omnis spes mea est reposita. Ego etiam voce precationem illam Germanicam germanicè recitabam, quæ incipit: **HERR Jesu/ wahrer Mensch und Gott***

Gottre. Ille complicatis manibus, submissa voce me insequabatur. Quum fini vissem, quæ sivi an me intellexisset? Respondet, probe intellexi. Pergo illi recitare ex verbo Dei, quæ jam jam morituris in memoriam revocari solent. Quæro, an me intelligat? Respondit: Vocem tuam audio, sed quæ singula dicas, difficultè intelligo. Quum hæc dixisset, planè conticuit: & brevi post Spiritum exhalavit, in puncto duodecime nocturne.

Scopus scri-
pti.

Habes Catastrophæ vitæ, à Grotio summo viro actæ. Cadaver Medicis post commissum est. Intestina Lebeti ab eodem imposita, ut in templi apud nos primarij Mariæ Virgini sacri locum honoratissimum reponerentur, à templi præfectis facile impetravi. Molliter cineribus cubent! Vale, dabam Rostocky propriis Michaelis. Anno Clj lꝝc XLV.

Hactenus de Authore & occasione libri Scopum, quem sibi præfixerit hæc Scriptione exponit in Epistola ad Johannem Crellium scribens: *Libris de jure Belli ac Pacis, id præcipuè propositum habui, ut feritatem illam non Christianis tantum, sed & hominibus indignam ad bella pro libitu suscipienda, pro libitu gerenda, quam gliscere tot populorum malo quotidie video, quantum in me esset, sedarem.*

Gaudeo ad principum quorundam manus hos libros venisse, qui utinam partem eorum meliorem in animum suum admitterent.

Nullus enim mihi ex eo labore fructus suavior posset contingere.

Transimus ad fatum Operis hujus ante & post Authoris obitum. Subiit hic liber varia & judicia & censuras, quibusdam hoc ipsum Scriptum tanquam novum ipsa novitate accusantibus, quasi sc. hoc ipsum esset molimen quoddam contra veterum methodum, & tritam etiam hactenus in jure viam. Fuerunt alii, qui hoc ipsum opus accusarunt ex opinionum contrariarum sententia, quæ ab Opinione Authoris in opere hoc proposita recedunt. Fuerunt Pontificii, qui proscripserunt hoc ipsum Opus; Nam anno 1629. Romæ in Consilio secreto Decretum factum, ut hic liber inter prohibitos referatur; Unde etiam apud Franciscum Magdalenum in indice librorum prohibitorum, hic etiam reperitur, ubi legimus 4. Febr. Anno 1627. hoc decretum factum esse. Cur autem Jesuitæ procurarint apud Pontificem, ut inter libros mali commatis referretur, varie inter se Doctores disputant, & sunt inter ipsos Pontificios, qui mitius censuerunt, quam factum est à Pontifice. Quod si proscriptus esset ob errores in hoc argumento conspicuos, forsitan non tam reprehendendus quàm laudandus esset, cum autem de causa non constet, liber hic fatum idem, quod aliàs orthodoxi libri expertus est, & potius Tyrannidem sensit quam æquanimitatem. Nimium alii tribuerunt huic Scripto, opinati mera oracula hic contineri, omnia esse excocta & sincera, Errorum etiã in Religione Basiatores vel Defensores, qui proin in periculosas Syrtes ducti hæserunt in capitibus fidei, & ut Scaliger

in

in aliâ materiâ festive loquitur, congefserunt in horrea sua simul cum fragibus etiam scabzozos cum suis tabernaculis, dum omnia convenerunt sine Vanno aut Cribro.

Inscriptio.

Pergimus ad Epigraphen; Inscibitur nempe de *Jure Belli & Pacis*. Seldenus adversarius Hug. Grotii forsan ex æmulatione scripsit librum de Jure Nat. & Gent. Ipse Grotius vocat Opus de Jure Gentium in Epistola ad Nicol. Peirescium, quò quidem juxta quosdam magis vergit. Sed Grotii appellatio non videtur difformis tum vero, tum rationi prisce loquendi. Bellum enim & pax sunt illi cardines, in quibus omnes res & negotia humanavolvuntur. Ad illa duo omnia referri possunt, quæcunque in vita nostra geruntur. Et cum ipse Grotius intenderit, opinionem illam expungere, qua quidam putarunt, inter arma silere Leges, in bello nullum esse jus, sed dextram prævalere Honestati &c. ideoque ostendere voluit, non solum in pace, sed & in bello obtinere jura, adeoque statum utrumque tam belli, quam pacis regulam suam tenere, ad quam instituendus & dirigendus sit Homo Animal illud sociale, ne quid declinet ratio, sive in sagato sive togato statu sit constituta. Hinc etiam in libro tertio maxime agit de istâ materiâ, quæ bellum concernit, & illis quæ bello connexa.

Inscripsit Opus & dedicavit Ludovico XIII. Galliarum Regi, quia postquam patria pulsus, & in exilium ejectus fuit, receptus est in gra-

in gratiam à dicto Rege Galliz, sub cujus umbram illum vocavit supra laudatus P. Janninus, Regem commendans, quod & justus & æquissimus sit, quodque à multis Viris probis acceperit Grotium alieno odio & Judicium Injuriâ damnatum.

Hæc ad prognosin hujus operis. Alias liber divisus est in tres partes, in quarum prima agitur vel maximè de illis, quæ concernunt Jus Naturæ & Belli Indolem, Divisionem, Principium, causas & modum in (2) parte de illis, quæ Belli causas concernunt, & negotia alia humana, quoad ipsam acquisitionem, conservationem & defensionem spectant. In (3) de jure belli, quid & liceat & expediat cum connexis. Ut autem Author eo felicius progrediretur in intricata hac & impedita materia, præmisit prolegomena, in quibus multa sunt, quæ utilia & maximè expendenda, cum suppeditent tum rationem juris naturæ defensi, tum etiam scatebram fontium, ex quibus hoc Opus haustum, & deniq; ipsam tractationis ideam, typum & portam.

C

OBSER-

In

PROLEGOMENA,

OBSERVATIO I.

Grot. Pro-
leg. P. I.

Jus civile quidem ex cultum fuit hactenus, illud verò quod Naturæ vel Gentium dicitur, neglectum sine Ratione & Utilitatum, quas parit debitâ perpensione.

Iuris civili-
lis gradus.

ORditur ita: *Jus civile* aggressi sunt multi. Hic Author dicit, jus civile quidē hactenus fuisse illustratum Commentariis, aut contractum à multis ob oculos positum respiciendo nostrâ maximè ætatem. Habuit enim Romanum Jus suos gradus, Infantiam, Adolescentiam & ætatem ingravescentem, cum verò vires Imperii sensim post Justiniani tempora defluerent cum ex turbis in Oriente, tum in Occidente nominatim Italia, cum studiis sub Carolo M. reflorescentibus cœpit respirare, lacertos movere sub Lothario, seculo denique decimo quarto, quinto, & nostro, fastigium petiit, & nobilissima Ingenia in sui affectum & admirationem pellexit. Ut autem nihil ex omni parte beatum, ita nostro quoque ævo non sine nævo fuit hoc studium, de quo graviter Petrus Cunzrus pag. 87. 88. *Jus illud Romanum, cujus summa est perfectio, propter excellentem seculi nostri perversitatem, ita deformatum, interpolatum, lu-*
catum

Navi à Cu-
nzo indi-
cati.

statum est, uti solidam & expressam effigiem
 ejus nullam teneamus, umbra autem & imagi-
 nibus utamur. Ejus mali prima origo à Pañ-
rificibus est, qui ut potentiam stabilirent suam,
 tum ut aliquid sui viderentur adferre, etiam
 recta commutaverunt. & paulò post: Nig, verò
 his modo malis perfuncta est illa vera Sapiencia
 divina soboles: Sed accessit aliud quoq, quod lon-
 gè pejus est, ambitio pravay, libido quorundam,
 qui in jus civile cū immanes Commentarios scri-
 berent, penè omnia subtili argumentorū collectio-
 ne in disceptationem vocavere, jusque dedere no-
bis controversum, quod tam aëtoribus quam reb
partibus deseruit. Sed hoc est per accidens &
 illis relinquendum, qui in hoc stadio aliàs stre-
 tuè decurrunt, aliàs Laurentius Valla egregiè
 illud commendat, scribens: *Se perlegisse quin-*
quaginta Digestorum libros ex plerisque Juris-
consultorum voluminibus excerptos, & relegisse
libenter & quadam cum admiratione, quod
nescias, utrum diligentia an gravitas, pruden-
tia an aequitas, scientia an orationis dignitas
prestat. Et hac ipsa in unoquoque illorum ita
sunt egregia & perfecta ut vehementer dubites,
quem cui preferendum putes; & hic nihil addi
admirare posse videtur tam eloquentia quam La-
tinistatis & elegantia, sine qua caeca omnis do-
ctrina est & illiberalis, praesertim in jure ci-
vili. Jus verò præter illud non fuisse pro-
bè observatum, asserit Author; illud autem
triplex dicit esse, nempe (1.) Jus à natura pro-
fectum sive naturale (2) Jus divinis constitu-
tum legibus, h. e. Jus divinum positivum, &

(3) Jus consuetudinarium, moribus & pacto tacite introductū, quod ad Jus gentium refert. *Dicit præterea non defuisse, nec hodiè deesse, qui hanc juris partem ita contemserint, quasi nihil ejus præter inane nomen existeret, adeoque fuisse, tum ex Veteribus, ut Carneades, tum etiam ex recentioribus infra perstringendis, qui ipsam existentiam Juris naturæ impugnant. Quos imprudentiæ & falsitatis arguit l. Scriptura. Disertè enim Paulus Rom. 2. v. 14. & 15. Cum Gentes qui legem non habent naturæ, quæ legis sunt, faciant, isti legem non habentes sibi ipsis sunt Lex, atque ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis & c. II. Conscientia tum antecedens, tum consequens; est enim illa judicium de agendis vel omittendis, de actis & omissis eorumque Bonitate vel Malitiâ; ni autem huic Judicio præponas Regulam dirigentem, obligantem, stimulantem, quomodo Bonitatem vel Malitiam cognosces, conforme illi vel devium deprehendes, & vel lætus de Actu honesto triumphabis, vel mœrens de commisso peccato, vel omisso bono concides. At quæ alia generalis Regula dari potest, etiam ad Gentiles sese porrigens, ad illos, qui qualibuscunque stricturis rationis gaudent, quam Lux Naturæ, Lex cordibus hominum inscripta. Deniq; III. Consensus Sapientum & populorum. Conspirant hîc Judæi, Gentiles & Christiani. Ex Judæis, Josephus lib. 16. Originum cap. 10. qui inter perpetua & universalia, atque particularia & mobilia distinguit, Rab-Asar, qui cum crea-*

154
Juris naturalis Existencia.

tus

tus esset Adam introiisse in eum notitiam totius Legis naturalis asserit: ex Gentilibus Pythagoras, qui, quæ sacra sunt præmonstrare naturam docet, Aristoteles, qui justum quoddam naturâ, etsi nulla societas inter homines intercessisset, statuit. Rhet. 1. cap. 14. Cicero, qui Legem rationem summam insitam in Naturâ agnoscit, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Ex Christianis Doctoribus producimus Justinum, qui in Colloquio cum Tryphone, ostendit quædam esse bona universaliter, naturâ & æternum; quædam aliter se habere: Authorê Constitutionum, quæ Clementi tribuuntur, qui distinguit inter τὰ φυσικὰ ἔ νόμῳ, & illa, quæ vocat ἐπινοητῶν. Insignis verò locus est Lactantii Firmiani, quem ex amissis libris Ciceronis de Republica affert, scribens: *Est vera lex recta ratio natura cognoscens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando, à fraude deterreat, quæ tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatū, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpret ejus alius. Nec erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebis, uniusque erit communis, quasi Magister, & Imperator omnium DEUS;*

*Ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui,
 qui non parebit ipse se fugiet, & naturam ho-
 minis aspernabitur, & hoc ipso maximas luctu-
 pœnas, etiam si cœtera supplicia, qua putantur,
 effugerit. Carneadem premit vis rationum
 modo ad illas attendatur. Quod si enim nihil
 naturâ turpe, vel justum vel injustum nisi ex
 voluntatis Arbitrio, annon Deus contemptû
 Nominis sui, homicidia, adulteria, furta &
 latrocinia imperare poterit, & quidem ita, ut
 grata sint illi, eo ipso quo præcepta, quod uti-
 que horrendum. Annon sicut recta ratio
 est necessaria ad vitæ humanæ dirigendos a-
 ctus, ut non possit non fatuus impingere, a-
 deoque naturâ tale quid, cujus contrarium u-
 sibus humanæ vitæ non inservit, ita etiam,
 quia per Justitiam hominum societas conser-
 vatur, ea necessaria est, ubi Respublica, cœtus
 hominum in decenti ordine tuetur, intelligen-
 tur aliquid esse justum ita, & aptum ex se con-
 servandæ societati, ut oppositum destruat illam
 & evertat. Egregiè autem Discursum adversa-
 rium examinat Laëtantius, cujus verba insere-
 re libuit, petita ex lib. 5. Inst. cap. 17. Videamus
 inquit, utrumne justitia fœdus aliquod habere
 cum stultitia possit. Iustus, inquit Carneades, si
 aut equum sancio, aut tabulam naufragio non
 ademertit, ut ipse animam suam liberet, stul-
 tus est. Primum omnium, nego ullo modo fie-
 ri posse, ut homini, qui quidem vere justus sit,
 ejusmodi casus eveniat: quia justus neque cui-
 que nato inimicus est, neque quicquam omni-
 nò appetit alienum. Cur enim naviget, aut
 quid*

Refutatio
 argumen-
 ti palmarii
 Carneadis.

quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligerat, ac se alienis furoribus miscet, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur; qui ne lucrum sciat appetere, cui sufficit victus; & non modo ipse cadens facere, sed interesse facientibus, ac spectare, ducat nefas? Sed omitto ista: quoniam fieri potest, ut vel invitus ad hac subeunda cogatur. Adeone ergo justitiam ô Enri, vel potius ô Carneade, cujus est illa omnis oratio; tam inanem, tam supervacuum, tamque contemptam DEO putas, ut nihil possit, nihilque habeat in sese, quod ad custodiam suam valeat? sed videlicet, qui Sacramentum hominis ignorant, ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia; quanta sit vis justitiae, scire non possunt. Nam & cum de virtute disputant, quamvis intelligant arumnis, ac miseriis esse plenissimam, tamen expetendam esse ajunt sua causa. Ejus enim premia, quae sunt externa, & immortalia, nullo modo vident. Sic rebus omnibus ad hanc presentem vitam relatis, virtutem planè ad stultitiam redigunt. Siquidem tantos hujus vite labores frustra, & inaniter suscipit.

Sed hac alio loco plenius. Interim de justitia, ut coepimus. Cujus tanta vis est, ut cum oculos in caelum sustulerit, à DEO mereatur omnia. Rectè igitur Flaccus tantam esse dixit innocentia vim, ut ad tutelam sui non egeat nec armis, nec viribus, quacunque iter fecerit:

*Integer vita scelerisque purus,
 Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
 Nec venenatis graviora sagittis
 Fusce, pharetra:
 Sive per Syrteis iter astrosas,
 Sive facturus per inhospitalem
 Caucasum, vel qua loca fabulosus
 Lambit Hydaspes.*

Non potest ergo fieri, quin hominem justum, inter discrimina tempestatum atque bellorum, celestis tutela custodiat; ac non, etiam si cum parricidis & nocentibus naviget, aut malis quoque parcatur, ut una justa, & innocens anima liberetur; aut certe percutibus ceteris, sola servetur. Sed concedamus posse fieri, quod proponit Philosophus: quid ergo justus faciet, si naetus fuerit, aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? non invitum confiteor; morietur potius, quam occidet. Nec idem tamen justitia, quod est singulare hominis bonum, stultitia nomen accipiet. quid enim melius, quid carius esse homini debet, quam innocentia? qua utique tanto perfectior sit necesse est, quanto illam perduxeris ad extremum; morique malueris, nequid de innocentia ratione minuatur. Juvat addere, quæ ad primum nostrum Argumentum olim observare voluimus, concludentes ex Rom. II. capite vers. 14. hoc modo:

Quicumque legem non habentes, Naturam
 quæ legis sunt nihilominus faciunt, sibi
 ipsis sunt lex; & tandem ostendunt o-
 pus

pus legis scriptum in cordibus suis, illi existentiam legis naturalis satis superque probant;

Atqui Gentes legem non habentes, nihilominus faciunt ea, quæ sunt legis, sibi ipsis sunt lex, & ostendunt opus legis scriptum esse in cordibus suis. E.

Majoris connexio probatur, quia qui faciunt ea, quæ sunt legis, illi legem aliquam habere præsupponuntur; neque enim aliquis ea, quæ legis sunt, facere potest, nisi præsupponatur habere illum legem, cui se conformet, juxta quam agat & operetur, & si naturâ facit hoc, per naturam ipsi inesse debet illud juxta quod facit; quia (2) qui sunt sibi met ipsi lex, illi præsupponuntur habere legem intimè sibi connexam, ut ubi sint, ibi etiam lex sit, nec separari possit ab ipsis: quia denique (3) qui opus legis ostendunt scriptum in cordibus suis, illi habent in ipso animo & mente impressam legem, prout character imprimitur chartæ, eidemque inhaeret. Minor propositio probatur ex Rom. II. 13. 14. & 15.

Quamquam autem hoc argumentum nitatur verbis radio Solis scriptis, nihilominus inveniuntur, qui partim totam propositionem Paulinam, partim Subjectum illius, partim prædicata sollicitant. Totam propositionem Paulinam & structuram Orationis Apostolicæ impugnavit Vir alias Doctissimus Matthias Flaccius in clave Scripturæ, circa

vocem Legis. Nam ille *conditionaliter* Apostoli verba accepit, & hunc in sensum exposuit: Si qui essent Gentiles, qui facerent, quæ sunt legis, tum sequi legem quandam inscriptam esse, atque illos præferendos esse ipsi Judæis circumcisis, qui legis sunt auditores, si essent factores moralis legis, haberent legem DEI cordi suo inscriptam, spontè facerent ea, quæ DEUS per scriptam legem præcipit. & à Judæis exigit; quanquam frustra, tunc illi Gentiles essent multo præstantiores futuri ipsis Judæis. Ne autem sine rationibus hoc ipsum dixisse videatur, ideoque illas subjungit, & probat (1) tum ex eo, quia Apostolus utatur voce *ὄταν*, quod idem sit atque *ἰάν*, adeoq; *hypothesein* dicat, ut Luc. XVII. 10. *ὄταν*, quando omnia fecistis, h. e. si omnia feceritis, Luc. XIV. 8. tum ex eo, quia scopus Apostoli illud requirat: Nam Capite Rom. III. seq. ostendere Apostolum sese omnes homines convicisse peccati, demonstrasse omnes & singulos esse transgressores legis; Si autem aliqui adhuc essent, qui legem servarent, si Gentiles commendasset in hoc capite præ Judæis, quod ipsi fecerint naturâ quæ legis sunt, quòd sibi ipsi lex sint, quòd opus legis habeant inscriptum cordibus suis, tunc utique hoc obfuturum scopo Apostoli: Omnes enim peccatores esse, omnes transgressores legis, & nihilominus tamen quosdam non esse transgressores legis, sed facientes ea, quæ legis sunt, esse utique contradictoria: tum ex eo, quia & hypo-

hypotheticè loquatur Apostolus in seqq. nempe v. 26. & 27. quòd insuper opus legis, vers 15. notet efficacem legis notitiam, cum ipso actu, effectu & opere conjunctam, quam Gentiles non habuerint, & tandem quod nemo sit aut fuerit, qui natura legem fecerit.

II. Impugnatur ipsum Subjectum à quibusdam Pontificiis, nominatim Gabriele Vasquezio, Guilielmo Estio Duacensi Cancellario, & Liberto Fromondo, quibus prælusit Michael Bajus, in propositionibus suis à Romano Pontifice damnatis atque proscriptis. Nam reponunt illi sumi, non probari Apostolum per Gentes hinc intelligere Gentiles, sibi & naturalibus principiis relictos, cum potius intelligendi sint tales Gentiles, qui ad fidem conversi, utut legem Mosaicam non acceperint, qui natura h. e. per naturam nulla lege Mosaica, sed tantum fide Christi & gratia adjutam fecerint ea, quæ legis sunt; non autem esse consequens, Gentiles conversi beneficio auxilii gratiæ actualis fecerunt ea quæ legis sunt, sibi ipsis lex fuerunt, quia Mosaicâ lege fuerunt destituti, opus legis non per naturam, sed per gratiam ostenderunt cordibus suis inscriptam; ergò Gentiles sibi relictis naturaliter fecerunt ea, quæ sunt legis, adeoq; vi alicujus legis per naturam cordi humano insitæ aut inscriptæ Honestati litarunt, Probant autem hoc tum ex eo, quia Apostoli scopus fuerit docere, sine fide omnes esse sub peccato, tam Gentiles, quàm Judæos, neque ullibi aliquam observationem legis tribuat

Gentilibus veram, sed potius passim criminata adscribat; tum ex eo, quia apertè dicat factores legis justificari sive Judæi fuerint, sive Gentiles, sive legem scriptam acceperint, sive non: Gloriam, & honorem & pacem omni operanti bonum i. e. facienti ea quæ legis sunt; tum ex eo, quia Apostolus agat de talibus operibus, quæ remunerationem habitura in die, cum DEUS judicabit occulta hominum, quæ sunt opera Judæi in abscondito; at talia non esse opera Gentilium, sed Fidelium.

Tertio excipiunt quidam contra prædictum: Non esse consequens, scriptum est in cordibus Gentilium, E naturaliter infixum, nam etiam dici Jer. 31. dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam. Nec tamen naturaliter infixam esse illam legem. Sic loqui quoque Apostolum 2. Cor. 3. & denique ita Augustinum lib. de Spiritu & litera, cap. 26. sentire.

Sed. Resp. I. ad Flaccii exceptiones, illas non esse solidas. Non primam, quia est à particulari: *ἕταιροι* enim non semper notat conditionalem particulam, sed quandoque est causalis, atque idem significat quod quoniam, & quidem ita accipienda est in loco præsentis. Non secundam, non enim scopus Apostoli est, ostendere Gentiles legem facientes Judæis esse præferendos, sed ostendere Gentiles inexcusabiles esse coram DEO, si peccantes pereant, utut legem non habeant scriptam, quia sibi met ipsis sint lex, natura legem habeant, & ca

ea quæ legis sunt, faciant, ut constat ex v. 12. Non tertiam, tum, quia hypotheticè loquitur Apostolus quidem v. 26. & 27. ut constat ex ipsa structura textus, sed non hoc in loco, cum illa pars ab hac nostra sit separata; tum quia opus legis v. 15. notat quidem realem, veram, operosam & practicam aliquam notitiam, sed non dicitur Gentiles omne opus legis habuisse inscriptum, dum indefinite opus legis inscriptum ipsis esse asseritur, fecisse verò Gentes naturali instinctu aliqua legis, ut ad perfectionem observationis nunquam pervenerint, evidens est ex virtutibus Gentilium; tum quia Apostolus non dicit: Natura legem fecisse Gentiles, h. e. illam implevisse perfectè, sed facere ea, quæ legis sunt. quæ phrasis notat saltem facere Gentiles aliqua legis, qualiacunque sc., naturaliter.

Ad secundam exceptionem Resp. falsò supponi, per Gentiles hîc intelligi Gentiles fide Christi instructos, neque probant Adversarii hoc ipsum: Non prima enim ratio illorum concludit; nam quamvis tribuat Paulus aliqua crimina Gentilibus, quamvis doceat omnes esse sub peccato, quamvis veram legis observationem illis non assignet, tribuit tamen aliquam observationem, quod quamvis non faciant ipsam legem, tamen faciant ea, quæ sunt legis; & de Gentilibus agi destitutis notitia & gratia Christi liquet ex eo, quia dicitur naturâ illos facere, quæ legis sunt, oppositè ad gratiam. Naturâ autem facere idem est, quod naturæ ductu, absque informatione
vel

vel consuetudine facere, ut constare potest ex Eph. 2. v. 3. Gal. 2. v. 15. Naturâ facere dicuntur oppositè ad Judæos, qui positione legem habuerunt; & deniq; naturalitèr facere dicitur revera facere cum connotatione principii, re-
 — vera enim quædam fecerunt. quæ legis sunt.

Altera exceptio non est firma, quia Apostolus quando dicit factores legis justificabuntur, non subsumit de Gentilibus, sed proponit generalem regulam; quando dicit, gloria & honor & pax omni operanti bonum; dicit, quod operanti bonum obtingat, non verò qui sint operantes bonum. Denique annon dixit, Gentes sine lege peccasse v. 12? Regeniti verò & Gentiles conversi legem divinam noverunt, nec possunt dici peccasse sine lege.

Ultima denique ratio non urget, tum quia Apostolus non dicit: opera Gentilium habitura remunerationem in die Judicii; versiculus enim 16. est referendus ad v. 12. & cætera intermedia per hyperbaton sunt accipienda. Quanquam, si referantur hæc verba de die judicii ad vers. 15. nihil concludatur. Nam saltem asseritur ab Apostolo, cogitationes malorum esse accusaturas ipsos in die judicii, & excusaturas, h. e. quandam pugnam futuram esse in mentibus impiorum, apparente die judicii, consimiliter locis Sap. V. 3. & Matth. VII. 22. ubi eadem pugna describitur. neque Judæi in occulto opera sunt, quæ Paulus hîc tribuit Gentilibus. Judæus enim in occulto est conversus, & habet opera, quæ sunt

sunt fructus Spiritus, **Gentilis** autem non est conversus, neque Paulus ei attribuit opera bona, sed saltem quædam externa opera in vita civilis honestatis, quæ de interna aliqua, adhucdum licet exigua lege inscripta testentur, tanquam effectus de sua causa.

Ad (3) Except. Resp. 1. Nos non argumentari ex inscriptione ad naturalem inexistentiam, sed ex eo, quòd Paulus dicit, naturaliter facere Gentiles illa, quæ sunt legis; Si itaque naturaliter faciunt ea, quæ sunt legis, & ita natura opus istud habent inscriptum, consequens est, dari in ipsis naturâ aliquam legem.

2. Loca allegata non concludunt, quia non dicitur natura inesse legem in visceribus rege-
nitorum, dum apertè aliud principium supernaturale ostenditur, nempe **D e u s** inscribens, digitus Spiritus S. ministerium verbi. Aliud itaque est inscriptum esse per naturam, aliud inscriptum esse per gratiam. Prius dicitur de lege illâ, & notitia illius, quam habuerunt Gentiles expertes revelationis. Posterius dicitur in locis allegatis de illis, qui regeniti & beneficium gratiæ acceperunt.

3. Quod Augustinum concernit; exposuit ille quidem hunc locum de lege divinitus inscripta, verum etiam accepit de lege naturaliter inscripta, adeoque sententiam quoq; nostram probavit; prout ipse Estius agnoscit, hanc sententiam nostram, quam Cajetano inter suos tribuit, non esse contemnendam. Vide, si lubet **Disputationes nostras de Lege natura.**

OBSERVATIO II.

Non ad aliquod extrinsecum intelligens recurrendum est in quibusdam Brutorum actibus, cum proximus possit ostendi.

Grot. Pro-
eg. p. 2.

AD hæc Grotii verba observamus (1) studiū utilitatum, fœtuum, & congenerum respectu temperatum in brutis tribui intelligenti cuidam extrinsecò, non commodè. Nam per intelligens illud extrinsecum, aut intelligit Author DEUM, providentia sua cuncta temperantem, aut intelligit formam quandam assistentem externam, qualem Averroes confinxit; aut denique Angelum, seu mentem separatam. Si primum, ad causam remotam delabitur, cum proxima veniat assignanda, & dari hîc possit, neq; opus sit ex vi istius temperamenti tale intelligens extrinsecum per modum principii admittere. Si alterum conficta est illa Cholcodæa, vel eidem analogà Natura non tantum homini assistens, sed & ad Bruta se porrigens, & pridem refutata est in Averroë & Avicennâ Conimbricensibus Philosophis. Si tertium, cura Angelorum, quæ specialiter respicit homines, transfertur ad bruta, & fingitur, quod probari nequit, Angelos esse principium talis temperamenti in brutis. (2) tale intelligens extrinsecum plane non est necessarium, neq; hîc admittendum, partim quia hoc ipsum qualecunq; temperamentum propriæ utilitatis referri potest, juxta quosdam Philo-

Philosophos in facultatem brutorum æstimativam, quæ ostendit bruto utile esse, etiam scetus suos observare, & quæ sunt animantium consimilia; de quâ ex Thomâ & Sectatoribus ejus sequentia addimus: *Considerandū est, scribit Aquinas: quod si animal moveretur solum propter delectabile & contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali, nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus, in quibus delectatur aut horret: Sed necessarium est animali, ut querat aliqua, vel fugiat; non solum quia sunt convenientia, vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates & utilitates, sive nocumenta; Sicut ovis videns lupum convenientem fugit: non propter indecentiam coloris, vel figura, sed quasi inimicum natura: & similiter avis colligit paleam; non quia delectat sensum, sed quia utilis est ad nidificandum: necessarium est ergo in animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior, & hujusmodi perceptionis oportet esse aliquod aliud principium. Et, post pauca subdit: ad apprehendendum intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur vis æstimativa: quæ ratio D Thomæ sic ab aliis expenditur; sicut natura non facit opera superflua, sic non deficit in necessariis ex communi axioma: sed natura deficeret in necessariis, nisi tribuisset hunc sensum æstimativæ animalibus: quia, si ovis non cognosceret lupum ut inimicum, non fugeret, & devoraretur ab illo: & similiter si avis non cognosceret convenientiam*

æstimativa
Facultas.

D

palea-

palcarum ad nidificandum, non posset nidum
 suum construere, nec pullos debite procreare,
 ergo datur in animalibus sensus quidam, qui
 dicitur aestimativa, per quam plures, & diver-
 sa rationes non sensatas cognoscuntur. Nec va-
 let dicere, quod animalia, licet non cognoscant
 has rationes non sensatas, tamen moveantur ab
 auctore natura visis objectis, in quibus sunt
 tales rationes. Nam contra, quia animalia
 quatenus vivunt vita sensitiva, & vitali mo-
 do, sunt principia illorum motuum, quibus
 fugiunt, aut prosequuntur prædicta objecta,
 quoad rationes non sensatas; moventur enim
 per potentiam loco motivam sive progressivam,
 qua est potentia vitalis orta à natura sensitiva
 perfecta: Ergo moventur ad illa fugienda, vel
 prosequenda media cognitione earundem: Nam
 proprium est motus vitalis & procedentis à na-
 tura sensitiva perfecta ut tali, quod fiat me-
 dia cognitione sensitiva; ut ita prædictus motus
 distinguatur à motibus, quibus moventur res
 inanimata, in hoc quod fit à principio intrin-
 seco ut à causa principali: & à motibus vita-
 libus aliorum viventium sola vita vegetativa,
 in hoc quod fit medio principio intrinseco tali,
 ut vel sit cognitio sensitiva, vel necessario invol-
 vat cognitionem sensitivam eorum objectorum,
 sive rationum formalium, qua formaliter præ-
 dictus motus terminant. Deinde experi-
 mur, quod pro diversitate objectorum haben-
 tium convenientiam, vel disconvenientiam
 cum animali, soleant in eorum appetitibus exci-
 tari diversi affectus timoris, odij, lætitiæ, tri-
 stitiæ,

*fitia, & similia: ergo signum est in illis esse di-
versam apprehensionem illorum objectoꝝ in ra-
tione convenientium, vel disconvenientiũ; nam
appetitus non potest habere hos actus, nisi media
cognitione attingente illas rationes non sensatas.*

*Deniq; pertinet ad suavem Dei providentiam,
ut singulis concedat modum operandi congruentẽ
sue natura: sed natura sensitiva, & cognosci-
tiva congruit, ut moveatur à se media cogni-
tione in ordine ad rationes non sensatas, que ad
propriam vel sue speciei conservationem neces-
sarie, vel utiles sunt; in hoc enim differt, ut
dictum est, à natura inanimata, aut solum ve-
getativa; ergo concessit ei Deus hunc modum
operandi, & potentiam sensitivam ei proportio-
natam, qua dicitur estimativa. Vel si esti-
mativam nollemus admittere, partim quia A-
ristoteles appetitum immediatè necit phan-
tasie, partim quia nulla necessitas urget ta-
lem in brutis admittere, partim quia ex-
plicari nequit, per quas species illa ratio-
nes non sensatas percipiat; referri poterit
illud ipsum temperamentum in naturalem
impulsus, instinctum & notitiam illam con-
genitam sensitivam, de qua rectè Franciscus
Piccolomineus lib. de sensibus internis cap.*

*Instinctus
naturalis
hic obtinet*

*3. Jumenta & feræ ducuntur instinctu natu-
ra, non ratione, siue illa concipiatur intrinsecè
in brutis, siue concipiatur extrinsecè, ut hic
fingit Grotius. Nam opera sua consiciunt si-
ne præcurrente experientia. Formica enim,
que nuper orta est, necdum experta hyemem,
colligit grana. Ea, que prodant ex ratione.*

variantur, & multis modis fiunt: Bruta autem conficiunt sua opera consimiliter. Dein, qua fiunt per rationem, etiam fiunt cum prae-
 notionem finis. Jumenta autem frequenter finem non cognoscunt, ut dum per venerem connectuntur pro servanda specie, propterea quamvis varia efficiant conducentia fini, non tamen efficiunt per notionem finis, sed per instinctum naturae. Tertiò ratio, quam annectit Grotius concisè, non concludit. Dicit id esse ex principio aliquo intelligente extrinseco, quia circa actus alios istis neutiquam difficili-
 ores par intelligentia non appareat in illis, tum quia potius hæc ratio contra Grotium militat; Si enim intelligentia in aliis actibus, hisce non difficilioribus, non apparet, & consequenter non opus isti actus habent intelligente quodam extrinseco, cum bruta consimiliter operentur, etiam in istis actibus temperantibus utilitatem propriam, non opus erit principio quodam extrinseco intelligente; tum quia supponit, intelligentiam apparere in his actibus, non verò parem in aliis. At hoc est petere id, quod est in principio. Instinctus quidam apparet naturalis, qui se per modum principii habet in istis actibus, & notitia ad sensum internum referenda, non verò intelligentia; tum quia ratio Grotii tantum probat, dari diversitatem quandam in actibus brutorum, atque quosdam esse nobiliores magisque evidentes; unde autem illa diversitas, an à principio quodam intelligente extrinseco, num verò

Expéditur
 Ratio Gro-
 tii.

verò ex insito quodam principio in actibus istis sese prodente luculenter, in aliis minus, adhucdum indiscussum manet ab illo. neque consequens est, si circa alios istis neutiquam difficiliore par intelligentia non appareat, hosce de quibus illi sermo est agenti externo esse transcribendos, cum in intensiorem & remissiorem notitiam & impulsum sub moderamine divinæ providentiæ commodè illa diversitas possit reduci, & observant aliàs Philosophi Actiones fieri ab agente moto à fine, finem autem cognosci, vel formaliter sub ratione finis cum habitudine ad media, vel materialiter tantum sub respectu cujusdam convenientiæ præcisâ proportionem finis cum mediis, & hunc conspici in brutis, tandem imperfectissimè, ubi Cognitio non tam est agentis, quam acti à DEO autore Naturæ, non intrinseca vel propria, sed extrinseca & aliena, quod exemplo sagittæ in scopum missæ & tendentis Arcum illustrari potest, & hunc modum esse agentibus naturalibus appropriandum, ex quo patet non nisi in hisce ad intelligens illud externum esse recurrendum.

OBSE RVATIO III.

Propensio illa in Infantibus ad benefaciendum aliis, non est simpliciter admittenda. Fig. 2.

Subjungit Author Infantes brutis, atque Quid de propensio-
ne Infan-
tam.
statuit in illis ante omnem disciplinam osten-

Refutatur
opinio Gro-
tiii.

ostendere se ad bene aliis faciendum propensionem quandam. Atqui hoc ita simpliciter dici nequit; tum quia corruptio illa primæva quicquid boni in homine corrumpit, atque extinxit, ut etiam in natis nihil de bono superfit; tum quia etiam illæ propensiones bonæ, quæ nihil supernaturalitatis dicunt, sed intra circum naturæ subsistunt, per lapsum sunt fractæ & debilitatæ; tum quia oppositum potius, nempe livoris, invidiæ, & æmulationis semina in infantibus sunt, & etiam ex ipsis actibus illorum deprehensa. Quod assertionem docet & exemplo illustrat Augustinus lib. Confess. cap. 7. p. 16. dicens: *Quid mecum commemorat peccatum infantia mea? Quum nemo mundus à peccata coram te, nec infans, cuius est unius diei vita super terram? Quis mecum commemorat? An quilibet tantillus nunc parvulus, in quo video, quod non memini de me? Quid ergo tunc peccabam? an, quia uberibus inhiabam plarans? Nam si nunc faciam, non quidem uberibus, sed esca congruenti annis meis ita inhians, acridebor atque reprehendar justissime. Tunc ergo reprehendenda faciebam: sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendendi me, nec ratio sinebat. Nam extirpamus & eijcimus ista crescentes. Nec vidi quenquam scientem, cum aliquid purgat, bona projicere. An pro tempore etiam illa bona erant stenda petere, etiam quod noxiè darent, indignari acriter non subjectis hominibus liberis & majoribus, hisque, à quibus genitus est, multisque pra-*

præterea prudentioribus, non ad unum voluntatis obtemperantibus sciendo nocere, nisi quantum possit, quia obediunt imperiis, quibus perniciosè obediunt? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infanzium. Vidi ego & expertus sum zelantem parvulum, nondum loquebatur & intuebatur pallidus amare aspectu collactaneum suum. Non tantum autem Augustinus ad experientiam provocat, sed etiam rationem Corruptionis & Affectus vitiosi reddit Libro de Prædestinatione & Gratia Tom. VII. cap. 3. p. mihi 262. *Vitiata enim radice macula, scribit ita, propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, ut nec infans quidem unius diei à culpa sit prima pravaricationis alienus, nisi per indebitam Salvatoris gratiam fuerit liberatus; Quid si nec hic quidem sine peccato est, qui proprium habere non potuit, conficitur, ut illud traxerit alienum, de quo Apostolus: per unius hominem peccatum increvit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ipsa misericordia, quam laudat Grotius in pueris non semper est laudabilis. Congemiscunt enim etiam illis, qui propter delicta castigantur, neque causam expendunt, sed ad actum tantum; in quantum dolorem aliquem infert molestiam socio; respiciunt; neq; ex propensione qualicumque concludi potest, quod intendit Author; cum etiam quàm plurimi se propensos & beneficos in bruta ostendant. Ipse Plutarchus, quem hîc commendat Ora-*

tione de usu carn. nimium tribuit Bestiis, & hodiè Turcas magis favere ferè animantibus quàm hominibus; imò Cambaianos feris extruere Xenodochia historia docet, videatur H. Linschotten in India Orientali cap. 36. & 37. Quapropter illa propensio dupliciter potest intelligi, vel generalissimè in quantum dicit quaecunque pondus naturæ, vel in quantum dicit specialiter aliquid morale vel eidem affine quidpiam. Priori modo datur quædam propensio; ut enim bruta similia feruntur inter se mutuo affectu, ita multò magis homo propendet in hominem. Posteriori autem modo non potest admitti, dari talem propensionem ad benè aliis faciendum in infantibus. Priorem Affectum stabilit ipsa Creatio, cum DEUS ab initio multa molitus sit, ut ex similitudine Naturæ homines sibi copularer, Syracidis Effatum. *Omne animal diligit simile sibi* cap 13. v. 20. Experientia & Doctorem consensus sum Ebræorum, qui dicunt: *Omnis avis prope genus suum habitat, & omnis homo prope similem sibi, tum gentilium,* Cicerone enim teste *in Bestiis hoc apparet, primum ut se diligant, deinde ut requirant aliquas al as animantes, ad quas se applicent ejusdem generis, idque faciant cum desiderio & cum quadam similitudine amoris humani.* Hinc idem Cicero tertio de finibus: *Communis hominum inter homines naturalis est Commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum quod homo sit non alienum videri.* Aum Christianorum, qui ostendunt fundamentum

Limitatur
ejus Sen-
tentia.

mentum diligendi proximum esse primum Parentem, & communem, quam ex ipso duximus, Naturam: videatur Chrysoſtomus homil. 34. in I. Corinth. atque eo ipſo refutant Commentum Hobbefii dicentis: *Hominem ab homine non amari naturaliter.* lib. de Cive. cap. I. 2. pag. 2. & 3. Poſtერიorem defectum docet Scriptura, quæ monſtrat imaginem divinam eſſe deletam, dilectionem DEI & proximi expunctam & horrendam deformitatem Adamigenis ex lapſu inductam,

OBSERVATIO IV,

Minus dextrè Societatis Custodia Pag. 2.
Fons dicitur Juris naturalis.

Non ſatis accuratè dicitur Societatis custodiam eſſe fontem Juris naturalis, præſertim, ſi excluſivè hoc intelligas. Tum quia illa custodia ſocietatis eſt indifferens, ad bonam & malam ſocietatem: quod autem fons juris eſt & quidè naturalis, illud ipſum non poteſt eſſe indifferens, ſed bonum & rectum; tum quia qualiscunq; ſocietatis custodia eſt arctior jure naturæ, ultra enim illam ſeſe porrigit jus naturæ, & in officiis erga illos etiam qui extra ſocietatem ſunt illud ſe pandit, humanitatem erga peregrinos, miſericordiam erga miſeros, & alia imperando; tum quia fons juris naturalis, non poteſt eſſe ſocietatis custodia, cùm jus naturale etiam verſetur circa cultum DEI, non ſolum circa proximi amorem, qui in ſo-

Fons juris naturalis non custodia Societatis.

cietatis custodiam aliquo modo reduci potest. Melius itaque dicitur fontem juris naturæ esse ipsum DEUM, qui indiderit homini istiusmodi practica principia, custodiam autem societatis esse aliquod concomitans, vel stimulans ad observationem eorum, quæ principia illa dicunt, à DEO naturæ indita. Homo enim antecederet ad Societates illiusque custodiam habet insita principia, quæ dicunt, quid faciendum vel omittendum & posita societate efflorescunt, in conservationem illius se diffundunt, & appetitum illi naturali dextram jungunt, de quo Aristoteles 1. Polit. cap. secundo & tertio, & Cicero lib. 1. Officiorum scribens: *Naturam vè rationis hominem conciliare homini ad orationis & vitæ societatem, & impellere eos ad cœtus celebrandos, Urbesque condendas, in quibus commodè sermonem & alios vitæ actus communicare inter se possint.*

OBSERVATIO V.

Pag. 3.

Distinctè loquendum de illis, quæ Juris naturalis sunt, sub hypothese Numinis non existentis in Orbe.

Aliud est supponere negationem Existentiæ aliud Providentiæ.

Opinatur Grotius etiamsi non esset DEUS, aut non esset providentiæ divina, nihilominus tamen quædam fore Juris naturalis & vel difformia rectæ rationi, vel conformia. Verum hæc merentur aliquam considerationem profundiorum. Nam (1) conjungit

jungit Grotius hæc duo; Si DEUS non esset, aut, si cura ipsi non esset de rebus divinis cum tamen distinctæ quæstiones sint. Prima: Num, si DEUS non esset, nihilominus quædam essent bona, quædam essent mala. Secunda: Si DEUS non curaret negotia humana, nihilominus quædam essent bona, quædam essent mala? Prius enim difficilius asseritur, posterius autem minus difficiliter; quia posito, quòd DEUS non curaret negotia humana, posito quòd adhucdum esset & existeret, possent conformari bona ipsi DEO existenti sanctissimo, & mala per disconvenientiam ab integritate ipsius judicari, cum seposita etiam existentia, non solum providentia quibusdam res non videatur mala vel bona. (2) Aliud est esse bonum vel malum consequenter ad voluntatem divinam, aliud est esse bonum vel malum antecedenter ad voluntatem divinam. Hoc quidem certum est, dari quædam bona vel mala antecedenter ad voluntatem divinam, quæ idè bona sunt, non quia DEUS voluit, sed, quia in se habent bonitatem, & dari quædam mala, quæ non idè mala sunt, quia DEUS illa noluit, sed quia in se sunt foeda & turpia. Nam, ut in Physicis quædam ita sunt à natura, ut aliter sese habere nequeant, e. g. gravia tendere deorsum, levia sursum; quædam verò, ut certam quandam causam habeant; unde fit ut plurimum eodem modo contingant, at non tamen perpetuo: ut hominem dextra uti potius, quàm sinistra: Ita justa in moralibus sese habent, quæ-

Bonum & malum vel ad voluntatem divinam vel simpliciter dicuntur.

quædam enim ita sunt talia natura, ut perpetua sint & apud omnes semper eadem; e. g. DEUM colere, parentes honorare; quædam autem paululum inflectuntur, & ab idea communi declinant, sic flagitante circumstantiarum varietate, quod ipsum est ex eo, quia aliquid DEO magis accedit vel minus, & ad imaginem divinam propius accedit, vel non; bonum tamen & malum, justum & injustum, etsi non fundentur simpliciter in proportione illâ ad voluntatem divinam, tamen fundantur in proportione ad integritatem illam divinam naturalem, quæ antecederet se habet, & concipitur à nobis ad voluntatem divinam. Imò, si concedatur illa, quæ Juris naturæ locum habitura, dato non esse DEUM, aut non curari ab eo negotia humana non tamen id de Existentiâ illorum erit intelligendum, quæ citra dependentiam ab illo nulla; sed de Essentiâ in præcisione, ut res possibilis hujus vel illius naturæ ita dicitur, non quia DEUS voluit esse possibilem, sed quia ex se non implicat contradictionem ut esse possit, & sicut DEUS juxta Mendozam volens producere hominem, non potest ei tribuere essentiam lapidis vel bruti, quia non faceret hominem, sed lapidem. (3) Grotius hîc loquitur de eo, ad quod homines obligati sunt, de illis officiis, ad quæ sunt constricti. At omnis obligatio descendit ex voluntate Superioris; quomodo itaque nisi esset superior, nisi esset DEUS, hæc officia possent descendere ex voluntate & imperio Superioris? Eo ipso itaque

quo

Lex Legislatorem
supponit.

quo Lex naturæ proponitur, quæ obligat ad justum & rectum, etiam Legislator erit ponendus, à quo profecta ista lex tum physicè per inscriptionem in cor hominis, tum moraliter per obligationem ad officia in hac lege ostensa. Nec enim, ut quidam volunt, Lex naturæ est tantum indicativa Mali & Boni, sed & prohibitione illius & præceptione hujus constat; ut docet & ratio peccati contra Legem naturalem, quod offendit DEUM, adversatur Legislatori summo & contemptum illius dicit. & conditio obligationis, quæ ex voluntate Superioris, & denique distinctio seu differentia à Doctrina qualicumque vel Consilio.

OBSERVATIO VI.

Existentia DEI non tantum nititur Ratione & Traditione, sed etiam profundiore Fundamento.

Pag. 31

Dicit Author contrarium Atheismi, sive notitiam de existentia DEI partim rationem, partim traditionem perpetuam nobis inesse. At (1) minus commodè hoc dicitur; tum quia insufficienter exprimitur origo istius notitiæ; non enim tantum habetur ex ratione & traditione, verum vel maxime ex impressâ quadam antecederet ad omnem rationem & discursum notitiâ, quæ nobis connascitur. Unde ipse Aristoteles omnes homines de DEO quandam *ἐπιληψία*, Cicero

Insufficientens enumeratio paratum.

Cicero sine Doctrinâ Anticipationem DEI
 sive θεοῦ ἔχειν habere, nec ullam gentem tam
 feram tam immanem esse asserit, cujus meri-
 tem non imbuerit Deorum opinio, videatur
 Aristoteles 1. de Cœlo cap. 3. text. 22. Cicero
 1. de Natura Deorum §. 15. 1. Tuscul. Quæst.
 §. 30. & 2. de Natura Deor. §. 15. Maximus
 Tyrius Dissert. 33. Photinianorum autem &
 Arminianorum est Commentum non dari
 innatam Deitatis opinionem, & in acquisitâ
 esse subsistendum, vel ad traditionem recur-
 rendum, de quo Ostorodus Instit. cap. 7. p.
 19. Episcopus libr. 10. Instit. cap. 3. tum,
 quia ratio simpliciter non nobis dicit esse
 DEUM, vel quocunque modo adhibita ad hoc
 vel illud motivum, sed ratio occupata in con-
 templatione creaturarum. Nam ex fabrica
 mundi architectus cognoscitur, suppositâ ta-
 men semper noticia impressa. Hinc ipse Gro-
 tius talem discursum instituit libro de Veri-
 tate Relig. Christianæ pag. 8. *Res aliquæ esse,
 qua esse cœperint, sensu ipso & confessione o-
 mnium constat. Ea autem res sibi non fuerunt
 causa, ut essent: nam quod non est, agere non
 potest; nec ipsa res esse potuit, antequam esset.
 Sequitur igitur, ut aliunde habuerint sui origi-
 nem: Quod non tantum de illis rebus, quas ipsi
 aut conspiciunt, aut conspeximus, fatendum
 est; sed & de iis, unde ille ortum habent, donec
 tandem ad aliquam causam perveniamus, qua
 esse nunquam cœperit, quaque sit, ut loqui so-
 lemus, non contingenter, sed necessariè. Hoc
 autem qualescunque tandem sit, de quo mox a-
 gemus,*

quædam enim ita sunt talia natura, ut perpetua sint & apud omnes semper eadem; e. g. DEUM colere, parentes honorare; quædam autem paululum inflectuntur, & ab idea communi declinant, sic flagitante circumstantiarum varietate, quod ipsum est ex eo, quia aliquid DEO magis accedit vel minus, & ad imaginem divinam propius accedit, vel non; bonum tamen & malum, justum & injustum; etsi non fundentur simpliciter in proportione illâ ad voluntatem divinam, tamen fundantur in proportione ad Integritatem illam divinam naturalem, quæ antecedenter se habet, & concipitur à nobis ad voluntatem divinam. Imò, si concedatur illa, quæ Juris naturæ locum habitura, dato non esse DEUM, aut non curari ab eo negotia humana non tamen id de Existentiâ illorum erit intelligendum, quæ citra dependentiam ab illo nulla; sed de Essentiâ in præcisione, ut res possibilis hujus vel illius naturæ ita dicitur, non quia DEUS voluit esse possibilem, sed quia ex se non implicat contradictionem ut esse possit, & sicut DEUS juxta Mendozam volens producere hominem, non potest ei tribuere essentiam lapidis vel bruti, quia non faceret hominem, sed lapidem. (3) Grotius hîc loquitur de eo, ad quod homines obligati sunt, de illis officiis, ad quæ sunt constricti. At omnis obligatio descendit ex voluntate Superioris; quomodo itaque nisi esset superior, nisi esset DEUS, hæc officia possent descendere ex voluntate & imperio Superioris? Eo ipso itaque

quo

Lex Legis-
latorem
supponit.

quo Lex naturæ proponitur, quæ obligat ad justum & rectum, etiam Legislator erit ponendus, à quo profecta ista lex tum physicè per inscriptionem in cor hominis, tum moraliter per obligationem ad officia in hac lege ostensa. Nec enim, ut quidam volunt, Lex naturæ est tantùm indicativa Mali & Boni, sed & prohibitione illius & præceptione hujus constat; ut docet & ratio peccati contra Legem naturalem, quod offendit DEUM, adversatur Legislatori summo & contemptum illius dicit. & conditio obligationis, quæ ex voluntate Superioris, & denique distinctio seu differentia à Doctrina qualicunque vel Consilio.

OBSERVATIO VI.

Existencia DEI non tantùm nititur Ratione & Traditione, sed etiam profundiore Fundamento.

Pag. 3.

Dicit Author contrarium Atheismi, sive notitiam de existencia DEI partim rationem, partim traditionem perpetuam nobis insevisse. At (1) minus commodè hoc dicitur; tum quia insufficienter exprimitur origo istius notitiæ; non enim tantùm habetur ex ratione & traditione, verùm vel maxime ex impressâ quadam antecederet ad omnem rationem & discursum notitiâ, quæ nobis connascitur. Unde ipse Aristoteles omnes homines de DEO quendam ἐπιληψιν; Cicero

Insuffici-
ens enume-
ratio par-
tium.

Cicero sine Doctrinâ Anticipationem DEI
 five θεῶν habere, nec ullam gentem tam
 feram tam immanem esse asserit, cujus men-
 tem non imbuerit Deorum opinio, videatur
 Aristoteles 1. de Cœlo cap. 3. text. 22. Cicero
 1. de Natura Deorum §. 15. 1. Tuscul. Quæst.
 §. 30. & 2. de Natura Deor. §. 15. Maximus
 Tyrius Dissert. 33. Photinianorum autem &
 Arminianorum est Commentum non dari
 innatam Deitatis opinionem, & in acquisitâ
 esse subsistendum, vel ad traditionem recur-
 rendum, de quo Ostorodus Instit. cap. 7. p.
 19. Episcopius libr. 10. Instit. cap. 3. tum,
 quia ratio simpliciter non nobis dicat esse
 DEUM, vel quocunque modo adhibita ad hoc
 vel illud motivum, sed ratio occupata in con-
 templatatione creaturarum. Nam ex fabrica
 mundi architectus cognoscitur, suppositâ ta-
 men semper notitia impressa. Hinc ipse Gro-
 tius talem discursum instituit libro de Veri-
 tate Relig. Christianæ pag. 8. *Res aliquas esse,*
qua esse cœperint, sensu ipso & confessione o-
mnium constat. Ea autem res sibi non fuerunt
caussa, ut essent: nam quod non est, agere non
potest; nec ipsa res esse potuit, antequam esset.
Sequitur igitur, ut aliunde habuerint sui origi-
nem: Quod non tantum de illis rebus, quas ipsi
aut conspiciunt, aut conspeximus, fatendum
est; sed & de iis, unde ille ortum habent, donec
tandem ad aliquam causam perveniamus, qua
esse nunquam cœperit, quæque sit, ut loqui so-
lemus, non contingenter, sed necessariè. Hoc
autem qualescunque tandem sit, de quo mox a-
gemus,

genus, id ipsum est, quod Numinis, aut DEI voce significatur. tum, quia traditio perpetua, quamvis aliquo modo faciat pro existentia DEI, non tamen satis firmum est fundamentum: multa enim à majoribus tradita sunt, quæ præter traditionem nihil habent solidi. Sed respicit Author forsitan ad præcepta Noachidarum, in quibus primum cultum Numinis exigit, & Consensum populorum, quia in hoc conspirat Græcus cum Barbaro, nec ulla Gens adeò extra Leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat, & sic validius concluditur. Huc vergunt illa Gro-
 tii lib. I. de Veritate Religionis Christianæ, scribens: *Cum, quæ ex hominum arbitrariis veniunt, nec eadem sint apud omnes, & sæpe mutantur; hæc autem notio nequam non reperietur, neque temporum vicissitudine mutetur; quod ipsæ etiam Aristoteli notatum, homini ad talia minimè credulo; omninò causam ejus aliquam dari convenit, quæ se ad omne genus humanum extendat: quæ alia esse non potest, quin aut oraculum DEI ipsius; aut traditio; quæ à primis humani generis parentibus manarit: quorum primus si admittimus, constat, de quo queritur: sin posterius, nulla sanè ratio assignari poterit idonea, cur primos illos parentes credamus, falsum aliquod in re momenti maximi ad omnes posteros prodidisse. (2)*
 Dicit Author: *Confirmant argumenta & miracula &c.* Verùm de miraculis disceptari potest. Gabriel Vasquez existimat, nullum esse validius argumentum pro existentia quàm

Discursus
 de miracu-
 lis.

quàm operationes magicas, atque scribit: *multò plures fore atheos in Gallia & Anglia, nisi ex operationibus magicis deprehenderent, esse ut Diabolum, ita quoque Deum.* Verùm non potest hoc simpliciter concedi Vasquezio: idq; ideò, quia (1) Paulus nullum validius argumentum agnovit, præter illud ex contemplatione creaturarum desumptum per processum ad causam primam, Rom. cap. I. Quia (2) operationes magicæ saltem ducunt in aliquam vim ordinaria vi naturæ quocunque modo superiorem, & in illâ subsistunt; tum quia (3) rectè Mornæus sensit, *preposterum esse, manu Diaboli ad DEUM duci.* Ex his autem argumentis etiam tertium videtur militare contra miracula. Miracula indefinitè enim, prout sunt actus in sensus incurrentes, & gentili alicui obvii, saltem illum conceptum ingenerant, proficisci hæc à vi quadam extraordinaria; num autem virtutis illius extraordinariæ principiū sit natura, quanquam à tramite suo recedens, num alia causa, num deniq; ipse DEUS, hoc ipsum adhucdum dubium esse potest Gentili sibi relicto. Præterea loquitur Grotius de Miraculis in quantum testimonio quodam devolvuntur ad nos, quod intelligi potest vel humanum, vel divinum: si primum; tantum fides humana ex illo generari potest: si secundum Divinitas Scripturæ crit præsupponenda, atque ita sese resolvet illud Argumentum à miraculis petitum in Auctoritatem Codicis divini. Reprehenditur sanè aliàs Valentinus Schmalzius ab Orthodoxis

Num miracula pro-
bent Exi-
stentiam
DEL

doxis putans, Judæos posse convinci de Divinitate Christi solis miraculis seposita etiam N. T. Luce, Tractatu de Divinitate Christi c. 10. Et cum tantæ perspicaciæ non sit homo ut facta, quæ operâ Dæmonis producuntur, discernat liquidò à veris miraculis, quæ Omnipotentis divinæ Indices, cum vitreum vas lambamus pulterem non attingamus, quomodo sibi relictus ex illis altius ascendet, quam ad aliud quod principium horum actuum, finitæ verò num infinitæ virtutis illud sit nondum erit evidens. Liberavit obsessum à Dæmone Apollonius Thyaneus, Adolescentem furiosum in Lamiam quandam, quæ speciem formosissimæ feminae fuit mentita, sanæ menti restituit, mortuam puellam suscitavit, è prætorio coram Domitiano disparuit, ejusdem Interfectionem à Parfenio & Stephano Cubiculariis feliciter susceptam & expeditam in puncto facinoris Ephesi publicè denunciavit. imò illa quæ veri miraculi rationem habent, possunt subesse dubitationi: quam illustris fuit actus cursus solaris & lunaris inhibitio tempore Josue, potuit tamen de illius origine dubium esse alicui, cum juxta Serarium virtutem Spiritus finiti Opus hoc non superet. Unde ipse Grotius dicit illa confirmare, quod si ita exponatur, ut animum præparatum debite supponant, & intra certum gradum probationis, mitius erit ferendum Judicium. Dixerunt quidem Magi in Ægypto ad Pharaonem: *Digitus DEI hic est*, quod Grotius in Commentario ex Chaldæo exponit; *Hoc mira-*

Quid de
Confessione
ne Iamnis
& Lambriae

E

culum

culum à DEO est: Verùm suppositâ Numinis Existentiâ, non enim negarunt esse DEUM vel curare res in hoc Orbe, superstitione in hoc populo præ cæteris invalescente II. agnoverunt DEUM non tam ex actus illius externi splendore, qui si non inferior sanè nec antecedentibus fuit superior, quam ex impeditione & remora injecta præstigiis, ut dicerent digitus DEI est hîc, qui nos refrenat, potestatem nostram arctat, compescit & obtundit, cum enim juxta Augustinum quæst. 25. artium suarum nefariarum scirent potentiam, sentiebant non talibus artibus suos conatus fuisse frustratos, sed virtute Omnipotentis, & in hanc sententiam inclinat ex Pontificiis Cajetanus. III. Probabile est Diabolo revelante, illos agnovisse virtutem superiorem, non operis præsentia ascendisse ad causam primam. Accedit, quod Nicolaus Lyra existimet, non tam respexisse ad Numinis potentiam in productione pediculorum, quam ad virtutem Dæmonis cujusdam superioris, illamque Elogio digiti DEI ornasse, quia aliàs si præsentiam veri Numinis ex illo facto deprehendissent, juxta illum alterius ausi non fuissent Moyse resistere, quod tamen in medio relin-

quimus.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Extra promissiones divinas, quas hodiè in Scripturis sacris habemus DEUM voluisse æterna præmia conferre sibi obedientibus non constat.

Pag. 1.

STATUIT Author DEUM sibi obedientibus præmia reddere maxima, etiam æterna, posse & voluisse credi debere. Loquitur autem, ut ex sequentibus patet, de tali fide, quæ contradistinguitur fidei haustæ ex discretis verbis promissionis, adeoque de fide quadam humana, ex principiis naturalibus & motivis humanis hausta. Sed & hîc assensum non meretur. Nam (1) DEUM obedientibus præmia æterna posse, & velle reddere, ex lumine naturæ non constat; neque probat hoc ipsum animæ immortalitas, quasi scil. Spiritui immortali & perennanti, etiam debeantur præmia æterna & duratura. Nam animam esse immortalem certò ex lumine naturæ non constat; Hinc etiam Salomon dicit de homine naturaliter sibi relicto, quod judicet, eundem esse interitum hominis & bestię; adeoque potius propendet homo in oppositam sententiam de mortalitate, attendendo ad consimiles eventus in morte hominis & cæterorum animantium, Ecclesiast. 3. cap. v. 19, 20 & 21. ut etiam Lutherus in hæc verba scripserit: *Mundum non posse intelligere vel credere animam esse immortalem.*

Præmia æterna non constant naturali lumine.

Immortalitas Animæ non a potestie ex Luce naturali se insinuat.

Quod egregiè confirmat suo Exemplo Antonius apud Ciceronem lib. 2. Tusculanarum Quæstionum, dicente enim Cicerone: *Evolve diligenter librum Platonis, qui est de anima, amplius, quod d. fideres, nihil est,* respondet Antonius: *Feci me hercle, & quidem sapius, sed nescio quomodo dum lego assentior, cum posui librum & mecum ipse de immortalitate animarum cogitare incipio, omnis illa assensio labitur.* Præterea, quamvis probetur animam esse superstitem, & post corporis exuvias putrescentes durare; non dum tamen immortalitas ejus evicta est, quia credi potest, eam quidem per aliquod tempus durare, sed tamen paulatim desinere & in nihilum abire: quemadmodum hæc communis fuit sententia Stoicorum; atque hac responsione vim argumenti pro immortalitate animæ Rodericus ab Ariaga retundit. illi enim opinati sunt, si post corporis retrimenta per aliquod Tempus duret, sufficienter posse vel præmiis vel pœnis affici, & Sapientum evolare ad loca Lunæ proxima, felices in Contemplatione cœlestium; insipientū verò vel circa terras errare, & vitiis purgatas aktiora petere, vel in locum aliquem pœnarū detrudi, unde Cicero de Stoicis affirmat, quod usuram nobis largiantur, tanquam cornicibus, diu mansuros animos ajant, vitam semper negent: & Theodoretus quod, quæ paulò imbecilliores sint ex animab⁹ exiguo temporis spatio ex opinione illorū, super sint, quæ autem validiores perdurent usq; ad mundi conflagrationem, hic verò producto

Argu-

Argumen-
sa pro Im-
mortalita-
te Animæ
probabili-
ter tantum
conclu-
dunt.

Argumento ex spiritualitate animæ respon-
det: admittâ illâ solùm probari illam inde-
pendentem esse à materiâ, & posse sine illâ
aliquandiu conservare, cùm possit esse aliqua
entitas naturâ suâ fluida, quæ causis eodem
modo existentibus petat aliquandiu durare,
non semper. Nec (2) justitia DEI hoc pro-
bat, quasi scilicet justitia DEI exigeret, ut quia
bonis malè est in hâc vitâ, ut plurimum; be-
nè sit post hanc vitam, & malis malè, quod
ex lumine naturæ Petrum urfisse contra
Gentiles referunt. Nam hoc argumentum
nimis bonum est, probaret enim non solùm
animæ immortalitatem, sed & beatitudinem
& damnationem æternam; deinde probaret
non solùm animæ immortalitatem, sed & re-
surrectionem carnis; nam ut anima benè e-
git principaliter, ita corpus fuit instrumentum
virtutis, & totus homo operandi principium
quod; tandem sufficit virtutem sibimetipsi
esse præmium, sufficit DEUM quemcunque
remunerari jugi halitu & beneficiorum di-
spensatione in hâc vitâ. Imò gentilis non de-
ducitur hoc medio ad agnoscendam immorta-
litatem animæ, sed potius ad negandam pro-
videntiam, ut dubiam trahat sententia men-
tem, terris an ullus insit Rector, an incerto
fluant mortalia casu, ut cum Bruto & Cotta
apud Ciceronem dicat: *Te colui virtus ut rem,
ast tu nomen inane es.* Nec denique obstat,
vel ratio æternitatis in DEO, non enim anima
immortalis est, vel æternum durat ex neces-
sariô aliquô nexu conformitatis in tertio hoc

inter DEUM & animam, sed ex decreto voluntatis divinæ, qui condere intendens hominem, talem voluit existere, qui capax vel beatitudinis, vel deficiens à summo bono pœnæ interminabilis; Vel ratio bonitatis in operibus provocans aliquid eidem conformæ aut debitum: Omnia enim opera hominis irregeniiti nihil aliud sunt, quàm iniquitates, & omnes virtutes Gentilium etiam laudatissimæ nihil aliud fuerunt, quàm splendida peccata, quibus non debetur præmium, sed pœna & supplicium, prout hoc operosè ostendit Augustinus contra Julianum & Pelagianos, & ex illo Cornelius Jansenius Episcopus Yprensis in Tomo secundo sui Augustini de statu naturæ lapsæ. Finimus omnis in illo Augustiniano: *Ergò infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo Bono: xpi enim deest agnitio æterna & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.*

OBSERVATIO VIII.

Pag. 4

Non sincerè Author Operis Naturalis Juris naturalis & civilis recenser.

Origo Juris naturalis non exponitur.

Refutat Author Carneadem, rectè negando, utilitatem justii esse matrem & æqui. Verum sicut rectè agit negando; ita non commodè affirmando. Nam (1) dicit Juris naturalis matrem esse ipsam naturam; At hoc ipsum dici nequit. Per Jus enim naturale Author hîc intelligit legem naturæ.

Lex

Lex autem naturæ non est à naturâ humanâ ; partim, quia lex descendit ab illo, qui imperium habet & vim obligandi: ipsa autem natura humana in semetipsam non habet imperium, sed DEUS ; partim quia humana natura est objectum quasi personale, cui aliunde lata est lex naturæ; quod autem tale est, ut feratur ei lex, id non est principium generans legem; partim quia, si de humana natura loquamur, ut habet opus legis scriptum in cordibus, subiectum est, cui commissa est lex naturæ, non autem mater illius, tabula cui inscripta est hæc lex, non Origo Typi impressi. Gabriel Vasquez quidem ita discurret: *Prima lex naturalis in creatura rationali est ipsamet natura, quatenus rationalis est, quia hæc est prima Regula boni & mali. Ceterum, cum ipse Deus tanquam primum omnium Ens precedat omnem etiam creaturam, quatenus ex se non implicat contradictionem, hæc lex tanquam in eternâ & primâ sui origine, in ipsâ DEI natura constituenda est. Ex quibus omnibus colligere licet, legem naturalem, si pro primâ Regulâ naturali actionum creatura rationalis capiatur, sive in DEO, sive in ipsâ naturâ rationali non esse imperium, nec iudicium rationis, nec voluntatem, sed quid prius. Hoc autem sequitur ex eorum sententia, qui dicunt, quædam esse bona, quædam verò mala, ante omne præceptum & iudicium intellectus & voluntatis DEI; Qui enim dicunt, omnia peccata mala esse, quia prohibita, consequenter asserere debent, legem naturalem esse DEI prohibi-*

Vasquez
refutatur.

Lex autem naturæ non est à naturâ humanâ; partim, quia lex descendit ab illo, qui imperium habet & vim obligandi: ipsa autem natura humana in semetipsam non habet imperium, sed DEUS; partim quia humana natura est objectum quasi personale, cui aliunde lata est lex naturæ; quod autem tale est, ut feratur ei lex, id non est principium generans legem; partim quia, si de humana natura loquamur, ut habet opus legis scriptum in cordibus, subiectum est, cui commissa est lex naturæ, non autem mater illius, tabula cui inscripta est hæc lex, non Origo Typi impressi.

Gabriel Valquez quidem ita discurrit: *Pri-
ma lex naturalis in creatura rationali est
ipsamet natura, quatenus rationalis est, quia
hæc est prima Regula boni & mali. Ceterum
cum ipse Deus tanquam primum omnium Ens
precedat omnem etiam creaturam, quatenus
ex se non implicat contradictionem, hæc lex
tanquam in eternâ & primâ sui origine, in ipsa
DEI natura constituenda est. Ex quibus o-
mnibus colligere licet, legem naturalem, si pro
primâ Regulâ naturali actionum creatura ra-
tionalis capiatur, sive in DEO, sive in ipsâ na-
turâ rationali non esse imperium, nec iudicium
rationis, nec voluntatem, sed quid primum. Hoc
autem sequitur ex eorum sententia, qui di-
cunt, quadam esse bona, quadam verò mala,
ante omne præceptum & iudicium intellectus
& voluntatis DEI; Qui enim dicunt, omnia
peccata mala esse, quia prohibita, consequenter
asserere debent, legem naturalem esse DEI pro-
hibi-*

Valquez
refutat.

hibitionem : horum tamen sententiam, quas in eâ disputatione retulimus, ibidem impugnauimus. Verùm non tantùm deuiat hæc Sententia à Scripturæ sacræ tramite, Paulo docente legem naturæ scriptam in cordibus gentilium, sedem hujus legis constituens humanam naturam, non matrem, sed & à rectâ ratione, quamvis enim dentur actiones intrinsecè bonæ vel malæ, non tamen confestim lex est, quod habet rationem qualiscunque regulæ ad illas : cùm aliud sit regula propriè sic dicta, aliud basis & fundamentum ; quod exemplo Eleemosynæ illustrent Socii, cujus fundamentum est indigentia pauperis & facultas dantis, nec tamen vel indigentia ex parte egentis, vel facultas ex parte dantis lex Eleemosynæ ; imò à Consensu Doctorum vetustiorum & recentiorum, de quo videndus Rodericus ab Arriaga Tomo quarto Disp. 1. sub Sectione secundâ. Alii ex Facultate hominis intellectiva deducunt Legem Naturæ, & putant consistere in actu quodam illius, naturali iudicio scil. quo cognoscamus, quid faciendum, quid omittendum, in quam Sententiam laudatur Thomas 1. secundæ q. 94. art. 1. sed & hæc Origo & Forma Paulo aduersatur, qui cordi adeoque facultati hominis inscriptam dicit legem, non verò ipsum cor facit principium illius : quæ enim inscribuntur tabulæ, non ex illâ emergunt, sed aliundè inducuntur, insuper rationi repugnat, quæ intellectû præcisè ut Facultatem hominis indeterminatam concipit, & propterea ab alio ad hone-

Scholastici
perstrin-
guntur.

honestatem restrictum. (2) Errat, quando civilis juris matrem vocat obligationem ex consensu; potius enim oppositum erit dicendum, & inverso ordine sic erit pronunciandum: Jus civile esse matrem, ex qua obligatio civilis. Jus enim civile dicit Legum complexum, Lex autem non generatur ex obligatione, sed inducit obligationem & generationem illius.

Origo Juris
civilis spu-
sia.

(3) errat, quando dicit, posse naturam quoque Juris civilis quasi Proaviam dici. Si enim Jus civile descendit à Jure naturæ, tanquam à matre, vix videtur illud consistere posse, quod Juris civilis matrem vocat obligationem ex consensu, contradistinctè ad Jus naturæ, cujus mater sit humana natura. Et si Juri civili occasionem dedit utilitas, & hæc potissimum illo intenditur, quomodo in Jus naturæ merum honestum respiciens poterit reduci. Secundò si ex Jure naturali descendit mediante obligatione ex Consensu Jus civile poterit in totum refundi in Jus naturæ tanquam in principium radicale suum, at quis Juris civilis statuta omnia eo reducet? quis non ad alia quandoque incunabula recurrere necessum habebit? quomodo poterunt leges civiles accomodari rebus publicis juxta Aristotelem, & ut calceus pedibus aptari, mutari aut abrogari, si sunt stricturæ ex immutabili luce & lege naturæ? Tertiò non una est ratio legum civilium, quædam enim tradunt legi naturæ conformia, quædam diversa, ut non repugnantia, quædam denique contraria: prioris generis quidem descendunt ex lege

Premittit
argumen-
tis Author.

naturæ, quæ in quantum certæ reipublicæ applicantur, & ejusdem utilitatem respiciunt, civilium legum formam subeunt; secundi generis verò vel Mater vel Proavia nequit dici Jus naturæ vel humana natura; partim, quia Objectum illarum legum non sunt nisi indifferentia à bono & malo intrinsecè tali præscindenda, partim quia sese refundunt in Arbitrium Principis, vel illius, penes quem est τὸ κρείσσον; partim, quia illæ obligant non nisi vi illius principii: Superioribus esse parendum. Ultimi denique generis tam non possunt ex Jure naturæ deduci, quam non possunt tenebrarum natales ex Sole peti. Et, aut loquitur Author de Jure civili Romano, aut de Jure civili cujuscunque Reipublicæ, si prius vix inveniet ex doctioribus Jurisconsultis unum, qui omnia, quæ in corpore illo continentur, probet; multò minus pro Juris naturalis fœtibus agnoscat. Sanè leges duodecim tabularum, quas tantoperè commendat Cicero, Bibliothecas omnium Philosophorum authoritatis pondere & utilitatis pondere superare asserit, à Gellio non fuerunt omni ex parte justæ agnitæ. Si posterius etiam ex Jure naturæ descendunt leges Ephesiorum, nemo nostrum frugi esto, nemo virtute apud nos excellat, Hircanorum & Scytharum iniquissimæ, Draconis sanguinaris, de quibus Politianus:

*Inventum Aetæi dicuntur Jura Draconis,
Nil mirum est certè, nil nisi virus habent.*

OBSER-

OBSERVATIO IX.

Non universale est, qui Jura præscribunt aliis in eo utilitatem aliquam spectare solere, ac debere. Pag. 4.

Dicit Author illos, qui jura præscribunt aliis, utilitatem spectare, solere ac debere. Quod ipsum ambigüe dictum est, quantum ad debitum illud, quod urget. Nam (1) si loquatur de imperiis despoticis, & Dominatu, qualia fuere Orientis, in Asia Sinenfium, in Europa Ducis Moscoviz, & aliorum; non tenentur illi vi status in Legislatione ad utilitatem subditorum respicere. Dominus enim non tam curat servi utilitatem, quam propriam. (2) Si hoc ipsum extendat, ut extendunt Scholastici, ad cessationem obligationis, cessante utilitate legis, quasi subditus in conscientia non obligatus sit observare legem, quæ non utilitatis publicæ causa lata, & cum in scopum tendat, maximè errat. Si enim subditi juxta Petrum tenentur etiam duris obtemperare Dominis, tenentur etiam vincula illa admittere, quæ non in utilitatem communem, aut subditorum vergunt. Unde Rodericus ab Arriaga hoc requisitū ambiguitatis accusavit & illā evolvere voluit, scribens: *Observo in ipsa explicatione boni communis talem iterum fieri questionem de nomine, ut nec in dubium quidem vocari possit, an lex debeat respicere bonum commune; Etenim laxissime*

utilitas civium num requisitum Legis.

Arriaga ambiguitatem notat.

E 6 illud

illud bonum commune accipitur ac sanè adeò, ut quicquid in bonum unius fit, dicatur esse in bonum commune; Quo sensu sine dubio gratis disputatur, utrum lex sit in bonum commune. Ostendo id clarè; nam, si bonum sit commune omnibus civibus, iam ibi clarè constat esse commune; si verò sit proprium ipsius Regis, tunc dicitur etiam commune, quatenus Rex est persona communis, & dirigit communitatem: Si sit speciale unius civis, tunc etiam à patre Suario & aliis dicitur bonum commune, quatenus bonum unius membri est bonum totius hominis, seu totius communitatis; vel quatenus ex favore uni familia ob merita specialiter factò, alij animantur ad ejusmodi facinora aggredienda. (3) Lex est, & manet lex, si sit lata ab eo, qui habet potestatem Nomotheticam. Quod autem lex deinde fertur utilitatis causa, ad id non tenetur Legislator, qui summa potestate gaudet, nisi vel ex regula prudentiæ, vel ex motivo cujusdam virtutis. Quantum ad morem ipsum & consuetudinem Gentium re- clamat Imperium Persarum, omnes enim Persas à Rege haberi pro servis excepta Uxore testatur Plutarchus. Dominatus Parthorum, amici enim Regum, teste Athenæo, tractantur ut Canes, & Turcarum regit, de quo consulatur Leon- clavius.

OBSER-

OBSERVATIO X.

Malè minimè mali illi dicendi, qui usum armorum volunt sublatum, si universaliter hoc accipiatur.

Pag. 6.

Cespitat Author vocando illos homines minimè malos, qui interdixerunt usu omni armorum. At per hos aut intelligit antiquiores, Patres scil. quosdam, aut intelligit recentiores & nostri seculi. Si primum; verba Patrum non debite expendit, cum plurimi non armorum usum simpliciter rejiciant, sed certis circumstantiis vestitum, ex contaminatione cum Gentilismo. Ut ipse docet in Opere libro I. cap. 2. § 9. Si verò secundum, prodit animum suum, vocando Anabaptistas, Wigelianos, Photinianos, Hæreticos pessimos minimè malos; hi enim contra omnem armorum usum pugnant. Ita enim

Quid de bellum im-
probanti-
bus sit sen-
tiendam.

Hæretico-
rum Sen-
tentia.

Socinus: *Difficilior est questio de bello, nec ne defendendo. Utrum scilicet homo Christianus, qui supremum Magistratum gerat, possit sine Christiana charitatis offensione, ad id eorum opera uti, qui suam ipsi operam locare velint, quamvis ita statuant, Christiano homini privato, non concedi quemquam, etiam per occasionem propulsandi belli, interficere, membrae aliquo corporis mutilare, Magistratu licet supremo, id ut fiat, jubente. Cateroqui armari, & una cum aliis ad impetum invadentium hostium reprimendum, sine cuiusquam cade, proficisci, tunc crediderim homini Christiano licere,*

licere, ubi prius omnia tentaverit, quo minus ipse proficisci cogatur; sed pecunia suam ejusmodi perfectionem redimere queat; quod si obtinere seu impetrare non possit, prestat iudicæ meo, aliquod periculum futuri scandali inferorum in fide incurrere, quam certissimam sibi suisque ruinam accersere. Ut nihil dicam de scandalo, quod non minus, immò multò magis plurimis datur, cum quis Magistratui suo supremo parere recusat. Cui tamen in iis, qua aperte contra Christi præcepta non pugnant, parendum omninò esse, inter omnes constat. Neque consequens est intuitu malorum, quæ comitantur bellum, hoc fecerunt, E. excusandi veniunt. Pariter enim tempora pacis intuitu luxuriæ, & aliorum vitiorum succrescentium cum tranquillitate possent simpliciter improbari. Aliàs probamus Jure illa Grotii antecedentia, nec non illa Clariss. Forstneri ad Tacitum pag. 45. scribentis: *Quemadmodum caloris vi non modò sicca, verum etiam quæ in propinquo sunt, humida, absumentur, ita bella, etiam quæ justâ causâ suscipiuntur, nefanda quæque opera, cades, supra, sacrilegia secum trahunt. Nemo Martem, ita in potestate habet, ut nunquam exorbitet. Nulla Ducis prudentia, nulla industria, nulla severitas tanta nunquam fuit; quæ hoc potuerit efficere, ut quod natura noxium est, fieret innoxium. Ubi tantùm armorum corporumq; sub signis stabit, quis cruori legem dabit, unde, & quantus fluat? Ad ista facinora quæ spontè provolat, nullam illorum potest à justo DEO sperare*

sperare veniam: nec qui necessitate trahitur, excusatur, si non animum habet, bellum pace committendi, ubi prima fuerit occasio: in civilibus maxime armis, qua ut noster Tacitus ait, neque parari possunt, neque haberi per bonas artes. In Pace causa & merita spectantur; ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii juxta cadunt.

OBSERVATIO XI.

Disciplina Christiani non consistit præcipuè in diligendis omnibus hominibus, eo sensu, ut Bello præjudicet, & patrocinetur minus dextrè hinc sentientibus. Pag. 6.

ERrat Grotius (1) quando dicit, Christiani disciplinâ in omnibus hominibus diligendis præcipuè consistere, tum, quia hoc non solum requiritur à Christiano, sed ab omnibus hominibus; adeoque illi non est proprium: tum, quia hinc latet pus Papisticum & Photinianum, quod sæpius erit tangendum, quasi sc. sublimior disciplina obligaret Christianos, & lex Evangelica esset perfectior illâ, quæ omnes homines obligat & constringit; tum, quia dilectio proximi & omnium hominum non pugnat cum jure armorum. Ut enim non pugnat dilectio omnium hominum in Potestate summâ, vel Magistratu cum punitione fontium; ita vel maxime judiciis cessantibus non pugnat dilectio proximi & omnium

De Disciplina Christiani hominis.

omnium hominum cum usu armorum, eo ipso, quo instrumentum dicit justitiæ. Et stante hâc hypothesi, lequeretur Davidem, qui bella Domini gessit, Josuam & Abrahamum interficiendo hostes mandatum de diligendo proximo, de amandis omnibus hominibus, fuisse transgressos, quod absurdum.

Feri & Erasmi Sententia.

(2) Errat, dum laudat Joh. Ferum, Concionatorem Moguntinensem, Ordinis Minorum summæ apud Moguntiam ædis Concionatorem, qui libr. 4. Comment. in Matth. non solum Clericis, sed etiam Laicis omnem bellandi facultatē interdictam esse scribit: *TRIA* addens hoc verbo docet Christus. *Primo Evangelium non armis secularibus, non humana ope defendendum esse, sed illius defensionem Deo permittendam, sic Paulus: Arma nostra militia non carnalia sunt. Sic Christus nullo gladio usus est. Secundo, in Mattheo dicit: Audistis, quia dictum est, oculus pro oculo, ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: Tertiò specialiter hîc interdicit Apostolis gladium externum, habent enim & habere debent gladium Spiritus, qui est verbum DEI. Hinc Esaias prædicat pugnam Apostolorum futuram esse, sicut in die Madiam, hoc est, sicut Gedeon Madianitas vicit non armis, sed tubis & compassione lagenarum sic Apostoli facturi erant spiritualiter. Et Erasmus qui Hugonem Carensem carpit commetantem in Luc. cap. 22. ejusque v. 36. & deplorat querelis penè tragicis Scholarium Theologorum Judicium, qui insulsis commentis & frigidis distinctiunculis*

tulis suis subvertant Evangelicam doctrinam, docentes: non esse Christianis interdictum bellandi Jus: magis verò sese prodit in caput Lucæ tertium ubi videbis Socinianis adhinientem; partim, quia errant circa hoc ipsum punctum; partim, quia malè dicuntur Viri pacis Ecclesiasticæ amantissimi. Pax enim illa Ecclesiastica nil aliud est, quàm Syncretismus, Samaritanismus, & religionum confusio; partim, quia non necessarium fuit, quæ in unam partem exierunt, in alteram ita reflectere. Hoc enim in constitutionibus de vero & falso non licet, ubi veritas strictè est observanda, sive medium, ne vel ad hanc devii partem labamur, vel ad alteram partem, & extremum. Errat dum Ferus & Erasmus copulat tanquam pacis Ecclesiasticæ & civilis amantissimos: quamvis enim juxta illum in errore de Bello convenerint, quod nondum concedendum; cum Ferus tantùm velit armis secularibus vel humanâ ope Evangelium non esse defendendum; quia ipse Christus gladio usus non fuerit, & Paulus dicat arma militiæ nostræ non esse carnalia. 2. Cor. 10. vs. 4. nec consequens, si Apostolis interdixit gladium externum, & noluerit illum vibrare Ministros Verbi, simpliciter improbari Bellum etiam à summâ potestate pro subditis susceptum: Dispar tamen fuit illorum Ratio in propensione ad pacem ecclesiasticam. Erasmus enim fuit ἀσθεὶς, neque in Religione pedem figere novit. Ferus autem in Papatu non tam stricturas pacis Ecclesiasticæ,

Ferus & Erasmus malè copulantur.

sticæ, qualem sibi finxit in Voto suo Grotius, quàm veritatis Evangelicæ evibravit, inter alia scribens: solis meritis Christi nos salvari, participes autem illorum effici solâ fide, incredulitatem verò omnia in specie bona facere ingrata, sive omnium infidelium opera esse peccata: quæ quantum abludant ab Erasmi Opinione, quem totum in pompâ virtutum, quas Gentiles prodiderunt, illustrandâ fuisse nemo est, qui nesciat.

OBSERVATIO XII.

Pag. 9. Rectè quidem Author à Scepticismo alienus esse voluit; malè verò veritatem sparsam per singulos in corpus colligere putat nihil aliud esse Christianorum Judicio, quam verè Christianam tradere Disciplinam.

Scepticismus pro-
scribitur.

PRIUS quidem rectè se habet. Quis enim accedat Pyrrhoniis Philosophis, qui teste Gellio, nihil decreverunt, nihil constituerunt, sed in quærendo semper considerandoq; fuerunt, quid nam sit omnium rerum, de quo decerni constituiq; possit. ac ne videre quoq; planè quicquam nec audire sese putarunt, sed ita pati afficique quasi videant vel audiant, eaque ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiant qualia & cujusmodi sint, sub dubitationem vocarunt; quamvis Petrus Gassendus mitius de illis judicavit, & dubitasse illos voluerit tantum de rebus revera incertis, & quas disqui-

Gassendi
judicium.

disquirere esset operæ pretium, non verò de rebus apparentibus, & de quibus facere controversiam nihil profit, quæ tamen quomodo convenient cum illis Clementis Alexandrini lib. 8. Strom. scribentis: *apud Pyrrhonios est ἐπιχρη̄, que NIHIL vult esse firmum & stabile, non videmus. Non male verò contra illos Lactantius lib. 3. cap. 55. Nulla ars est, qua non scientia constet. Debuit ergo Arcefilas, siquid saperet, distinguere, qua scire possent, quæve nesciat. Sed, si id fecisset, ipse se in populum redegisset. Nam vulgo interdum plus sapit: Quia tantum, quantum opus est, sapit. A quo si queras, utrum sciat aliquid, an ista dicet se scire, quæ sciat; fatebitur se nescire, quæ nesciat. Rectè ergò aliorum sustulit disciplinas; sed non rectè fundavit suam. Ignoratio enim rerum omnium non potest esse sapientia, cujus est scire proprium. Ita cum Philosophos expugnavit, ac docuerit, eos nil scire; Ipse quoque nomen Philosophi perdidit: Quia doctrina ejus est, nil scire. Nam qui alios reprehendit, quod nesciant; ipse debet sciens esse. Cum autem nil sciat; quæ perversitas, quæve insolentia est, ob id ipsum se Philosophum constituit, propter quod ceteros tollat? Possunt enim sic respondere: Si nihil nos scire conviceris; & idè non esse sapientes, quia nihil sciamus: Ergò ne tu quidem es sapiens: quia te quoque confiteris nil scire. Quid ergò promovit Arcefilas; nisi quod confectis omnibus Philosophis, se ipsum quoque eodem mucrone transfixit. Posterius verò erroneum, dum putat veritatem*

Reclamant aliqui.

Lactantius Scepticos refutat.

Veritas nõ
est per Se-
ctas diffu-
sa eo mo-
do, quo
vult Gro-
tius.

per Sectas diffusam & in opibus collectam esse exhibitionem veræ Christianæ disciplinæ. Nam ponamus talem collectionem veritatum esse possibilem, nihilominus non constituet corpus disciplinæ Christianæ, tum, quia veritas per Sectas diffusa est veritas subsistens intra complexum rationis & ex illis deductarum conclusionum; alius autem non affurgit; tum, quia veritates illæ hominem adhucdum relinquunt irrogenitum; irrogenitus autem & regenitus sive Christianus toto cœlo differunt; tum, quia veritates illæ nihil ostendunt de fide, aut præcipiunt; utut itaque ostendant quid turpe, quid utile, quid honestum, officia hominis juxta jus naturæ exigant, virtutes & opera præcipiant, non tamen constituunt corpus disciplinæ Christianæ: Illæ enim virtutes & opera, quæ conformia sunt disciplinæ Christianæ; specie differunt à virtutibus & operibus Gentilium. Unde etiam malè quidam asserunt virtutes Gentilium & Christianorum esse easdem, & saltem accidentaliter differre; longè melius Augustinus, qui prolixè docet, esse inter illas specificam differentiam. Ita verò Hipponensis ille Episcopus lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Si gentilis, inquit, nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide peccatum est?* Objectio hæc erat Pelagiani. Respondet Augustinus: *Profrus inquantum non est ex fide, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jam inde fustis disputatum, tamen*
quia

Augustini
locus no-
tabilis.

quia magna res est, adhuc paulisper ausculta. Ecce, eadem commemoro, qua ipse posuisti, si gentilis, qui non vivit ex fide, nudum operueris periclitantem liberaverit, agrum vulnera foveris, divitias honesta amicitia impenderis, ad testimonium falsum nec tormentis potueris impelli, quare abs te utrum hac opera bona bene facias an male? Si enim quamvis bona male tamen facis, negare non potes eum peccare, qui male quodlibet facit. Sed, quia non vis cum ista facit peccare, profecto dicturus es, & bonum facis & bene. Fructus ergo bonos facit arbor mala, quod fieri non posse Veritas dicit. Noli precipitare sententiam, diligenter considera, quid te respondere conveniat.

OBSERVATIO XIII.

De Aristotele diversa diversorum fuerunt Judicia, non imprudenter autem Grotius de illo pronunciat. Fig. 5.

RECTè principem locum assignat Grotius Aristoteli inter Philosophos, quem ipse Plato Veritatis Philosophum; Hieronymus solertissimum naturalium rerum Consecratorem & Indagatorem; Scaliger divinum & incomparabilem in Natura rerum Sapientie Heroa unicum appellavit, præprimis si attendas recensita à Grotio, tractandi scil. Ordinem, distinguendi acumen & rationum pondera. Verum Principatum illum in Tyrannidem abiisse, ut veritas nullâ jam re magis op- Aristotelis prærogativa.

primatur, quam Aristotelis Nomine docet
 Experientia, multi enim illi tanquam Sisyphio
 Saxo adhærescunt, volvunt & revolvunt illius
 scripta, neque vel oculum unquam in Thea-
 trum Naturæ aut Politicæ attollunt, & quam-
 vis reflorescentibus studiis humanioribus Pa-
 tricii, Telesii, & Johan Franciscus Picus, Mi-
 randulæ Dominus, & Concordiæ Comes, Bas-
 so & alii Opinione inveteratam è fibris quo-
 rundam evellere aggressi sint, utut mordaciore
 stylo & manu paulò violentiore, nondum ta-
 men obtineri potuit, quod quidam deside-
 rant. Unde conquestus est Petrus Gassen-
 dus in Exercitatione secundâ adversus Ari-
 stotelem pag. 16. & 17, de cæco Affectu, li-
 bertatis hoste, scribens : *Cogitanti mihi sa-
 penumerò, ex quo fonte derivari, ac jam tam-
 diu potuisset corrupta hæc ratio philosophandi,
 quæ scholas implevit : nihil aliud subire potuit,
 quod quidem satisfaceret, præter effœminatam
 illam ignavamque diffidentiam, qua Philoso-
 phi Aristotelei, ut superius innuimus, verita-
 tem olim occupatam ab Aristotele plus nimio
 secuti, illius serio inquirenda non fuisse am-
 plius solliciti. Sic enim cum susciperent ante-
 cessorem Aristotelem, ut Deum quendam è
 cælo delapsam, à quo fuisset veritas ostensa:
 non sunt ausi, vel latum unguem, ab ipso de-
 flectere : Sicque diffisi viribus suis, rerum ipsa-
 rum abjecere studium, & inavem solum gar-
 ritum circa Aristotelis scripta, verbaque reti-
 nuerunt, nil impano; id norunt omnes, quot-
 quot ipsorum vel scripta, vel disputationes &
 scholas*

Gassendi
 Crisis.

scholas trivèrè. Quotusquisque enim ille est, qui jactare sapius illos non audierit, malle se errare cum aliis, quam bene sentire cum aliis? Novi certè celebrem Philosophia simul ac Theologia Professore, qui asseruerit, se existimare magnum iri Deo præstitum obsequium, si proprio sanguine obsignasset, confirmassetque verissima esse quacunque Aristotelis operibus continentur; legerat forte Commentatorem, qui tam aperte pronunciauit, nullum per mille, & quingentos annos animadversum fuisse Aristotelis errorem in textu Aristotelis. Ex hac ergò præconceptâ opinione efficitur, ut quasi clypeo septemplici Authoritate illius utantur: & si quidpiam forte citatum ex illius officina prodeat, quod negotium facere videatur; illud explicare quidem sibi concessum arbitrentur: at refellere, aut inficiari piaculum, ac religio sit. Quam sæpenumerò enim usurpare solent Pythagæorum illud, Ipse dixit? adversum quod, si proferratur experimentum, mendacium est: si ratio, Sophisma est. Quid ita verò? quia scilicet Aristoteles oppositum sentit. Hinc ille tum demum habetur apud illos peritior, qui cerebrum textibus Aristotelis habuerit refertius: qui ad illum sapius, ut ad sacram confugerit anchoram, qui pluribus technis, & cavillis id evicerit, ut semper Aristotelis doctrina palma deferatur. Quid plura? Pythagoram, Platonem, Democritum cita; Cita quotquot exinde vixerunt veritatis amatores cultoresque Sapientia: Illos omnes flocci faciunt ad Aristotelem comparatos. Quin & ita deprimunt, despecta-

que habent posterorum ingenia, ut illud sapiens in ore habeant, quod Aristoteles ipse de Platone dixerat:

Nulla ferent talem secula futura virum.
 Quod si forte opposueris & hunc virum hominem fuisse ejusdem naturæ cum ceteris ac proinde labi, & errare potuisse, de multis rebus dubitasse, & ignorasse plurimas: Modesti profecto erunt, nisi haresin reponant & ad flammam provocent. Quidni verò ita faciant? Qui Aristotelem Genium Daemonemque naturæ appellant, ac ut Deum etiam quendam majoris nota venerantur: cum & de illo passim usurpare soleant, quod de Epicuro est apud Lucretium:

- - Deus, ille Deus fuit, inelyte Memmi,
 Qui Princeps vita ratione invenit eam, qua
 Nunc appellatur Sapientia: quæ, per artes
 Fluctibus è tantis vitam, tantuq; tenebris,
 In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.

Ne verò longum faciam, ceterorum nomine audi citatum Commentatorem. Is enim, quasi nomine illius DEI propiore afflatus, nil mortale sonat apud ipsos, dum sic profatur ex Tripode: Aristoteles est regula & exemplar, quod natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam. Et rursus, Aristotelis doctrina est summa veritas; quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus. Quare bene dicitur, quod fuerit creatus, & datus nobis divinâ providentiâ, ut sciremus, quidquid potest sciri. Unde & alias concludit, talem esse unum hominem potius est miraculosum, quam

quàm humanitatem. *Atque hæc quidem cum, ita se habeant: quis ambigere amplius possit, quin illi ita sint mancipati Aristotelica doctrina, ut rem pretiosissimam, libertatem philosophandi, penitus amiserint? Quæ potest enim illis superesse, vel umbra hujus libertatis? quando tanta religione suscipiunt Aristotelem, ut non ausint prætergredi limites Aristoteles. legendus hic omninò liber Johannis de Lanoy Theologi Parisiensis de variâ Aristotelis Fortunâ.*

OBSERVATIO XIV.

Quanquam Virtus moralis, quæ pag. 2. vel maximè ex Christianis resplendet, melius definiri possit; in Scholis tamen Philosophorum Aristotelis commodè explicata tolerari potest.

Definit Aristoteles virtutem, quòd sit *habitus prælectivus, consistens in mediocritate, quoad nos definita per Rationem, & prout prudens definirit.* Displicet hæc Definitio quamplurimis. Virtutis Definitio Aristotelica. Quidam enim illam Impugnatur. tautologiæ accusant ex eo, quod dicatur sita in præressi, & definita per Rationem & iudicio Viri prudentis; cum præressis, Ratio & iudicium Viri prudentis videantur coincidere: nec habitus ex sententia Scoti obtinet; cum juxta ipsum Philosophum 7. Physicorum textu 17. Virtus omnis & vitium ad aliquid sint. Quidam disputant contra formam, & mediocritatem impugnant: tum, quia priva-

tio non sit forma habitus, mediocritas autem nihil aliud quam privatio defectus & excessus; tum quia forma Virtutis quærenda sit in conformitate, quam habet ad suam regulam, hanc autem conformitatem neque solum, neque præcipuè, neque aliquando omninò consistere in mediocritate; tum, quia Virtus in suâ formali ratione non possit nimis intendi, atque ad eò non admittat excessum, nisi vel in materiali illo, quod habet commune cum vitiis, vel in circumstantiis operationum, ut quum quædam earum exercentur, quando non debent; aut non exercentur, quando debent, ut concludit Guilielmus Amesius in Instit. Theologicarum lib. 2. cap. 2. thesi 35. Quidam denique iudicium illud Viri prudentis rejiciunt, quod haberi possit vel ex consilio illorum prudentum, qui inter nos vivunt, vel ex eorum scriptis & tractatibus de Virtute, vel denique ex eorum Exemplis: Rationes Improbationis Antonius Walæus subdit sequentes. Quia (1) in actionibus singularibus & subitaneis nec consilium, nec exemplum Viri prudentis semper haberi possit; (2) quia ipsi illi prudentes, quos Aristoteles nominat, de ipsa virtutis figura sæpe inter se dissentiant. Sic inquit Plato dissentit ab Aristotele, an vindicta privata sit licita, necne; Aristotele apprehendente affirmativam, Platone negativam. Plato dissentit à Cicerone, an seipsum liceat occidere? an superesse Reip. sit actio virtutis necne? Platone prius illud iudicante, Cicerone negante. (3) Quia illi ipsi

ipsi Prudentes & Sapientes, de quibus agit Aristoteles, rationis cœcitatem & naturæ corruptionem maxima ex parte ignoraverint. Unde factum sit, ut cœcæ rationis ductum secuti sæpè vitium pro virtute; & virtutem pro vitio habuerint. Ut itaque animus hominis omni dubitatione liberetur, ex religione Christiana statuendum esse, veram normam virtutis esse legem DEI, quæ in se continet perfectissimum omnium virtutum exemplar, adeoque veram & unicam virtutis figurâ, consistere in congruentia sive convenientia animorum & habituum cum lege DEI, ut vitii figura in discrepantia earum à lege Divina. Quia tamen lex DEI in genere quidem præcepta virtutum præscribat, & ad actiones singulares non semper descendat, idè ut circumstantiarum quoque ratio haberi possit, secundariæ normæ actionû virtutis fore exempla laudata hominum sanctorum, quorum vitam & res gestas nobis Scriptura commendat. Primû autè quod obvertitur non stringit, nec enim unius naturæ sunt proæresis, recta ratio & judicium Viri prudentis: proæresis enim de se nihil aliud dicit, quàm præelectionem, præscindendo à bono & malo; cum in utrumque possit sese porrigere, & actu ipso sæpè sit vitiorum; recta autem ratio latius patet quoque judicio Viri prudentis, quod ad practica tantum attendit; quod contra habitum producit ex Aristotele dextrâ explicatione eliditur, virtus enim est ad aliquid non per modum relationis prædicamentalis, sed rela-

Responde-
tur ex men-
te Peripateticorum.

tionis qualiscunque, quæ etiam Qualitatibus competit. Secundum magis urget, quam Philosophis peripateticis non desit forsitan quod respondeant, negando primùm, mediocritatem esse meram privationem excessus & defectus, cùm dicat aliquid positivum, aliquid congruum rectæ rationi & legi naturæ, cui accidat extremorum Existentia; secundo asserendo illam conformitatem ad regulam, quæ in ipsâ illâ mediocritate fundetur; tertio dicendo sufficere, si virtus extremi utriusque particeps sit secundum materiam, quæ affectus animi, in quibus etiam extrema posita sint. Tertium declinari solet partim, quia non necessarium, ut in omnibus actionibus singularibus adeamus Virum prudentem, iudicium illius expetamus, nec nisi illo obtento hoc vel illud incipiamus negotium, cùm sufficere possit recta ratio & iudicium prudentiæ homini proprium & affectuum errantium Licentiæ oppositum: partim, quia dissensus Doctorum non obstet veritati, quæ sub illo nihilominus retineat suam Indolem, nec determinatè exposcatur hujus vel illius prudentis etiam devii à tramite veri iudicium; partim, quia quamvis cæcæ rationis ductum secuti sint illi prudentes, & sæpè vitium pro virtute & virtutem pro vitio habuerint, nihilominus stricturas etiam luminis naturalis, honestatis specimina, salubria monita ostenderint. An verò hæ Responsiones satisfaciant objectis, si profundius considerentur, meritò dubitamus. II. Grotii Argumenta, quæ

Grotii Argumenta non satis valida.

quæ contra mediocritatem urget, quamvis speciem aliquam præ se ferant non tamen desunt, qui illis nolunt terreri, & forsan non minus speciosas adornant responsiones. Johannes Crellius à quo informari desideravit Hugo noster, quique cum fructu scripta illius se legisse in Epistola ad illum profitetur, pro mediocritate in Ethicâ Aristotelicâ pugnat, tanquam pro aris & focis, argumentis sequentibus. Quia primò omnis habitus bonus, cujus Materia plus, majus, minus, æquale, admittit, in mediocritate consistat, talem verò habitum esse virtutem & antecedens probatum auctoritate, Theognidem enim dicere πάντων μέτρον ἀριστά, omnium optima esse media, Phocylidem πάντων μέτρον ἀριστον, ὑπερβασία δ' ἀλεθραία h. e. omnium modus optimus, excessus verò mali, quibus succinat Horatius :

Crellii Argumenta pro mediocritate.

*Est modus in rebus sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere retum.*

tum ratione, quod medium sit unum ac definitum, extrema verò, seu id quod plus & minus, infinita ac multiplicia. Bonum autem ex Pythagoræorum sententia in rerum definitarum sit numero. Dein exemplo artium, quæ mediocritatem in operibus suis servant. Unde scitè & affabrè facta commendemus potissimum hâc ratione, quod nihil illis detrahi, neque addi possit. Quia secundò Virtus sit uniformis ac constans, at si in extremis versaretur, seu in eo, quod plus est, aut parum, varia

varia esset & multiplex, & nonnunquam à se
 dis ἀφ' ἑαυτῶν dissideret, quemadmodum vi-
 tia ut avaritia & profusio, audacia & ignavia
 inter se dissident; Quia tertio virtus sit diffi-
 cilis, difficilia enim quæ pulchra, at si in eo,
 quod modum superat, versaretur, aut in eo,
 quod infra modum subsistit, aut in utroque
 non foret difficilis; in medio autem si consti-
 tuatur difficultatis causam statim patere: ut
 enim in circulo invenire medium, non sit
 cujusvis, sed ejus demum, qui in Mathemati-
 cis disciplinis est exercitatus. at punctum in
 circulo extra centrum constituere, cujusvis:
 & ut scopum ferire difficilè, aberrare facilli-
 mum, ita medium, in quo virtus consistit ser-
 vare difficilè esse, ab eo abluere cujusvis.

Tolerari
 potest Ex-
 plicatio
 passiva.

III. In Scholis Philosophorum Definitio-
 nem hanc posse tolerari non dubitamus; in-
 terim malunt Theologi definire illam per ha-
 bitum electivum, consistentem in rectitudi-
 ne Legi Divinæ consentanea, si enim lo-
 quamur de virtutibus gentilium, possunt illæ
 ex mediocritate quidem explicari, at si de il-
 lis loquamur, quæ vel theologicæ dicuntur,
 vel fructus sunt Spiritus, quarum morales in
 Gentilismo umbrâ quandam habuerunt, ple-
 nius & melius ita definiuntur: quamvis enim
 ex Scriptura etiam videatur probari posse in
 medio morales esse positas, quas Spiritus S.
 in regenitis protrudit, dum præcipitur, *ne ad
 dextram & sinistram declinemus* Deut. 5. v.
 32. ex Patribus. Gregorio, Nysseno homil. 8.
 in Cantica scribente: *Virtus media est inter
 duo*

duo vitia, nempe inter defectum honesti & excessu-
superationem. Cui addi possunt Gregorius
 Nazianzenus Oratione de seipso. Ambrosius
 lib. 1. de Officiis cap. 46. Isidorus lib. 2. Sen-
 tentiarum de summo Bono cap. 55. & tan-
 dem ex ratione, quia virtus hoc ipso in me-
 dio versatur, quatenus juxta regulæ suæ præ-
 scriptum, ita suum attingit objectum, ut nec
 suam regulam excedat, nec ab ea deficiat.
 Unde Gabriel Vasquez Disput. 86. in pri-
 mam secundæ cap. 8. universaliter pronun-
 ciat. Existimamus tamen medium quidem Epicuris.
 servare virtutem, profundius tamen rectitu-
 dine relatâ ad legem divinam veram exprimi,
 præprimis, si consideremus illam non tan-
 tum ut est in regentis, sed etiam ut fuit
 quondam in Adamo, in quo non dixit me-
 diocritatem affectuum, quæ fuerit instar fræ-
 ni aurei coercentis appetitus naturalem fe-
 rociam, ut fingunt Pontificii, & aliquando
 erit in beatitudine æternâ: & posito admit-
 tendam esse mediocritatem tanquam formam
 absolutam, cum rectitudinem præligamus,
 non tamen absolvetur illâ, sed relativa quo-
 que addenda erit, quæ est convenientia cum
 aliquâ lege vel naturali, ut in Gentili-
 bus, vel morali ut in Chri-
 stianis.

OBSER.

OBSERVATIO XV.

§. 10.

Discrimen antiquæ & novæ legis commentum est, & error ex Socinianorum Lacunis haustus.

Distinctionem inter legem antiquam & novam.

Rejicitur Argumentum 1.

Argumentum 2.

Cespitat Aauthor, atque pandit principium, ex quo quamplurima falsa passim ipsi oborta sunt in scriptione hujus operis. Nam dicit sese uti autoritate librorum, quos à DEO afflati homines aut scripserint, aut probarint, cum discrimine antiquæ & novæ legis. Atqui (1) non datur nova lex; omnis enim lex Mosais continetur paginis, nihil ei addi potest, cum quicquid virtutis, quicquid operum bonorum, quicquid honestatis proponatur, ad Decalogum referri possit: sanè dilectio DEI summa & proximi, tum ratione sinceritatis, tum ratione intensiois & extensiois nihil relinquit post se, nullum superius habet in Ordine officiorum, ut etiam Marcus referat Christum dixisse cap. 12. vers. 31. *Non esse aliud illis præceptum majus.* At hæc duo in tabulis Mosais duabus continentur, hæc duo leguntur in Decalogo, hæc duo urgentur à Moysè Legislatore V. T. (2) Si daretur antiqua & nova lex, consequens foret Christum esse novum Legislatorem, quod ipsi nolunt Photiniani, ut constabit ex sequentibus, & Christus in eo opponitur Mosi Joh. 1. v. 17. quòd sc. gratia & veritas per ipsum facta sit, lex autem data per Mosen. Gratia in oppositione ad legem

legem moralem, veritas in oppositione ad legem ceremonialem. Præsentem enim rei veritate cessant umbræ & evanescent, quales erant leges ceremoniales V. T. & ut negatur per Moysen obtigisse Gratiam & Veritatem, ita vi oppositionis negatur per Christum legem esse datam & latam; non quòd ipse legem non tulerit in monte Sinai, Moysè Ministri partes obeunte, sed quòd in carne non dederit novam legem, utpote, cujus officium fuerit annunciare Evangelium, mæstos & legalibus fulminibus prostratos erigere: consulatur locus Matth. 11. v. 5. & Lucæ 4. v. 17, 18, 19, 20, 21. (3) Posito, quod essent duplicis generis leges, quædam Veteris quædam N. T. (quod tamen nunquam concedi potest, nisi velimus Photinianismum probare,) non tamen illud discrimen, quod observavit Grotius inter leges illas V. & N. T. obtineret; existimat enim leges novas esse perfectiores, urgere majorem sanctitatem, præcipere perfectionis studium. At hoc falsissimum; non enim datur perfectior aliqua lex lege morali in Decalogo expressa, cum sit perfectissimum exemplar Sanctitatis divinæ, cum qui ipsam observat, obtineat non solum felicitatem hujus vitæ, sed & æternam beatitudinem. Juxta illud: *qui fecerit, hæc vivet in illis.* Levit. 18. v. 5. Ezech. 20. vers. 11. & 13. Rom. 10. v. 5. Galat. 3. v. 11. & 12. quamvis autem non addatur æternum, & Photiniani disputent num æterna vita promissa sit Legem veterem servantibus, evidens tamen id est,

Leges duplices improbantur.

G

partim

partim ex Interpretum consensu: Chaldaica enim paraphrasis apertè ad Levitici cap. 18. v. 5. addit, *vivet vita aeterna*; & Jonathanis, *portio ejus cum justis*; partim ex Christi responsione, qui quærenti, quid faciam, ut habeam vitam æternam? respondet: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata* Matth. 19. v. 16, 17. & seq. partim ex ipsâ phrasi; positâ enim voce *vives* absolutè absque conditione limitante vel minuente, etiam æterna, & quidem principaliter significatur; ut ex opposito vocabulo mortis in Comminationibus mors æterna notatur Gen. 2. v. 17. Photinianismum verò sic apertè prodit, in quo regnat illa distinctio, in quo propugnatur non tantum Mosaicorum præceptorum perfectio, sed & novorum peculiarium à Christo additio, sui scil. abnegatio, crucis toleratio & Christi imitatio. Utut Socinus contra Cuttenum nolit admittere Christum esse Legislatorem, & scribat: *Quamvis Christus suam legem habeat, eamque DEI nomine mundo tulerit, non tamen simpliciter legislator dicitur, cum ejus lex nil aliud fuerit, quam complementum ac perfectio Mosaica legis. Nec sanè ob id præcipue in mundum venit, ut legem ferret, nostreve legislator esset, sed ut nos servaret, in quem etiam finem nobis suam legem dedit. Christi lex, quia, ut diximus, est complementum & perfectio legis Mosaica, sine dubio ipsa lege Mosaica est perfectior. Nec tamen negandum est, quin ipsa quoque lex Moysis ab hominibus interiorem probitatem requireret, licet non*

tam

Photinia-
nos acce-
dit Author.

tam exactam, ut Christi lex requirit, que vicissim non minus quam lex Moſis externam probitatem ſeu ſanctitatem poſtulat, ſed multo tamen excellentiorem.

OBSERVATIO XVI.

JUS DEI in Creaturas ita aſſerendum, ne DEO labes aliqua ex nimia illius Extensione adſpergatur. Pag. 102

Mentionem injicit Juris DEI Author noſter, de quo inter eruditos multum controvertitur. Sunt, qui putant illud ſeſe tantum porrigere e. g. ad occiſionem hominis, cum non repugnet juſtitie divinae, auferre ab homine id, quod ei conceſſit, ſiquidem creator jure ſupremo gaudeat diſponendi de ejus vita, omnibusque ei appertinentibus, quae eſt ſententia Curcellæi: ſunt, qui illud latius extendunt ad annihilationem uſque creaturae rationalis; cum in poteſtate figuli ſitvas confictum confringere, & in ſummi principii vi quod dedit eſſe, illud iterum repetere, vel tollere, quibus accedit Grotius. Sunt denique, qui opinantur, illud ad inflictionem malorum quorumcunque, adjudicationem infernalium tormentorum & perennium flammarum excurrere, quod inter Pontificios defendit Gabriel Valquez, Suarez, Lorinus & alii; quia Deus Dominium abſolutum habeat, Authoꝝ ſit vitae & mortis: ex Calvinianis vero maxime Guilielmus Twyſſe & Moſes Amyraldus tractatu

De Jure Dei
diverſa
Sententiae
prima.

Secunda;

Tertia;

Gallieo de prædestinatione cap. 4. scribens: *Si Deus in continenti, ex quo hominē creavit, l' enst abyssmé dans les enfers, ad inferos & orcum euno relegasset, nullo respectu habito actionum ejus, bonarum aut malarum, ad ostendendum supremum Imperium, quod habet super omnes res creatas nullis terminis & limitibus circumscriptum; creatura esset in eo acquiescere, quippe, qua nihil aliud sit, quam quod Creator eam esse voluit, ideoque penes ipsum esse de jure absoluto pro lubitu de illà disponere.* De fundamento hujus juris quoq; disceptatur. Arminius in Disputatione de Dominio DEI, triplex juris divini fundamentū ponit. Primum creationem, secundum contractum cum creatura rationali initum, tertium peccatum illius, quod etiam Curcellæus propugnat. Amyraldus verò *ἰσπεροχὴν* & Eminentiam Numinis juri illi summo & absoluto substernit. De primo Effectu juris non controvertitur inter Amyraldum & Curcellæum, in altero verò impeditus est negotium. Si enim DEUS potuisset creare hominem ad finem merè naturalem, vitamque hanc caducam & mortalem, non dubium est etiam doctioribus, non tantum potuisse vitam repetere, quàm dederat, sed & in nihilum redigere, quem ex nihilo produxit. At hypothesis illa fervidè impugnatur à Cornelio Jansenio, qui impossibilitatem talis status in puris naturalibus docet, ex ordine creaturæ rationalis ad DEUM, ut principium & finem, sine cujus amore condi nequeat modo connaturali, cum voluntas creaturæ

Fundamen-
tum juris
in DEO.

Arminii
Sententia.

Amyraldi
Opinio.

Epicuræ.

turæ rationalis juxta Fulgentium libr. I. ad Monimum esse non possit sine qualicumque amore, quo vel Creatori bono benè subjiciatur, vel cum superbia deprimatur, ut creaturæ bonæ malè dominetur, & aliis argumentis quamplurimis, quæ possunt legi lib. I. de statu naturæ puræ, capite tertio & sequentibus. In tertio manifesta est Impietas. Quod enim pugnat cum Sapientia & Bonitate divinâ; illud imperfectionis potius censendum est esse, & à DEO proinde removendum, quàm perfectionis, & consequenter non sub Objecto potentiz divinæ. Ipse Amyraldus agnoscere tenetur pugnare hanc *ἡσυχία*, hoc jus *ἀρετῶν* cum bonitate & justitia, scribens: *Ut, ad rem nostram redeamus, neque bonitas, neque justitia prohibet, quo minus Deus possit creaturam innocentem addicere cruciatibus æternis ἀρετῶν. Possunt quidem prohibere, quo minus id facere possit vel benè, hoc est, clementer, vel justè, hoc est, ex illa virtute, qua vindicando peccato destinata est. Nam sanè id, si Deus faceret, neque clementer ageret cum creatura, neque illius peccatum puniret, quod nullum est. At si id faceret, tamen ἀρετῶν esse deberet. Neque enim bonitas, neque verò justitia *ἡσυχία* illi adimit, qua creaturam arceat, quo minus cum eo jure contendere possit. Non bonitas: Nam si bonitas id faceret, quanta melior esset, quilibet dignitate præcellit, tanto minus ejus potestas atque dignitas accederet ad summam, qualis à nobis supra descripta fuit. Esset pu-*

tem sic pessimè cum rebus humanis compara-
tum, si summi Magistratus unâ bonitatem &
ἰσότητιν retinere non possent. Non justitia:
ut enim pratereamus idem sequi incommodum,
ut quanto justior & æqui retinensior iudex es-
set, tanto magis ex fastigio nris ἰσότητις de-
scenderet: Justitia illa remuneratrix nulla,
ut jam vidimus, in Deo esse potest, nisi ex pa-
cto atque convento, quo Deus verbis conceptis
se ad remunerandum obstrinxit. Hic autem
rem consideramus seposito omni tali pacto, & ut
naturaliter sese habet duntaxat... Qui itaque
DEO tribui possit, ut non eo ipso quo assi-
gnatur illi, DEUS DEUS esse desinat; maxi-
mus sit, sed non optimus; Idolum quoddam
oppositis instructum proprietatibus exeat,
monstrumque tyrannicum, quod homo ex
suo confinxit ingenio. Scholasticos premit
Jansenius ex Augustino scribens: Nunquid
ille prius Uxor, quam iste peccator? absit.
Deus enim non damnat innocentes libr. 2. de
Gen. cap 17. Et libro II. de Genes. cap. 21.
Quia cuilibet, inquit, occurrit, & verum est,
atque manifestum, justitia ipsi esse contrarium,
ut nullo precedente merito, hoc ipsum in quo-
quam Deus damnet, quod in eo ipso creavit,
certaque & evidens damnatio Diaboli & An-
gelorum ejus ex Evangelio recitatur ubi se di-
cturum Dominus pronuntiavit eis, dicens, qui
a sinistris sunt: Ite in ignem æternum, qui pra-
paratus est Diabolo & Angelis ejus, nullo mo-
do eam naturam, quam Deus creavit, sed
malam propriam voluntatem poena ignis æter-
ni ple-

ni plestendum esse, credendum est. Et iterum Epistola 106. ad Paulinum contra Pelagianos: *Pie namque & veraciter creditur Deus nocentis atque impios justificando à pœnis debitis liberare; quomodoquã verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et infra in eadem Epist. hoc vocat *absurdissimum, & à justitia Dei penitus alienum.* De fundamento autem quod substernit Amyraldus, quidam opinantur Jus DEI antecedenter se habere ad creationis beneficium, ex quo tantum Existencia Subjecti, in quod jus DEO competat, nec facultatem j̄ris in DEO esse ex productione, licet Exercitium j̄ris pr̄requirat illam. Interim non desunt ex nostris, qui in beneficio creationis fundant, jus & potestatem DEI in creaturam, & juri obnoxium esse pr̄requirere ipsum Esse censent Dn. Brochmand. in Articulo de Pr̄destinatione cap. 3. quæst. 7. ita concludit: *Omne jus, quod Deus sibi vindicat in creaturas, veluti aequitate temperatum est, ita nititur aliquo Dei in creaturas beneficio.* Si enim quicquam in rerum natura esset, quod per actionem nullam divinum esset id, quod est, nullo certè jure illud Deo subditum dici posset, eò, quod à Deo non dependeret, ac ea propter sui j̄ris esset. Jam verò justum dominium semper requirit collationem majoris beneficii in id, cui dominariis quam esse possit malum, quod inferi rei inquam ob collatum beneficium jus tibi vindicas. Si enim quod infligitur malum, longè excedit bonum

Brochmandi
di iudiciũ.

bonum collatum; dominium beneficio collato superstructum non est æquum, sed iniquum. Quo posito non posset Deus, si vel maximè utè vellet jure suo absoluto hominem condere, ut æternum damnaret. Bonum enim per creationem collatum multò inferius est malo, quod infligitur. Quid enim est paucorum annorum vita collata cum horrendis inferni cruciatibus, qui nunquam finientur.

OBSERVATIO XVII.

Fig. 10. Antiqua Lex non est Jus naturæ.

Lex natura
quomodo
cum
morali co-
incidat,

Taxat illos Grotius, qui urgent antiquam Legem pro ipso jure naturæ. Per antiquam legem verò intelligunt aut complexum tum legum moralium, tum forensium, tum ceremonialium, aut saltem in specie legem moralem. Si prius; certum est, antiquam legem non esse eandem cum lege Naturæ; aliàs sequeretur etiam leges ceremoniales & forenses spectare ad jus naturæ, quod evidenter falsum. Si verò posteriori modo accipiat legem antiquam, tunc distinctè erit pronuntiandum, aut enim confertur lex moralis in Decalogo expressa cum lege naturæ in statu integritatis, aut confertur cum lege naturæ in statu corruptionis. Si prius tunc certum est, legem moralem & legem naturæ esse unam eandemque legem, adeoque Decalogum nihil aliud esse, quàm repetitionem illius legis naturæ primitus hominis cordi inscriptæ:

illa

Illam enim sanctitatem, quæ in Adamo fuisse confirmiter legi concreatæ, est eadem cum illa, quæ in Decalogo denuò præcipitur & exigitur, nunc autem impossibilis hominibus corrupto, quantum ad perfectam expressionem.

Si verò conferatur cum jure naturæ in statu lapsus, tum dicendum est legem moralem & legem naturæ non esse unum idemque, neque Decalogum esse repetitionem legis naturæ, sed specie differre legem naturæ & legem moralem. Quod constat partim ex eo, quia, qui legem moralem implet, ille obtinet vitam æternam; qui autem legem naturæ implet, positò quod talis detur, quod tamen ideale est, ille manet sub ira & damnatione; tum ex eo, quia Apostolus Paulus apertè dicit Rom. VII. de se, etiam ut instructo lege naturæ: *Ego sum carnalis, lex autem spiritualis.* Quæ autem differunt, ut carnale & spirituale, illa specie differunt. Si itaque lex moralis est spiritualis, & lex naturæ refertur ab Apostolo ad carnem, patet illud discrimen planè specificum. Hinc Apostolus dicit etiam. Non cognovissem concupiscentiam esse peccatum, sc. per legem naturæ, nisi lex scilicet moralis dixisset, non concupisces. Tum ex eo, quia lex naturæ est in Gentilibus, & naturaliter nota; lex autem moralis in statu lapsus non est nisi ex revelatione supernaturali. Quod autem sese habet ut naturale & supernaturale, illud sese habet ita, ut unum ab altero specificè distinguatur.

Differentia
Legis na-
turæ & mo-
ralis in sta-
tu lapsus.

OBSERVATIO XVIII.

Pag. 10

Scripturæ V. T. usus non est ve-
negandus, vel minuendus, nec since-
rè agit cum Verbo DEI, qui vel direc-
tè, vel indirectè eidem obstrepit.

De Vsu V.
T.Schwenk-
feldiani,

Mennonitæ.

Usum & Authoritatem V. T. non tan-
tùm impugnarunt ex hæreticis vetustio-
res illi Simoniani, Basilidiani, Marcionitæ,
quos secuti sunt Manichæi apud Epiphanium
hæresi 66, quos refutat; Augustinus verò
contra illos agit lib. 1. cap. 1. contra adver-
sarios legis & Proph. sed & nostro tempore
I. Schwenkfeldiani, Anabaptistæ, & Wige-
liani, qui etiam N. T. Authoritatem eleva-
runt, & à verbo Prophetico & Apostolico ad
revelationes peculiare remiserunt. II. Men-
nonitæ, Soboles Anabaptistarum, qui in
Confessione suâ Articulo XI. Omnes Chri-
stianos, quantum ad fidem attinet, debere se
tantùm necessariò componere ad Evangelium
statuunt, & Diedericus Philippi Mennonis
Collega *ισήυχ* in præfatione ad libellum
de spirituali Restitutione monet simplici-
ores, ut ab illis tanquam deceptoribus & falsis
Prophetis sibi caveant, qui, quod confirmare
non possunt ex N. T. illud probent ex ve-
teri & litera Prophetarum. Hinc ortas esse
varias sectas, hinc varios falsos cultus insti-
tutos, ex hoc fonte præcipuè dimanasse Ce-
ræmonias idololatricas, & pompam Ecclesiæ
Anti-

Antichristiane & deploranda Sectarum seditiosarum sphalmata ; paria deprehendes in Colloquiis Francothalensi Actio: 1. § 7. Leonardensi Actio: 23. Exhortatione Johannis de Ries, Confessione præfixâ Martyrologio Anabaptistico, & illâ, quæ opposita Faulkelio Artic. 1. pag. 37. III. Photiniani. Ita enim Socinus libro de Auctoritate Scripturæ cap.

Photiniani

4. *Qui novum Testamentum recipit, habet in ipso quidquid sibi est opus, quod attinet ad doctrinam. Quod si tamen interdum in rebus ad doctrinam spectantibus, est quod vetere quoque Testamento utatur, ea doctrina pars tunc aliud nihil, nisi historia censenda est; qualia sunt præcepta, quæ Deus per Moysen dedit.* Quem sequitur Valentinus Schmalzius in præfat. Refutat. B. Frantzii : *Quid miram, inquit, si is, qui Christianam religionem tractat, potissimum urgeat libros N. fuderis ? Cum certum, sit ex his potissimum & principaliter illam demonstrandam esse, & quicquid ex V. Test. ad eandem affertur, id non tam ad confirmandam eam, vel fidem ei faciendum, quàm illustrandam & commendandam faciat: suis enim prope nititur Ecclesia Christiana rationibus & principiis, nec aliena opis indiget.* Secundo, si in causam inquiras cur Mennonitz & Photiniani tam contemptim sentiant & loquantur de Veteri Testamento metonymicè ita dicto, sive libris Moysis & Prophetarum, deprehendes discrimen Religionis, quod illi propugnant sub utroque Testamento hæc subministrasse effata putida, quod tum ex

Causa Impugnacionis.

Confessione Mennonitarum patet supra allegatis subjicientium : *Antiquam legem à Mose Judæis traditam fuisse in doctrinam & regulam perfectam, juxta quam se habere debuerunt sub pœna excisionis, cum gravi maledictione. Et vicissim sub promissione vitæ multarumque egregiarum benedictionum autoribus, credentibus, & prestantibus eam. Quia benedictio & execratio maxime spectavit temporalia & corporalia, & Ipse Christus est finis & consummator antiqua legis, & qui incepit novam legem majoris libertatis. Tum ex Socini verbis, quæ leguntur in lib. de Auctoritate Scripturæ, ubi hæc habet: *Postremo considerandum est, (disputet contra quivis) si recipiatur novum Testamentum, non posse ad ipsam religionis summam quidquam ferè momenti habere, quamcunque veteris Testamenti depravationem, cum nihil non quidquam illius recipiendum sit, quod non conveniat cum iis, quæ in hoc sunt scripta. Ad id ut utilis quidem plures ob causas sit lectio veteris Testamenti iis, qui Novum recipiunt, id est, hominibus Christiana religionis, sed non tam necessaria. Cum autem Grotius affinem sese reddiderit huic errori de diversitate religionis, num sincerè dicere potuerit, sese vitasse illum, qui ex eodem effruticat, meritò dubitamus. Destandum verò esse illum Dathe-nus in Colloquio Francothalensi sex Argumentis luculenter ostendit, petitis tum ex Elogiis Scripturæ V. T. quæ leguntur Psalm. 12. v. 7. Psalm. 19. v. 8, 9, 10. Prov. 30. v. 6. tum**

Notatur
Grotius.

Refutatio
Erroris.

tum ex Evangelio, quod à Christo & Apostolis fuit propositum respectu ad V. T. Canonem, tum ex loco Pauli Actor. 24. v. 14. & cap. 26. v. 22, nec non Rom. 16. v. 25, 26. quibus junxit locum classicum ex 2. Timoth. 3. v. 15, 16, 17. Ubi tot Argumenta, quot verba; dicitur enim Timotheum sacras literas nosse *ἀπὸ βρέφους*, quæ fuerunt V. Testamenti, quod commendat in ipso Paulus: cùm autem hoc placuerit ipsi in Timotheo, quomodo non laudabile etiam censeat in cæteris Christianis: dicit illas posse *σοφίαν* sapientem reddere ad salutem, quæ & illius & omnium nostrorum scopus & meta, & quidem per fidem in JESUM Christum, qui utriusque Testamenti Apex & Compendium: Dicit esse illam *θεοπνευστον*, utilem ob omnes partes functionis Ecclesiasticæ, ut homo DEI, Minister Ecclesiæ inde fiat perfectus ad omne Opus bonum instructus, quî itaque divinitus inspiratum non decenti veneratione excipiendum? utile ad tot usus inter quos etiam doctrina, non ad fidei dogmata haurienda, & confirmanda desiderandum? perficiens hominem DEI ad Bases Christianismi solidandas, stabiliendas toto mentis nisu apprehendendum? neque dicas I. Paulum non definite loqui de Scripturis V. T. vel si hoc sit in defectu meliorum librorum N. T. qui tum nondum extiterint ita pronunciaſſe. II. Si Scripturæ V. T. potuerint *σοφίαν εἰς σωτηρίαν* Timotheum, posse id multò magis N. T. libros Christianos, & cùm perfectè hoc procul dubio

Argumentum validissimum.

dubio possint, non opus esse illis, qui in V. T. fuerunt lecti, limitare etiam illam adjunctionem *per fidem JESU Christi* vim & usum V. T. librorum & ostendere ex illis nihil admittendum, nisi quod cum fide verâ Christi conveniat. III. Scripturam V. T. fuisse per Moysen datam Joh. 1. v. 12. nec Θεόπνευστον, commendari ab utilitate, non intimari Necessitatem; hominibus DEI, hoc est Evangelistis, qualis fuerit Timotheus potuisse convenire notitiam V. T., non tamen propterea omnibus Christianis. Nam I. loquitur de istâ Scripturâ principaliter, quam Timotheus *ἀπὸ Πατρὸς* legit & novit, quam ad monitum matris suæ sibi familiarem reddiderat, quam Judæi magnificiebant, existimantes sese habere in illâ vitam æternam; nec respicit Paulus tempora N. T. publicationem antecedentia quasi in illis tantum obtinuerit utilitas, quæ cessarit affulgente gratiâ, exaratis Evangelii & Epistolis quibusdam, sed loquitur de præsentis usu & efficaciâ relata ad *σωτηρίαν* sive salutem æternam; loquitur de totâ Scripturâ; tribuit illi Θεόπνευστον, quæ non abolita fuit superveniente majore apparatu librorum sacrorum: quod enim semel Θεόπνευστον, naturam non mutat, sed semper tale manet. II. Non est consequens Scriptura N. T. potest perfectè reddere Christianos sapientes ad salutem. Ergò non opus est libris Testamenti Veteris; ut non est consequens; Lux ab anima dispensata in unum oculum reddit hominem sufficienter videntem, objecta

objecta sensibilia & colorata. Ergò non opus est altero, ergò natura superflua est in suis operibus: commendanda potius est liberalitas Numinis, quàm tollenda ex utius sufficientia alterius utilitas. Præterea, si dicamus scripta N. T. posse sapientem reddere Christianum ad salutem perfectè quidem, sed in suo genere, non erit consequens illa simpliciter perfectum reddere; quemadmodum non est consequens. Catechismus perfectum reddit hominem Christianum in capitibus fidei necessariis ad salutem. Ergò non opus est lectione Biblicâ, nec consequens, non est opus Veteris Testamenti libris ad hunc vel illud Effectum, ergò non ad alium; non ad fidem hauriendam, ergò non ad fidem confirmandam, corroborandam. Et annon hic Prophetarum libros, vel N. T. volumina pariter possem tollere, cum Moyses Oceanus sit totius sapientiæ cœlestis & in illo habeantur ea, quæ *σοφισται* possunt *εις σωτηριαν*: nec adjecta phrasî per JESUM Christum limitat, sed modum salutis obtinendæ ex Scriptura à parte nostri, necessarium indicat. III. pariter colligi posset contra Scriptores N. T. Apostolos, dicendo per illos factos & exaratos esse libros, ergò non esse *θεοπνευστος*, nec si per Moysen dicitur lex data, divina illius origo negatur, sed ministerium tantum Moysis commendatur, qui quantus fuerit, constat ex Num. 12. v. 8. & Eb. 3. v. 2. I I. Quàm necessarii sunt usus recensiti, tam necessaria est utilitas laudata & ut quævis pars Scripturæ suâ in proportionem

tionem gaudet utilitate, ita totâ (nam hæc est vis vocis *ἡμῶν*, ut antecedentia & consequentia docent, usus familiaris Luc. 21. v. 38. Eph. 4. v. 16. Coloss. 2. v. 9. & Interpretum saniorum Consensus) utilitate illâ consummata & consequenter necessaria, non tantùm relatè ad Timotheum vel Ministrum Ecclesiæ, sed & quemvis hominem Christianum cum gradu necessitatis differentiâ. Obsigno hanc Observationem verbis Augustini, quæ leguntur libr. 1. de doctrina Christi cap. 42.

Quantum minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum abstulit ille populus in comparatione divitiarum, quas postea Hierosolyma consequutus est, tanta sit cuncta scientia, qua quidem est utilis collecta de libris gentilium, si divinarum literarum scientia comparetur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia, que utiliter alibi didicit, multò abundantius inveniet ea, que nusquam omninò a libi, sed in illarum tantummodo scripturarum mirabili altitudine & mirabili sublimitate discuntur. Pulsemus igitur Monitore Damasceno ad pulcherrimum illum hortum Scripturarum: illum inquam mirè fragrantem & suavem, summâque elegantia præditum, ac spiritualium, divinitusque afflatarum cujusvis generis avium garritibus, aures nostras circumsonantem, quique cor nostrum attingit, illudque mœrore affectum lenit ac mitigat, & irâ perexcitum sedat, sempiternâque latitiâ diffundit,

dit, &c. ex hujus horti fonte perennes & purif-
simos lasices in vitam aeternam salientis, hau-
riamus. Hic cum inexplebili quâdam volu-
ptate & amantitate versemur.

OBSERVATIO XIX.

Nimum tribuit Author Ebræis
Scriptoribus in Lectione librorum
V. T.

Pag. 10.

Dicit: Ad percipiendam librorum ad an-
tiquum fœdus pertinentium sententiam,
non parum conferre nobis, posse Scriptores
ebræos, eos maxime, qui & sermones & mo-
res patrios habuerunt præcognita: quod li-
mitate accipiendum. Nam primò non parum
conferre nobis posse Scriptores ebræos ad
percipiendam librorum V. T. sententiam non
cōcedendum, si simpliciter hoc dicatur, &
ad dogmatica quoque extendatur, cūm ob-
durnerint voluntate sive cogitationes illorum, &
velamen Moysis cordi illorum sit impositum,
teste Paulo 2. Cor. 3. v. 14. & 15. II. vix aliquid
sani sit in toto Systemate Theologiæ Judai-
cæ, vere de illis & juxta Drusium ex tripode
dictum in libro Juhahn: *Multi sunt tenore
Mundi, qui tamen vocantur Lux Mundi*,
III. ipse deniq; Grotius Exemplo sit, qui se-
cutus cœcorum vestigia passim impegerit in
Commentariis ad V. T. libros, & in Psalmis
atque Prophetis luculenta de Messia nostro
Oracula turpiter corrupit. Secundò mi-

Quid con-
ferat Le-
ctio Rab-
binorum.

Excœcatio
illorum.

Corruptio
Dogmatū.

H

nus

nus malè pronunciat, cùm dicit illos maximè conferre, qui & sermones & mores patrios habuerunt præcognita, si hoc intelligat in illis, quæ sermonem & mores patrios concernunt, quanquam & hîc sæpius aliquid lutulenti adfluat, nimium de prædicantibus illa, quæ intra quandoque vel infra mediocritatem consistunt. Flaccii autem Judicio si standum neque illis Notitiâ prisca sermonis exacta concedenda; quamvis enim juxta illum de singulis vocibus aliquid verè sentiant, tamen nec phrasas nec figuratas dicendi loquutiones perspiciunt, & præterea ubi semel res ipsas, quæ in Bibliis traduntur suis erroribus corruperunt necessariò etiam linguam aut verborum significationes pravâ Interpretatione, aut intellectu corrumpere coguntur, videatur parte secunda Clavis, Tract. VI. Teritiò medium hîc tenendum esse censemus, & ut conferre aliquâ ratione Scriptores ebræos non-negamus, ita multum, ut sensit Grotius, inficias imus. Peccarunt olim in defectu Adversarii magni Capnionis, peccant literatores quidam hodiè in Excessu, interim non diffitemur usum habere Rabbinos, partim in vocum singularum Expositione, partim in rituum, consuetudinum & phrasævarum quarundam dilucidatione, partim in versionum adornandum intentione, de quo ita Sebastianus Münsterus: *Meo judicio ineptè illi agunt, qui contemptis Hebræis Scriptoribus pergunt interpretari libros V. T. certè ego id ex iis didici, quod sæpè Monitores sint veritatis, etiamsi ipsi interim*

Excessus &
Defectus
vitandus.

*interim in tenebris & erroribus versentur; sic-
cut & Bileam filius Israel benedixit, & prospe-
ra ex Spiritu DEI prophetauit, errorem au-
tem suum & futuram interfektionem praevide-
re non potuit. Verum suo loco ostendam, quam
hallucinari sint quidam, qui citra Hebraorum
suppetias, Hebraicam textum nostro aeo in-
terpretari conati sunt: Id quod Divus Hiero-
nymus tentare noluit, qui semper conductitium
apud se habuit Judaeum, qui illi in difficiliori-
bus locis Rabbinoꝝ suggereret expositiones. Nec
est quod causeris: Periculum esse consulere glos-
sas talium infidelium hominum in libris sacris,
modo cognitionem Christi adjungas peritiae lin-
gua. Possem innumera ostendere loca, quae
perperam ac recentioribus sunt reddita inter-
pretibus, qui citra sufficientem linguam peritiam
& Rabbinoꝝ lectionem praesumpserunt ver-
tere libros sacros, perinde quasi satis sit cog-
nito Christo interpretem agere Hebraismi.*

OBSERVATIO XX.

Erroneum est dicere non aliunde
disci posse, quid Christianis liceat,
quam ex novo foedere.

Pag. 10.

Videtur Author elevare Dignitatem li-
brorum V. T. dum putat ex illis non
posse hauriri, quid liceat Christianis; nam
primò, quamvis Judæis licitum fuerit unum
& alterum in V. T. quod in N. abrogatum,

Villpandia
Librorum
V. T.

H 2

ut

ut constat de libello repudii & similibus; licita tamen fuerunt talia tantum in foro exteriori, stante Republica, quæ desit Sceptro & omni iurium Ornamento ablato. Secundò, num in V. T. libris non occurrunt talia, quæ inter licitum & illicitum discernunt, qui itaque Christiani ad illa non reflectant? Tertiò non tantum illa, quæ licita ex V. T. disci possunt, sed etiam quæ debita; plus enim DEUS à Christianis non exigit, quam in V. T. in lege illâ, quæ summæ Sanctitatis Typus, præscripsit: unum idemque est Vetus & N. Testamentum quoad Substantiam Dogmatum, tum fidem, tum vitam concernentium, nec differunt nisi quibusdam accidentibus & gradu Claritatis. Quod annectit se etiam N. fœdus à Jure Naturæ distinxisse, quia major sanctimonia nobis in hâc lege sanctissima N. T. præcipiatur, quam solum per se Jus naturæ exigat, rectè quidem fecit, Jus enim naturæ, ut nunc existit in hominibus post lapsum tantum format hominem exterioris honestatis observantem, & vitæ sociali aptum, at libri N. Testamenti sublimius iter ostendunt, Spiritum conferunt, ad vitam & beatitudinem cœlestem ducunt: verum hoc non proprium est illis, sed etiam adscribendum antiquæ legi, sive libris V. T. qui in eundem Scopum collimant.

OBSER-

OBSERVATIO XXI.

Papizat Author dum præter præcepta commendata ingerit, quæ generosi sint Consilii. Pag. 10.

Aliquoties Grotius Scripturæ tribuit talia, quæ Consilii potius rationem habeant, quam Mandati, & Sententias Salomonis de vitandis consortiis impiorum prudentiz tantum monita esse opinatur, non legis præcepta, quod Socinianum, ut patebit in progressu. Hic verò libris N. T. consimilia adscribit, in quo non uno modo errat & papizat. Errat I. dum putat in Scriptura, quædam nobis magis commendari, quam præcipi: Cum enim præprimis *περὶ*, ad quæ respicit Grotius in Scripturis ostensa, procedant ex voluntate DEI, cui Imperium in omnes homines, cum, quæ præscribuntur in illis indicia sint divinæ mentis, quæ possunt non magis præcipi, quàm commendari? Errat II. cum dicit; disci exinde, à præceptis declinare, esse nefas & poenæ obnoxium, ad summa quæq; contendere esse generosi Consilii: parum enim abest, si strictè velimus inhzere oppositioni, quæ est inter præceptorum transgressionem & observationem, quin ita evertatur omnis obligatio ad præcepta observanda, omnis sub hypothese observatorum merces, sive præmium, quod tamen vita æterna, juxta illud Levit. 18. v. 5. Errat III.

De Confiliis.

An quædam in Scripturis commendantur?

Quid sit generosi Consilii.

Lex ad
summa cō-
tēdere prae-
cipit.

quando ad summa contendere, vult generosi esse Consilii, & suâ non carituri mercede; an enim legem implere non est ad summa contendere? an superius datur dilectione DEI ex toto corde, ex totâ animâ & omnibus viribus? an plus possumus diligere proximum quam nosmetipsos? tentet prius, quis iter in montem Sinai, & tunc demum scalis cœlo admotis plus ultrâ; impleat decem præcepta, & dein demum quærat: quid mihi restat faciendum? ut nihil dicam de ambigûâ phrasi, cum dicit non cariturum illum ad summa nihil suâ mercede, quàm grata hæc Pontificiis, qui humilitatis pertæsi, aquilæ volunt esse in nubibus, & Consilia sectari perfectionis, scribentes: *Consilium perfectionis vocamus apud bonum à Christo nobis non imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum.* Differt autem à præcepto ex parte materia, ex parte subiecti, ex parte forma, & ex parte finis. Ex parte materia dupliciter. Primo, quia materia præcepti est facilior, consilii difficilior; illa enim sumpta est ex principiis Nature, hæc superat quodammodo naturam; nam ad servandam conjugii fidem, natura inclinatur, at non ita ad abstinendum à conjugio. *Ambrosius lib. i. de virginib. Quis inquit, humano eam possit ingenia comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quia naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? è cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Et Hieronymus, sive quicumque fuerit autor, sermone de assumptione: Profectò, inquit,*

inquit, in carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cælestis. Secundo, quia materia præcepti bona est, consilij melior & perfectior, loquendo de præceptis, quæ circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia; consilium enim includit præceptum, & aliquid supra præceptum addit. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: Illa autem, inquit, amantes, quibus terrena nuptia viluerunt, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, usque ad id acceptarunt præceptum, ut non recusarent consilium; ut plus placerent, plus se ornaverunt. Ex parte subiecti differunt consilia & præcepta, quod præceptum commune sit omnium, consilium non item. Augustinus sermone 6. de tempore De virginitate dicitur: Qui potest capere, capiat, de justitia non dicitur: Qui potest facere, faciat, sed: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Ex parte formæ, quod præceptum vi suâ obliget, consilium in arbitria hominis positum sit. Hieronymus in epistola ad Eustochium de servandâ virginitate: Ubi consilium, ibi offerentis arbitrium; ubi præceptum datur, ibi necessitas seruiens. Et Augustinus de sanctâ virginitate, cap. 30. Neque enim, inquit, sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest, non nubes; illa exiguntur, ista offeruntur; si fiunt ista, laudantur, nisi fiant illa, damnantur. Ex parte finis, siue effectus, quod præceptum observatum habet premium, non observatum habet pœnam: Consilium autem si non servetur, nul-

lam habet panam, & si seruetur, majus habet
 pramium. Augustinus de sanctâ virginitate,
 cap. 14. Præcepto quisquis non obtemperat,
 reus est, & deterior pœna. Et infra: Sed quo-
 niam devitatis remissive peccatis, adenda est
 vita aeterna, in qua est quadam egregia gloria,
 non omnibus in æternum victuris, sed quibus-
 dam ibi tribuenda; cui consequenda, parum
 est, liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipso
 liberatori voueatur, quod non sit criminis non
 vouisse, sed vouisse ac reddidisse sit laudis:
 Consilium, inquit Apostolus de
 &c.



LIBER



LIBER PRIMUS

In

LIBRUM I. GROTHII,

De

JURE BELLI ET
PACIS.

CAPUT I.

Ad Thesin I.

OBSERVATIO I.

Præter Jus omnibus hominibus commune, datur quoddam civile, pro diversitate Gentium diversum.

MEminit Author Juris civilis, duplex enim Jus datur juxta Aristotelem lib. 5. Nicomachicorum naturale scil. & legitimum. Fallitur enim Demonax, qui Inutilitatis accusat posterius, ut quo non egeant boni, & quibus mali nihilo meliores reddantur. Falluntur & illi, qui opinantur antiquitus homines sine legibus vixisse, quia vox *νόμος*, apud antiquos Poetas Orpheum, Musæum & Home-

Jus civile
Opinioæ
de illo.

rum non reperiat; falsi denique fuerunt juvenes Patricij Romani, qui teste Livio lib. 2. optimam vivendi rationem putarunt vivere sine lege, pendere verò in totum à Rege, quia Leges sint res surda & inexorabilis salubriorque inopi, quàm potenti, cùm Rex & irasci & ignoscere possit, inter amicum & inimicum discrimen noverit. Verùm, quæ ratio movit primum, in ipsum retorqueri potest: si enim boni dantur in Republica, cavebunt, nè impingant indirigens principiũ, normam respicient, ad quam se componant, lucẽ, quæ in dubiis affulgeat; Si mali, quamvis meliores non reddantur, coercentur tamen hoc freno, ne malum exundet. Quæ secundæ Opinionis Authores impulit, infirma est, non tantùm ex eo, quia à nominis, & quidem in Græcia tantùm defectu, non licet arguere ad legum vel illic, vel alibi carentiam; verùm etiam quia æquipollens vox *ἰσοπέδω* apud Homerum occurrit; sanè si Augustino fides lib. 13. de Civitate DEI c. 3. Græcia sub Phoronæo Argolico Rege legum & judiciorum quibusdam clarior facta est institutis, qui vixit, juxta Platonem, non longè post diluvium; juxta Augustinum circa tempora Isaaci: videatur Arist. 1. pol. c. 2. quæ deniq; juvenibus Romanis placuit, juvenilem redolet licentiam: utut enim lex simpliciter præcipiat, nec sese flectat ad arbitrium subditorum, habet tamen Præsidem, qui oculo vigili in circumstantias facti respicit & sententiam illis attemperat, unde Cicero lib. 3. de LL. *sine Rege, inquit, nec domus, ulla*

nec

Remove-
tur prima.

secunda.

Tertia.

*nec civitas, nec gens, nec hominum univer-
sum genus stare, nec ipse mundus potest. Lex
nihil aliud est quam mutus Magistratus, &
Magistratus lex loquens.*

OBSERVATIO II,

Ut Jus civile varium est pro varie-
tate populorum, ita illius communio
eostenet, qui se eidem submiserunt.

Jus civile generatim acceptum est Jus ho-
minum, alicujus populi, vel unius, aut al-
terius civitatis proprium. Ita Ebræi Jus quod Ebræorum
Jus civile.
dam habuerunt forense, quod in libris Mo-
saicis adhuc legitur, & optandum esset illud
plenius, quàm hætenus factum est, exponi ab
illis, quibus otium & præfidia ad hanc mate-
riam. Cœperunt quidem aliquid moliri in
hoc genere Guilhelmus Velvod Scotus in pa-
rallelis Juris Judæorum & Romanorum. Justus
Calvinus in Themide Ebræo-Romanâ, Mo-
linæus in Collatione legum, nec non Pi-
thœus in consimili Tractatu, Gerhardus à Re-
messe in Codice LL. Ebræarum, & Con-
stantinus L' Empereur in Disputationibus
Theologicis de legibus Ebræorum forensi-
bus; sed ultimam hæc desiderare manum, qui-
vis facilè deprehendit. Athenienses suas ha-
buerunt peculiare leges, quas partim Dra-
co, partim Solon, partim Æschilus tulerunt
incisas tabulis æreis & quadratis, quas mo-
dò *ἀξονας*, modo *κώβας* vocabant, & tene-

Athenien-
sum.

bantur jurare Areopagitæ, se perpetuo servaturos leges latas, ad quos Paulus fuit ductus, quia etiam de investâ peregrinitate & maxime in religione judicabant, aliter quam censet Chrysoſtomus. Videatur Historia Act. 17. v. 18, 19, 20. Κατ' ἐξοχήν hodiè venit Jus Romanum, quod Tribonianus digessit. De hoc quædam addere non inconsultum ducimus. Expendenda autem venit I. illius Origo, non primigenia, quæ, in quantum illud conspirat cum feminibus honesti post lapsum reliquis in lumen & legem naturæ refunditur, sed traditiva, quâ beneficio communicationis Romanis innotuit, & sese sensim in majus corpus promovit. Wilhelmus Zepperus in libro cujus titulus legum Mosaicarum forensium Explanatio cap. XIII. pag. 121. & seq. existimat Romanos leges suas, circa quas adhuc hodiè Jus civile occupatum est, à Græcis vel Atheniensibus; hos porrò ab Ægyptiis, & hos iterum à Mercurio Trismegisto; hunc tandem à Mose leges suas, de manu in manus quasi accepisse, atque adeò gentium vel ethnicorum leges, ad posteriorem imprimis Decalogi tabulam pertinentes, quæcunque aliquid sani & præclari habent, omne suum Decus & Authoritatem à lege Mosaicâ mutuari, non secus atque luna & stellæ splendorem suum à Sole. Ne autem dixisse hoc videatur sine certis authoribus & fundamentis probat institutum. Hermetem enim vel Mercurium, Philosophum Theut dictum in Ægypto paulò post Mosen primum & antiquissimum Legisla-

Romano-
rum.

Origo il-
lius.

Zepperus
de Origine
Iuris Ro-
mani.

gislatorem circa annum Mundi 2455 floruisse, & *τελειωτιστην* h. e. ter maximum fuisse cognominatum, quia videlicet, ut acumine atque doctrina Philosophis omnibus antecesserit, ita Sacerdos dein constitutus, sanctimoniam vitæ divinorumque cultu universis præstiterit Sacerdotibus, regiam denique dignitatem adeptum, administratione legum rebusque gestis superiorum Regum Gloriam obscurasse. Laudat in suam sententiam Lactantium lib. de Ira DEI cap. 11. & lib. 1. divinarum Institutionum cap. 6. Arnobium lib. 4. adversus gentes. Augustinum lib. 18. de Civitate DEI cap. 39. Diodorum Siculum lib. 2. cap. 3. Bibliothecæ, & Repatum Laurentium in Tertulliani librum adversus Valentinianos, qui statuat perinde, ut Ludovicus Vives, Mosem ipsum Hermetem esse, qui propter literarum inventionem id Nomen apud Ægyptios consecutus sit. Si itaque Moses Ægyptiis dictus sit Mercurius, eò verius esse, quòd Ægypti leges suas à Mose habuerint. Sin alius à Mose Mercurius hic fuerit, Mosis tamen cognomen inde nactum esse, quòd ex Mose suam & Philosophiam & leges hauserit, alterque ab Ægyptiis Moses habitus fuerit; quod confirmat ex Commentatore illius in Dialogum, Pimandrum dictum: transit dein ad Solonem Salaminium, qui leges suas ex Ægypto attulerit, & Athenienses, abrogatis sanguine scriptis, quas Draco dederat illis, adstrinxerit; subdit testimonia Platonis & Diodori Siculi; Romanos tandem voluisse inclytas

Examina-
tur.

Taautus
quis?

clytas Solonis Leges describere, aliarumque Græciæ civitatum instituta, mores juraque cognoscere, & propterea missos esse legatos Athenas Sp. Posthumum, Album, T. Manlium, P. Sulpitium Camerinum, quibus redeuntibus, Decemvirisque constitutis, publicatæ sint decem tabulæ, quibus duæ adjectæ, sensim etiam emeruisse plebis scita, Senatusconsulta, Prætorum Edicta, prudentum responsa & Principum constitutiones atque rescripta, quæ dein in Corpus aliquod, Justiniani jussu, memoriæ juvandæ causa collecta. Ita compendiosè ex illo recenfere placuit, quæ speciosè proposuit. Desideramus in hisce natalibus I. solidum de Trismegisto testimonium. Sunt enim qui aliter de hoc Hermete judicant, atque hunc Toth sive Taautum Phœnicum & Ægyptiorum, nefarium hominem & insignem Magum fuisse censent, de quo ex Sanchuniathone refertur, quod natus Misroe Scriba Saturni fuerit, artibusque magicis hunc contra Patrem Uranum juverit, nec non consilia pessima subministravit; Atlantem fratrem in foveam dejiciendi & vivum obruendi; à quo Phœnices & Ægyptii in cultu extraneo fuerint instituti, qui ab eis ad Græcos à Cadmo Agenoris Filio delatus sit. Neque dici potest ipsum Mosen fuisse hunc Hermetem, cui tanta tribuuntur scelestata, quemque, ut Lactantius lib. 1. cap. 6. testatur cultum esse religiosè à Saitis: quis autem credat Mosen invivum Ægyptiis nomen religiosè cultum esse, vel à Saitis, ab Urbe

Sais

Sais in Ægypto ita dictis, & à Pheneatis in Arcadia, quod alii addunt; quæ ex Pœmandro adducuntur, ut ostendatur, si Hermes ille nõ fuerit ipse Moses, fuisse tamen illius Discipulum non conducunt, cum scriptum illud sit suppositium observante Vossio, adornatum à Semiplatonico, idemq; Semichristiano. Quinq; aliàs enumerat Cicero Mercurios lib. III. de natura Deorum, & ex illo Lactantius, nec non Arnobius; nihil autem comparet in ullo illorum, quod Moyfi conveniat; nec prisca Gentilitas sub hujus Deastri Nomine Mosis historiam involvit, sed potius sub Liberi Patris umbra, quem crediderunt in Arabia natum, quia Moses inde in Ægyptum concessit, exulem voluerunt, & maris rubri transisse profundum crediderunt, cui Nisa inclyta, quæ trajectis literis Sina. II. Desideramus liquidam consequentiam, si Solon ex Ægypto petierit suas Leges, illas selegisse sibi, quas Moses quondam protulit: tum quia Ægyptiorum statuta potuit suis attemperare usibus; tum quia post egressum populi ex Ægypto demum latæ fuerunt leges in deserto; tum quia dubium, num tempore Solonis, si ponamus notitiam legum divinarum floruisse in Ægypto, sincera inveniri potuerint ipsana. III. Desideramus illum fluxum legum, quas habuit Græcia ad Romanos: nam agnoscit ipse Zepperus præter Solonis leges etiam descripta fuisse aliarum civitatum Græciæ instituta, mores & jura; ponamus etiam in tabulas decem dimanasse ea, quæ erant Solonis hausta ex Ægypto, num non

Solonum
Mosaicarum
acceperit
Leges.

Quæ à Solone ab Ægyptiis hausta.

accesserunt his tabulis, sequenti temporū tractu plebis scita, Senatusconsulta, Prætorū Edicta, prudentum responsa, Principū constitutiones atque rescripta, ipso teste: quam exiguum itaq; erit, quod ad illa incunabula, quæ ponit Zepperus, assurgit; deniq; sub ipso Justiniano, quod Romanis placuit, quod hauserunt vel ab aliis, vel ductu ingenii ipsi constituerunt magnam subiit mutationem, quantum accessit quæso? quantum demptum? quæ itaq; pro demonstratione vendere potest Zepperus, quod non ita facilè probabilitatis terminos attingit: Ut ut autem hæc militent contra adductum Authorem nolumus tamen negare, aliquid ex Moisaicis legibus in forum Romanorum, ut ut non per illos, quas ipse ponit, tubulos dimanasse; plures, quas Corpus civile comprehendit cum divinis conspirare; pentateuchum etiam Gentilibus innotuisse, & magnam Sapientiæ partem in omni ferè genere disciplinarum deberi populo quondam præ reliquis in peculium electo nolumus impugnare illa Philonis lib. 1. de vitâ Moisis: *Incluta fama legum, quas Moses reliquit posteris totū orbem habitabilem pervagata, extremos ejus terminos attingit.* Et lib. 2. de Moisis vitâ: *Illud tamen magis etiam mireris, non solum Judæos, sed & aliarum gentium, penè omnes homines, præsertim virtutis rationem habentium, imbutos esse harum legum veneratione. His enim est honor earum eximius.* & lib. de Judice: *Quod legis caput mihi videntur, quidam ex Græcis legislatoribus desumpsisse è sacratissimis Moisis tabulis, interdixisseque,*

Epicuristis.

Philonis
Testimonia.

que, ne ex auditu feratur Testimonium. Alterum, quod ex occasione annectere volumus, est Cultura Juris civilis Romani. Multum tributum fuit & olim & nostro tempore huic studio; unde Pomponius libro tertio scribit: Juris civilis scientiam plurimos & maximos Viros fuisse professos, primum verò fuisse Tiberium Coruncanium, qui in publicum fuerit progressus. Fuit is Pontifex Maximus, ad quem de divinis & humanis rebus referri solitum, Cicero tradit lib. III. de Oratore; ex quo colligunt quidam, etiam de divinis rebus olim Jurisconsultos respondisse, & ad illos pertinuisse ritus placandorum Deorum. Nostra verò ætas, quot vidit in hoc genere illustres? ut verè scripserit Grotius initio Prolegomenon: *Jus civile sive Romanum aut illustrare Commentariis, aut contractum ob oculos ponere, aggressos esse multos.* Comparari verò possunt, quorundam judicio Jurisperiti, si vestigia aliqua ex Ebræorum Republica investigare licet, cum illis, qui in Scriptura passim dicuntur νομοδιδάσκαλοι, γραμματεῖς & νομικοί, promiscuè enim hæc voces in sacris leguntur, sic qui Matth. 22. v. 35. & Luc. 10. v. 25. vocatur νομικὸς legisperitus, ille Marc. 12. v. 28. vocatur γραμματεὺς Scriba. Verùm hîc videtur I. distinguendum inter Scribas: cùm alii fuerint Politici, alii Ecclesiastici, prioris generis iterum vel infimi, quo nomine apud Talmudicos veniunt Præceptores puerorum, qui legere & scribere docuerunt, juxta Buxtorfium in

Cultura
Juris civilis.

Comparatio
Jurisperitorum
cum illis,
qui in Re-
publica e-
bræa vo-
μικοί.

Lexico Talmudico; vel aliquantò superiores, qui actuarii & notarii, à quibus privatorum Instrumenta conscribebantur; vel denique regii summi, qui erant à secretis vel in publico munere constituti, & res gestas acta publica vel reditus conscripserunt, quales illi 2. Reg. 12. v. 10. alii erant Ecclesiastici, quales Schaphan 2. Reg. 22. v. 10. Esdras Nehem 8. v. 4. & illi, de quibus Matth. 17. v. 10. I. Distinguendum inter γραμματεῖς & νομικῆς; quòd Scribæ magis occupati fuerint in Theoria, similes Professoribus Academicis, νομικοὶ autem magis in praxi, quamvis alii aliter sentiant, & Scaliger distinguat inter νομοδιδασκαλῆς & νομικῆς, atque illos fuisse legis Interpretes, hos verò formularum Juris Scriptores, qui actiones civiles docuerint & forensia magis tractarint, statuat; Scribas verò quosdam fuisse populi actuarios publicos, quosdam legis, qui illam exposuerint. III. Distinguendum inter illos Scribas, qui passim dispersi habitabant, ubi ubi Synagogæ erant, de quibus Matth. 15. v. 1. & illos, qui Hierosolymis habitabant, quorum major erat Auctoritas & Splendor. ex quibus dispallescit, quæ analogia hîc obtineat, & cum quibus qualiscunque possit institui comparatio. Sanè Salomon Jarchi ad versiculum nonum Psalmi sexagesimi, ubi dicitur: *Juda Legislator meus*, putat notari ex tribu Juda à Davide Promotos, quibus retentâ Potestate legislatoria dederit facultatem publicè politicas leges interpretandi, & ad causas speciales per sententiam

tiam applicandi. Adjicere liceat illa Gro-
 tii ad caput Matth. 2. pag mihi 21. *Regu-*
partur nomine cum Hebraeis diversa Mu-
nia denotentur, hic officium adfessoris puto
intelligi, quo juris studiosi (ut inquit Pau-
lus Jurisconsultus) partibus suis fungun-
tur. Nam sicut Romani praefides habebant,
comites jurisperitos, quorum consiliis in jure
dicendo utebantur, ita & Hebraeis Magistrat-
tibus, itemque Sacerdotibus, ut docet Thalmud
Hierosolymitanum in Joma, & Maimonides,
titulo de die propitiationis, sui aderant adfesso-
res delecti plerumque ex Levitica tribu, qua è
publico sustentata, neque domesticis distracta
negotiis, ad literarum studia otio abundabat.
Sicut autem lex erat una, praeceptrix divini
omnis humanique juris, ita apud Hebraeos pe-
nos eodem erat juris utriusque interpretatio.
 Tertium denique Usus est hujus Juris, qui
 latissimè se diffundit, refert enim Bussi, Tur-
 cas hodierno tempore etiam uti Codice Ju-
 stinianæo & demonstrare laboravit Arthu-
 rus Duk, in eleganti libello de usu & autho-
 ritate Juris civilis Romanorum in Dominiis
 Principum Christianorum, porrigere sese il-
 lud extra Imperium Romanum quoque, in
 Principum Italiæ Domnium, regnum Nea-
 polis & Siciliae, regnum Galliarum, Hispa-
 niæ, Lusitaniæ, Hiberniæ, Scotiæ, Poloniæ,
 Hungariæ, Daniæ, Sueciæ, Bohemiæ, quod
 tamen cum aliquâ limitatione intelligendum,
 Amosio contradicente, & nullam rationem
 Juris Romani Anglos habere censente lib. 5.

Usus Juris
 civilis am-
 plissima.

de Conscientia cap. 1. Quæstione septimâ
Thesi XXI. pag. 272. quod etiam confirmat
Henricus de Bracton, scribens: *Cum ferè in
omnibus Regionibus utantur legibus & jure,
scripto, sola Anglia usa est suis finibus jure non
scripto & consuetudine.*

OBSERVATIO III.

Rectè dicitur, Bellum nos ad pa-
cem tanquam finem suum deducere.

Bellū pro-
pter pacem

Bellum pacis causa suscipi Author asserit.
Verùm, si is finis, hæc Meta, hic Scopus,
etsi nulla sit controversia, unde non possit
Bellum oriri, si animos hominum corruptos
attendas, non tamen posito hoc fine debet.
Oculum enim semper dirigendum in pacem,
manu etiam armis instructissimâ docent, qui
reprehendunt Alexandrum M. quod ipsum
infelicem egerit furor aliena devastandi, &
ad ignota milerit; quod non contentus tot
civitatum strage, quas aut vicerat Philippus,
aut emerat, & alias alio loco projecerat & to-
to Orbe arma circumtulit, nec substiterit
unquam lassâ crudelitas; *immanium ferarum
modo, quæ plus, quam exigit, fames mor-
deant*, quæ Senecæ sunt verba Epistola 94.
Romanos taxant, qui quandoque aliis opem
tulerunt, ut ipsi ex præda ditescerent, qui
disertè Bellum volunt ita suscipi, ut nihil a-
liud, nisi pax quæ sita videatur, quæ est Cice-
ronis Sententia lib. 1. Officiorum, qui per
victoriam volunt contendere ad Quie-
tem,

seneca.

Cicero.

tem, quâ ratione Augustinus voluit belligerari lib. 19. de Civitate DEI cap. 12. scribens: *Quod necum inquit, quisquis res humanas, naturamque communem, utcumque intuetur, agnoscat, sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi, qui bella volunt, nihil aliud, quam vincere volunt, ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella; ab his etiam qui virtutem bellicam student, exercere imperando & pugnando. Nam & illi, qui pacem, in quâ sunt, perturbari volunt, non pacem odierunt, sed eam pro arbitrio suo volunt commutari. Non ergo, ut sit pax, nolunt, sed ut ea sit, quam volunt.*

Augustinus.

Ad Th. II.

OBSERVATIO I.

Bellum quanquam possit dici Status, quidam tamen malunt esse actionem nobis proximum Genus est Dissidium.

Describit Author noster bellum, quod à prælio distinguit Livius, scribens: *Populum Romanum etsi nullo bello multis tamen præliis victum, cum illo tamen confundit Sallustius, dicens: in eo bello trecenti milites desiderati, quod sit status per vim cer-*

Belli Descriptio

Kecker-
manni sen-
tentia;

Ciceronis,
Obrechtii,
Althusii &
Kelleii o-
pinio.

Refutatur
Kecker-
mannus.

Althusii
examina-
tur argu-
mentum.

tantium, qua tales. Quo ipso cadit (1) sententia Keckermanni, qui defendere nititur bellum frustra definiri, nec posse generalem quandam ideam illius haberi. Argumenta autem Keckermanni ad duo redeunt, primū est, quia bellum sit ex numero Entium collectivorum, & talium, quæ congeriem in se continent variarū rerum, secundum argumentum ipsius est, quia bellum sit genus imperfectum, atque analogum, qualia totam suam essentiam & definitionem resignent speciei perfectæ. Cadit (II) sententia Ciceronis, Obrechtii, Althusii, Adami Kelleii, lib. 1. Officiorum Judici. Polit. cap. 3. qui bellum per actionem describit. Idque ideò, quia bellum includat pugnam, & in corpore Juris civilis sæpius pro pugna accipiatur, in quem sensum multi laudantur textus. Sententia autem Keckermanni facilè refutatur, quia (1) non est consequens constat aliquid ex pluribus partibus, E. non potest definiri. Nam hac ratione quoque mundus in Physicis, & civitas in Politicis ex eadem causâ non possent definiri. (2) quamvis bellum *αιαλόγως* sese habeat ad bellum hostile atque civile, nihilominus potest definiri, ita tamen, ut tribuatur notio belli primò bello hostili, secundariò autem etiam civili diffensionì. Althusium quoque cum Kelleto infirmo niti fundamento levi operâ demonstratur, quamvis enim pro illis produci possit, quod bellum dicat pugnam, quandam, nec non leges civiles pro ipsis militare videantur, nondum tamen ex hisce ra-

tiq-

tionibus necessariò illis erit accedendum. Nam (1) licet includat bellum integraliter quasi pugnam in totâ suâ latitudine acceptum & consequenter actionem, non tamen consequens est ipsum bellum formaliter dicere actionem. Sic quamvis leges civiles (2) bellum dicant esse pugnam, tamen hoc ipsum non intelligendum est adæquatè, sed inadæquatè, quia bellum pugnam habet, seu complectitur quasi partem. Hinc non solum pugna dicitur bellum, sed etiam juxta Gellium lib. 1. c. 25. dicitur, *quòd induciarum, tempore bellum maneat, licet pugna cesset.* Aliud itaque erit bellum, aliud pugna; quod etiam cognosci potest ex superioribus. Manet itaque bellum dicere Statum, non actionem ex fundamentis illis, quæ supra laudati Auctores posuerunt, cum lubrica sint, & Grotii prævaleat illis sententia, si comparatè præprimis loquamur ad prælium; quanquam malè impugnaverit Obrechtum Keckermannus, objiciendo: bellum non esse unam actionem, sed plurimarum actionum collectionem, ideoque malè describi per actionem. Nam hæc ratione consultatio de bello quoque malè definiretur per actionem, quia plures actiones in illa occurrunt. Aliud itaque est actio simplex, aliud composita, quæ sub ratione connexionis unitatem quandam induit, ut frustra sit contra Obrechtum his armis Keckermannus. Verùm dices: ita approbari Grotii descriptionem. Sed videtur & illa laborare; tum quia vocabulum Status

Bellum Status

Grotii Opinio examinatur.

convenit quidem bello, sed remotius; in definitionibus autem proximum genus assignari debet: tum, quia dicitur bellum à Grotio status per vim certantium, qua talium: ubi ipsemet videtur relabi in sententiam Ciceronis, quam prius castigavit, cum certantes quales dicant utique actionem, quia juxta ipsum Grotium certatio per vim dicit actionem: tum, quia etiam ambigua videtur esse hæc definitio, atque illustriori compensabilis.

Belli Definitio.

Melius itaque describitur bellum, quod sit *dissidium armatum duorum exercituum contrariorum*. Hic habetur (1) genus proximum, dissidium scilicet armatum, quod ad naturam generis convenit & bello & duello, atque confirmat Augustinus, bellum describens per hostilem dissensionem, ubi arma moventur, nè autem nimie laxitatis & hoc accusari possit Genus, ideoque armatum jungitur dissidio, ut excludantur lites, quæ aliàs agitari solent etiam quandoque inter populos verbis, non armis, interveniente tertio, citra sanguinem fustum componendæ. (2) Habetur differentia, dum dicitur esse duorum exercituum contrariorum: nam ita distinguitur 1. à militia, ubi unus saltem exercitus sufficit, 2. distinguitur à duello, ubi non duo exercitus congregiuntur, sed saltem duo seriam & deliberatam pugnam ineunt. Nam quando Simson contra mille Philistæos decertavit, duellum id vocari nequit, sed pugna & actus Heroicæ virtutis extraordinarius atque divinus, & denique 3. ita distinguitur à dissensionibus.

ensione, qualicumque animorum & verborum inter duos exercitus unius Regis, dum dicitur dissidium esse exercituum contrariorum: non refugimus, si addatur quoque ex fine quòd sit tale dissidium, quod suscipiatur ad propulsandam vel vindicandam injuriam, licet hoc non necessarium, nec ad Essentiam belli qua talis requiratur. Non tamen dissimulandum, hanc definitionem non esse nisi belli publici, ad quod primùm respiciendum.

(3) Stante hâc descriptione, non opus est operosè laborare de sententia illorum, qui vel opponunt definitionis latitudinem, quod sc. ita etiam pugilibus conveniat; nam & illorum esse statum per vim certantium; vel illorum qui statum tempore circumscribunt. quasi duret bellum actio autem sit transitoria. liquet etiam quid de aliis definitionibus sit sentiendum, Lipsii, qui describit bellum per vim & arma in Principem aut populum alienum, aliorum, qui indictam Contentionem esse volunt, indictio enim non ad bellum simpliciter requiritur, minimè solennis illa, quæ Romanis in usu, de quâ Cicero, quod nullum bellum à Quiritibus justum fuerit habitum, nisi quod de rebus repetitis denunciatum esset antè & indictum, cujus denunciationis sive clarigationis formulam Livius recitat lib. I. Gellius lib. 16. c. 4. interim non negamus, si communis quædam Idea præscindi possit & debeat belli tum publici, tum privati, Grotianam posse tolerari, & sub illâ generalitate admitti.

Aliæ Descriptiones notatæ.

OBSERVATIO II.

Non videtur bellum privatum, communem naturam habere cum publico, si universaliter intelligitur.

Bellum pri-
vatum.

Nam prius
publico.

Examina-
tione.

Grotius dicit, sese non excludere privatum bellum, ut, quod reipsa prius sit publico, & haud dubiè cum publico communem habeat naturam. Verùm hæc non videntur esse ex vero dicta. Nam (1) privatum bellum ipsi est duellum, ut constat ex seqq. An autem duellum prius fuerit bello, disputari potest: tum, quia Historici etiam profani bella recensent in prima Monarchiâ Assyriorum numerosissimo educto in hostem milite; tum, quia sacra Historia bellū Abrahami refert, & in tempora primi Imperii Chronologi conjiciant, primi autem duelli mentionem facit post plurima secula in Davide & Goliatho 1. Sam. 17. tum, quia ipsa ratio videtur docere, duellū esse posterius bello. Strage quippe tot hominum animadversa, sanguinis profusione in tot mortalibus observata, atrocitate dāni notatā ad compendium descendisse videntur Reges, & duellum substituisse bello. Quanquam autem hæc scrupulum injicere possunt, admittere tamen possumus bella privata esse antiquissima & priora publicis: analogū enim illis quiddam deprehenditur in Caino & Abele, inter quos oborta contentio, quam Chaldæus refert, & ad verbalem secuta

secuta fuit realis, illo opprimente fratrem, de quo Gen. 4 v. 8. quanquam hoc dissidium non possit propriè duellum appellari, si illud sit pugna singularis deliberata ab utraque parte, spontè & ex condicito suscepta, cum periculo Occisionis, vel Mutilationis aut Vulneris, ut describit illud Martinus Bonacina Tom. 1. fol. 597. num. 2. sic tempore belli Trojani, quod antiquissimum, in usu jam fuerunt duella, congregentibus Achille & Hectore, Menelao & Paride, Ænea & Turno, nec tantùm inter Græcos usitata fuerunt, sed & apud Romanos, Romulus enim ab Acro-ne provocatus, & Regem interemit & exercitum illius profligavit, congressi sunt tergemini fratres Horatii Romani, & totidem Curiatii Albani, Titus Manlius Gallum stravit immanem, & Germani non tantum teste Vellejo Paterculo duella amabant, ut hoste superiores obtinerent, quod vellent, sed & ut ambigua fata causarum hoc medio modoque dirimerent. Ambiguè verè Author dicit, privatum bellum cum publico communem habere naturam. Nam aut bellum privatum accipitur in abstracto, ut se indifferenter habet ad defensivum & offensivum, seu etiam vindicativum, aut determinatè in quantum cessantibus judiciis propulsat injuriam & in defensionem sui desinit, vel in quantum ex intervallo vindicat illatam: priori quidem modo convenit cum belli naturâ genericâ sive communi, ut etiam sit juxta ipsum Status per vim certantium qua talium, vel dissidium ali-

Privatum
bellū am-
biguè di-
cunt

quod armatum: posteriori autem modo, **ali-**
 liam atque aliam induit faciem, & ut defen-
 sivum tale bellum privatum possit accenseri
 cessantibus judiciis, non tantum bello gene-
 ricè accepto, sed & justo; ita num vindicati-
 vum hoc nomine colorari possit, meritò du-
 bitatur. Et quamvis bellum præscindat à justo
 & injusto, non tamen eandem naturam habet
 bellum publicum cum privato; quia bellum
 publicum dicit aliquid à summâ potestate pro-
 ficiscens, cui fas est bella gerere, & quamvis
 injustum sit bellum, ratione causæ, vel modi,
 nihilominus ratione essentiz, actus censen-
 dus est summæ potestatis in Rep. At bel-
 lum privatum nihil aliud est, quàm vindicta
 privata, vindicta autem privata semper cen-
 setur esse vitiosa. Quæ verò ita differunt
 illa communis naturæ rationem non subeunt.

OBSE RVATIO III.

Bellum à duello deducit Author,
 in quo tamen non omnes conspi-
 rant.

Bellum an
 à Duello.

DEScribit Author bellum ex origine no-
 minis, & vult ortum esse ex voce veteri
 duellum, ut sententiæ suæ de bello privato
 aliquem ex Etymologia conciliet colorem.
 Verum quamvis hæc sententia circa Origina-
 tionem nominis sit procul dubio à Grotio
 hausta ex Scaligero, qui lib. 3. de re Poetica

c. 90. facem prætulit illi, quam etiam probant Obertus Giphanius, Gerhardus, Johan. Vossius & alii, nondum tamen extra omnem posita est controversiam; Missâ autem illorum sententia, qui per antiphrasin bellum dictum esse existimant quasi minime bellum; illorum, qui putant deductum esse hanc vocem à Belo Phœnicio Viro militaris scientiæ peritissimo, qui primus Gladii Faber, diversus à Belo Assyriorum Rege, & illo, qui Neptuni & Libyes filius; illorum, qui bellum dictum volunt quasi bonum, quia ad bonum pacem scil. collimet: probabiles aliz adhucdum supersunt nomenclaturæ, & quidem Francisci Connani Jcti Hispani, qui putat bellum dictum esse à græcâ voce βίλη, telum, quod telis geratur, vel quæ etiam probabilissima Festi. lib. 1. qui bellum à belua dictum existimat; propterea, quod beluarum propria sit, & ab omni humanitate aliena tam perniciosa dissensio, & in mutuum exitium sævitia; cum ipsa natura contrarium videatur intendisse, producendo beluas armatas, hominem autem nudum, ut humanitati studeat. Nolumus tamen morosè oblucri Vi-
 ro in literaturâ summo, pro quo stat Varro lib. 6. Latinæ linguæ, Scaliger & Lucretius, cui duellica proles dicitur pro bellica: sic Bellona antea dicta fuit Duellona, quam quidam Martis Uxorem, quidam Sororem & Uxorem, quidam Aurigam esse scripserunt. De voce πλεμ etiam disceptatur. Mar-
 tyri non convenit cum Grotio, qui illam de-

Probabiles
Origines.

vox πλεμ
μ.

riyat

rivat à *πλεῖν* h. e. vertendo, quia multz in bello conversiones; alii opinantur hanc vocem esse compositam ex *πλὺ* & *αἷμα*, ut *πόμε* sit quasi *πόλαιμο*, quia multum sanguinis in bello fundatur, non tamen videtur Grotii esse repudianda: Ebræi notanter bellum appellant *Milchamáh* Gen. 14. vers. 2. à *Lacham*, quod est cædere, devorare, plura exhibet *Lexicon Thalmudicum* Dn. Buxtorfii, quod consule.

Ad Th. III.

OBSERVATIO I.

Justum Authori dicitur, quod injustum non est, non tamen satis commodè Exemplis illustratur.

Justum
quid?

Exemplū
Detractionis.

IN hâc thesi occurrit (1) descriptio injusti, quod juxta Authorem nostrum consistit in repugnantiâ ad societatem hominum, cui justum opponitur, quod cum societate consistit, & sub hâc significatione licito affine est, vel convenienti naturæ humanæ. (2) Author ponit exemplum, nempe detractionem commodi causa proprii factam, at detractione illa proprii commodi causa non tantum est contra naturam, sed & contra legem naturæ & divinam, charitatem, quam quisque proximo debet, & propterea mala non tantum ex repugnantia ad societatem quam turbat, vel solvit, sed etiam ex comparatione
ad

ad naturalem & divinam prohibitionem, quæ in oppositum inclinatur. (3) Homini homini insidiari nefas esse, quia natura cognationem quandam inter nos constituit, rectè quidem dicitur; verùm & hic profundior vel plenior obligatio, quàm cognationis vinculum & boni publici respectus: neque hoc Exemplum quadrare videtur ad hanc significationem, ut & superius, cum non tantùm injustum sit detrahere proprii commodi causa, & insidiari homini respectu illius disconvenientiæ ad societatem, sed & respectu illius ad regulam actuum moralium, quæ obligat ad id quod rectum est, de quâ in tertiâ significatione Juris thesi 9. nisi velimus dicere Authorem præscindere, & hinc actum detractionis & insidiarum tantùm sub formalitate illâ repugnantis ad societatem considerare vel producere.

Insidiari
quomodo
nefas.

Ad Th. III.

Q U O B S E R V A T I O II.

Ut Societas est duplex, ita admitti potest illa in Jus Rectorem & Æquatorium divisio.

Author in hac thesi jus dividit in Rectorem & Æquatorium, & ad Jus Rectorem refert illud, quod intercedit inter Patrem & liberos, Dominum & servum, Regem & subditos, DEUM & homines. Ex quo
colli-

Jus recto-
rium & æ-
quatorium

Societas
inter Deum
& homi-
nes.

colligere licet I. inter DEUM & hominem aliquam esse societatem, & consequenter Jus quoddam analogicè tale, cùm & Regis & Patris personam eminenter referat, creaverit hominem ad Imaginem suam, dignè illâ nobilitate concessâ & concreata voluerit illum tractare, restituto sese fœderarit per Evangelium, beneficiis afficere intendat, & æternum sibi unire gestiat.

Inter Regem & Subditos.

II. Inter Regem & Subditos, Patrem & Filium, Maritum & Uxorem esse aliquam amicitiam, cum hæc tria se invicem consequantur, Societas scil. Amicitia & Jus, juxta principia Aristotelis: quamvis autem obstare videatur illi tum distantia,

Dubia.

cum Princeps superemineat subditis, Pater Filio, Maritus Uxori; tum Nominis usus cum nec subditus Regem, nec filius patrem amicum suum appellet, sed submisso dicendâ genere utantur, & caput venerentur vel regium vel paternum; tum defectus communionis, nec inter Regem, & Subditum, Patrem & Filium consilia communicentur, quod aliâs inter amicos observari solet, non tamen hæc obsunt institutz collectioni, cum distinctio societatis, quæ est æqualis vel in-

Ex Authore
re discuss.
60,

æqualis, quam Author ex Aristotele observat, omne dissolvat & dissipet dubium, & salvâ distantia possit amabilitas inveniri in illo, quod distat, salvâ reverentiâ superioris amicitia esse inter ipsum & inferiorem, etsi non exprimaturo titulo illo, qui nimis generalis, ob nexum vel interiorem vel sublimiorem; salvâ denique Consiliorum reservatione

am-

amicitiâ subsistere, quæ non requirit, ut ad illud, quod familiaritatis est, Superiores progrediantur. II. Grotium in societate domestica agnovisse jus æquatorium inter maritum & uxorem, & jus rectorium tantum inter Patrem & liberos, Dominum & servos; quo vergunt quoque illa Aristotelis, qui imperium Patris in liberos Regium, in servos Dominicum, in uxorem Politicum vult, & Politicum ita explicat, quando aliquis modò paret, modò imperat, ut consequenter viri & uxoris societas, ad Optimatum Principatum proximè videatur accedere, cum pro dignitate vir imperet in iis rebus, in quibus oportet viram imperare, & permittat mulieri, quæ eidem conveniunt. Verùm datur quoque in relatione mariti ad uxorem jus rectorium; tum, quia inæqualitas est societatis & amicitie, quam societatem Aristoteles ipse vocat secundum excellentiam; inæqualitate autem societatis posita, non potest obtinere jus æquatorium juxta ipsum Grotium, sed rectorium; tum, quia apertè in Scripturis vir dicitur esse caput uxoris 1. Cor. XI. 3. Ut ergò inter Regem & subditum locum habet jus rectorium, quia Rex caput est, ita quoque inter maritum & uxorem ex eadem causa jus rectorium obtinebit; tum, quia maritus in familia imperat, mulier autem paret; inter Imperantem autem & parentem non est jus æquatorium, sed rectorium. Neque obstat, quod in quibusdam permittatur aliquid uxori, vel non ita luculenter appareat illa subor-

Quale Jus
inter Ma-
ritum &
Uxorem.

K

dinoatio

dinatio in quibusdam actibus, nam etiam Rex permittit subditis quædam, atque inter ipsum & subditos non semper illa inæqualitas apparet, e. g. in justitia commutativa & contractibus: Pari enim pretio vendit subditus frumentum Principi, quo vendit consubdito: Hinc rectè Grotius addidit jus rectorium esse ejus, qui regit, & qui regitur, *quæ tales sunt*, cum præter hanc reduplicationem & respectum etiam jus æquatorium e. g. in casu venditionis supra posito conspiciatur.

Ad Th. V.

OBSERVATIO I.

Libertas impropriè dicitur Potestas in seipsum.

Libertas
num pote-
stas in sci-
psum.
tionem.

Rationes
contraria.

STATUIT Author noster sub facultate contineri potestatem in se. Verùm hæc non ita simpliciter admitti possunt: nam (1) potestas in se concipitur aut positivè, aut negativè. Si potestas in se concipitur positivè, nullus potest dici habere potestatem in se; partim, quia potestas dicit Imperium, nemo autem dicitur habere imperium in se; partim, quia ita idem homo esset sibi met ipsi Dominus, & unà servus, Dominus in quantum haberet potestatem in se, servus in quantum potestati obtemperaret; partim, quia, si non licet homini disponere de se & suis partibus, vel etiam occidere semetipsum, non habebit potestatem

testatem in se. Dividit sanè Grotius Jus propriè sive strictè sic dictum, & comparat potestatem hanc in se cum potestate in alios, patriâ scil. & dominica tanquam specie contradistincta: ut itaque posterior dicit quoddam Imperium, ita priori etiam tale erit assignandum, quod absonum. Si verò potestas in se accipiatur negativè vel privativè, tum quidem potest concedi hominem habere potestatem in se, quatenus alterius potestati non est subiectus in ordine hominum, sed liber, & actionum exercitium statusque ratio aliundè non dependet. Verùm ita potestas in se planè impropriè dicitur, quia non tam est potestas in se talis status ratio, quàm negatio impedimenti ex aliâ aliquâ potestate superiori.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Datur quædam eminens Facultas superior jure vulgari.

Distinguit Author inter facultatem & aptitudinem, & facultatem dividit in vulgarem, quæ est inter cives sive privatos, & eminentem, quæ maximè controversa est; quapropter ut hoc expediatur, (1) expendenda erit talis facultas eminens. (2) remota erit radix, & fundamentum spurium, & tandem (3) etiam verum fundamentum erit assignandum. Quod (1) concernit, dari

Eminens
Dominium.

Radix spu-
ria.

Fundamen-
tum.

K 2

talem

Probatio
Facultatis.

talem facultatem constat partim ex eo, quia inferior facultatem habet disponendi de rebus suis, non nisi limitatè, quando sc. nullum præceptum aut prohibitio superioris obstat. Quo ipso colligitur, esse superiorem aliquam potestatem & facultatè, quæ inferiorem limitet; tum ex eo, quia subditus vi subjectionis suæ juramento quandoque confirmatæ superioris potestatis se & sua dispositioni submittit; tum denique, quia in casu necessitatis vel maximè dispallescit illa facultas eminentis, dum scil. privatorum ædificia, quæ aliàs essent nocitura, subvertuntur, & quod utilitati publicæ conducit maximè attenditur.

Fundamen
ta spuria.
Primum.

Quod (2) concernit, nempe fundamentum & rationem hujus facultatis, non potest illa esse protectio, administratio, jurisdictio: tum, quia hæc nimis sunt exilia ad hanc facultatem fundandam; nam non qui protegit aliquid, vel aliquem confestim habet facultatem eminentem in illud vel illum; hoc enim potest & Magistratus inferior, & miles in casu belli; tum, quia Princeps non solùm est administrator Reipublicæ, qui enim rem solùm administrat, ille non gaudet Majestate, cum administratio magis dicat ministerium, Majestas verò potestatem; tum, quia jurisdictio saltim concernit causas & actus judiciales, non autem sese porrigit ad bona subditorum, neque facultatem fundat eminentem in illa.

Secundum.

Nec fundamentum est Imperium: partim, quia, si vox Imperii sumatur in suâ latitudine, dicit omnia jura Majestatis, cùm tamen facultas

cultas illa eminentens in bona subditorum, dicat
 saltem particulare quoddam jus Majestatis
 cum cæteris integrans totum, actusque fun-
 det distinctos à cæteris actibus ex Majestate
 dependentibus; partim, quia Imperium dicit
 potestatem in personam, non in bona, si
 pressè accipiatur. Illi enim imperamus, qui
 audire nos potest, & nobis obsequi; partim,
 quia ita manet ambiguum, quæ sit vera ratio
 illius facultatis eminentis, si Imperium po-
 namus, cum ipse terminus Imperii sit ambi-
 guus. Denique causa, ratio & fundamen- Tertium;
 tum hujus facultatis eminentis non est ne-
 cessitas, & boni communis sive publici re-
 spectus: tum, quia necessitas non se habet
 per modum principii fundantis facultatem
 eminentem, sed saltem per modum cau-
 sæ impellentis ad exercitium illius, quæ
 movens & impellens causâ præsupponit
 jam illam facultatem; tum, quia necessitas
 non potestatem alicui confert aut jus:
 aliàs necessitas extremæ famis potestatem
 conferret homini egeno in bona alterius, ut
 Scholastici volunt, cum tamen in Scripturâ
 talis contrectatio rei alienæ invito Domino
 sit furtum, sive fiat necessitate compellente,
 sive cupiditate citra necessitatem prævalente:
 tum, quia necessitas & respectus boni publici
 ita sese habent, ut posterior quidem dicat fi-
 nem, in quem respicit ille, qui gaudet sum-
 mâ potestate, quique moderatur & dirigit eò
 exercitium facultatis eminentis: verum non
 est illa radix, vel fundamentum facultatis il-

Genuinū. lius eminentis. Quod (3) concernit, dicimus facultatem illam eminentem sive dominium eminens fundari in ipsâ majestate sive vicariatu DEI in his terris. Ut enim DEUS relinquit homini dominium in suas res, retento dominio eminenti, quod pro ratione voluntatis suæ in quamplurimis actibus ostendit, destruendo, transferendo &c. ita cū Rex sit vicarius DEI in his terris, facultatem quoque habebit disponendi de bonis subditorum sub DEO. Quod ipsum evincit, tum Imperium in personam; Qui enim habet potestatem in vitam & sanguinem subditi, ille multò magis in bona: tum Majestatis ratio, quæ dicit summam potestatem; Summa autem potestas non potest subsistere, nisi concedamus tale dominium eminens: tum Jus regium in Scriptura fundatissimum, de quo 1. Sam. IX. 20. Summæ autem potestati assignamus hoc eminentis dominium, non ut illo abutatur, sed utatur, nec tantum se agnoscat Dominum esse subditorum, sed & Patriæ Patrem, & ut Jus hoc contra illos, qui nimis hîc abjectè sentiunt de Majestate Principis propugnandum esse censemus; ita maximè de officio monendum Regem esse existimamus, ad subditorum demissionem facit illa Juris divinitus concessi repræsentatio, ad virtutum Exercitium Principe dignarum illa officii descriptio Deut. 17.

v. 18, 19.

Ad

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Non uno modo errat Grotius in Rejectione Sententiæ de Justitiâ commutativa & distributiva.

PErstringit Author in hâc thesi (1) Aristotelem, quòd justitiam commutativam nimis arcto vocabulo circumscriserit, adeoque alia substituit vocabula. (2) Disputat contra justitiam explettricem sive commutativam, quasi scilicet in illa non respiciatur proportio Arithmetica, & quidem rationibus nixus duabus: quia contractus societatis expletatur proportione comparata sive Geometrica, qui tamen ad justitiam commutativam spectet, & si unus tantum aptus inveniatur ad munus publicum, non alia quàm simplici commensuratione attributionem fieri, adeoque proportionem Arithmeticam in distributiva justitia obtinere contendit (3) Disputat circa objectum justitiæ, quod scilicet justitiæ attributricis sive distributivæ non sint res communes, explettrici sive commutativæ non sint res singulorum. Et duabus iterum rationibus agit, (1) quia, si quis de re sua legare velit, attributrice justitia uti soleat, sive distributiva, & (2) civitas, quæ de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, non nisi explettrici justitiæ officio fungatur. Verùm, quod primum concer-

Error in distinctione Justitiæ.

Examen primi.

nit, non videtur stringere Aristotelem. Vocando enim hanc speciem justitiæ, quæ distributi-
 væ contradistinguitur, *συναδικίαν*, latè accepit terminum hunc: secundò complexus
 est hoc ipso & contractus spontaneos atque
 involuntarios: & tandem tertio juxta Aristo-
 telem, ut possessor meæ rei eam mihi red-
 dat, est ex *συναδείματι*, utut non juxta
 illum sensum, quem Grotius huic voci tri-
 buit, de quo inter Authores controvertitur,
 & putat Zwingerus fortassis non ineptè, A-
 ctiones illo notari posse nomine, alii obliga-
 tiones generaliter. audiat Grotius Crellium,
 qui ita censet Ethicæ Aristotelicæ parte se-
 cunda cap. 16. scribens: *Posterior hæc justitia,*
quæ in contractibus versatur, iterum est du-
plex, prout etiam ipsi contractus in quibus cer-
xitur, sunt duplices. Alij enim sunt volunta-
rii, qui utriusque partis contrahentium volun-
tate consistunt, ut venditio, emptio, mutuum,
fideijussio, commodatum, depositum, locatio,
conductio; & hæc justitia pars proprie com-
mutativa justitia dicitur. Alii sunt invitæ,
ad quos constituendos non utriusque partis vo-
luntas concurrat, sed altera invita oritur, &
hi sunt omnis generis injuria & maleficia. At-
que in his versans justitia emendativa seu cor-
rectiva dicitur. Contractus autem hi invo-
luntarii sunt duplices: vel enim clandestini
sunt, ut furtum, adulterium, Veneficium, servi
alieni corruptio, per insidias allata nex, falsum
testimonium, vel aperti ac violenti, ut verbe-
ra, vincula, mors aperte illata, rapina, debili-
tatiq

ratio, maledictum, contumelia. Ratio hujus divisionis patet ex divisione involuntariorum. Alia enim per ignorantiam fiunt, alia vi, qua violenta dicuntur. Quare contractus iniusti, vel clandestini sunt, qui nobis ignorantibus fiunt vel aperta vi; qui violenti dicuntur. Ubi est observandum injurias cum justitia quidem universali pugnare sed correctionem earum justitiæ particularis esse. Quod secundum **Examen secundum**

concernit, itidem non solidum est, nec proportionum rationes evertit: tum, quia proportio Arithmetica & Geometrica ab Aristotele applicata justitiæ commutativæ & distributivæ non accipiuntur propriè & strictè, sed per similitudinem aliquam, ex qua utique distinctio peti potest justitiæ commutativæ atque distributivæ; tum, quia illud argumentum de contractu societatis non concludit, supponit enim Grotius in contractu societatis proportionem Geometricam utramque facere paginam, atque hoc ipsum non conceditur à Moralistis. Nam in divisione communis lucri est exæquatio rei ad rem, portionis lucri ad portionem pecuniæ collatæ. Atqui ubi non attenditur persona, sed rei ad rem datur exæquatio, ibi proportio Arithmetica dominatur, æqualitas quoad rem invenitur. Quod ipsum liquet partim ex eo, quia, si singulos ponas seorsum, deprehendes rem rei adæquari, & si ponas unum, qui dedit duos florenos Mercatori, alterum, qui unum pro panno, non propterea justitiæ Geometricæ locum habebit: num enim

nim pannus venditus est præmium aliquod? num hîc persona respicitur? annon res rei adæquatur? Inæqualitas qualiscunque non est indicium proportionis Geometricæ: si enim quis à diversis diversa & inæqualia emat, pretium non erit æquale. Actus verò emptionis & venditionis utique explettricem respiciunt justitiam, consistunt in proportione Arithmetica, sic quamvis inæqualitas lucri in contractu societatis obtineat, cum illa non in respectu ad personam veniat consideranda, sed ad pecuniam, quam quisque contulit liquet non ad proportionem Geometricam esse declinandum. Partim, quia quod proportionis Geometricæ aliquod vestigium apparet in comparatione sortis cum portionibus lucri, id accidentale est, ex conjunctione plurium, qui scil. per pecuniam collatam simul lucrum quærunt; partim, quia hæctenus Moralistæ contractum societatis agnoverunt pro actu justitiæ commutativæ, quanquam, si dicatur contractum societatis esse justitiæ distributivæ, maneat, quòd in justitia distributiva semper obtineat proportio Geometrica, & consequenter nihil lucrabitur Grotius cum vi oppositionis ita justitiæ commutativæ propria futura sit proportio Arithmetica. Secundum argumentum ipsius itidem non est solidum, tum, quia non dari potest unus saltem aptus ad munus publicum in Republica, nam non datur Optimatum Resp., in quâ unicus tantum est virtute præditus. Ubi enim Optimates, ibi plures, quemadmodum ubi

ubi divitum, vel nobilium, vel liberorum est civitas, plures istius generis dantur; tum, quia si sensus sit inter plures unum inveniri, qui cæteros antecellat, sc. vel hunc vel illum divisim, tunc munus publicum ei attribuetur, non juxta proportionem Arithmeticam, sed Geometricam, & comparatè ad hunc vel illum minus præstantem; tum, si Grotius hoc ipsum accipiat de uno aliquo, qui omnes collectivè sumtos virtute superat, nihil dicit; cùm talis non sit pars civitatis, eo ipso, quo transcendit totam collectionem, & consequenter non æstimandus est secundum justitiam distributivam, quæ ad cives respectum dicit. Tertiò, quod movet Grotius de objecto justitiæ, id itidem solidè non confirmat; non primum argumentum concludit de legato, ex justitia distributiva. Nam legare aliquid de bonis suis sive mobilibus & immobilibus, non est actus justitiæ, sed subductus eidem & actus liberalitatis, dicitque meram donationem; cùm in arbitrio sit legantis, legare quid & quantum velit, adeoque inæqualibus æqualia tribuere. Non alterum argumentum concludit: quando enim civitas de communi reddit, quod civium quidam impendunt in publicum, non illa redditio procedit ex communi quæ tali, sed de communi ut naturam imitatur illorum bonorum, quæ singulorum sunt; non enim tunc sese habet civitas per modum principii præmiantis, sed per modum partis contrahentis; ut itaque in contractibus observari solet justitia commu-

Examen
tertiæ.

tativa, si privatus cum privato contrahat; ita quoque in tali casu civitatis cum aliquibus. quod exemplo illustrari potest supra adducto privati ad Principem, quantum ad contractum. Quæ de Cyro annectit, stabiliunt nostram sententiam & differentiam proportionis Arithmeticæ & Geometricæ in justitia commutativa & distributiva ostendunt. Ita enim Xenophon historiam refert libr. I. *Causa erat hujusmodi: puer magnus cui parva erat tunica, puerum alterum, qui tunicam magnam habebat, exuerat, suâque illum tunicâ induerat, illius tunicâ à se indutâ. Ego igitur horum causâ auditâ judicavi esse melius ambobus, ut aptam uterque haberet tunicam: Quapropter Magister me percutiebat, dicens: Ubi de eo iudex fueris constitutus, quid cuius aptum sit, ita judica; at ubi judicandum est, utrius sit tunica, id considerandum, quam sit justa possessio, & an eum habere oporteat, qui vi abstulit, an eum, qui ipse fecit aut emit.* Docet enim historia I. contractus etiam involuntarios spectare ad justitiam commutativam, in quâ non dignitas personæ, sed rerum æqualitas attenditur. II. Cyrum peccasse, quòd proportionem Geometricam voluerit adaptare negotio justitiæ commutativæ. III. Obtinere distinctionem illam inter proportionem Arithmeticam & Geometricam.

Ad

Ad Th. IX.

OBSERVATIO I.

Rectè Author Jus in quantum notat legem describit per regulam actuum moralium obligantem ad id, quod rectum est.

Dicitur I. Lex regula, quod tum ex for- Lex Regu-
la.
mali ratione regulæ, tum ex proprietatibus, tum ex consensu Doctorum alibi demonstravimus. neque obstat, quod vox hæc videatur esse figurata: ponamus enim primum notasse normam quâ lineæ diriguntur, quasi mensuram regens juxta Columellam lib. 3. cap. 13. vel instrumentum, quo fabri utuntur ad latitudines expendendas, & à quo lineamenta artis petunt, velut à lege quadam. Usus tamen obtinuit, ut laxius accipiatur, transumpta est vox mensura & norma in Metaphysicæ ordines, quæ regulæ aliàs æquipollent, & antea humi serpsit inter fabrorum operas, discurret Logicus, cum discurrere primâ sui significatione motum notet corporum. qui volunt melius exprimi per enunciationem universalem, mihi videntur nõ satis attendisse ad legis essentiam & universalitatem. Nam, si ponamus enunciationem in ratione actus vel requisiti esse necessariam ad legem, non tamen consequens est legem formaliter esse enunciationem aliquam; præterea cum legis publicatio possit fieri, vel voce vel scripto etiam
hâc

hâc in parte videtur inadæquatè lex esse re-
 præsentata, & tandem cum legis generatim
 expressæ ratio convenire debeat omnibus
 subjectis, non patet, quomodo lex naturæ,
 quæ propriè lex, possit dici enunciatio quæ-
 dam universalis, cùm tamen dicenda talis fo-
 ret stante illâ definitione generali. Dicitur

Actus mo-
 rales quid?

II. regula actuum moralium, actus autem,
 qui ab homine procedunt in duplici sunt dif-
 ferentiâ, quidam dicuntur hominis, qui ei-
 dem conveniunt, ut sensitivo & vegetativo
 principio, qualis sunt visio, auditio, nutritio,
 generatio &c. quidam verò humani, qui ab
 homine pendent, ut homine & laudis atque
 vituperii sint capaces, qui propriè moralitatè
 subternuntur, de quâ disceptatur inter Do-
 ctiores, in quo formaliter consistat; aliis pro
 perfecto voluntario, aliis pro libero dispu-
 tantibus, quod quidem aliqua ex parte ad-
 mitti potest: interim tamen proximè natu-
 ram moralitatis attingere & exprimere existi-
 mamus respectum vel ordinem ad regulam.

Obligandi
 vis.

Dicitur III. Obligans regula, vis enim obli-
 gandi legem ab aliis actibus consilii scil. &
 permissionis discriminat. Quamvis autem vi-
 deatur hæc non tam legi convenire, quam
 Legislatori summâ potestate instructo, at-
 tamen ipsa quoque obligat, ut enim dicitur ju-
 dicare, Johan. 7. vers. 5, quia secundum &
 per illam Judex hoc facit, ita & obligat, quia
 suprema potestas vim suam exerit per eam,
 & ad eam subditum constringit; quamvis
 etiam leges dentur permittentes, tamen in
 tantum

tantum illæ sunt leges, in quantum aliquid participant de vi obligativâ. Hinc Conimbricensis Academix primarius de lege permissivâ. uno verbo respondeo, inquit cum Castro libr. 1. de lege pœnali cap. 1. in fine, leges permittentes in tantum esse leges, in quantum latenter habent admissa præcepta, sine quibus non posset intelligi permissio, ut specialiter decreta per legem; quamvis denique etiam consilium inter leges referatur, & si Effectus legis est, ut subditos inducat ad bonum, magis ad legem videatur pertinere, consulere quam præcipere, quia consilium est de meliori bono quam præceptum, ex sequentibus tamen dispallescet contrarium, & respondet ipse Thomas 1. sec. Artic. 2. Quæst. 92. consulere non esse actum proprium legis, sed posse pertinere etiam ad personam privatam, cujus non sit condere legem. Cætera ipse Author exponit, & ut ex ipsâ definitione & dilucidatione constat, non loquitur de lege in quantum à justa & injusta, recta vel obliqua abstrahit, sed prout ad virtutes impellit & obligat.

Reliqua
exponit
Author.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO II.

Doctrina de consiliis dextrè est explicanda.

Jam progreditur ad jus naturæ, & hic occurrunt quædam notata digna. Excludit

dit (1) consilia à jure & lege (2) excludit permissionem. Dicit enim permissio autem propriè non est actio legis obligans. Progreditur porrò ad objectum, & rectum distinguit à justo, quia illud latius patet. Dicit verò justum interdum tam latè accipi, ut æquipollet recto: Jus dividi, & vel naturale vel positivum aliquid notare. de primo primum.

Cōsilia Po-
litica ad-
mittuntur.

In hâc thesi Author (1) distinguit per obligationem legis rationem à consilii natura. Quæ sententia partim verò est consona, partim falsa. Prius, si intelligas, consilia in Politicis, nam illa utique à lege sunt distincta: tum, quia obligationem non inducunt, rectè observante Grotio; tum, quia præcepto contradistinguntur, quod autem præcepto contradistinguitur ex negatione obligationis tanquam obligatorio, id ex eadem causa legi contradistinguitur; tum, quia consilium à privato quandoq; proficiscitur, & consequenter non dicit imperium, non potestatem superioris, quæ in lege requiritur. Falsa autem est sententia, si intelligas de consiliis quibusdam divinis, quasi quædam à DEO consulantur, quædam autem ab eodem præcipiantur, quo respiciunt in prolegomenis illa verba, eum dicit: *Non omisi notare, si quæ sunt, quæ nobis commendantur magis, quàm præcipiuntur, ut à præceptis declinare sciamus nefas & pœna obnoxium, ad summa queque contendere generosi esse consilii, &*
sua

Divina di-
sputantur.

sua non carituri mercede, Nam (1) quod DEUS consultit, præcipit. (2) Non opus est consiliis ad majorem perfectionem contendentibus; nam si quis legi satisfaciat, illâ exactè impleat, cessabit omnis ratio consilii: quia quicquid honestum, arduum & laudabile in Circo Virtutū, imò tota perfectio hominis lege morali comprehensa esse intelligitur. (3) Apertè Papisticum hoc est. Pontificii enim opinantur præter legem Mosis dari consilia Evangelica, Christumque illis auctariis perfecisse legem moralem imperfectam. Hoc quidem largiuntur Theologi, si Consilia dicerentur Opera non mala, indifferentia & quæ arbitrio permittantur cujusque, posse admitti consilia, quale fuit illud Pauli, qui suasit Timotheo, ut vino modico uteretur: Verùm talia ita sunt comparata, ut observata non præmium in cælis, vel neglecta pœnam post se trahant, ut volunt Scriptores Pontificii: atque ita dici potest cum Hieronymo lib. 2. contra Jovinianum: *Ubi consilium datur offerentis est arbitrium, ubi præceptum necessitatis est servituti.* Quamvis etiam in Vulgata 1. Cor. 7. vers. 25. legatur vox *Consilium*, quod Grotius in Commentario probat, scribens: *πρόμνη est consilium* 2. Cor. 7. v. 10. *utitur sic Thucydides & alij, & ita hic accepit Syrus*; non tamen necessarium est voce *πρόμνη* intelligi consilium, cum commodè vertatur *Sententia*, atque hoc in sensu usurpatur Act. 20. v. 3. 1. Cor. 1. v. 10. ad Philem. v. 14. differant *πρόμνη* & *βουλή*, utut Apostolus non aliud consuluerit;

Refutatur
figmentum
Consilio-
rum.

In quan-
tum Con-
silia obli-
scent.

L

quàm

Vberius
tractatur
Locus 1.
Cor. 7.

quàm quod sensit, nec locus parallelus ex 2. Cor. 8. v. 10. pro ipso faciat, cum non tam arbitrarium quid, quàm necessarium respiciat; nec deniq; consilium fuerit, quod hic 1. Cor. 7. suggestit tam dehonesto, quam commodo. Infirmum etiam quod ad verbum vigesimum sextum subjicit: *Quod autem de suis temporibus dicit Paulus, id omnibus temporibus post Christum convenit. Nam secundum Christum vivere volentibus nunquam decurrunt vexationes, modo minores tamen, modo majores: sed etiam subito maxime ingruere possunt. Et quanto est satius nunquam caput quam multa objicere talibus malis?*

Μία γὰρ ψυχὴ, ἢς ὑπὲρ αἰγῶν
Μέτρον ἔχθῃ,

sic Euripides, Philippides verò:

Τὸ πλάτωνος ἀγαθὸν ἐστὶ τῷ Φίδυλῳ
Μὴ λαμβάνειν γυναῖκα, μηδὲ τῇ τύχῃ
Διὰ πλείονων αὐτὸν περιβάλλειν πραγμάτων.

Supponit enim omnibus temporibus post Christum convenire, quod de suis dixit Apostolus: atqui de presenti necessitate locutus est Paulus, *ἔνεος* verò juxta ipsum Grotium opponitur μέτρον: si itaque limitavit ipse Paulus illud καλὸν ad presentem necessitatem, quí referendum erit etiam ad futurum statum, oppositum presenti? Supponit illam ἀνάγκην, eam, necessitatem, quæ pressit primitivam Ecclesiam, etiam obtinere in illâ, quæ primam fuit secuta: at quantæ quæso persecutiones fremuerunt circa initia, sævientē Cyphonismo, Scaphismo, Tympanismo, raptatis

tis Christianis ad cruces, laniatus canum & flammis, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis uterentur? Num non intepuit hic furor, non descevit hæc procella caput efferente Sponsa Christi sub Capitibus Christianis. Supponit, quia nunquam desint vexationes majores vel minores Christianis, & subito maximæ ingruere possint, hoc confisium & nunc obtinere; num itaque, si sequantur illud Christiani omnes & singuli, cum nulli desit piæ menti semper, cum quo certet, desolatio & vastitas non prævalebit? & quidè non tantum tempore turbulento, sed etiam mediis in Halcyoniis Ecclesiæ & optato tempore pacis? Non tantum autem Græcius securè supponit non supponenda, sed & seipsum conficit. nam in Commentario ad Apocalypseus caput vigesimū primū & secundū negat statū æternæ beatitudinis ibi delineatum, & exponit ὄραμα illud illustre de statu felicitatis gratiosæ post tempora persecutionis; quomodo itaque obtinere debuit, post fluctus compositos, serenitate redonatâ, tranquillitate divinitus indultâ, quod ex instanti necessitate Paulus censuit esse commodum. Commentarius ejus ita habet in versiculum primum laudati capitis: *Est aliud visum, sed quod occasionem sumsit ex viso priore. Quo magis credatis summam illam felicitatem Seculi futurari, aliquam ejus imaginem Deus nobis dedit in florentissimo Ecclesiæ statu, qui fuit à temporibus Constantini ad tempora usque Justiniani, Fuit quidem Christianorum tribus pri-*

mis saculis magna pietas, sanctitas, constantia. Sed multorum virtutes tegebantur iis ipsis latebris, quibus ipsa Ecclesia tegebatur. Postquam vero secundum vetera vaticinia accessit Ecclesia tutela Principum, illustres admodum & conspicua fuerunt Christianorum virtutes: Ad pietatem accessit eruditio & eloquentia multorum Episcoporum. Constituta est certior regiminis & consonantium rituum forma decretis conciliorum universalium. Denique, tanta facta est mutatio ut ea prophetico more cæli novi & terra nova nomine rectè nuncupari posset: Nam & Esaias eadem verba usurpauerat ad describendum statum illum felicem populi iudaici post debellatas Antiochi copias. LXV. 17. quod clarius patet collato loco eiusdem Prophetae LXVI. 22. Cælum ipsum favit humano generi ob Ecclesiam florentem: sicut de Theodosio Magno dictum est:

*O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
 Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Terra non ultra impurata fuit innocentium & piorum sanguine. Sæpè Scriptura res principales & regum principalium præfagia paribus insiguit nominibus. Cælum illud, quod pestilentiam famemque immiserat supra XVI. 2. 8. terra non ultra bibit innocentium, ut dixi, sanguinem. In Manuscripto ἀπὸ τοῦ θεοῦ, ut infra. 7. Καὶ ἡ Ἰουδαία ὅτε ἔσται ἐπ. Ingens illa Idololatrarum multitudo non mansit. Mansere tantùm flumina & fontes: Et hæc quoque paulatim exaritura. Vide supra VIII. 10. XIV.

10. XIV. 7. XVI. 4. in Manuscripto: Καὶ αὐτὸς ἰσχυροτέρως οὐκ εἶδον ἐπ. Et paulò post ad versiculum quartum: Felicitas illa faciliè abolebit veterum malorum memoriam. In Manuscripto ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν, quomodo & supra, Pestilentia & morbi ob idololatriam publicam immixti cessabunt. Vide supra VI. 8. & XVI. 2. Par locutio apud Esaiam XXV. 8. de temporibus EZECHIE, unde & illa verba petita qua proxime præcessere. Magna fuit & virtutum & rerum similitudo inter Ezechiam & Theodosium Magnum. Nullus lætus Christianorum ob fratres eorum per iudicium sevitiam interfectos: qualia fuerat super Stephano Actor. VII. 2. Nulla seditio populè contra Christianos. Hoc sensu νεγυγὰ ζεν habes Johan. XVIII. 40. XIX. 6. Non ultra clamabunt: Christianos ad leonem: & ; uque, quo genus tertia? Applicatio loci Esaiæ LXV. 23. non amplius agentur Christiani in carcere, in metalla, in latomias. Πόνον pro molestia aut dolore habuimus, & supra XVI. 19. & 11. sic & Esaiæ LXVI. 7. & alibi. in Manuscripto deest ὄπ.

Sed hæc prius fuerit: nunc recondita

Sedet quiet

Transiere illa tempora draconis feram inspi-
rantis.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO III.

Permissio rectè actioni legis contradistinguitur.

De Permissio-
sione.

Argumen-
ta.

Rationes
pro Grotio

Author permissionem contradistinguit legi, sed nimis concisè agit: quapropter explicatiùs procedendum erit. Videtur autem permissionem non contradistingui legi: partim, quia juxta Modestinum in lib. 7. de legibus, legis virtus hæc est, primò imperare, secundò vetare, tertio permittere, quartò punire. Ut ergò præcipere, quod dicit obligationem, ad legem refertur à Modestino, ita quoque permittere eo spectabit cum cæteris actibus; partim, quia ratio etiam hoc docet: nam actus humani aut boni sunt, aut mali, aut indifferentes. Tres itaque actus legis & effectus illis debent respondere, quorum primus est, præcipere bonos, alter vetare malos, tertius permittere indifferentes, quibus additur quartus puniendi, tanquam necessarius ad efficaciam legis; partim quia conspirant in hoc Moralistæ, quod quatuor sint effectus legis, supra recensiti. Utut autem hæc objiciantur, in contrarium tamen & pro Grotio sequentia militabunt. (1) si essentialis ratio legis consistit in Imperio, ex Imperio autem non nisi obligatio, consequens erit, solâ obligatione tanquam effectu absolvi rationem legis. (2) quia entia hîc multiplicantur citra necessitatem,

tem, præcipere enim & prohibere formaliter idem sunt, & materialiter ex objecto saltem distinguuntur; adeoque superflua est distinctio, inter effectum præcipiendi & prohibendi, cum prohibitio etiam dicat Imperium & præceptum. Prohibere enim nil aliud est, quam præcipere, ut aliquid non fiat; prout è contrario præceptum est quædam prohibitio; nam, qui præcipit actum aliquem honestum, e. g. liberalitatis, fortitudinis, temperantiæ, is eo ipso prohibet, ne omittat illum actum. Hinc etiam Isidorus lib. 2. Etymologiæ articulo 10. lib. 5. c. 19. solam prohibitionem ponit effectum legis, idque idè, quia præceptum per se non dat bonitatem actui, sed necessitatem, quæ necessitas benè explicatur per negationem omittendi, quam dicit prohibitio respectu talis materiæ. (3) Quia permissio & puni-
tio accuratè loquendo non possunt dici effectus legis, non prius, nempe permissio, quia illa ut sic non est effectus Imperii, sed potius fit per carentiam Imperii; non posterius, quia puni-
tio non est effectus legis, sed poterit esse, & est effectus judicis, & sive legislatoris. Cæterum, si distinctè hæc ad mentem Granatensis expendantur, facile lux affulgebit, ut in quantum Grotius sit sit assurgendum constet. Nam (1) primum argumentum pro obligationis unitate dupliciter accipi potest: aut ita, ut obligatio sit effectus adæquatus legis, aut ut sit effectus unicus. Prius admitti potest, posterius autem

*Resolutio
argumen-
torum cõ-
trariorum.*

non est ex priori consequens. Nam adæquatum esse effectum patet ex eo, quia quicquid lex operatur, mediante obligatione operatur, ut probat argumentum, at non operatur saltem unicum quid; quapropter, quia mediante obligatione lex etiam alios effectus operatur, obligatio non unicus erit effectus, sed præter illam recensiti. Secundum argumentum itidem dextrè erit accipiendum. Nam, quamvis primò præcipere & prohibere videantur coincidere, tamen diverso modo inducitur obligatio per præceptum, & diverso modo per prohibitionem; partim, quia præceptum utpote affirmativum obligat semper, non tamen pro semper, prohibitio autem obligat & semper & pro semper; partim, quia alia sunt peccata commissionis, alia omissionis. Et omissionis sunt contra legem affirmativam, commissionis autem contra legem negativam; partim, quia ipsa Scriptura tanquam diversa hæc duo ponit, dicendo in Ps. 35. *declina à malo, & fac bonum*. Hinc respondetur secundò præcipere aliquando accipi latè prout ad affirmativum & negativum sese extendit, aliquando strictè, in quantum prohibitioni contradistinguitur. Priori modo conceditur etiam prohibitionem comprehendi sub præcepto, posteriori autem modo negatur. Tertium argumentum plus habet in recessu, ideoque ad illud respondemus primò distinguendo inter permissionem facti & juris. Prior non est effectus legis, posterior tamen ad legem spectat, eo ipso, quo per-

missio

missio juris dicitur, lex enim ad jus pertinet, sive jus constituit; Explicari hoc potest exemplo ab ipso DEO Rectore Orbis desumpto: permittit enim ille quamplurima peccata non impediendo, permissione scil. facti. Si verò attendamus ad jus vel permissionem juris, DEUS nullum peccatum permittit, quia nullum non prohibet, nec ullum impunitum relinquit. Igitur permissio facti non includit negationem prohibitionis, quo sensu rectè Grotius dicit non esse actionem legis, vel actionis negationem sive negationem impedimenti, permissio autem juris includit negationem prohibitionis & præcepti. Secundò permissio juris potest dupliciter iterum considerari: vel ut consistit in mera negatione præcepti & prohibitionis, vel quatenus in positivo aliquo præcepto fundatur, quia nimirum per legem aliquam positivam talis permissio decreta est & stabilita. Prior non est proprius effectus legis; posterior verò, utpote, quæ per peculiarem aliquam legem positivam decreta est, utique specialis est effectus legis. Exemplo hoc iterum illustramus. Dixit Isidorus: lex permittit, ut vir fortis petat præmium, hæc permissio non dicit nudam negationem, sed aliquid positivum, & concepta est de actu aliquo bono, adeoque illa lex obligat, non quidem petentem præmium, sed Regem vel aliùm Superiorem ad dandum præmiũ viro forti petenti, quando secundũ legem petit, & nihil est, quod probabiliter impediat. Quamvis ob-

ligatio in Principe non tam venire videtur ex lege permittente Viro forti, ut petat præmium, sed ante petitionem ad id teneatur ex capite virtutis, cum remunerare debeat etiam eos, qui non petunt præmia, meritorum gloria publicè affulgente, & proin Isidorus non tam legem rigorosè talem in tali casu intelligat, quàm laxè sic dictam. Quod de punitione annectitur, quasi sc. non esset effectus legis, sed iudicis, respondetur illud ipsum etiam non esse absolutè concedendum, partim, quia lex quoque taxat modum & quantitatem pœnæ, si scil. sit positiva, prout lex naturæ ostendit actum malum, & pœnam in genere assignat; partim, quia in censuris pœnæ inflictio fit immediatè ab ipsâ lege, dum lex imponit censuras, irregularitates, aliasque inhabilitates de facto, partim, quia lex dicitur punire dupliciter, aut immediatè aut mediatè, posito itaque quòd non immediatè puniat, adeoque effectus legis non sit punitio immediatus; mediatè tamen potest dici punire, & effectus legis mediatus ipsa punitio, quia in virtute alicujus legis aliquis movetur vel obligatur ad infligendam pœnam. Hinc licet Judex sit propinqua causa pœnæ vel potius minister, qui ex Imperio ejus movetur, nihilominus quia lex est quasi primum movens Judicem, ideoque talis pœnæ effectus legis dicitur. Consulatur hîc Tantherus Tomo II. Disputatione quintâ de legibus Quæst. 10. primâ, dubio tertio, Assertionem 1. & sequentibus; imprimis verò Clariss. Dn.

Bæcle-

Bœclerus, qui distinctè & accuratè hanc materiam expendit pag. 143. & seq.

Ad eand. Th.

OBSERVATIO.

Jus pro lege acceptum non malè distinguitur in naturale & voluntarium.

Distinguit Author inter jus naturale & voluntarium. Et dicit primò hanc partitionem extare apud Aristotelem respiciens procul dubio librum quintû Nicomachicorû ejusq; caput septimum. Discernit autem Philosophus ibi ita, ut jus naturale sit id, quod ubiq; eandem vim habet, non quia ita videtur, vel non videtur: adeoque ad illud duò requirit, ut ubique eandem vim habeat, sive juxta Michaelem Ephesium apud plærosque, & quod non pendeat ab opinione hominû, sed ipsa natura. Jus verò legitimû illud sit, quod ab initio utrura hoc vel illo modo fieret, nihil referebat; ubi verò constitutum, refert. & ita iterum duo requirit, vel instar notarum ponit: primò quod hoc jus variet; secundo, quod à placito hominum dependeat, quibus consona sunt, quæ habet Philosophus 1. Rhet. cap. 13. ubi legem aliam dicit communem, aliam propriam, illam naturalem, hanc verò, quam quisq; sibi populus statuit, sive non scriptam, sive scripto comprehen-

Juris Distributio.

Aristoteles laudatus.

Hebræorum
Divisio.

sam. Secundò dicit hoc discrimen apud Hebræos quoque reperiri, qui jus naturale vocent Mizvot, jus constitutum autem Chükim. Verùm primò, si Scripturam consulamus non illa subsistit in hâc divisione, sed ulterius progreditur, & profundius discernit, scil. ut legem notet vel voce Tzot Hamizvah, vel nomine Chachükim, deniq; Vehammischpatim, Deut. 6. v. 1. Quorum primum est præceptum, alterum statuta, tertium judicia. Ubi præceptum legem moralem, statuta & judicia legem ceremoniam & judicalem notant, Deut. VI. 1. Hinc Nicolaus Lyra in hæc verba: *In hujusmodi præceptis aliqua sunt circa mores, & dicuntur præcepta; aliqua circa modum colendi Deum & dicuntur ceremonia, aliqua circa justum hominis victum & dicuntur judicia: Septuaginta interpretes habent hæc tria vocabula: ἐπιταγὰς δίκαια καὶ κείμενα.* Præterea falsum est, quod Chükim semper notent jus aliquod constitutum; cùm etiam in Scripturis hæc vox usurpetur de lege morali, atque æterna & immutabili, prout hoc ipsum constat ex Deut. VI. 2. loco scil. allegato; tandem per Mizvot propriè non tam jus naturæ apud Hebræos intelligitur, quàm lex moralis, cujus differentiam à lege naturali supra indicavimus. Accedit, quod Leonardus Marius poni velit hæc vocabula distincta pro eodem; Oleaster pro iis, quæ ut plurimum ore traduntur, quæ scribuntur, aut arstant; quibus denique inter homines con-

tro-

troverſiæ dirimuntur: non tamen illis ſubſcribimus, ſed hoc notamus, ipſum Grotium ad illud Lucæ I. v. 6. obſervaffe diſcrimen horum vocabulorum non eſſe perpetuum; Unde poſt Expoſitionem illarum addit: *Scio non obſervari perpetuo hoc diſcrimen. nam & ἐπιταὶς vocari præcepta morum & δικαιοσύνην quædam, quæ ad ritus pertinent. Sed ea, quæ dixi maxime propria & recepta eſt vo- cum ſignificatio. Interdum & νόμος id eſt, αἱ ἐπιταὶς diſtinguantur in eam partem quæ generis nomine contenta juriſ rituale ſignificat, & νόμος quæ vox tum proprie notat jus illud civile, quo mutua civium ſocietas continetur: Quæ pars juris cum non ad iudices tantum, ſed ad cives omnino omnes pertineat, hic ampliori ſignificatu τῶν ἐπιταῶν comprehenſa cenſeri debet.*

Ad Th. IX.

OBSERVATIO ULTIMA.

Grotius tres ſignificationes vocabulo Juris aſſignando, præcipuas reſpexit, cæteras non excluſit.

Ambigua vox eſt, quam Grotius in theſi tertiâ quartâ & nonâ voluit diſtinguere. Quidam plures, quidam pauciores ſignificationes illius recensent, & forſan intricat hæc latitudo plures; principales tamen notavit Grotius, ad quæ alias poſſe referri arbitramur. Antonius de Eſcobar in Theologia

Præcipuas ſignificationes reſpexit.

logia morali non multum videtur recedere à Grotio. Examine enim primo libri tertii cap. I. quæst. 2. *Jus, inquit, accipitur tribus modis, I. pro justo & æquo, secundo pro lege, tertio pro facultate ad aliquid, quo pacto quis dicitur uti jure suo.* Si enim restituas ordinem, quem Grotius secutus fuit planè conveniunt Escobariana. Sunt quidem alia etiam significata; ut quando Jurisprudencia notatur & definitur: quod sit ars boni & æqui; cum necessitatem exprimit, vel etiam locum notat, in quo jus dicitur. Minus tamen principalia illa sunt. Quanquam quod postremam concernit significationem Dominus à Soto & Molina illam rejiciant. quod si de proprietate vocis intelligatur admitti potest; sin verò de Usu etiam in sensu figurato Authoribus familiari habebunt reclamantem ipsum Thomam & ex veteribus Terentium & Gellium lib. I.

Dominicus
à Soto no-
tatur.

Ad Th. X.

OBSERVATIO I.

Minus commodè Author Jus naturæ descripsit.

Postquam Author distinxit jus in naturale & voluntarium, quæ quidem distinctio satis bona, utpote, quæ totam latitudinem juris explicat, in aliis tamen laborat, ut notavimus, jam progreditur ad jus naturæ,

tan-

tanquam principale. Hic Author (1) definit jus naturale, (2) dicit ea, quæ juris naturalis sunt, non tantum distare ab illis, quæ sunt juris humani, sed etiam ab illis, quæ divini. Ita ut quæ juris naturalis sunt, sunt licita in se, & antecedenter ad voluntatem divinam, etiam si Deus non voluisset, non præcipisset illa, ipsa essent honesta; ut colere DEUM, justitiam exercere. Illa verò, quæ sunt juris voluntarii, vel Domini, dicit non esse in se bona vel mala antecedenter ad voluntatem divinam, ut quando DEUS prohibuit esum de arbore, item ut Sacerdotes lavent manus &c. ea non in se bona sunt, vel mala, sed tum demum, quando & quia DEUS jussit, præcepit & voluit. Sed nunc ad definitionem.

Definit Author jus naturale per dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa naturali, rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem &c. In quâ definitione quàm plurima sunt obelo digna. Nam (1) genus hujus definitionis non rectè se habet, quia primò dictatum est terminus ambiguus atque obscurus, qui ipse indiget explicatione, cum ea, quæ in definitione ponuntur, debeant esse dilucidiora definito, & definitio sit dilucida essentia repræsentatio. quia secundò non solum ambiguus est hic terminus, sed & inconveniens, compositus in ratione generis cum jure naturæ, tanquam definito.

Juris naturalis definitio Groviana.

Perstringitur.

cit

cit actum aliquem, & quidem transeuntem; quod constare potest ex Scholasticis, Thom. 1. 2. q. 94. art. 1. Dominico à Soto lib. de justit. & jure 1. quæst. 4. art. 1. Gregorio de Valentia tom. 2. disput. 7. quæst. 4. puncto. At lex naturæ non dicit aliquem actum, aliquod ens transitorium, sed ens permanens, fixum; & perpetuò menti humanæ connectum. Hinc ut nunquam conscientia hominis expungitur, utut actibus quibusdam quandoque prematur, ita quoque jus naturæ, ad cujus comparisonem Conscientia bonum & malum refert atque examinat perpetuò inest. Quia tertio dictatum videtur esse aliquid posterius ipso jurè naturæ. Nam omne dictatum præsupponit in ratione principii & causæ aliquid dictans; Si itaque jus naturæ id est, quod dicit bonum esse amplectendum, malum esse fugiendum, honestè vivendum, suum cuique tribuendum, potius habebit rationem dictantis, quàm dictati, & illud, quod pendet ex jure naturæ, actus qui conformiter exercetur eidem dictatum erit, non autem ipsum jus naturæ. (II.) Non dextrè etiam dicitur jus naturæ dictatum rectæ rationis, quomodo enim dicitur dictatum rectæ rationis nisi eo modo; ut recta ratio sit principium dictans, jus naturæ autem ipsum dictatum. Atqui antecedenter ad jus naturæ non datur recta ratio, sed ratio recta est per ipsum jus naturæ, imò jus naturæ est nihil aliud quàm rectitudo rationis; potius itaque ita sese res habet, ut

con-

concipiamus primò in homine mentem sive rationem, tanquam facultatem quandam animæ naturalem, secundò rectitudinem illam & principia honesti adhucdum reliquæ & cum ratione connexa, quorum subjectum est ratio & mens hominis, & tertio actus procedentes ex ratione rectâ, sive jure naturæ instructâ, qui consequenter moralitatem quandam induunt: non itaque recta ratio antevolat jus naturæ, sed ratio ut sic, quia omne subjectum præsternitur suæ perfectioni, & deinde in illa ipsa rectitudine jus naturæ consistit, ad quam actus recti & honesti consequuntur. Si enim esset recta ratio ante jus naturæ, esset aliqua rectitudo ante rectitudinem, & ipsum jus naturæ præsupponeret aliam perfectionem quandam moralem, quæ ipsum jus naturæ fundaret. (III) Etiam in verbis differentiam exprimentibus non dextrè procedit, quia constituit convenientiæ & disconvenientiæ regulam ipsam naturam rationalem, à qua dictatum illud. Verùm hoc ex quorundam Sententiâ admitti nequit, partim, quia divina voluntas patefacta à Deo, atque illuminans naturam rationalem, informans & ostendens, quid sit honestum & justum, pro natura rationali est substituenda; partim, quia sicut ratio formalis, per quam aliqua enunciatio est vera aut falsa, non est convenientia aut disconvenientia tantùm cum intellectu seu conceptu loquentis, sed cum re enunciata; ita ratio formalis, per quam actus est formaliter bonus aut

M

malus

malus, non est convenientia cum ipsâ natura, quæ dictat actum esse bonum aut malum, sed cum idea boni divinitus præscripta; partim, quia aliud est lex naturæ, aliud notitia agnoscens & approbans legem DEI bonam, quæ duo confunduntur hîc, quando regula convenientiæ & disconvenientiæ statuitur natura rationalis, agnoscens illam convenientiam & disconvenientiam cum alia quadam regula. Sunt tamen, qui naturam rationalem fundamentum honestatis objectivæ statuunt, de quo alibi.

Ad Th. X.

OBSERVATIO II.

Jus naturæ laxè sumptum vel absolute, vel hypotheticè consideratur.

Distinctio
Authoris.

Consimilis
probat.

Exemplis
illustratur.

Distinguit Author etiam in hâc thesi, & dicit jus naturale non de iis tantum agere, quæ citra voluntatem humanam existant, sed de multis etiam quæ voluntatis humanæ actum consequuntur, atque illustrat hoc ipsum exemplo Dominii. Verum commodius & planius (1) hîc distinguitur inter jus naturale absolutum & hypotheticum. Præcepta legis naturæ absoluta obligant absolute; hypothetica autem non obligant nisi positis ponendis. Sic e. g. legis naturæ est, ut nuditatem nostram tegamus, nec tamen hæc lex obligavit Adamum aut Evam in statu integritatis, cum nuditas nondum esset probrosa. Lex naturæ est, ut parentes liberis prospiciant, verum posito, quod habeant, unde

cro-

erogare possint. Denique legis naturæ est, subvenire indigentibus, nec tamen in statu integritatis obtinuit hæc lex, quia nulli fuerunt indigentes. Unde apparet falsam esse hanc propositionem, quam quidam putant esse solidissimam: Quæcunque sunt legis naturæ, ea ab Adamo servata sunt in statu integritatis. Non enim procedit, nisi de illis, quæ sunt legis naturæ absolutè. (2) Distinctio illa inter jus naturæ, & Officium, in quod se diffundit absolutum vel hypotheticum, ita est comparata, ut in priori obligatio fiat absolutè & simpliciter, ut actus oppositus nunquam honestus esse possit: Sic odium in DEUM, blasphemia & similia non possunt honestari, neque ab ipso DEO: sunt enim actus oppositi juri naturali absolutè accepto; in hypothetico autem jure actus oppositus honestus esse potest, & sine peccato exerceri, facta notificatione, vel per præceptum aliquod singulare, vel per casum absolutæ aut majoris necessitatis ab ipsâ lege concessum aut exceptum. Quod exemplo & usu illustrari potest: Sic nemo carnem propriam odio habere debet, aut lædere, aut mutilare, & tamen lex naturæ docet etiam in casu præsentissimi periculi manum esse abscindendam, ne totum corpus gangræna corripiat, & pars sincera trahatur. Sic præcepta secundæ tabulæ dicuntur cedere præceptis primæ, non tamen consequens est, præcepta secundæ tabulæ non esse legis naturæ, non esse immutabilia. Sic natura docet turpe esse fœ-

Obligatio-
nis Distri-
ctio.

Exemplis
illustratur.

minz si radatur, quo quidã utuntur exemplo,
& tamen in casu morbi vel alterius alicujus
necessitatis licet capillos detondere. (3)

Distinctio
Dominio-
rum.

Quod de dominio ponit Grotius, id minus
commodum est exemplũ, quia supponit jure
naturæ omnia fuisse communia, & post pri-
mævam comunitatem cœpisse demum domi-
niorum distinctionem, de quo in sequentib⁹.

Ad Th. X.

OBSERVATIO III.

Rectè lex naturæ dicitur esse im-
mutabilis.

Lex natu-
ræ immu-
tabilis.

Post hæc Author descendit ad affectio-
nem quandam juris naturalis, nempe im-
mutabilitatem, & statuit jus naturale adeò
esse immutabile, ut ne à DEO quidem mu-
tari queat. Quæ assertio cum sit & generalis
& controversa, ideoq; profundius enuclean-
da erit. Antequam autem progrediamur
ad assertionem stabiliendam & contraria re-
movenda (1) observandum venit mutatio-
nem dupliciter intelligi vel de propria muta-
tione, quæ fit per ablationem legis, vel obli-
gationis ejus, vel de impropria; Propria muta-
tio dupliciter solet in rebus accidere, vel per
mutationem rei ab intrinseco deficientis, vel
per extrinsecus factã Destructionem; virtute
alicujus agentis habentis potestatem; & uter-
que modus potest ad legem applicari. Nam
interdum res per se ipsam deficit, quia ex
utili fit noxia, vel ex rationabili fit irratio-
nalis,

Mutatio
duplex in-
trinseca.
& extrin-
seca.

alis, aliquando verò tollitur per Superiorem, ut contingit in LL. positivis, & utraque illarum mutationum contingit vel absolute & universaliter in tota lege, & dicitur abrogatio legis; vel in particulari, & dicitur dispensatio, vel particularis relaxatio. His suppositis de omnibus modis mutationum potest inquiri circa legem naturalem, (2) Quod primam concernit speciem mutationis, quæ est ab intrinseco, non cadit illa in jus naturæ, neq; potest illa lex per se ipsam finire aut mutari; Cum enim lex naturalis sit veluti proprietas quædam humanæ naturæ, Typus firmiter infixus cordi humano, radius qualiscunque ex Sole æterno, non potest ex seipso ab intrinseco deficere, non voluntatis perversæ arbitrio expungi, non in tenebras abire, & in nebulas Aristophanis sese recondere. Quod ipsum plerique agnoscunt ex Augustino ejusq; lib. Quæstionum, ubi in hanc sententiam concedit. Hoc ipsum autem juxta Conimbricensis Academia primarium & emeritum Professore, probatur ulterius partim ex eo; quia hoc jus naturale vel consideratur in DEO, vel in homine: prout est in homine, mutari non potest, quia intimè est infixum, & quædam quasi proprietas creaturæ rationalis. Si verò consideratur, prout est in DEO, evidens est, illud non posse tolli; tum, quia nulla lex deficit per seipsam sine revocatione Legislatoris; vel quia non erat perpetua, sed pro tempore certo lata, quo finito ipsa etiam finitur & desinit esse: vel, quia in materia sit

Mutatio
intrinseca
negatur.

Argumentum
primarium.

Argumen-
tum secul-
um.

aliqua mutatio, ratione cujus lex fit irrationalis, & injusta. cùm antea esset justa & prudens. At nihil horum contingit in jure naturæ, nullus hic modus locum habet: non prior, quia leges naturæ cum sint principia morum per se nota, & conclusiones necessariae ex illis, sunt necessariae & perpetuae veritatis; non posterior: quia judicium, quod necessariò colligitur ex principiis per se notis, nunquam potest esse falsum, E. nec irrationale vel imprudens. At omne judicium legis naturalis tale est, quantumcunque ergò res varientur judicium legis naturalis variari nequit. Partim quia, si neque præcepta affirmativa neque negativa, possunt per se cessare aut desinere obligare in jure naturæ, sequitur illa non posse in universum vel in particulari abrogari, & seipsis desinere. De negativis autem hoc ipsum planum est, quia prohibent res per se & intrinsecè malas, & idè obligant semper & pro semper; de affirmativis itidem constat. Nam licet illa semper obligent, non tamen pro semper, juxta Theologos quosdam & Scholasticos, atque idè aliquod præceptum licet naturale sit, uno tempore obliget, non alio, non tamen propterea recipit aliquam mutatione: quia hæc illius est natura, & à principio fertur pro talibus occasionibus vel sub talibus conditionibus, & ita semper retinet suam vim, semper obligat, licet non pro semper. Nam præcepta affirmativa legis naturalis obligant pro illis occasionibus, in quibus omissio talis actus esset per se & in-

trin-

crinsecè mala. Ut igitur illa omissio non potest non esse mala, ita obligatio affirmativi præcepti ad actum illi omissioni contrarium non potest per se desinere aut mutari, & proinde tale præceptum necessariò semper obligat pro suo tempore, & consequenter semper etiam obligat ad non habendum contrarium propositum, seu ad obediendum saltem in animi præparatione, si non in ipsa operis executione. Partim, quia si principia theoretica insita, quæ sunt Veri, à seipsis non deficient, neque practica quæ sunt Boni, ex seipsis exspirabunt. Sed hinc quædam moventur in contrarium, quæ prius removenda. Nam (1) opponitur, si in Physicis, utut principia non deficient, conclusiones tamen necessariæ quandoque deficient, tum consequens est etiam id posse accidere in moralibus, & ita jus naturale mutationem aliquam subire; ut enim materia physica est mutabilis, ita & res humanæ, quæ sunt materia juris naturalis multo magis mutabiles sunt: E. ipsum jus naturale erit mutabile, quod conditionem materiæ imitatur & participat. (2) Exemplis hoc ipsum doceri potest. Nam legis naturalis præceptum est: Non occides, & tamen in propriam defensionem licet aggressorè occidere, E. mutabile erit ab intrinseco lex naturalis; quod ipsum etiam patet in præcepto naturali servandi secretum, quod negativum est, & tamen violari potest, si ad defensionem Reipubl. vel innocentis sit necessarium. Denique (3) ipse Aristoteles

Argumentum tertium.

Dubia contraria.

Responsio
 nes
 Prima.

agnovit hoc ipsum, scribens I. Eth. 5. cap. 7.
 Jus naturale, seu natura constans, non omne
 esse mutabile, aliquando verò posse esse mu-
 tationi obnoxium. Verùm hæc non con-
 cludunt. Non (1) argumentum. Nam pro-
 positiones physicæ, quamvis deficient (non
 ratione principiorum, sed conclusionum) ta-
 men conclusiones scientificæ, quæ tales, non
 deficient. Inferuntur enim non absolutè,
 sed sub conditione tacita & subintellecta non
 positi impedimenti: e. g. omne igneum est
 ustivum; flamma in fornace babilonica fuit
 ignea, E. fuit combustiua, sc. posito, quod
 nullum positum fuerit impedimentum: Ita
 in moralibus naturale præceptum non ab-
 solutè præcipit, sed cum conditione quadam
 subintellecta, non immutati status & ideò
 etiam non obstat, quod materia mutabilis
 sit: nam lex naturæ discernit mutabilitatem
 in ipsâ materiâ, & juxta illam accommodat
 præcepta. Præcipit enim aliquid in illâ ma-
 teria pro uno statu, & aliud pro alio, & ita
 ipsa semper manet immutata, licet quoad mo-
 dum nostrum loquendi, & per denomina-
 tionem extrinsecam quasi mutari videatur.
 Ad (2) argumentum respondemus: præcep-
 tum, *non occides*, utique esse naturale, sed
 illud ipsum includit conditiones quasdam
 subintellectas, utut non verbis expressas.
 Quando enim dicitur, *non occides*, plures
 conditiones includuntur, sc. non propria au-
 thoritate, non aggrediendo &c. Sic, quando
 præceptum de servando secreto dicitur na-
 turale,

Secunda.

)

turale, subintelligitur hoc ipsum, nisi sit noxium toti Reipublicæ. Ad (3) Resp. Aristotelem loqui de mutatione impropria, per solam denominationem extrinsecam, ratione mutationis quæ in materia fit. Quamvis enim quædam materia moralis sit immutabilis, tamen quædam est mutabilis. Hinc fit, ut ex parte materiz quædam præcepta juris naturalis mutationem recipere possint, & ita limitationem vel quasi exceptionem admittant.

(II) Observandum est: posse disputari de hac materiâ quantum ad mutationem ab extrinseco, num illa locum habeat, quæ scilicet contingit per dispensationem. An scilicet DEUS possit absoluta potestate dispensare in lege naturæ? Nam quando de humanâ hoc ipsum asserunt quidam Pontificii, in gratiam Papalium dispensationum, manifestè prævaricantur. Et quidem videtur DEUM posse dispensare: tum ex eo, quia omnis legislator potest in lege sua dispensare. Et si legislator etiam absque causa dispensans, validè dispensat, ut dispensatio habeatur rata; multò magis hoc ipsum DEUS poterit, nisi imperfectiorem illum velimus dicere legislatore humano. tum ex eo, quia Exempla sunt in promptu. Decalogus procul dubio exhibet legem naturæ, & tamen DEUS dispensavit in quinto præcepto de non occidendo, jubendo Ab.rahamum ut occidat filium Gen. XXII. v. 2. Sic præcepit accipere mulierem fornicariam Hof. II. v. 2. Sic cum filiis Israel, quando spoliarunt Ægyptum Exod.

Mutatio extrinseca.

Rationes pro Dispensatione in lege Naturæ.

2.
3.

M 8 XI.

XI. v. 2. & 3. tum quia omnia, quæ cadunt sub
 legem naturæ, non sunt mala nisi quia prohi-
 bentur à DEO, & ipse liberè ipsa prohibet, cū
 sit supremus Dominus & gubernator. Item
 quia ejus oppositum non implicat contradi-
 ctionem, cum ablata prohibitione reliqua o-
 mnia facile consequantur. Quod ultimum
 fundamentum est Occami, quem sequitur
 Petrus de Alliaco, Andreas de Castro novo,
 Almain & alii. Verùm non potest hæc sen-
 tentia sine grandi errore defendi, adeoque
 Grotius hîc non malè scripsit, ita esse im-
 mutabile jus naturæ, ut ne Deus quidem in
 illo dispensare possit. Nam ut paucis pre-
 mamus tales, stante hæc sententiâ, posset
 DEUS præcipere homini, ut ipsummet
 DEUM odio haberet, adeoque facere,
 ut ipsemet esset odio dignus, neque summè
 bonus; posset facere contradictoria, nam
 obedire DEO dicit quendam amorem ejus,
 & obligatio ad obediendum includit amo-
 rem, quomodo itaque obligari quis potest
 ex præcepto ad ipsum DEUM odio haben-
 dum; præterea stante hac sententiâ, posset
 DEUS mendacium præcipere, & consequen-
 ter ipse quoque dicere, quo admissio tota cer-
 titudo fidei periret. Quapropter responde-
 mus ad argumenta proposita, & quidem ad (1)
 DEUM posse dupliciter considerari, aut ut
 supremum rerum Dominum, aut ut legisla-
 torem summum. Priori modo non dispen-
 sat, sed dominia transfert: Posteriori au-
 tem modo si consideretur, tum non di-
 spen-

Refutatur
 hæc sen-
 tentia.

Responde-
 tur ad ra-
 tiones con-
 trarias; ad
 primam.

spensat, sed mutat aliquid & tollit materiam legis, adeoque non agit ut legislator, sed utendo alia potestate, quæ ei competit. Ad

(2) respondemus, exempla adducta non obesse: non primum; nam, si DEUS vi dominii sui in creaturam universalis potuit ipse destruere Isaacum, non dispensavit in lege naturæ, nihil enim interest, quâ manu DEUS utatur, Abrahami an alterius, cum si ipse DEUS hoc fecisset, fecisset pro competente potestate. Neq; hic actus si fuisset consummatus ab Abrahamo, fuisset contra secundam tabulam, sed fuisset actus conformis primæ tabulæ, non enim jussit simpliciter occidere Isaacum, sed occidere in sacrificium: Sacrificialis autem destructio est cultus divinus spectans ad primam tabulam. Secundum exemplum non quadrat; Nam quamvis non probemus illos, qui dicunt, in visione hoc contigisse, sed realiter statuamus factum, non tamen DEUS jussit scortari, neq; ita contra legem de puritate sectanda dispensavit: sed jussit Prophetam aliquam, quæ hæctenus fuerat fornicaria ducere, & legitimo sibi copulare matrimonio. Tertium Exemplum itidem non premit; tum, quia illi actui ratio furti non competit ex eo, quia spolia illa Ægyptiaca non fuerunt accepta invito Domino, vel principali DEO, quo jubente hoc ipsum, fecerunt Israelitæ, Exod. III. v. ult. nec minus principali & secundario ipsis Ægyptiis: partim, quia ipsi Ægyptii fecerunt petere eos incitando, offerendo, ut Cajetanus observat ad Exod. c. XII. v. 36. partim, quia

Ad Exempla;

Isaaci immolandi;

Fornicaria ducendæ;

Spoliorum Ægypti.

ipse Josephus testatur lib. 2. cap. 5. ipsos Ægyptios ornasse donis Hebræos, alii quò celerius discederent, alii propter vicinitatis consuetudinem, atque hoc pacto exitum esse esse flentibus Ægyptiis & pœnitentibus, ob præteritam malam tractationem; tum ex eo, quia illa bona non fuerunt res aliena: erant enim merces, pro servitute & laboribus à summo iudice assignata, ut constat ex Sap. 10. v. 17. tum ex eo, quia, si quis dispensationem urgeat, non quidem in hoc præcepto, saltem in eo, quòd circa fraudulentam actionem Deus fuerit occupatus; quia fraudulenter egerint, commodatò illa petendo, non in possessionem perpetuam, sed saltem usum temporarium, cum intentione nunquam restituendi petiturum: tamen non obtinebit, quod vult, ex eo, quod supponit commodatò petiisse Isræelitas ista vasa. Nam in Hebræo tale verbum occurrit, quod generaliter notat petere. Petitio autem ut sic præscindit à petitione tali vel tali. Ad (3) argumentum respondemus falsissimum esse, omnia quæ cadunt sub jus naturæ, esse tantum mala ex prohibitione divina, cum antecedenter ad illam ex ipsa objecti ratione sint bona vel mala. Quomodo autem ex opposito sequatur contradictio, demonstratum est in argumento nostro Ethico.

ad tertiam.

De conjugii
fratrum
& sororum
primævis.

(III) Observandum, restare aliquod dubium de conjugii fratrum & sororum in primordio mundi, ubi sanè Deus videtur dispensasse. Verùm (1) nondum probatum est.

est, talia conjugia esse contra jus naturæ, (2) posito, quod contra jus naturæ sint, non necessarium fuit, ut DEUS in illo dispensaret: quia, ut supradiximus, jus naturæ vel est absolutè tale, vel ex hypothesei tale; Conjugium tale non est contra jus naturæ absolutè tale, sed contra jus naturæ ex hypothesei, & suppositione multiplicati generis humani. (3) Ipse Augustinus huc collimavit, quando scripsit: hoc ipsum factum esse ita, ut DEUS non dispensaret, & quod quanto antiquius compellente necessitate, tanto postea factum esse damnabilius, religione prohibente, lib. 15. de C. D. cap. 16, quo ipso ostendit, postea religione prohibente, facta scilicet multiplicatione, detestabile factum esse istiusmodi conjugium.

Ex dictis verò facile constabit, quid sentiendum de opinione Fernandi Valquii Menchacensis Pinciani Hispani Jurisconsulti scribentis libr. 1. cap. 27.

Possit Deus mentes hominum hac imbuerè, opinione, hanc legem facere, ut hominem homini insidiari aut necem inferre, vel quovis modo nocere nefas non esset; Non magis quam pecudes, armenta, feras, volucres, vel squameas turbas interficeret. Nam & omnes Pythagorici Philosophi hujus erant sententia, ut bruta animantia (sive illa terrestria essent, sive volucra, sive aquatilia) homini non liceret occidere, non magis quam reliquos homines. Ergò, ut postea mortale genus mutavit sententiam, cepitque existimare omnia bruta animantia, aquatilia, terrestria, & volatilia

inter-

Fernandus
Valquius
notatur.

interficere hominibus liberum esse: quis vetat, quin possit (sponte DEI) mutare sententiam, quò ad mutuas neces inter se perpetrandas, existimareque id liberum fasque esse foreq; semper? Et in hunc sensum salvari poterit, tueriq; poterit opinio Occhami supra relata, qui nihil aliud sensisse mihi visus est, quatenus voluit posse Deum dispensare cum praeceptis Decalogi, ut intellexerit contraria praecepta eum posse infigere hominum animis & mentibus. Jus enim naturale nihil aliud esse, quam rectam rationem ab ipsa Nativitate, & origine humano generi à Deo innatam supra edocti sumus. Ergò si ipsemet Deus contrariam rationem à nostra origine mentibus nostris imbuerit, id similiter erit jus naturale. & ut hoc jus naturale, quo utimur quoque interdum abutimur, bonum est quia à DEO nobis infixum est: Ita si contrarium nobis dederit jus, eo ipso, quòd ipse dederit, bonum erit. Nec ut nobis videtur, recipienda est sententia Dominici de Soto uti supra existimantis, non posse Deum efficere, quòd bonum sit, ut homo ipsum Deum amare desinat, vel fortè odio habere incipiat. Quinimò fortè poterit, si velit efficere, ut id bonum sit. Nam ut sæpissimè accidit, ut homo hominem odio habeat, & non rarò ut ipsos parentes odio habeat. ut §. fin. inst. quòd cum eo. & l. 1. ff. ad maced. & Glos. not. in l. fin. C. de pact. Unde Ovidius sic cecinit.

Filius ante diem patrios inquirat in annos.
Unde de Tullia Servij Tulli filia crudelitate, qua
per

*per patris cadaver carpentum, in quo sedebat,
ire coegit, sic scribit Ovidius. lib. 6. Fast.*

*Filia carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feroxque vias.*

*Corpus ut aspexit, lacrymis auriga profusis
Restitit, hunc tali corripit illa sono:*

*Vadis an expectas precium pietatis amarū?
Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.*

*Certa fides facti, dictus sceleratus ab illa
Vicinus, & aeterna res ea pressa nota est.*

Ergo, qui non diligit fratrem suum, quem videt aut (quod deterius est) odio habet patrem suum, quem videt, ab eo scit se hominem factum, vitamque recepisse. Quid mirum, si Deum non diligit, quem nunquam vidit: hac consequentia tenet secundum Divinum Ioannem epist. 1. cap. 4. ad finem. & multos esse, fuisseque contemptores & osoros DEI, & experientia docet & testatur. Quae sub conditione, in princ. ff. de cond. instit. & sapissime ut experientia docemur, & passim libris tam fabulosis quam veris reperies, ut vir amet foeminam, quae ipsum odio habet; & ex diverso, nec desinat amare ille, qui amare cepit, etiam si non ignoret, se ab amato vel amata odio haberi. Si ergo Deus opt. maximus hanc mentem à primis cunabulis nobis vellet imbueri, ut eum odio haberemus, idque risui & ludibrio haberet. Quis vetat quin id efficere possit, & nihilominus nos diligere, si sibi libitum esset, nam ut Ovidius cecinit.

Ladis in humano divina potentia robur.

Quid

March an-
tus respice-
henditur.

Quid itidem pronuntiandum de Sententiâ Jacobi Marchanti sub distinctione statuentis hominem posse ex legem, & ab omni præcepto liberum creari. Verba illius sunt: *Advertendum legem & præceptum dupliciter sumi posse. Primo pro regula aliqua directiva ad actionem vel finem absque ullo alio formali decreto vel præcepto, & absque ulla obligatione superaddita; nisi solius rectitudinis debita inesse actui ex natura sui intrinseca, vel finis ad quem regula dirigit adipiscendi. Secundo pro formali decreto vel mandato sub obligatione alicujus culpe vel pœna à transgrediente incurrenda. His sic prænotatis, Respondeo: primo Deum, juxta primam acceptiōnem non posse condere hominem ex legem. Ratio est, quia cum homo ex essentia sua sit rationalis, supponit ex natura sua rationem sive rationalem potentiam, cui intrinsecum est humanas actiones dirigere; ita ut si deficiat, actus rectitudine debitâ inesse careat, & à fine propter quem homo conditus est, deviet. Ratio igitur in homine ex natura & essentia sua est participatio legis naturæ, & pro officio habet actiones prout humane sunt & hominem ad finem, ad quem conditus est, dirigere. Et hoc modo implicat hominem rationalem condi, & sine lege, quæ sit ratio, creari. Respondeo secundo, sua infinita potentia posse condere hominem absque adjuncta formali aliquâ lege vel præcepto rationi superaddito, quo transgressor ad culpam vel ad pœnam obligetur. Ratio est, quia non implicat, & aliàs homo absq*

tali præcepto verus est homo, rationale animal, DEI imaginem & similitudinem referens, & beatitudinis æternæ juxta media ab Omnisciente & Omnipotente DEO disponenda per infinitam suam sapientiam capax. Et legem verò præceptum formale habere superadditum non est hominis essentia & natura, etsi à principio condita natura superaddita sint. Quid denique de propositionibus & Corollaris superciliosissimi Joannis Caramuelis Satrianensium & Campanensium Episcopi, qui ita decernit in Theologia intentionali lib. 2. disp. 7. §. 1183, 1184. p. 259. Undecimum Theorema In iis legibus potest Deus dispensare, quas potuit non ferre. Corollarium I. Si omnes leges potuit Deus non ferre, in omnibus potest dispensare. Corollarium II. Si in omnibus potest dispensare, omnes potuit non ferre. Patent omnia, quia si aliqua lex, posita hominum creatione & conservatione necessario à Deo latâ, necessario à Deo conservanda est, adeoque nec irritatione poterit nec dispensatione cassari. Quod si libere tolli posset, ipsa necessaria & indispensable non est, adeoque etiam non ferri potuit. Duodecimum Theorema. In omnibus secunda tabula articulis potest Deus dispensare permissivè, contradictoriè & contrariè. Corollarium. Articulus secunda tabule potuit Deus non indixisse, & potuit indixisse contradictorios, imò & contrarios. Patet; quia omnes illi inhibent materiam, que non est contra Deum, sed solum humanitus & physice mala. Longè fa-

Caramuel
castigatur.

N

miora

Molina cō-
radicit.

niora Vasquianis, sunt illa Ludovici Molinæ Tomi tertii parte posteriore Tractatu quinto de Jurisdictione Disp. 57. pag. 1782. ita decernentis: *Amplētenda est nobis sententia Divi Thome 1. 2. q. 100. artic. 8. Cajetani, Altiſiodorensis lib. 3. tractatu. 7. 4. 5. Richardi in 3. dist. 37. art. 1. q. 5. Abul. Exod. 20. q. 39. Soti. 2. de just. q. 3. art. 8. & antiquorum, omnia videlicet precepta Decalogi nec divina potentia dispensari posse, præter tertium, ea ex parte, qua ceremonialis ac de jure positivo est. De eo enim, ea ex parte spectato, nulli potest esse dubium dispensari posse. Sententia hæc præterquam quòd impugnatione præcedentium sufficienter comprobata est, hæc unica ratione probatur. Tria illa principia supra à nobis commemorata DEO facienda non est injuria, parentibus similiter non est facienda injuria, itemque reliquis proximis non est facienda injuria, sunt per se nota adeoque necessaria, ut neque divina potentia eis opposita liceant. Implicat enim contradictionem, injuriam factam DEO, parentibus, aut aliis proximis injuria rationem retinentem, licitam esse: Sed ex illis tribus principiis evidenter ac necessario deducuntur prædicta omnia Decalogi precepta. Sunt quippe in eo sensu intelligenda, ut eis opposita sint injuria Deo, parentibus aut aliis proximis illata, ut Divus Thomas articulo 8. citato explicat, & nos in singulis, in quibus dubium aliquod esse poterat, copiose hæctenus explicavimus: ergò ea omnia*

pra-

præcepta neque divina potentia dispensari possunt. Lege quoad hæc tenus dicta tota hac disputatione, qua copiosè supra in posteriori parte disputationis 45. explanavimus, illis enim non modica lux ac corroboratio hæc tenus detis accedet. Marchantianis verò illa Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis Tomo secundo de statu naturæ puræ cap. 3. pag 691. scribentis: *Non potest creatura rationalis sine amore Creatoris juxta doctrinam Augustini produci. Cujus ratio est, quia hoc ipso quo illo principii sui amore caret, velut pondere, quo in locum suum connaturalem urgeatur distorta perversaque voluntatis est. Necessesse est enim ut aliquid voluntas diligat, hoc est, ut anima ad aliquid sese moveat appetendo vel fugiendo. Unde Augustinus tanquam necessarium concludit, animas aut carere vitâ, & animas non esse, neque quicquam velle sentire, appetere vel fugere: Aut si viverent, ut & animæ esse possent, & aliquid tale agere nullo modo eas nisi vita vivere. Et paulò post animam vocat spontaneum & vividum motum. Hinc & libro de substantia dilectionis dicitur: Vita cordis amor est, & idcirco omninò impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere cupit: Et præclarissimè Fulgentius post præceptorem discipulus: Voluntas porro creature rationalis sine qualicunque amore, non potest esse. Nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare: quæ inter summum bonum à quo creata est, & infimum bonum cui prælata est medio quodam*

Jansenius
contra su-
periores
laudatur.

loco posita, profecto aut in infimo necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quodam enim amore rapitur, seu cum obedientia suble-
vatur, & creatori bono bene subjicitur, sive cum superbia deprimatur, ut creatura bona male dominetur. Ubi ad illam divisionem amoris respicit Fulgentius, qua creatura vel Deum diligit vel seipsam. Seipsam quippe primam post Deum diligit, & à se ad alia diligenda progreditur. Se verò diligere, hoc est, seipso, suoque bono gaudere, ut supra dixit Augustinus, superbia est; si igitur mens rationalis sine creatoris amore producat, necesse erit, ut vel seipsam, vel aliud à se diligit, & consequenter ut seipsam ante diligit. Nec enim aliud à se voluntas diligit, nisi prius diligat se, ut alibi ex Augustini mente declaravimus. Utrumvis autem fecerit, male voluntatis erit. Quod sicuti juxta supradicta Augustini principia, qua de peccati natura & ratione tradidit, manifestum est ita juxta eundem aequè certum est, hoc ipso perversam & malam futuram rationalem creaturam, quo Deum voluntate non diligit. Voluntas enim non diligens Deum, sius actu sive habitu, non nisi mala & perversa esse potest, quia non diligit id, quod eam aeterna lex diligere jubet. Audi disertissimis verbis pracipientem dictis meis Augustinum: Mirum si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit, ut enim justitiam (hoc est Deum, ut dicturi sumus infra) diligit, & bo-
na

na est, & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Unde & alibi de Angelis cum creantur: Quid erant sine bonâ voluntate nisi mali? Et oppositionem immediatam inter justitiam & injustitiam, hoc est, bonitatem malitiamque creatura rationalis videlicet utentis tradens: Dic queso te, inquit, nonne fateberis eum, qui non est justus, injustum esse; & qui non est prudens, imprudentem esse; & qui non est temperans, intemperantem esse? An dubitari de his aliquid potest? Respondet ei Evodius: Fateor, hominem quando justus non est, injustum esse: hoc etiam de temperante & intemperante responderim. Justus autem esse nemo potest, nisi justitiam diligat: Quam propterea, si non diligit injustum & malum, consequenter esse necessarium est. Sed si vero non habendo bonam illam voluntatem, hoc est, amorem creatoris, creatura cum creatur mala, esset, ut, videtur aperte sentire Augustinus, si ve certè non bonas; non satis est ad amorem illum habendum obstrictam esse creaturam, ut quemadmodum ex aeterna legis prescripto debet, principium & finem suum, unum & solum Deum super omnia amet & colat. Denique Caramuelianis illa Sinnichii Corcagiensis Hiberni lib. I. cap. 100 §. 377. quernlantis de Temeritate Caramuelis & theologicè disferentis: Omnes quotquot adversus natura

Sinnichius
Caramue-
lis placita
examinat.

legem peccant, in illam generalem & quasi transcendentalem ipsius legis sanctionem impingunt. Quam eodem Augustino teste, omnes habent in corde fixam: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Nunquid hoc de paginis discitur, & non in natura ipsa quodammodo legitur? Furtum vis pati? Utique non vis. Ecce lex in corde tuo, quod tibi non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines. Porro quia hanc legem sibi intimè notam transgrediuntur, non modo peccatores sed & prevaricatores jure merito reputantur, dicente Psalmographo Prevaricantes reputavi omnes peccatores terre. Nullus enim est prout §. 375. ex Augustino audi vimus, qui faciat alteri injuriã, nisi qui fieri sibi nolit. Et in hoc transgreditur natura legem, quam non sinitur ignorare; dum id, quod facit, non vult pati. Inquirat præterea idem Augustinus mox ibidem, Nunquid lex ista naturalis non erat, in populo Israel? Respondet autem: Erat planè, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent. Quæ sententia signanter recollenda est non solum, quòd prætextitiam ignorantiam prædictæ sanctionis naturalis amputet, sed quòd præterea novitiam illam & planè exoticicam Caramuelis positionem jugulet, qua ille asserit. Posse Deum creare homines exleges, hoc est, nulli morali legi subjectos. Id enim Augustino mox relato censetur tam impossibile, quam homines præter naturam humani generis esse, hoc est, homines nequaquam homi-

nes

nes esse. Neque ibi se continere potuit Car-
 wnelica innovandi libentia, sed eo usque se
 exporrigit, ut affirmet: posse Deum subjicere
 legi morali contraria Decalogo, quoad præcepta
 saltem secunda tabule. Sic enim ait ibidem,
 inferius n. 1184. Articulus secunda tabule
 potuit Deus non indixisse, & potuit indixisse
 contradictorios, imò & contrarios. Et rursus
 n. 1191. in tribus prima tabule articulis Deus
 non potest dispensare contrariè: in totâ tamen
 lege potest contradictoriè, in secunda tabula
 etiam contrariè. Ubi quantum ad primam
 assertionis partem non satis sibi constat asser-
 tor. Nam si Deus non possit dispensare con-
 trariè in præceptis prima tabule, ergò ea præ-
 cepta necessariò tenent vim obligandi saltem
 easenus, ut nemini liceat exercere actus eis
 contrarios. Quod si ita sit, non posset Deus
 creare homines exleges, quia quicumque ab ipso
 creabiles fuerint, subjecti erunt legi morali pro-
 hibenti exercere actus contrarios præceptis pri-
 ma tabule, quippe in quibus ne Deus quidem
 ipse possit contrariè dispensare. In secunda as-
 sertionis parte fingit Deum posse hominibus di-
 cere: Non opus est ut alteri cuiquam faciatis,
 quod vobis fieri vultis. In tertia denique parte
 asserit posse Deum facere homines, quantum
 ad præcepta secunda tabule non modo exleges,
 verùm etiam antileges, ut nimirum loco illius
 generalis præcepti universam secundam tabu-
 lam complectentis; Quacunque vultis ut fa-
 ciant vobis homines, & vps facite illis, surroge-
 tur istud non minus generale, sed planè adver-
 sum;

sum; Quicquid vultis ab hominibus fieri vobis, contrarium facite illis: Exempli causa; vultis à filiis vestris honorari, sed vos inhonorate parentes vestros; vultis à nemine occidi, sed vos occidite quotquot poteritis: Vultis, ut nullus res vestras furto vel rapina vobis auferat, sed quicquid poteritis clam aut palam ab aliis auferre, auferre: Vultis, ut ad uxores vestras extraneus nullus accedat, sed vos quasi equi emissarii ad uxores proximorum vestrorum hinnite: Vultis, ut nullus contra vos falsum testimonium proferat, sed vos in Hypocrisi loquimini mendacium, unusquisque cum proximo suo & de proximo suo: Vultis, ut nemo concupiscat uxores vestras, nemo domos vestras, aut servos, aut ancillas, aut boves, aut asinos, aut aliud quidquam vestrum; sed concupiscite vos quicquid occurrerit commodum aut delectabile in bonis alienis, sive uxor fuerit, sive domus, sive servus, sive ancilla, sive bos, sive asinus, sive aliud quidpiam libidini vestrae complacitum. Verum quia ista Caramuelica subtilitatis portenta integro nuper syntagmate discussit ac displosit conterraneus ipsius Caramuelis nolo diutius immorari: dum tamē de isto novo legislatore Caramuelico dixero, quod de fictitio Manicheorum Deo Augustinus olim agebat, saltem colant Deum, qui nolunt colere Deum. Non est certè ille Deus Patriarcharum, cui nullus similis in legislatoribus: Non est Deus Israelitarum, cui dictum est à Psalmographo: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Non est Deus Prophetarum, qui

quæ per horum unum ait: va qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt injuriam. Non est Deus Evangelistarum, qui iniquis rerum arbitris indignabundè dicebat. Quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est, quasi diceret: cur non ex eo, quod fieri vobis vultis, colligitis qualiter erga alios vos gerere debeatis? Non est Deus Apostolorum, de quo horum quispiam ait: Non est dissensionis Deus sed pacis, hoc est, non est qui ea præcipiat quibus humana societas penitus dissolvatur parricidiis, homicidiis, adulteriis, furtis, rapinis, perjuriis, flagitiis omnia miscantur, quibus humanum genus in eum præcipitetur statum, quem Poeta describens ait. Vivitur ex rapto non hospes ab hospite tutus; Non socer à genero fratrum quoque gratia pro ara est. Imminet exitio Vir conjugis illa mariti Lurida terribiles miscant aconita noverca: Filius ante diem patrios inquirat in annos: Vincta jacet quietas! Nec est, quod pro astruenda Caramuelis sententia obtendatur DEI Omnipotentia: Neque enim Augustino teste, potentiam temperariam, sed Sapientia Virtute omnipotens est. Unde & Pelusota; Si ex nobis queratur, inquit, an omnia DEO possibilis sint: Respondemus, eum omnia hæc posse, quæ ipsius natura consentanea sunt. Quam autem hæc sint, edisserit pro parte Theodoretus, cum ait; Quod si dixerint, quacunque vult potest Deus, dicendum illis erit, nil eum velle facere, quod natura non congruat. Naturam autem est bonus, nihil ergo

vult mali; natura est justus, nil ergò vult in-
 justus; natura est verax, mendacium ergò re-
 spuit; natura est immutabilis mutationem ergò
 non recipit. Breviter & appositè Augustinus:
 Quod non potest justè, inquit, non potest justus.
 Quod mox ibidem exemplo ex scripturis sum-
 pro confirmans: Dominus, inquit, cum per
 Angelos suos justum Loth de Sodomis exeun-
 tem urgeret, ut properet in Segor: Non pote-
 ro, inquit, facere rem, donec tu illò introcas.
 Non posse se dixit, quod sine dubio poterat per
 potentiam, sed non poterat per justitiam. Sed
 nec minus appositè Anselmus. Sicut in Deo,
 inquit, quantumlibet parvum inconyeniens
 sequitur impossibilitas: ita quantumlibet par-
 vam rationem, si majori non vincatur, comi-
 tatur necessitas. Hinc est illa Richardi Vi-
 etorini brevissima quidem sed nervosa de Deo
 sententia: Nihil nisi quod decet, facere potest.
 Non arbitror quenquam vel mediocriter sa-
 pientem reperiri, qui censeat decere Deum,
 aut congruere ejus nature, bonitati, sapientie,
 justitie, aqutati, ut precipiat hominibus faci-
 nora illa ac flagitia, qua tanquam contraria
 preceptis moralibus secunda tabula mox re-
 censuimus; aut inscribat eorum cordibus ge-
 neralem illam; sed planè irregularem regulam
 universa complectentem: Quicquid vultis ab
 hominibus fieri vobis, contrarium facite illis.
 Quod cum ita sit, profectò falsum est, quod
 Caramuel asserit, posse Deum in secundà Deca-
 logi tabulà dispensare etiam contrariè. Ex ad-
 verso autem verum est, quod ex Augustino su-
 pra

pra memoravimus, homines sine lege naturali essent, si prater naturam humani generis esse potuissent. Ex quo ulterius fit, ut, cum impossibile sit homines prater naturam humani generis esse, impossibile pariter sit, eosdem sine lege naturali esse: sine illa nimirum lege naturali, quam nemo finitur ignorare, que prescribit, ut aliis non faciamus, quod nobis fieri volumus.

Ad Th. X.

OBSERVATIO IV.

Lex naturæ dilucidius & veritati conformius exprimi potest, ut constet ex sequentibus.

His itaque omnibus ita discussis, & sententiis vero non consonis rejectis, aliam subjungimus definitionem juris naturæ, nempe hanc: *Lex natura est regula quaedam firmiter homini infixæ, quæ & indicat quid iustum ex se & iniustum, & ad prius sectandum, posterius vitandum obligat.* Hæc definitio constat genere & differentia sua. Genus est Regula. Si enim omnis lex humana & divina, naturalis & positiva regulam dicit, nec tamen omnis regula confestim lex est, sequitur habere sese synonymicè, & tanquam latius quid ad ipsam legem naturæ, quodque in abstracto enunciari de illa potest. Dicitur autem regula firmiter infixæ,

Legis naturæ Descriptio.

Conceptus latior.

N 6 ut

ut intelligamus à parte rei dicere non actum aliquem, sed habituale quid, semper adhærens menti hominis. Regulam autem esse legem naturæ constat ex eo, quia præscribit, dirigit, & omnes regulæ partes, officia & actus implet; firmiter autem impressum & habituale quid, quia est aliquid de reliquiis imaginis divinæ; Si itaque imago divina fuit habitus, & reliquiæ naturam imitantur totius, habituale quoque debet quid esse lex naturæ. Denique differentia petita est, & ex actibus & ex objecto. Actus sunt indicare & obligare. Objectum est justum, sc. in latitudine acceptum, non in quantum denominatur saltim à justitia particulari, sed universali, & æquipollet recto. Confirmari potest hæc sententia ex ipso Grotio. ipse enim Thesi nonâ, Jus in quantum æquipollet legi definit per regulam actuum moralium obligantem ad id quod rectum est; Si itaque hæc est definitio legis generatim & largissimè sumptæ, quidni etiam applicanda erit legi specialiter acceptæ, sive juri naturæ, sub hoc genere comprehenso, cum restrictione ex Objecto, unde differentia petitur, quæ hic est rectum & justum immutabile.

Conceptus
strictior.

Ad

Ad Th. X.

OBSERVATIO V.

Lex naturæ aliter sese habuit in statu Integritatis, aliter in statu Corruptionis.

Observandum autem hîc est, hanc definitionem posse dupliciter explicari, aut duplicem esse constituendam definitionem. Primò potest explicari ita, ut *res* justum sub se comprehendat id, circa quod etiam actus spirituales occupantur, aut saltem id, circa quod occupantur actus morales & civiles; aut denique in præcisione, quatenus *res* justum præscindit & latè accipitur, atque ita dicitur tum à justitia spirituali, tum morali. Si posteriori modo accipiatur, tunc hæc definitio communis est, & juri naturæ in statu integritatis, & juri naturæ in statu lapsus. Si verò priori modo accipiatur, tunc, quia aliud jus naturæ est in statu integritatis, aliud in statu lapsus, etiam duplex definitio surgit, ut scil. lex naturæ in statu integritatis dicat regulam firmiter menti impressam, quæ & ostendit rectum ex se tale, sive justum, & ad illud obligavit; quod ex eo constare potest, quia jus naturæ in statu integritatis nil aliud fuit à parte rei, quàm Decalogus cordi hominis impressus, qui ideò à DEO in monte Sinai fuit repetitus, ut urgeret hominem ad pristinæ perfectio-

Iustum duplex vel triplex.

Perfectum absolute.

Perfectum
secundum
quid ?

tionis exhibitionem, & in defectu illius ad mediatorem, qui legis finis est, sese reciperet. Ubi rectum, sanctum ex asse tale obiectum est. At si jus naturæ accipiatur de lege naturali in statu lapsus, sufficit justum morale & civile; estque nil aliud, quam regula firmiter impressa, indicans quid justum moraliter, & ad illud obligans. Differentiam hanc supra insinuavimus, & vel ex hoc unico deprehendi potest. Paulus enim Roman. 7. v. 7. dicit, nesciebam concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces. non itaque lex naturæ manifestat peccatum originis, profundum illud malum fibris omnium facultatum nostrarum intimè inhærens, sed subsistit in conatibus voluntatis, & actibus, qui ex mente deliberatâ procedunt, eosque arguit peccati, oppositum jubet, & in illo acquiescit.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO I.

Nequit Jus, si accuratè loquamur tribui brutis & ita generaliter describi, ut commune esse censeatur Homini & Bestiis.

Jus naturæ
non cadit
in Bruta.

NON malè reprehendit Author illam descriptionem juris naturalis, quod sc. sit id, quod natura omnia animantia docuit, adeoque homini cum brutis commune. Cui præ-

præluferunt Laurentius Valla, Franciscus Conanus, Dominicus à Soto & alii. Nam

(1) jus naturale non potest cadere in bruta: tum, quia jus naturale in statu etiam lapsus dicit aliquid de imagine divina prout illa accipitur in sensu ecclesiastico, & notat aliquid superstes Lumen Veri, semenque Boni; in sensu enim scripturario, qui nobis illam pingit, ut Justitiam & Sanctitatem Veritatis totaliter esse deperditam ostendit summa corruptio, quæ fuit lapsum insecuta, & passim in paginis sacris quoque exaggeratur. Imago autem divina nunquam communis fuit homini cum bestiis: tum, quia Paulus ad legem illam refert id, quod de DEO cognosci potest, *γινώσκοντες Θεόν* Rom. I. v. 20. & legem hanc dicit scriptam esse in corde contestante conscientia c. 2. Ubi itaq; non *γινώσκοντες Θεόν*, ubi non conscientia, ubi non honestatis principia, ibi nec jus aliquod locum habere potest: tum, quia si definiamus jus naturæ sive per dictamen rectæ rationis, sive per habitum quendam, exulabit à brutis legis naturæ conditio. Nam si prius assumatur, ubi non ratio est, ibi nec rectitudo rationis. Si posterius, planum est in bruta non cadere habitus, prout hoc ipsum prolixè demonstrat Franciscus Suarez tom. 2. disput. 44. de habitibus, sectione tertiâ, sequentia suggerens: *Ratio generalis est, quia in omnibus suis actibus determinatur ad unum ex vi objectorum, prout eis representantur. Quod sigillatim declaro in singulis potentiis interioribus*

Rationes,
Prima.

Secunda.

Tertia.

bus illorum. Nam de sensibus externis nulla est dubitatio: In appetitu ergo non indigent, quia appetere non possunt aliquid, donec iudicium phantasia determinatè proponat objectum, ut prosequendum, vel fugiendum, &posito tali iudicio ex necessitate appetunt, vel fugiunt. Rursus per phantasiam semper etiam naturaliter apprehendunt aut iudicant, juxta modum & qualitatem speciei per quam eis proponitur objectum. Quod idem manifestum est, quando existimatio vel iudicium fit in presentia objecti, & praesertim si nulla consuetudo praecessit. Et ratio est clara, quia minorem indifferentiam habent potentia apprehensiva, quam appetitiva, si ergo in appetitu habent, naturalem determinationem, à fortiori in phantasia. Unde fit, si contingat aliquando, ut concurrant bruto varia species objectorum, quorum nulla sufficit ad determinandam apprehensionem, vel existimationem quasi practicam, de fugiendo, aut prosequendo objecto, non posse determinari, donec species representativa aliquo modo immutetur: Unde si in itinere prius brutum haret & timet progredi, si verò fortius pungitur, statim movetur, idè est, quia species doloris vehementius excitatur, & determinatur. Igitur in presentia objectorum semper fit hac apprehensio merè naturaliter ex parte potentiae, posita sufficiente specie ex parte objecti. addantur reliqua. Accedit, quod nulla capacitas praemii in brutis compareat, nulla societas iusto & iniusto variabilis, nulla injuriæ illatio, cum juxta ipsos Jurisconsultos non injuriam, sed pauperiam

Rationes
aliaz.

riem facere possit quadrupes Leg. i. ff. *si quadrupes*, nec malè hic supra laudatus Author: *Falsum esse videtur jus naturale, ut habet propriam rationem legis, fundari in ratione natura sensitiva, ut communis est brutis animalibus, nam semper considerari debet, ut elevata ad superiorem gradum per differentiam rationalem. Quia lex naturalis non regulatur per convenientiam ad naturam sensitivam, sed ad rationalem: sensitivam autem respicit solum ut contractam. Et specialis modo perfectam per differentiam rationalem, ergo illa convenientia generica impertinens est ad distinguendam legem naturæ. Consequentiã videtur clara & antecedens probatur. Tum, quia quando lex natura aliquid præcipit in ordine ad conservandam naturam sensitivam; semper involvit modum rationalem, & ita dicitur de conjunctione maris, & scemina multò aliter, quam instinctus naturalis brutorum, ut constat de matrimonio & idem cum proportione de educatione filiorum est, & de conservatione propria vitæ & similibus. Tum etiam, quia in eodem opere materialiter communi brutis multa prohibet lex naturalis in homine, à quibus bruta non arcentur per naturalem instinctum, ut prohibet lex naturalis vagum concubitum seu fornicationem simplicem & conjunctionem cum matre vel sorore, qua privationes sunt communes brutis. (II) Quamvis generare sibi simile, & reliqui actus sint brutis & hominibus communes, non tamen juris communitatem fundant. Actus enim tales considerantur*

Error detegitur.

rantur aut ratione essentia, aut sub ratione liciti & illiciti. Priori modo communes sunt, sed ita sunt Physici, nullam moralitatem habentes. Posteriori autem modo induunt moralitatem aliquam, & consequenter soli homini sunt proprii. (2) Longè aliud est aliquid esse naturale, aliud esse juris naturalis. Actus tales sunt naturales quidem, sed non juris naturalis, quia jus dicit obligationem, præsupponit intellectum & voluntatem, quale quid in brutis non cadit. (3) Si ex eo, quod actus detur communitas, consequens est dari jus quoddam commune, etiam consequens erit, quia actus vitales dantur communes homini cum plantis, dari præter jus animale, jus quoddam cum plantis commune, quod absurdum; Rectissimè itaque Cujacius scribit: *Jus natura dici commune brutis, non quod jus repariatur in illis, sed quia in iis deprehenditur, quod, quando est in homine, jus dicitur.* (III) Argumenta, quæ suadere videntur illam communitatem cum graduum differentia non concludunt. Non illud, quod quidam urgent, quod scilicet detur notitia turpitudinis in ipsis, pudor & horror maleficii, ut constat de Equâ illa Regis Persarum apud Aristotelem lib. 9. Historiæ animalium cap. 47. & de Elephanto illo, de quo Lipsius cent. 1. Epist. 50. quod videtur inferre juris aliquam communitatem, nec (2) illud concludit, quod bestiis injuria fieri possit, juxta illud Deut. XXII.

Argumen-
ta contra-
ria recen-
sentur
Primum.

secundum

XXII. v. 6. injuria autem inferri nequeat, nisi illi, qui juris capax est, cum opposita sint circa idem, & tandem (3) quod in bestias cadat poena, E. etiam culpa, juxta illud Gen. IX. 5. Exod. XXI. 28. Lev. XX. 15 Primum enim non concludit ex eo, quia posito, quod pudor & horror alicujus turpis actus cadat in bruta, de quo tamen disputari potest, posito etiam, quod in quasdam bestias & aliquando cadat, cum oppositum tamen deprehendatur in totâ aliquâ multitudine pecorum, neque enim turpe juvenæ ferre patrem tergo; nihilominus non concluderet argumentum, quia distinguendum esset inter pudorem natum ex facto simpliciter, & natum ex cognitione facti & legis simul, in quam peccatum fuit. Posito, prius locum habere in bestiis, non tamen posterius, quod indicium est rationis. Posito etiam illum pudorem oboriri ex comparatione facti ad aliquod, cui disconvenit, non tamen illud erit lex naturæ, quasi illa quoque in Brutis locum habeat, sed instinctus quidam naturalis, cui talem actum contravenire censeretur potest. Ad (2) Argumentum respondetur: legem illam divinam non esse positam in impedimentum injuriæ bestię inferendæ, sed vel in documentum homini proponendū, ut sc. homo humanitati studeat, neque per crudelitatem in bruta exercitiam proficiat in tyrannidem adversus illum, qui est ejusdem naturæ, & ut *facilius*, juxta Tertullianum: *in bestiis premeditata humanitas in hominum refrigeria erudiatur*; Vel in utilitatis

Tertium.

Responsio
ad primū.

ad secundum.

litatis communis conservationem, ut sc. superfit, quæ generare possit; vel denique in superstitionis detestationem: cùm quidam malefici uterentur matre incubante & pullis illius simul captis ad fœcunditatem & fortunam circa nutritionem filiorum & in auguriis censebant boni hoc esse òminis. Non malè Theodoretus ad priorès respiciens rationes, scribit: *Humanitatem docet; si enim parentes capiat quis relictis pullis, intereunt planè, cum desit qui nutriet: Sin autem hos & illos venando capiat, peribit utique genus avium; si omnes talia committant.* Dices, additur promissio: ut benè tibi sit & longo vivas tempore, quæ quarto præcepto aliàs annexa. Verùm illa non est additavi juris naturalis cujusdam communis homini & brutis, cum Ebræi ipsi excipiant hïc aves domesticas gallinas, columbas & cæteras, notante Grotio, sed respectu observandæ humanitatis, vel devitandæ superstitionis. Cõsulatur hïc B. Proavus in Cõmentario ad præsentè locũ.

ad tertium

Ad (3) respondetur: malè quosdam concedere, bestias quidem esse pœnæ capaces, & negare consequentiam de culpa. Nam pœna & culpa sunt relata, quorum uno posito, alterum quoque ponitur. Quapropter potiùs negandum erit, pœnam cadere in bestiam; nam pœna non est formaliter illud, quod irrogatur bestiis, quia pœna non nisi illi irrogari potest, penes quem stetit, quo minus peccaret; sed est materialiter pœna, quatenus omnis passio dolorifica ob illam communi-

munitatem, quam habet cum afflictione pœnali, pœna dici potest. Hinc etiam culpa non locum habet, quia quemadmodum, si tegula cadat de tecto, & feriat quendam, casus & damni nomine venit ista actio. Ita, si bos cornupeta feriat, damnum dedisse dicendus erit, non autem commisisse peccatum. Voluit DEUS ut Achanis Suppellex destrueretur, quæ tamen peccati experta. III. In Fontes Opinioni si inquiramus, deprehendemus quosdam jus naturæ voluisse cadere in bruta ex eo, quia putarunt gradum illa habere aliquem rationis, nec tantum ex Veteribus quidam sic senserunt, sed & ex recentioribus ipse Claudius Salmasius scripsit; librum impleri posse exemplis, quibus probetur ratione etiam non destitui Animalia, quæ credantur rationis expertia: vel quia senserunt ex tripode dictum illud Instit. lib. I. Tit. 2. Jus naturæ est, quod natura omnia animalia docuit, & actus ibidem juri naturali transcriptos etiam in brutis locum habere animadverterunt; vel quia conformitatem quandam observarunt, neque necessarium esse existimarunt, ut notitia in subdito exsplendescat, præprimis illa, quæ ex homine radiat. sed turbida hæc sunt, neque sincerè ex vero fluunt. Primum enim fontem

Origo hujus opinionis.

)

Expenditur.

obstruit hominis dignitas tum juxta Scripturæ, tum Naturæ lumen considerata, quæ in Rationis Præsidio posita, ut verè scripserit Chrysostomus; *Per Philosophos hoc semper agit Diabolus, ut ostenderet nostrum genus*

nihil à Brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia, ratione predata esse dicerent. alterum a^{ctuum} generalitas, neque enim conjunctio duorum diversi sexus, procreatio sobolis &c. ut communia sunt homini cum Brutis capacitatem aliquam habent, & quidem proximam ad moralitatem, sive ordinem quendam ad regulam, ita ut ex conformitate ad illam vel virtuosum, vel ex difformitate, vitiosum censendi sint. tertium denique supposititia conformitas: tum, quia si ex illa jus naturæ esset deducenda, etiam ad cæteras creaturas in hoc universo vegetabiles & inanimatas esset extendenda; tum, quia illa conformitas est ordinis physici, cum jus ad aliud referatur Hæmispherium; tum, quia disputari potest, num illa voluntas, ad quam se conformant creaturæ reliquæ irrationales & inanimatæ, in DEO sit dicenda propriè lex, adeoque jus ex illa in Brutorum Republica exædificandum. Qui plura desiderat, adeat Seldenum & Mæstertium, qui in hoc puncto confligunt, illo pro nostrâ sententiâ, hoc verò pro oppositâ stante, cujus argumenta quanti sint facienda alibi ostendimus.

OBSERVATIO.

Luculentius indicium illorum, quæ juris naturalis sunt assignato videtur posse ostendi.

In hac thesi Author dicit, probari aliquid esse juris naturalis à priori, si ostendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia necessaria cum natura rationali & sociali: à posteriori, si apud gentes omnes aut moratiores aliquid obineat. Verùm an hæc sint ex vero, meritò dubitari potest: tum, quia sicut jus naturæ juxta quosdam non consistit in illa convenientia cum natura rationali; ita id, quod convenit etiam cum natura rationali, non confestim à priori ostendit, aliquid esse juris naturalis: tum, quia non est consequens; hoc ipsum convenit cum naturali sociali, E. est juris naturalis. Convenientia enim cum natura sociali ostendit saltem quid utile sit societati, & cum detur societas quoque Ephesiorum in quorum republica lex fuit, *nemo nostrum frangi esto*, non poterit jus naturæ, ex illo, quod convenit cum natura sociali quocunque modo accepta, æstimari: tum, quia illud à posteriori petitum quoque non videtur satis esse solidum. Nam, si sit sermo de gentibus omnibus, difficillimum erit tale quid ostendere, quod apud omnes gentes obtinet. Si sermo verò sit de gentibus moratoribus, controversum erit, quæ gentes sint moratiores, & cur ab illis sit petenda

Gnoris-
ta Juris na-
turalis

Non im-
mota, pri-
mo,

Secundo.

Tercio.

da juris naturalis ratio, & non ab aliis: cum illa moratior vivendi conditio, penes illos aliunde introducta dici possit, & pendere ex institutione, educatione & similibus administriculis externis. Hinc ipse Grotius mitigat suam assertionem, & dicit probabiliter saltem colligi, non apodicticè. Accedit, quod etiam illa, quæ juris gentium juxta ipsam Grotium hoc indicio gaudeant. melius itaq; si compares cum lege morali præcepta juris naturæ innotescunt, exceptis paucis in Decalogo, vel Grotjanis conjungas.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO I.

Explicatio Juris arctioris, quam tradit Author, non satis liquida esse videtur.

Jus arctius
paternum
scil. & do-
minicum.

Disputatur

Dividit Author jus humanum in latius patens & arctius. Et dicit jus arctius patens, & ab ipsâ potestate civili non veniens, varium esse, præcepta Paterna, Dominica, & si quæ sunt similia, in se continens. Cæterum an rectè hoc dicatur meritò dubitatur. Nam jus sive lex strictè sic dicta non potest non esse nisi ab eo, qui gaudet potestate legislativa. Si itaque penes patres non est talis potestas legislativa, jus quoque sive lex non erit proprie & strictè loquendo, sive arctius illud dicatur, sive laxius penes Dominos & Patres. Nam rø arctius & latius esse saltem accidentaliter sese habet ad legem, & dicitur ratione majore.

majoris vel minoris extensionis aut latitudinis objectivæ. (2) Si Scholasticos, Moralistas & cæteros in hâc materiâ laborantes sequamur, potius distinguendum erit inter legem sive jus, & inter præceptum. Lex juxta illos semper fertur communitati & potestatem legislativam præsupponit; præceptum autem particulare dicit mandatum, & convenit Domino, vel Patri in aliqua familia & domo, de quo videri potest Paulus Laymannus in Theol. morali tr. de Lege.

Distinctio
inter legem & præceptum.

(3) Si velimus præscindere & rationem legis ponere in regula formaliter, undecunque illa sit profecta cum vi obligandi, non negari potest, dari jus aliquod Patrium, Dominicum, & consequenter etiam Dominum atque patrem posse ferre leges, sed particulares, & circumscriptas, ambitu familiæ. Hinc etiam reprobari potest illa distinctio Scholasticorum inter legem atque præceptum. Ex mente Aristotelis jus herile & paternum non est simpliciter jus, sed per quandam analogiam, cum ubi injustitia secundum illum non habet locum, ibi nec justitia; habitus enim & privatio sint circa idem & ubi cessat injustitia, cessat quoque emendatio illius, quæ fit ope justitiæ, jam inter Dominum & servum non habet locum injustitia. Res enim possessa dicitur quemadmodum & pars juxta illum 1. Polit. 3. pars enim non solum aliis est pars, sed & omninò aliis. Eodem autem pacto, & quod possidetur. Quare Herus quidem servi Herus solum: illius au-

Ratio legis laxior.

tem non est. Servus autem, non solum He-
ri servus est, sed & omnino illius. Sic quo-
que inter Patrem & Filium, qui, quamdiu
non separatus à familia, pars pater esse cense-
tur, sese autem nemo vult lædere, neque in-
juria afficere potest. Denique quamvis ma-
jor videatur inter Maritum & Uxorem æ-
qualitas, quid tamen pronuncian-
dum ex superioribus colligi potest. Consulatur hic Lay-
mannus lib. 3. de Justitia tract. 1. cap. 3.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO II.

Datur Jus civile, quod à Potestate
civili proficiscitur.

Lex civilis
obligat.

Anabapti-
stæ.

Photiniani

DUm Author sub humanorū genus juriū
refert Civile, peculiare agnoscit jus, Re-
gulam quandam à jure naturæ & voluntario
divino, de quo in sequentibus, distinctam; &
cum originem ejus petat à potestate civili
vim obligandi eidem quoque tribuit. Op-
posuit autem sese huic assertioni Anabapti-
stica factio, & ut negavit licere Christianis
Magistratum gerere, ita quoque denegavit
potestatem condendi leges. Quid Photi-
niani senserint, liquet ex Replicâ Schmalzii
scribentis contra Franzium, qui propugna-
bat optimè judicare judicem ex legibus Im-
peratoriiis. Falsissimum esse, demonstratum
esse per id, quòd lex moralis homicidas, adul-
teros, filios contumaces & prodigos inte-
rimi voluerit, & tamen hodiè id, quod sc. ad
filios

filios contumaces & prodigos attinet, nullo modo Judici Christiano licere, ipsum etiam Franzium concessurum. Esse igitur legem divinam moralem, & unâ cum illâ legem naturæ ad legem Christi reformandam, limitandam, temperandam: hanc omnium enim perfectissimam & legum divinarum Coronidem esse: idem etiam & multò magis de legibus imperatoriis dicendum esse & quemadmodum multos naves à Theologis & Jurisconsultis suis sublatos esse doceat Franzius, ita omnes illos reliquos tollendos esse, quicunque eas tradant leges, quæ legalibus multò sint rigidiores, & quæ cum mansuetissimâ & sanctissimâ religione convenire non possint. Joannes Calvinus non quidem negavit potestatem constituendi leges civiles illi, qui Majestate gaudet, de vi tamen obligante disputavit, & in conscientia illas non obligare defendit lib. 4. Instit. cap. 10.

Calviniani

§. 5. scribens: *Nunc ad humanas leges redeamus. Si in hunc finem lata sint ut religionem nobis injiciant, quasi per se necessaria sit earum observatio, dicimus conscientia imponi quod fas non erat. Neque enim cum hominibus, sed cum uno Deo, negotium est conscientis nostris. Quò pertinet illud vulgare discrimen, inter terrenum & conscientia forum. Quum totus orbis densissima ignorantia caliginis abvolutus esset, hac tamen exigua lucis scintilla residua mansit, ut humanis omnibus judiciis superiorem esse hominis conscientiam agnoscerent. Quanquam quod uno verbo fatebantur,*

bantur, postea reipsa labefactabant: voluit tamen Deus testimonium aliquod Christiana libertatis tunc quoque extare, quod ab hominum tyrannide conscientias eximeret. Sed nondum expedita est illa facultas, qua ex Pauli verbis nascitur. Nam si Principibus obediendum est non parva tantum, sed conscientia causa, inde consequi videtur, in conscientiam quoque dominari Principum leges. Quod si verum est, idem & de Ecclesiasticis dicendum erit. Respondeo primum: inter genus & speciem hic esse distinguendum. Nam etsi leges singula conscientiam non attingant, generali tamen precepto Dei tenemur, quod magistratum auctoritatem nobis commendat. Atque in hoc cardine versatur Pauli disputatio, Magistratus, quoniam à Deo sint ordinati, honore prosequendos esse. Interea minimè docet, qua ab illis scribuntur leges, ad interiorem animam gubernationem pertinere: quum ubique & Dei cultum & spiritualem justè vivendi regulam supra qualibet hominum placita extollat. Alterum quoque notatu dignum est (quod tamen ex superioribus pendet) leges humanas, sive à Magistratu, sive ab Ecclesia ferantur, tamen si sint observari necessaria (de probis & justis loquor) idèò tamen non ligare per se conscientiam, quia tota observandi necessitas ad generalem finem respicit, non autem consistit in rebus preceptis. Ab hoc ordine procul distant, qua & novam formam prescribunt colendi Dei, & necessitatem constituunt in rebus liberis. Quem sequitur Guilielmus Amesius,
 qui

qui ita disputat lib. 5. de Consc. c. 25. & quærenti. *An & quatenus leges humana obligent conscientiam.* respondet 1. *Conscientiam propriè, directè, immediatè, & per se, nihil obligat præter legem divinam.* 1. *Quia conscientia vel anima non propriè subicitur nisi Deo.* 2. *Quia regula conscientia est lex Dei in corde inscripta Rom. 2. 15.* 3. *Quia homines non possunt de conscientia judicare.* 4. *Quia non possunt spiritualem pœnam conscientie inferre, pergit Leges tamen humana observanda sunt propter conscientiam erga Deum. Rom. 13. 1.* respondet *Quia lex Dei constituit hunc ordinem, ac potestatem & subjectionem ac obedientiam eidem jubet præstari.* instat ulterius *Quia autem lex Dei directè & immediatè subjectionem imperat erga potestatem supereminentem, idcirco in omnibus legibus humanis, obligantur subditi, ne eidem sese opponant ex contemptu auctoritatis publicæ, aut quidquam admittant, quod tale quid cum scandalo præ se ferat* *ibid.* respondet, *quia potestatis contemptus, & aliorum offensio, & per se peccatum adversus legem DEI.* quærit *Leges illa humana qua vel urgent, vel declarant legem divinam, vel directè faciunt ad ejus conservationem, obligant etiam in conscientia.* respondet *quia tales leges, quatenus sunt tales, participant naturam & vim legis divinae.* urget 5. *Alia leges humana quia possunt esse vel justæ, vel injustæ, vel partim justæ, vel partim injustæ, idque ratione efficientis, materia, formæ, finis, & hujus aut illius subiecti, vel adjuncti, idcirco non ita simplici-*

ter alligant, ut earum qualibet violatio culpam lethalem adducat. Sic enim si esset, tum quot sunt leges tot essent laquei animarum, & qui sub legibus vivunt, pluribus multo peccatis essent obnoxij, quàm qui in barbaris gentibus, vel absque legibus, vel cum paucissimis transigunt vitam. Subscribit Johan-Jacob. Wissenbach. Disput. I. lib. I. definiens: *Leges humanas etiam justas, quæ sunt leges hominum, non obligare Conscientiam.* Sententiam Anabaptistarum, Wigelianorum & Photianorum prosternt tum Scriptura, tum recta ratio, illa quidem dum politicæ potestati tribuit facultatem illam regiminis Prov. 8. v. 15. Rom. 13. v. 1. & seq. 1. Pet. 2. v. 13. hæc verò dum ostendit nihil mali in illa facultate legislatoria, aut repugnans juri naturali posse monstrari, imò utilitatem publicam exigere quandoque ut leges ferantur, cum multa sæpè emergant, quæ non nisi moderamine legum in Republicâ possunt temperari, & etiam talia quædam occurrant in ordine humanarum actionum, quæ adiaphoriâ gaudent quædam, quæ eo ipso censentur humano relicta arbitrio, quia natura ad certum genus oppositorum illa non determinavit. Calvinus verò cum suis videtur sententiam suam hausisse ex Gersone, qui concludit, quoties peccari videtur contra legem humanam, non incurri culpam ex transgressione legis humanæ, sed divinæ quæ ibi conjungatur, ita quidem ut lex humana tantum sit explicatoria obligationis in lege divinâ, non autem

Heretici
confutan-
tur.

Calvini
sententia.

autem obligatoria: quod illustrat exemplo Medici imperantis alicui ne bibat vinum purum, si velit vitam conservare; ubi quidem obligatio oriatur non bibendi, verum non ex Imperio Medici, sed virtute legis divinæ. Gersoni accesserunt Alamain, Decius, Imola & alii. At nimis exile hoc est. Nam primo, qui gaudet Majestate DEUM, refert in his terris, Vicarius est Numinis, Minister Summi Imperatoris, qui legem fert per potestatem ab illo acceptam: qui itaque transgreditur legem à tali latam, injuriosus est in ipsum DEUM, cujus personam imperans refert. Secundo, qui gaudet Majestate gaudet potestate legislativa, potest condere statuta, injicere subjectis vincula, cumque de ratione legis sit vis obligativa, qui negari poterit legem talem à summâ potestate latam pertingere etiam ad conscientiam, cum ipsum jus naturæ dicet obediendum esse Superioribus. Tertio, qui gaudet Majestate ei subjecti esse debent cives propter DEUM, h. e. non tantum timore pœnæ, ut Petrus docet, prima Epistola capite secundo versiculo 13. Gersoni verò sententia aut ita accipitur, ut nullam obligationem in conscientiam admittat, nisi illarum legum, quæ ex fonte juris naturalis sunt deductæ, aut ut nullam, nisi in virtute principii cujusdam generalis, præscindendo à particulari fluxu legis latæ, quale principium est, Superioribus esse in illis, quæ non sunt contra DEUM, obediendum; si prior sensus obtineat, non potest assensus eidem accommodari

Gersoni
Opinio ca-
stigatur.

dari; supra enim docuimus non omnes leges civiles esse rivulos juris naturalis, fluere quædam ex arbitrio Principis, & in illud sese refundere: cumque in tali sit potestas legislativa, sufficiens fundamentum obligationis deprehenditur etiam citra illum ordinem & respectum ad jus naturæ. Si verò posterior sensus intentus sit, mitius erit censendum, quamvis in rei veritate non tam vim obligandi, quam explicandi illa quæ jam naturaliter præscripta sunt, videatur admittere: liquet autem leges esse vel declarativas juris naturalis e. g. quæ vetant homicidium, adulterium, furtum & cætera. Quibus tamen novus accedit obligationis nervus ex Principis jussu vel prohibitione; quasdam obligativas specialiter rei aliâs mediæ e. g. exportationis frumenti, numi vel alterius alicujus rei in aliam Provinciam. nec tantum priores obligare vi materiæ præceptæ & concurrentis actus prohibitorii à Principe, sed & posteriores, non quidem ex materiæ bonitate vel malitiâ, sed Superioris Imperio. nec dependentia si admittatur ex lege naturæ uniformis est; cum vel lex humana pendeat ex illa per modum conclusionis, vel per modum determinationis lege naturali in generali tantum subsistente. in priori genere dependentiæ fortior est obligatio; In posteriore remissior, quia prior, & vi juris naturæ, & jussus accedentis obligat; posterior verò, in quantum determinativa, obligat tantum vi potestatis legislativæ in Superiore, penes quem est τὸ κύριον
civi-

civitatis. A Calvino vero & qui illum sequuntur, recedunt ex fociis Musculus, Ursinus & alii, & non malè pronunciat Robertus Sanderfon Theologus Anglicus, hos, qui affirmant leges humanas obligare in Conscientiâ & commodiùs ad vitæ institutionem, & cautius tutiusque ad vitandum errandi periculum, & ad formam sanorum verborum propius locutos, quàm qui negativè. Candidè verò num agant Pontificii Anabaptistis sociantes Waldenses, quasi potestatem legislatoriam in Majestate non agnoverint, dignosci potest ex illis, quæ ex Regnero Inquisitore, Couffordo Sorbonista, Claudio Seisellenfi Archiepiscopo Taurinensi hostibus illorum aliqui producant. Obfirmamus hanc observationem verbis Augustini, quæ leguntur lib. 19. de Civitate DEI cap. 17. *Civitas, inquit, cœlestis, dum apud terrenam civitatem, velut captivam vitæ suæ peregrinationis agit, jam promissione redemptionis & dono spirituali, tanquam pignore accepto, legibus terrena civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentanda mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat. Et infra: hæc ergò cœlestis civitas, dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus, legibus institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, immò etiam servans, assequens.*

Waldenses
vindican-
tur.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO III.

Quaquam admittatur Jus quoddam Gentium, Ratio tamen illius difficilis est Eplicatu ex varietate Opiniorum.

Jus gentium
obligatorium.

Vasquii
Sententia.

IN eadem thesi Author, cum tres species constituisset juris humani, civile, & arctius civili, quod est œconomicum, & latius patens, quod est jus gentium, de jure gentium differit, materia sane intricatissima & jus gentium definit id esse, quod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit. Rectè quidem videtur dicere jus gentium habere vim obligandi, nullum enim jus, nulla lex est absque vi obligandi. Minus autem dextrè juxta quosdam, quod illam vim obligandi à gentium omnium vel multarum voluntate deducit. Alii itaque aliter sentiunt: laudat in suam sententiam Fernandum Vasquium, qui censet: *Et omnia qua sunt juris gentium prius fuisse juris tantum civilis, sed paulatim serpsisse, aut velociter transvolasse ad reliquas gentes & regiones, sicque cum primum ab uno vel altero homine vel regione inventum quid fuisset & receptum, tunc juris tantum civilis non & juris gentium id esse. Verum postquam eo jure omnes omnino aut pleraque aliorum gentium uti quisque cepissent, jam juris gentium effectum*

etum videri, inque jus gentium conversum & transformatum. Quemadmodum & ex diverso, si id quod hodie juris gentium est, in consuetudinem abire forte cœpisset, ita ut penes unum tantum provincia maneret, sine dubio juris gentium esse desineret, & jam juris tantum civilis esse diceretur. h. e. illius civitatis vel regionis, penes quem adhuc id jus perduraret. Distinguunt itidem quidam & præmittunt jus gentium accipi aliquando latè & improprie, aliquando strictè & proprie. Latè acceptum jus gentium esse, quod pluribus populis placuerit intuitu utilitatis cujusdam publicæ, eitra tamen obligationis mutæ nexum: strictè autem acceptum jus gentium mutuam obligationem complecti. Ut verò paulò penitius in hoc argumentum respiciamus, notamus I. Controversam esse Existentiã hujus juris. Nam I. in Scripturis sacris nihil de illo occurrit; & Paulus Romanorum capite secundo & tertio agit contra Gentes & Judæos tantum ex lege naturali & divina. II. Aristoteles libr. 5. Eth. cap. septimo universum jus *δικον* dividit in naturale & legitimum: nec tantum silentio præteriit jus gentium, sed, si expendatur oppositio videtur illa esse immediata: ea autem, quæ juris gentium, vel ad prius membrum jus scilicet naturæ, vel ad posterius posse referri, & vel divinum est illud jus vel humanum; non prius agnoscente ipso Grotio; ergò posterius. Si autè hoc non nisi gradu latitudinis videtur differre à jure

Distinctio
 quorundam.

Existentiã
 Juris gentium
 controversa
 Argumenta.
 Primum.
 Secundum

tertium. legitimo, five civili, quod Vasquiana volunt.
III. Jus illud gentium aut arcessimus à Deo le-
 gislatore per insitionem in corda gentiũ, vel à
 populorũ voluntate & conspiratione. Si prius,
 erit potius jus naturale quàm gentium, &
 quĩ voluntarium dici possit contradistinctè
 ad jus naturæ videtur *ἀκατάληπτον*. Si po-
 steriorius, non tantum difficilis ille consensus e-
 rit demonstratu, sed & ad rationem legislatio-
 nis non adspirabit, sed intra pacti fines sub-
 sistet. & sanè verba à Vasquio supra adducta
 & à Grotio in præsidium causæ laudata, jus
 gentium à dignitate sua, quam obtinuit ha-
 ctenus, inter reliqua jura dejicere videntur
 magis, quam stabilire. Dari tamen jus gen-
 tium quoddam non videtur absolutè negan-
 dum, nec argumenta supra adducta conclu-
 dunt: non primum; quia non opus est, ut in
 Scripturis expressè ostendatur hoc jus, suffi-
 cit si aliundè constet obtinere inter populos,
 nec consequens est, si Paulus mentionem il-
 lius non injiciat illud negasse, nam nec juris
 civilis meminit, cum fuerit extra scopum il-
 lius, qui convictio Judæorum & Gentium
 de peccato, quod sufficienter potuit fieri
 comparando illos ad legem divinam & natu-
 ralem; & forsan non tam transgrediuntur
 gentes jura gentium ex utilitatis respectu,
 quam naturalia, quæ solo honestatis funda-
 mento subsistunt. Non alterum vestigia enim
 juris gentium occurrunt apud Aristotelem
 lib. 1. Polit. cap. 6. & lib. 2. cap. 8. quamvis
 etiam divisio illa ex Ethicis petita sit im-
 mediata,

Existencia
probat.

Responde-
tur argu-
mento pri-
mo.

Secunda.

diata, si jus legitimum laxè accipiatur, prout & jura gentium & civilia comprehendit, Τελεχοποιμία tamen defendi potest, si τὸ νομιμὸν strictius accipiatur; tandem non gradu latitudinis tantum differre à civili jure, si sit humanum, ex eo patet, quia etiam inter jura humana specifica obtinere potest differentia genericè se habente ad illa τῷ humano. non tertium utut valdè speciosum. nam utut non à DEO deducatur hoc jus per modum impressionis naturalis, non tamen necessum est illud derivare à consensu populorum, cum alii aliud Fundamentum ponant: præterea, si consensus ille ad pacti taciti naturam accedit, posito, quod fundamentum hoc sit admittendum, saltem consequens erit non strictè sic dictæ legis rationē jus gentiū habere, sed debiliore modo, vel inferiore gradu aliquo nomine & dignitate juris gaudere, de quo in Epicrisi.

tertio.

II. Controversam esse illius distinctionem à jure naturæ. Quidam enim opinantur jus gentium differre à jure naturali, quod hoc etiam ad bruta se porrigat, illud verò tantum inter homines locum habeat verum, si rem rectè judicii lance expendamus, distinctio talis ex superioribus admitti nequit, & jus gentium in illo sensu, quo in Corpore Juris & apud peritos hujus artis occurrit, non videtur aliud esse quàm jus naturæ sensu theologico acceptum; tum, quia describitur, ut tale, quo gentes utuntur humanæ, ferè ad mentem Apostoli Rom. 2. v. 14. tum, quia exempla illius recensentur religio in DEUM,

Distinctio à jure naturæ explicatur & vindicatur. Prima Opinio refutatur.

obedientia erga parentes, insidiarum nefas &c. quæ juris utique naturalis, & in Decalogo repetita sunt ab ipso DEO; tum quia illud jus, quod proprium homini, contradistinctum voluntario, divino atque humano nullum videtur nisi jus naturæ. Alii discernunt jus gentium à naturali, ut illud se habeat per modum conclusionis remotæ à jure naturæ, hoc autem in primis principiis subsistat, vel si discursus interveniat proximè juris punctum attingat. at ita differet jus gentium & naturale non secundum intrinsicam rationem vel speciem, sed tantum secundum gradum propinquitatis ad originem; imò, si conclusio etiam remotior juxta quamplures eandem habet naturam cum principio, ex quo fluit, non tam distinctum erit jus illud, quod gentium dicitur, quàm ramus in arbore, folium in flore: secundò, si gaudet intrinsicâ necessitate, si conclusionis naturam refert ex jure naturæ, non humanum sed divinum erit jus, non oriundum ex gentium arbitrio, sed summi Regis Imperio; denique stante hâc sententiâ erit hoc jus immutabile, neque consistet explicatio cum illis, quæ Author produxit ex Vasquio. Quidam denique jus naturale & gentium ita distinguunt, ut illud dicant complexum principiorum vel conclusionum citra respectum ad societatem humanam vel voluntatem nostram, adeoque antecedenter ad illa. Hoc verò complexum conclusionum ex principiis naturæ cum respectu & ex Suppositione humanæ societatis & con-

Altera.

Tertia.

& consideratione circumstantiarum ad conservationem illius necessarium. Sed & hęc pedem figere non videtur tutum, nam quamvis pręcepta juris naturalis, exempli gratia secundę tabulę, antecedenter quidem in homine existant ad societatem humanam, & quam primum homo esse incipit, illa sibi habeat impressa, tamen respectum quendam involvunt ad societatem; & quando indicat lex naturę non esse adulterandum, non furandum & cętera, indicat proximo non esse inferendam injuriam, neminem lædendum esse, societatem non esse turbandam: ut nihil dicamus hanc sententiam iisdem argumentis premi, quibus secunda, in quantum nonnisi ex jure naturę derivare intendit illud, quod dicitur Ius gentium. Unicum pręterire non possumus hęc, distingui à quamplurimis jus gentium in primævum & secundævum in cujus tamen explicatione mirè variant, aliis ex tempore diverso cum Connano, aliis ex diverso propinquiore scil. vel remotiore nexu cum jure naturali eum Vasco, aliis ex societate diversa domestica vel civili cum aliis illam distinctionem deducen-
tibus, quam ut non necessariam putamus posse negligi. Consulatur Jacobus Mæstertius Dubitatione IX, qui pariter illam rejicit.

III. Controversam esse illius Originem, Radicem & Fundamentum. Opinantur enim quidam illud ex consensu populorum fluxisse, sed natales hos impugnat non una ratio in contrarium, & videntur spurii partim,

Distinctio
in Ius gen-
tium pri-
mævum &
secunda-
rium num
admitta-
tur?

Origo di-
sputatur
Consensus
populorū.

Examinan-
tur objecta

quia talis consensus demonstrari nequit, partim, quia universalis non potest ostendi, partim, quia quæ consensu coaluerunt, opposito dissensu possunt rursus desinere. Jus autem gentium firmitus est, quàm ut à tam mutabili principio pendeat, & dissensu solvatur. Utut autem speciosè hæc dicantur, reponi tamen poterit non necessarium esse, ut hic consensus demonstretur, quasi opus fuerit, ut gentes convenirent in unum, & de quibusdam placitis conferrent, in quæ conspirare animus, cùm sit consensus tacitus & comprobatio usu stabilita, nec ut universalitas probetur, cùm illa non requiratur ad jus gentium, cùm aliàs quamplurima ex Albo hujus juris essent expungenda, quia quidam populi contrarium sequuntur; tandem non quæ consensu fuerunt stabilita, confestim dissensu quoque posse dissolvi, si consensus ille innitatur communi tranquillitati à ratione rectâ ostensæ existimamus, nec ut pro absolutâ immutabilitate juris gentium operosè pugnetur necessarium esse arbitramur, rectè enim Suarez: *Differunt jus natura & gentium: Quia jus gentium non potest esse tam immutabile, sicut naturale, quia immutabilitas ex necessitate oritur: Ergò quod non est aequè necessarium, non potest esse aequè immutabile.*

Forma &
Definitio
variat.
Vasquezii.

IV. Controversam esse illius Formam, Indolem & Definitionem. Gabriel Vasquez Disputatione CLVII. cap. 3. describit illud, quod sit jus permissionis & utilitatis conveniens humanæ naturæ, consideratæ in civili

vili communitate. & addit quædam hoc modo convenire & utilia esse hominibus in civitate constitutis, quæ homini secundum se & solitariè degenti non conveniant. Hanc igitur permissionem rei convenienter toti naturæ hominis secundum statum civitatis dici jus gentium. Hugo de Roy definit, quòd Hugonis de Roy. sit tale jus, quod naturalis ratio inter omnes homines constituerit usu exigente & humana necessitate, & explicat ulterius dicendo: nimirum quòd rationis discursu ac ratiocinatione hominum, multo rerum usu, variâque necessitate humanæ conditionis & statu societatis exigente, ab hominibus introductû, atque ob evidentem per omnia naturalem æquitatem, atque utilitatem de tempore ad tempus in gentium usum moresque pervaserit. Scholastici Doctores illud volunt esse Scholasticorum. jus gentium, quod liberâ omnium, aut ferè omnium nationum consensione atque usu receptum vim obligandi acceperit, quæ Definitio Grotianæ proximè accedit, & quam probant Franciscus Suarez, Gregorius de Valentia, Ludovicus Molina, Salas, Bonacina, Castro Palao & alii. Exponunt autem illam ita, ut de liberâ consensione dicant, non sufficere ad jus gentium, ut plures seorsim & independentè ab invicem ad privatum bonum suæ Reipublicæ eas leges condant, quæ juris gentium non censeantur, sed debere easdem communi authoritate & consensu ad bonum omnibus commune statuere, animo se ultrò citròque obligandi: de receptione

quantum ad usum dicunt, quamvis absolute loquendo jus gentium posset scripto constare, ut jura civilia, de facto tamen non scripto vel simili solennitate, sed moribus & usu esse introductum, quod eo facilius fieri poterit, quo pleraque omnia hoc jure sancita sint conformiora naturæ humanæ & omnium quasi nationum genio ac propensione magis consentanea. Denique dicunt de vi obligandi, id quod singulis gentibus placuerit, sed sine obligatione propriè jus gentium dici non posse, hoc enim jus cum lex quædam sit sine obligatione constare non posse. Sed de hoc constabit ex Epicrisi nostrâ subjungenda.

Latitudo
Objecti,
quomodo
explicanda

V. Controversam esse latitudinem Objecti, Videtur enim cespitare Grotius, quod existimat etiam id esse juris gentium, quod inter moratas solum obtinet. Dicit enim multarum quandoque voluntate ipsum constitui, cum præter naturale vix aliquod detur omnibus gentibus commune: & quod in una parte orbis terrarum est jus gentium, id alibi non esse. Nam si barbaræ gentes quoque gentes sunt, utique illos etiam respiciet jus gentium, si pœnæ sunt obnoxia in casu fracti juris gentium, obligatæ utique erunt non solum moratiores, sed & barbaræ, si denique jus gentium dicitur ex eo, quia, sicut jus naturæ dirigit hominem qua talem, jus gentium autem qua viventem in aliquo populo, cui negotium est cum aliis, & hodiè omnia individua hominum accenseantur certis populis, jus gentium æquè universale

Argumenta
contra.
primum.
secundum.
tertium.

versale erit, atque jus naturæ. Verùm quid Epicuriſis.
 obſtat, quo minus dicamus jus gentium eſſe
 omnium gentium quidem, præcipuè verò
 animadverti in moratoribus, & ſufficere
 proinde multas ad hunc ſcopum, prout jus
 naturæ eſt quidem omnium hominum, ſed
 non in omnibus æquè deprehenditur, ſed in
 quibusdam magis effulget, quibusdam tene-
 bris illud involventibus. Sint itaque obje-
 ctum non gentes ſaltem moratiores, ſed gen-
 tes qua tales, quia, ſicut objectum juris na-
 turalis eſt homo qua talis, ſicut objectum
 juris civilis eſt civis, qui obligatur jure civili,
 ita jus gentium eſt gentium qua talium, præ-
 ſcindendo num ſint moratæ an barbaræ,
 quodque plures gentes ſive populos in pu-
 blicis actibus obligat, ita tamen ut dilucidius
 illud ex moratoribus appareat.

Denique VI. Controverſa eſſe Exempla,
 quæ adducuntur & cadere ſub hoc jus dicun-
 tur à Doctõribus. unum atq; alterum luſtra-
 bimus ex communi ordine; juris gentium
 eſſe dicitur Legatorũ admiſſio & immunitas,
 commerciorum uſus, jus belli & fœdera pacis;
 hæc tamen ſi penitus inſpiciantur non tam le-
 gis ſunt & ſub vi obligatrice, quàm permis-
 ſionis & conſeſſionis, cujuſdam voluntariæ;
 Admiſſio enim Legatorum non eſt neceſſi-
 tatis conſtringentis ex aliquo ductu legis, ſed
 gratiæ, benevolentiæ, & favorabilis conſe-
 ſſionis poſſet enim Rex aliquis latè imperitans,
 qualis Sinenſum, non admittere extraneum,
 contentus vivere regno ſuo ampliffimo, & ita

Exempla
 num ſine
 factis liqui-
 da?

Legatorum
 Conditio.

fuisse observatū superioribus temporibus ab istis Imperatoribus historia testatur. supposita autem admissione, inviolabilitas illa, quā gaudent, non tam juris gentium, quā naturæ esse censetur. **Ufus Commerciorū.** Commerciorum usus cum aliā Republicā & regno itidem non est necessarius ex jure quodam, neque unus Rex alterum aut Respublica aliam violati juris accusare potest, si deneget hunc usum, sibi ipsi sufficiens. sic Tartariæ regnum ad commercia cum aliis videtur esse minus pronum, ubi & instrumentum deficit aptum, cū, teste Haytho, monetā utantur de papyro formā quadratā, nec indigeant aliorū mercimoniis. **Jus belli & fœderum.** Jus belli & fœderum commodè censetur posse reduci ad jus naturæ, ut consequenter videatur aut nullum jus gentium esse admitendum, aut, si tale statuatur in sententiam Vasquesii esse transeundum. **Judicium de totā cōversā.** Ut itaq; mentem nostram exponamus, dicimus: primò jus gentium proximè accedere ad naturam consuetudinis cujusdā generalis. Ut enim jura civilia, quæ strictæ legis rationē habent, sequuntur instar umbræ alicujus quædam consuetudines, quæ paullatim vim acquirunt temporis tractu, ita videtur jus naturæ habere è latere jus gentium, tanquam consuetudinem quandam, quæ universaliter, vel mathematicè vel moraliter inter gentes obtineat ipso tempore etiam roborata; liquere id existimamus, quia consuetudo si spectetur, ut quid facti, dicit frequentiam actuum similium exercitorum à majori parte communitatis. at
talē

tale quid deprehenditur in jure gentium, & docet historia: tum quia si consideretur in ratione juris est jus non scriptum & ex usu longo natum. at & hoc in jure gentium deprehenditur, quamvis enim Scriptura illi non repugnet, censetur tamen esse jus quoddam non scriptum: tum quia consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, quod itidem si ad gentium mores extendatur juri illi convenire planum est. secundo, si conditiones præcipuas consuetudinis examinemus aptari illæ poterunt juri gentium sat commodè. Requirit enim consuetudo ratione materiæ, ut id, quod introducitur, possit esse habile ad legem, docente ita Reginaldo, Azorio, Rebello, qui id quod per consuetudinem introducitur, volunt tale esse, quod possit esse materia legis, & proinde remouent ea, quæ contra jus vel naturale vel diuinum pugnant, ut & inutilia aut contra commune bonum pugnantia: requirit, ut introducatur per actus voluntarios, humanos & liberos, ut volunt Salas, Suarez, Reginaldus & alii. Requirit ut major pars communitatis illam perfectè inducat vel saltem, ut populus frequentiam actuum similium videat & permittat: adde temporis spatium, consensumque Superioris, si non expressum, tamen tacitum, quæ omnia analogo comparere in jure gentium deprehendimus. Tertio, si definitiones supra positæ expendantur Hugonis de Roy & cæterorum Doctorum patebit, illa multum affinitatis habere

secundum.

tertium.

cum

Vasquezii
Sententia
dimittitur.

Societas
gentium.

cum communi quadam consuetudine rationabili, qualem jus gentium esse dicimus, & posse ita suo subsistere talo. II. Notamus, ut quædam dicuntur esse juris naturalis permissivè, hoc est, impropriè, cum jus acceptum pro regula non permittat, sed obliget, quæ proinde ex Circo juris naturalis removen- da; ita quoque separanda esse ex districtu ju- ris gentium, quæ meram dicunt permissio- nem factorum, & ita nos non accedere Vas- quezio, qui jus gentium permissiones saltem vel concessionem esse existimavit licitè agendi aut non agendi aliquid sine ullâ tamen obliga- tione. III. Observamus dari quandam univer- salissimam Gentium & Nationum societatem, quæ etiam inter diversa Imperia colitur, & quidem aliquo modo naturalem: cum enim DEUS huic regioni hæc, alteri alia dederit, huic hæc negarit, alteri alia, non enim omnis fert omnia tellus hoc ipso provocare voluit vel aliquarum rerum ubertate, vel aliarum in- digentiâ ad universalissimam in toto Orbe colendam societatem. Confirmat hoc ip- sum non contemnendi ingenii Doctor, qui sequentia posuit: *Quia humanum genus quan- tumvis in varios populos, & regna divisum, semper habet aliquam unitatem non solum specificam, sed etiam quasi politicam, & mo- ralem, quam indicat naturale preceptum mu- tui amoris & misericordia, quod ad omnes extenditur, etiam extraneos, & cujuscunque nationis. Quapropter licet unaquaque civitas perfecta, respublica, aut regnum, sit in se com-*

munis ad

munitas perfecta, & suis membris constans, nihilominus qualibet illarum est etiam membrum, aliquo modo hujus universi, prout ad genus humanum spectat; nunquam enim illa communitates ad se sibi sufficientes sigillatim, quin indigeant aliquo juvamine, & societate, ac communicatione, interdum ad melius esse, majoremque utilitatem: interdum etiam ob moralem necessitatem & indigentiam, ut ex ipso usu constat. Hac igitur ratione indigent aliquo jure, quo dirigantur, & rectè ordinentur in hoc genere communicationis, & societatis.

IV. Attendimus affinitatem illius cum jure naturali, quod dupliciter intelligi potest: vel per participationem ejusdem naturæ, vel per convenientiam rationis. Priori modo non pugnamus pro illâ, cum jus gentium sit jus distinctum, jus voluntarium, jus humanum; posteriori verò modo dicimus affinitatem habere cum jure naturæ, quia Ratio ad utilitatem publicam, necessitatem & honestatem respiciens in illa, quæ juris gentium sunt positâ societate pro-pendet.

V. Colligimus vim obligandi esse concipiendam ad modum illius, quæ in consuetudine aliâs occurrit: ut enim illam inchoat populi, consummat verò Principis consensus tacitus: ita recta ratio dictans populis hoc necessarium & utile esse Contextui Rerumpublicarum, nec repugnare honestati, sed potius ad minimum in aliquibus valdè convenire, consensum peperit in obligationem eorum, quæ juris sunt gentium, quem

Supe-

Affinitas
 cum jure
 naturali.

Vis obli-
 gandi.

Actus probe discernendi.

Definitio Juris generalium.

Superiorum Majestas stabilivit. VI. Denique monemus accuratè discernendos esse actus, qui sub jus gentium aliàs sine discrimine referuntur, & sanè quamplures esse, quæ non tam actus alicujus honesti, aut sub obligatione existentis rationem habent, quàm liciti & permitti: quod, sicut Vasquezium in alterum extremum impulit, ita prioris generis erunt accuratiùs ab illis, quibus otium, & qui hîc domi sunt, enucleandi. Definimus ergò jus gentium regulam actuum publicorum, quæ gentes, quâ tales instruit, & obligat ad id, quod societati humanæ utile est & necessarium.

Ad Th. XV.

OBSERVATIO I.

Non adæquatè Author Jus divinū voluntarium à naturali discernit.

Differentia Juris naturalis & voluntarii divini

Differit I. hîc de jure voluntario, quod dicit esse illud, quod ex voluntate divinâ ortū habet, & ita differt à jure naturali. Cæterum Jus naturale est etiam divinū, quia habet originē à DEO, non quidē à voluntate divinâ tantum sed & à sanctitate. Deinde jus naturale præcipit aliquid interius, jus verò voluntarium divinū aliquid exterius. Tertiò jus divinum voluntarium illius est, quod justum est propter voluntatem DEI, contra jus naturæ antecedenter ad voluntatem divinam illius est,

est, quod justum est ex congruentia cum integritate divina. Ita scilicet jus naturale in statu primo differt à jure voluntario e. g. lege lata de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Jus autem naturale in statu lapsu itidem differt à jure divino voluntario; tum, quia hoc à voluntate divinâ pendulum & à DEO mutari potest, illud verò immotum; tum, quia hoc exterius publicatur, illud verò cordi inscriptum; tum, quia hoc in talibus occupatur, quæ, ut Anaxarchus dixit, justa sunt, quia DEUS voluit, illud verò in talibus, quæ bonitate quadam gaudent in præcisione etiam ad voluntatem & Imperium divinum. II. Dicit legem voluntariam divinam ter humano generi datam esse à DEO. Statim (1) post hominem conditū, (2) in reparatione post diluvium, & deinde (3) in sublimiori reparatione per Christum: quo nimirum omnia fallant, respicit ad Judæorum illud commentum de præceptis Noachitarum; nam illa putant humano generi tradita condito homine. Ita enim Maimonides: *Sex res sunt imposita homini: primò Idololatria vitatio. Numinis benedictio. Fuga homicidii, illiciti concubitus, rapina, & judiciorum administratio.* Hæc fuisse repetita cum auctario asserunt in reparatione humani generis post diluvium adjectâ scilicet abstinentiâ à carne crudâ. Quamvis enim juxta Maimonidem potius statuendum sit hæc præcepta fuisse naturaliter indita primo homini, adeoque non spectare ad jus divinum voluntarium

Lex voluntaria num- ter data?

Q

Error di-
 stinctionis.
 Primo in
 universall-
 tate.

secundo.

tertio.

Nulla Lex
lata à Chri-
sto.

tarium, sed naturale, nihilominus cæteri re-
 cutiti volunt illa Adamo esse promulgata &
 per traditionem ad posteros dein fuisse de-
 ducta. III. Errat Author dum triplex jus
 divinum introducit. Nam (1) non potest
 dici hæc jura omnes homines obligare.
 Totum enim illud jus, sive lex lata quam
 Judæi propugnant post diluvium non o-
 mnes & singulos homines obligat. Inter
 præcepta enim Noachidarum septem illa,
 de quibus fusè agit Seldenus in tract. de ju-
 re naturali & gentium, erat quoque unum,
 non tollere membrum de animali vivente,
 carnem cum sanguine non comedere, sive
 ille adhuc in carne contineretur, ut in ani-
 malibus mortuis & suffocatis, sive seorsim
 fumeretur; ut in farciminibus, atqui absti-
 nentia à sanguine comedendo nec omnes &
 singulos homines obligat, nec pro omni
 tempore obligavit. (2) Etiam disputari po-
 test, an illa lex, quæ post hominem condi-
 tum lata est, scil. de non comedendo fructu
 vetitæ arboris omnes & singulos homines
 obliget. Hoc quidem certum est, in Ada-
 mo omnes fuisse obligatos ad illam abstinen-
 tiam. Hodie autem non potest dici omnes
 homines obligari, cum nec extet arbor illa,
 nec paradisus. (3) Id vel maximè repre-
 hensione dignum est, quod dicit in subli-
 miori reparatione per Christum humano ge-
 neri datum esse jus sive legem aliquam no-
 vam positivam: partim, quia Christus non
 legislator fuit aliquis novus, prout nostri
 Theo-

Theologi demonstrant contra Papistas & Photinianos. Lex enim per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum Joh. I. v. 17. partim, quia nullum jus novum poteſt produci poſitivum, quod Chriſtus tulerit in ſublimiori illa reparatione univerſo generi humano, ſed quoties incidit quæſtio de hâc materiâ, remiſit ad legem Moſaicam, dixitque: hoc fac, & vives, prout conſtat ex Luc. Luc. X. 18. partim, quia Chriſtus quicquid egit circa legem, non egit novum aliquid addendo, ſed id quod antiquum erat vindicando, ut conſtat Matth. V. 20. 21. ſeqq.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO I.

Non ſimpliciter reſtringendum eſt Jus Moſaicum ad Judæos.

M iſſâ illâ diſtinctione inter legē ſcriptam & oralem, quam Rabbiniconfinxerunt, quaſi Moſes præter illam acceperit aliam, de cujus Origine R. Joſua filius Karcha: *quadraginta diebus, quos Moſes egit in monte de die legebat Scripturam, ſed nocte repetebat Miſch nam b.e. legem oralem.* Communicatione Mai-
monides. *Vocato primùm Aarone, ei Moſes revelavit præcepta ſibi data docuitque unâ eorandem Interpretationem primâ vice. Quo factō ſeceſſit Aaron, atque ad Moſis dextram ſe recepit. Tum vocati Eleazar & Ithamar*

Legis ſcriptæ & oralis Diſtinctionip.

Origo legis oralis.

Propagatio

Q 2 Aaronis

Aaronis filij, iisque repetiit Moses, quod jam dixerat Aaroni, & secesserunt alter ad sinistram Moses, ad dextram Aaronis alter; tum introierunt septuaginta Seniores, instruxitque eos, sicuti docuerat Aaronem, ejusque filios. Post eos accessit multitudo populi, omnesque religioni addicti, & coram iis explicuit precepta, quousque omnes audivissent. Adeo ut hac vice Aaron ex ore Moses eandem legem quater audiverit, filij ejus ter, seniores bis, populus denique semel. Atque tum abiit Moses. Aaron eandem explicuit legem, quam quater jam ex Moses lege audierat, abiitque, postquam ejus filij similiter quater eandem legem audivissent, ter ex Mose, semel ex Aarone. Post secessum Aaronis accesserunt duo ejus filij Eleazar atque Ithamar, legem eandem docentes reliquos: Atque sic Seniores quoque quater audiverunt: à Mose semel, ab Aarone iterum, semel ab Eleazaro, & quoque Ithamare. Denique Seniores accesserunt, ad reliquam populi multitudinem in eadem lege instruendam. Unde factum, ut universa congregatio quater legem eandem audierit; semel ex ore Moses, semel ex Aarone, tertium ex ore filiorum Aaronis, & quarto à Senioribus. Quibus peractis audiverunt omnes, docuitque quilibet proximum suum, quod à Mose audierat. & Author Halichot Olam cap. I. Hoc erat olim in Israhel consuetudo & lex. Sapientes alij ab aliis accipiebant, & vivâ voce discebant statuta, quemadmodum tradita fuerant: Nisi quod discipuli statuis istis signa

signa quadam apponerent, eaque, ne oblitio in multis obrepens invalesceret, conscriberent: que tamen occultabant, & librum occultorum vocabant. Hic obtinuit donec Sacerdos cum Urim & Tummin adestet Deo suo ministrans cum sapientia & metu peccati. Is est Doctor noster sanctus, omnium integerrimus. Et tandem cōsignatione David Ganz: Rabbi Iehuda Princeps, cum videret prolongationē captivitatis, & discipulos pusillanimes redditos esse, ac defecisse vim sapientie & Kabala, atq; valde legem oralem attenuatam esse (licet tibi non sit permissum dicta legis oralis ex scripto proferre, uti extat cap. Annizalin, Gittin cap. V.) tamen iniunxus Scripturæ. Psalm. CXIX. Tempus est, ut agat Dominus, irritam enim fecerunt legem tuam; collegit, & corrasit omnia decreta, statuta, & dicta Sapientum, quorum quolibet se junctim conscripsit, quod docuerat domus Senatus in quolibet seculo, à diebus Seniorum, Prophetarum, Virorum Synagoga magna, & Sapientum Mischna usq; ad suum tempus, & conscripsit illa sex classibus & cetera. Cùm & si-

Confignatio.

Rejicitur.

lencium Scripturæ, & consignationis defectus, Moses enim scripsit omnia verba Jehovah, Exod. 24. v. 3. & 4. & perfectio legis scriptæ hanc fabulam confodiant: notus est locus Deuter. 4. v. 1. & 2. cap. 12. v. 32. Psalm. 19. v. 8. nec quicquam solidi, si reponunt in subjecto utramque legem scriptam & oralem notari; partim, quia Moses de illâ lege agit, quam proposuit scribendo Israelitis & posteris in normam perpetuam exhibuit,

buit, nec de lege orali ullam mentionem facit; cum tamen hæc sit præcipua, præstantissima, ut Rabbi Isaac Corbelensis etiam scripserit non legem scriptam, sed oralem esse fundamentum, quia juxta legem oralem pactum sit fœdus, sicut scriptum Exod. 34. v. 27. partim, quia vox Thorah absolute posita juxta ipsos Rabbinos notat legem scriptam; partim, quia etiam superaddunt legi orali moderni, & consequenter supra tradita transgrediuntur propriaque vineta cædunt misso inquam commento, pergimus cum Authore ad Objectum Juris ebræi, num sc. lex moralis etiã obliget & obligari Gentiles? Ubi I. præmittimus, quod carpit in Judæis, qui existimarunt, etiam alienigenis, si salvi esse vellent, subeundû fuisse legis Hebraicæ jugum dupliciter posse accipi. Nam hoc aut ita intelligitur, quasi ex observatione legis Hebrææ, quatenus facta exigebat & opera pependerit salus non solum Judæorum, sed etiam gentilium. Atq; hoc sensu falsum est. Lex enim non nisi perfectè observantibus promittit vitam. Lex post lapsum infirmata est per carnem, & impossibilis observatu. Lex denique est jugum importabile, quod neque nos, neque patres nostri, neque Judæi, neque Gentiles potuerunt portare, teste Petro Act. XV. Aut intelligitur ita, quod Gentiles, si salvi voluerint esse, debuerint sese conformare doctrinæ Hebræorum, legi in totâ latitudine suâ acceptæ, quæ non solum præcipiebat, quid faciendum, sed etiam ostendebat, quid fidelibus

● Objectum
juris ebræi.

Quomodo
lex ab ex-
traneis am-
plectenda.

libus à DEO gratioſo expectandum. Ex enim ceremonialis Veteris Teſtamenti, nil aliud erat quàm Evangelium V. T. habuit enim typum & umbram futurorum bonorum Hebr. X. I. Et hoc poſteriori ſenſu non abſurdum eſt, dicere Gentiles, ſi ſalvi vel- lent eſſe, debuiſſe doctrinam illam populi Hebræi amplecti. II. Notamus, hanc quæſtionem, quam Grotius movet, in utramque partem diſputari à Theologis, & quidē Grotio accedunt Dominicus à Soto, Michael de Medina, Gregorius de Valentia, qui etiam præter argumenta, quæ Grotius urget, alia adducunt breviter recenſenda. (1) Legem enim Moſis non obligare nos, ex eo concludunt, quia in principio Decalogi ſcribitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* Exod. 20. Nos autem nunquam fuiſſe ſervos in Ægypto. Non itaque ad nos ſpectare Decalogum; (2) ex eo, quia Luc. XVI. 16. apertè dicatur: Legē & Prophetas uſque ad Johannem; ceſſaſſe itaque legem adventante Johanne præcurſore CHRISTI, quemadmodum Prophetæ ceſſarunt; (3) ex eo, quia Apoſtolus Rom. VII. ad Galat. III. Hebr. VII. dicat, legem Moſis eſſe ſublata, nos liberos eſſe à lege Moſaica, quemadmodum uxor à defuncto marito per mortem mariti liberatur. In contrarium autem ſtant alii Theologi, inter quos etiam Gabriel Vaſquez, qui exiſtimant, legem moralem, etiam quatenus per Moſen data eſt, & in V. Teſt. ſcripta, obligare Chriſtianos: quod ipſum

Argumenta pro Grotio.

primum.

ſecundum.

tertium.

Sententia oppoſita.

Argumenta pro

primum. probant tum ex eo, quia Christus Matth. V. legem Mosaicam approbat & explicat, & versiculo 18. aperte adjicit: non veni solvere, sed adimplere legem, h. e. bene interpretando perficere, removendo sc. corruptelas, quæ per falsas interpretationes illi accesserant; tum

secundum. ex eo, quia Apostolus disertè Rom. III. 3. scribit: legemne destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus; tum ex eo, quia &

tertium. Apostoli semper allegant verba V. T., cum docent, præcepta moralia servanda esse, ut Rom. XIII. 9. Ephes. VI. & Jac. II. 8. Cur autem id facerent, si illa testimonia ad Christianos non pertinerent? & Patres atque Theologi utuntur autoritate V. T. ad probanda præcepta moralia, & denique in Catechismis nostris decem præcepta iisdem præscribuntur verbis, quibus Exod. XX. scripta sunt. Hinc August. libr. 10. contra Faustum c. 2. sic habet: *Judæo dicenti mihi, cur tenes V. T. cujus præcepta non servas? respondeo, servari à Christianis, (moralia) præcepta verò vite significanda (ceremonialia) tunc fuisse rectè observata, cum prænucciabantur ista, que nunc revelata sunt.* Cui accedit Leo Papa Sermone VI. de jejunio decimi mensis, qui affirmat ibidem, præcepta moralia in eadem figura apud nos, in qua condita sunt, perseverare.

Præmittuntur quædam Decisioni.

III. Addimus decisionem hujus controversiæ, quæ non potest haberi, nisi distinctè hinc progrediamur, cum utraque sententia

tia suis nitatur argumentis. Distinguendum autem (1) est inter legem moralem consideratam ratione suz materiz, quæ naturalis est, & ratione ipsius ministerii, in quantum illa lex à Mose fuit exhibita. Priori modo si consideretur, certum est, non ad solos Judæos spectasse, sed omnes gentes obligare; Posteriori autem modo pro Grotio quidam commodius disputare possunt. (2) Potest lex moralis considerari vel ratione actualis & solennis promulgationis, vel ratione intentionis divinæ. Quamvis priori modo immediatè ad obedientiam obstrinxerit populum Israeliticum, cui præsentis fuit promulgata, tamen posteriori modo si consideretur, dicendum erit, DEUM intendisse obligationem inducere omnibus gentibus ad religionem veram convertendis & convertendis. (3) Consideratur lex moralis aut ratione ipsius substantiæ in præceptis, aut ratione modi proponendi, qui fuit supernaturalis, Institutio enim illa in Decalogo fuit divina & supernaturalis. Posito quod posteriori modo non omnes obligasset gentes, tamen priori modo, quanquam si de posteriori loquamur ex intentione divinæ, ad omnes sese porrigat homines. Ut enim per Evangelium DEUS intendit omnes homines adducere ad fidem in Christum, ita per legem moralem intendit omnes obligare ad obedientiam. His suppositis responsio erit facilis, tum ad argumenta Grotii, tum ad illa quæ Dominicus à Soto & cæteri ur-

Dicta Deuteronomii
& Psalmi
147 expen-
duntur.

gent. Dicta, quæ præmittit Grotius non conducunt causæ. Deuteronomii quippe quarto prærogativa populi Israelitici ostenditur, quæ constitit in peculiari illâ jurium divinorum possessione; & loquitur Moyses tum de ceremoniis, tum de judiciis, tum de universâ lege, quæ vel juxta Abulensem est lex moralis, vel complexus, quod probabilius existimat, omnium Præceptorum cujuscunque generis, quâ amplitudine non gaudebant ài. *ἐξω*. Psalmo verò centesimo quadragésimo septimo dicitur indicare DEUM, in Ebræo est vox Maggid, quæ significat nunciare & coram referre; juxta Commentatores extenditur ad ministerium Prophetarum & Sacerdotum, dicitur indicare DEUM verba sua Jacobo, per quæ verba intelligit Lyra prædictiones de Messia, Chaldæus verba legis, cū quo sentiunt Cajetanus, Placidus Parmensis, Jansenius & Genebrardus. commodè ob indefinitam notionem Verbi, Verbum tum legale tum evangelicum; dicitur denique non fecisse taliter omni nationi, quod de modo accipiunt Clemens Alexandrinus & Chrysostomus, non itaque consequens est, Deus non indicavit coram, gentibus illustri promulgatione verba sua; ergò simpliciter exclusit illas ab obligatione legis moralis, non indicavit verba sua in totâ latitudine accepta; ergò nihil ex illis ad illas dimanavit; non fecit taliter ulli, quantum ad modum & gradum revelationis; ergò simpliciter illas destituit: consulantur loca Deuter. 4.

ter. 4. v. 32. & 33. Rom. 3. v. 2. & addantur quæ nostri scripserunt Theologi. Primum verò argumentum Grotii non concludit, nam quamvis dicatur Deut. VI. audi Israel, atque Deus alloquatur hunc populum peculiariter, tamen ex seqq. constat, dum præcepta Decalogi recensentur, etiam legem moralem pertinere ad gentiles. Aliud itaque est specialis allocutio, aliud ipsius legis conditio. Ad secundum respondetur: non esse consequens, fœdus peculiare cum populo Israelitico ictum est superstructum legi morali; E. lex moralis non spectat quoque ad gentes; Cùm possit lex ad aliquem spectare citra fœderis cujusdam specialis superinducti rationem. Non tertium argumentum concludit: quando enim dicitur Deut. 33. v. 4. Moses nobis legem dedit, partim ad ministerium respicitur, partim ad immediationem promulgationis hujus legis factæ huic populo, partim latissimè potest accipi de lege etiam Ceremoniali & Forensi. Non itaque misit id, quod præmittit Grotius: non obligat lex illos, quibus data non est. Aut enim dare respicit intentionem divinam, aut solennem promulgationem, si prius petit principium, dicendo: quibus lex data non est, illos non obligat, nec potest probare intentionem divinam sese non porrigere ad omnes. Si posteriori modo accipiat, ut sensus sit, lex non obligat illos, quibus solenniter & immediatè promulgata non est, falsum dicit. Nam etiam posteris Isra-

Argumen-
ta exami-
nantur,
primum.

secundum.

tertium.

litarum non fuit data h. e. promulgata immediate, & tamen eosdem obligavit.

Argumen-
ta reliqua
primum.

Ad argumenta cætera respondetur (1) ad primum, non esse consequens, DEUS in lege respicit illos, qui sunt educti ex Ægypto, E excludit alios: cùm aliud sit ex beneficio peculiari respectus peculiaris connexus cum legislatione, aliud ipsa legislatio, (2) si hoc argumentum urgeret, consequens foret, posteris Israelitarum non latam esse legem moralem. Ipsi enim in propriis suppositis non sunt educti ex Ægypto. Quapropter aliqui respondent, tribus modis aliquem posse dici ductum ex Ægypto, in propria persona, ut Mosen & Aaron, & qui eos sequebantur, in personis Patrum secundum carnem, & ita Judæos, qui in deserto nati sunt, & in Palæstina, ductos esse ex Ægypto, & tandem tertio in personis Patrum secundum fidem & promissionem, ut omnes gentiles conversi, qui in radicem bonæ olivæ inserti sint, Rom. XI. 17. Atque sic etiam Gentiles comprehendi sub eductis ex Ægypto. Verùm quia responsio hæc à litera ad Ampliationem spiritualem excurrit, secundo, quia tota lex etiam juxta ceremonialia & judicialia lata est populo ex Ægypto ducto, nec tamen spiritualiter liberatos respicit juxta illas partes, & tandem sic illos tantum gentiles obligaret, qui conversi & Olivæ bonæ inserti, ideoque illam mittimus & respondemus (3) distinguendo inter legem & circumstantiam legis, ex ratione alicujus beneficii, vel

vel promissionis adjunctæ. Lex moralis ad omnes spectat, circumstantia verò personalis objecti à peculiari aliquo beneficio describitur. Quemadmodum in quarto præcepto de honorandis parentibus, quod utique etiam gentiles obligat, promissio quædam additur de longævitate & felicitate in terra Canaan, quæ solis promissa Judæis. Ad secundum argumentum respondemus; sermonem ibi esse in loco Lucæ non de lege morali, sed de lege prophetante per figuras, non de lege instituyente mores hominum; adeoque sensum esse: omnes Prophetæ & lex usque ad Johannem, omnes prædictiones futuri Messie sive per verba Prophetarum, sive per figuras & ceremonias legis non ultra Johannem extenduntur, adeoque lex ibi accipienda erit alio significato, quod vel maximè patet ex Matthæo, qui dilucidius hoc ipsum proponit Capite XI. scribendo: *Omnes Prophetæ & lex usque ad Johannem prophetaverunt.* (2) Ex hoc ipso potest nostra sententia confirmari; Si enim Christus legem moralem non abrogavit in N. T., tunc utique ultra Johannem, & Christum duravit, quod ipsum etiam patet ex Matth. V. ubi disertè dicit v. 17. se non venisse ut legem tolleret, & toto capite interpretatur præcepta legis Mosaicæ moralis, atque illa discipulis suis commendat. Hinc si gentilis hodiè convertatur, non alia lex nisi moralis ipsum obligat. (3) Si tantùm lex forensis cessavit & ceremonialis, quarum prior fuit *Das Jüdische Landrecht/* poste-

Secundum

posterior die *Jüdische Kirchen-Ordnung*/ consequens est legem moralem tanquam universalem, ut fuit ante promulgationem à Mose factam, ita manere etiam tempore N. T., obligasse omnes & singulos, & adhuc tertium, dum obligare. Ad tertium argumentum respondemus (1) posse dici liberos nos esse factos non à lege absolutè, sed in quantum terret & damnat, adeoque in N. T. nos libertatem habere non à lege, sed à legis morfu, qui sumus sub gratia. (2) Si hoc argumentum esset firmum, sequeretur etiam sub initia N. T. ipsos Judæos non ulterius obligatos fuisse ex lege morali. Atqui hoc ipsum etiam dissentientes non facilè concedent. (3) Liberi dicimur à lege non morali, sed à lege peccati in loco Roman. VII. concupiscentia sc. prava, non quidem ratione sensus & radice, sed reatus & domini, quatenus scil. peccatum & lex membrorum non ulterius dominatur in mortali nostro corpore. Disputavimus hucusque contra Grotium, quod lex moralis omnes gentes ratione materiæ obligârit, tum quia lex illa obtinuit penes posteros Adami ante legem Moisaicam; tum, quia etiam omnes homines aut sunt sub maledictione legis, aut sub umbone Evangelii, adeoque etiam sub obligatione legis, tum quia lex illa fuit inscripta Adamo, tanquam capiti humani generis omnium hominum, ideoque ejus posterii etiam sunt obligati ad illam. Nunc Author accedit ad profelytos, nec non de LL. Noachi differit, five

sive de septem illis præceptis, quæ quidam putant esse jus naturæ, & deinde de statu gentium & loco eximio Rom. II. de quo in seqq.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO II.

Hallucinatum aliquatenus fuisse Grotium in Exemplorum productione & profelytorum Explicatione sequentia docere possunt.

Dicit Author (2) in hâc thesi 16. inter Hebræos vixisse semper aliquos exteros homines pios & timentes DEUM, & inter illos computat primò Chananzam illam, de qua Matth. 15. v. 22. quæ non fuit *σφομλῖν* & unius DEI cultrix, si Salmasio assurgimus, qui putat à Marco illam vocatam fuisse Græcam, ut ostenderet illam ratione religionis fuisse paganam, à Vulgato itidem rectè gentilem vocatam, quod confirmare fatigit, tum usu sacrorum e. g. Pauli qui universum genus in *ἑθνη* & *Ἰσραὴλ* dividat, ob duas religiones, quæ tunc maximè vigebant; tum aliorum Scriptorum Epiphani, cui *ἑθνησμός* paganismus, Suidæ & Photii, quam mitius sentiat Joannes Croius & Grotio accedat, existimans illam non gentis ratione à Marco dici Græcam, cum fuerit Syrophænis, Tyri & Sidonis fines incoluerit, nec ratione religionis profanæ & idololatricæ, utpote

Chananzam
num *σφομλῖν*.
Salmasius
laudatur.

Croii sententia.

utpote quæ Christum Filium Davidis & Dominum suum vocaverit; quod ex lectione V. T. hauserit, quæ propter insignem fidem insigni Elogio à Christo ornata fuerit, quæ canis vocata tantum originis intuitu, quia ex impuro & profano Chami semine, quanquam non desit, quod pro Salmasio responderi possit. Ε'ΑΝΥΙΣ enim illa dicitur, sanè non propter linguam græcam, cujus procul dubio ignara fuit, sed propter religionem & mores; & quicquid habuit notitiæ de Christo, videtur habuisse ex fama vicinorum, quicquid fidei ex Luctâ illâ cum Messia vires desuper suggerente Numine. Secundo Cornelium, de quo Act. X. 2. Hunc Cornelium, oriundum juxta Baronium ex nobili gente Romana Corneliorum & Cohortis Italicæ Centurionem, quæ aliàs vocabatur Ferrata, quam Dio Cassius narrat ab Augusto missam esse in Judæam, & ibi mansisse usque ad Neronem, putat fuisse profelytum portæ. Verùm nec profelytum justitiæ fuisse Cornelium, nec profelytum portæ longè probabiliùs dicitur. Non justitiæ fuit, quia non circumcisus, ut constat ex Act. XI. 3. non portæ tantùm sive domicilii, quia longè majus elogium habet, neque fuit observator saltim septem istorum præceptorum Noachidis datorum, sed fidelis & regenitus: quia de eo recensetur invocasse DEUM, exercuisse bona opera, fuisse timentem denique DEI & pium, quæ non nisi regenito nempe per verbum conveniunt. Cum itaque Grotius divi-

Quid pro Salmasio responderi possit.

Cornelius.

Non fuit profelytus.

dividat totam latitudinem profelytorū in duas tantū species, nempe profelytorum justitiæ & profelytorum domus sive portæ, neuter autem fuerit, consequens est non fuisse profelytum. Dextrè Augustinus l. I. ad Simplic.

q. 2. *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat DEO, cum elemosynis, & orationibus dignum se praberet cui Angelus mitteretur, sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset.*

Tertio *σεβόμενοι ἔθνη*, non comparent Act. 18. versiculo quarto, sed *ἔθνη* citra Epitheton, forsā itaque mendum hīc typographicum, & Author allegare voluit in suam sententiam locum Act. 17. v. 4. ubi mentio fit cum apposito *ἔθνων σεβόμενων*, non tamen necessarium esse existimamus, ut pii ex gentibus universi intelligantur fuisse profelyti, cūm hæc descriptio laxiore gaudeat ambitu quàm nomen profelytorum.

Dicit secundo Author tales semper vixisse inter Ebræos: quod si intelligat de profelytis promiscuè, vel etiam de illis, qui dicuntur justitiæ, non habet omninò consentientes Ebræos, quæ tales tempore Davidis & Solomonis nolunt receptos. Ita enim Maimonides: *Domus judicij non recepit profelytos toto tempore Davidis & Solomonis: Davidis tempore quidam, ne fortè pra-*

filii ex gentibus.

An semper fuerint profelyti inter Ebræos.

R

metu

metu converterentur; Solomonis autem, ne forte intuitu regni felicitatis & magnificentiæ, in quibus Israëlita vivebant, eorum fieret conversio. Quicumque enim se convertit à genti: primo ad Judæismum propter rem aliquam vanam & mundanam, cum Senatus summus in numero profelytorum justitiæ habere nequit: licet autem ita sit, ac domus judicij nullos cum temporis profelytos fecerit; nihilominus profelyti perquam multi sunt facti ætate Davidis & Salomonis, idque à Senatu inferiori. Si verò de profelytis domicilii, ut omnia ostendunt, neminem inveniet facilè ad-versantem. Dicit tertio tales pios ex gentibus & profelytos domicilii indicari Levit. 22. v. 25. & Levit. 25. v. 47. in primo num per *Ben Nechar* filium extranei intelligatur profelytus domicilii, nondum inter Interpretes liquidum; Chaldæus legit *Barhammomim* Filii populorum, LXX. habent *ἰὸν ἀλλογενῆς* filium alienigenæ: aliud ostendit vox *nechar*, quæ generaliter notat quemlibet alienigenam, ignotum, externum & quasi nothum; aliud, juxta quosdam, versiculus decimus octavus, in quo admittitur oblatio advenarum; aliud denique oblationis negatæ ratio, quam volunt fuisse, quia alienigenæ Idololatriæ dediti & dæmoniis sacrificarint. Sunt tamen, qui per alienigenam hîc intelligunt profelytum domicilii, imò etiam profelytum justitiæ, atque volunt vetitam saltem esse oblationem victimæ vitiosæ, ut colligitur ex Antonio Fonseca, B. Osiandro & Thalmudicis

Num loca
Levit. 22.
& 25. qua-
drant.

cis Scriptoribus, distinguunt etiam quidam profelytos justitiæ & domiciliï in hoc, quod illi omnis generis sacrificia æquè obtulerint cum Judæis, hi verò tantùm holocausta, quod Maimonides observavit, scribens: *Et viris, & feminis, & parvis licet, ut oblationes quas velint, afferant. Sed à gentibus non accipiunt, nisi holocausta tantùm: sacrificia enim pacifica vel frumentacea sacra vel sacrificia pro peccatis, sive ex ignorantia sive ex proeresi commissis, planè ab iis non accipiunt. Quod si pacifica accipiant, accipiunt quidem, non tamè ut pacifica offerunt, sed ut holocausta, idque, propterea quod cor ejus ad Deum directum, vident.* In altero minor est difficultas, & favet Grotio Chaldæus, quamvis sint, qui perger thoschiab, peregrinum & advenam intelligant profelytum justitiæ, quo quidem inclinant Tostatus Abulensis Episcopus, Nicolaus Lyra, Rikelius & alii. Denique distinguit Grotius profelytos in profelytos portæ, sive incolas incircumcisos, & in profelytos justitiæ. Sed non exhaurit latitudinem profelytorum hac *διχομυία*, tria enim genera profelytorum, primum Genus erat profelytorum justitiæ, alterũ erat profelytorum inquilinorum sive domiciliï vel portæ, & tertiuũ erat profelytorum mercenariorum, quod genus omisit. Constat autem hæc *διχομυία* ex Exod. XII. 44, 45. ubi dicitur: *Servus emtus & circumcissus h. e. profelytus justitiæ factus, edet de paschate, sed inquilinus h. e. profelytus portæ, aut mercenarius, tertii sc. generis*

An duotantum profelytorũ genera?

neris, *ne vescior illis.* Ubi malè Rabbi Levi Barcelonita profelytum mercenarium describit, *qui circumcissus quidem est, sed non baptizatus.* Non enim nisi profelyti justitiæ fuerunt circumcisi. Et, si profelyti portæ non fuerunt circumcisi, multò minus mercenarii, quí infra profelytos istos collocantur, & fuerunt mechanici peregrini, qui patriâ relicta inter Judæos habitaverunt, artis mechanicæ addiscendæ causa, & quodammodo profelyti erant, quia illis à Judæis leges & conditiones erant præscriptæ, quibus servatis illi tuto in Palæstina habitare, artem mechanicam addiscere, & operam suam Israelitis locare potuerunt.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO III.

Præcepta septem Noachidarum non possunt ostendi promulgata esse à DEO, & toti humano generi imposita.

ERrat Author, quando pergit de profelytis portæ, nempe leges latas Adamo, & Noæ datas illos observare debuisse, non autem leges proprias Israelitarum. Ubi traditionem Hebræorum nimis securè sequitur, quasi scil. ad sola præcepta Noachidarum pii illi fuerint obligati. Nam (1) malè Grotius illas septem leges appellat & re-

Præcepta
Noachidarum.

Examina-
tur funda-
mentum
illorum.

& refert ad jus DEI voluntarium præcepta sc. data à DEO & per traditionem continuata. Si enim Maimonidem sequamur, agnoscit illa præcepta non esse tradita Adamo per modum exterioris administrationis, sed per modum naturalis inscriptionis. Hinc, postquam recensuisset illa septem, addit: *naturalis ratio illuc inclinans*, de quo tamē supra. (2) In rei veritate illa præcepta nihil aliud sunt, quàm propositiones juris naturalis exceptis duobus. (3) falsum est, tantum septem istis præceptis fuisse constrictum Adamum, & ejus posteros, nec non Noachum, & qui ex ipso fuerunt geniti, quique extra Judæam vixerunt. Præceptum autem de non fundendo sanguine datum Noacho, multorum judicio non fuit datum absolute, sed cum comminatione & determinatione certæ pœnæ, nempe supplicii capitalis, cum antea exilium & relegatio obtinuerit, ut exemplo Caini constat. Et quod de iudicibus dicitur, non cum cæteris convenit. Septimum itidem præceptum Noacho datum non est juris cujusdam universalis, perpetui atque æterni. Juvat hæc confirmare illis quæ alibi proposuimus. Omnia illa esse legis naturæ, quæ in hoc septenario occurrunt, grande postulatum. Sanè illud de membro animalis viventis non comedendo, quod ipsæ Thalmudistæ extendunt ad sanguinis comestionem prohibitam juris naturalis esse nequit. Num enim gentiles abstinerunt ab hæc cibi specie? Num cordibus illorum inscriptum fuit, intrinsecè malum

lum esse det sanguine aut libare aut edere ? Num conscientia illos accusavit, si famelicis fuere proni in botulos cruore distentos, in Lucanicas polentâ & adipe conditas ? num non inter delicias palati eruditi & ingeniosæ gulæ irritamenta istiusmodi intestina fuere recensita à Lucanis & Romanis ? & qui hodiè nisi superstitionis nebulâ quadam circumtusufus illis abstinet ? quamvis sint, quâ hæc verba ita exponant carnem cum sanguine non comeditote scil. cum adhuc prædita est sanguine & animâ suâ caro, dum adhuc tremit & palpitat, nè cruentam carnem comedentes crudeles evadatis & ad homicidia propendere incipiatis. Præfert tamen nostram sententiam posteriori B. noster Gerhardus, quem vide in Commentario ad hunc locum. Ut autem miscentur his præceptis, quæ legem ceremonialem respiciunt, ita cætera sex latitudinem impressi Luminis & Directorii non exhauriunt ; cum I. Plura sint, quæ lex naturæ dictat agnoscentibus ipsis recutitis, qui volunt addita præcepta de Sabbatho & honore Parentibus deferendo. II. De præceptis hisce ad quæ obstringebantur profelyti portæ sive inquilini afferunt, quòd ex toto mundo, qui à Noachi filiis constituitur, omnis ille habiturus sit partem in vita futura, qui septem hæc præcepta servaverit. At lex naturæ in statu lapsus eò usque non ducit, nec præmium assignat observationi partem in futuro seculo, beatitudinis æternæ lumina & delicias. III.

Totum

Totum hoc compendium videtur Commentum esse Rabbiorum, nihil enim de hoc numero habemus ex Genes. 9. nec ibi quinque reliquorum, sed duorum tantum fit mentio; nihil præsidii in loco Gen. 2. v. 16. quem allegant, quasi Adamo sex priora essent præscripta, de quo tamen iterum inter illos dividit.

Præceptorum horum complexus Commentum rabbinicum.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO IV.

Minus convenienter Author adducit Exempla pro stabilienda sententiâ de legis divinæ Restrictione, ad Israelitas.

Author in hâc thesi de extraneis differit, atque affirmat illis, utut institutis Hebraicis sese non subjecerint, licuisse tamen DEUM adorare & victimas offerre. Deinde de Naamano Syro differit, & tandem Tyriis, Moabitis, Ægyptiis non opus fuisse legem Mosis suscipere affirmat. Quod primum concernit, cum grano salis illud est accipiendum & dextrè explicandam. Nam soli profelyti justitiæ gaudebant primò jure civitatis, & privilegiis, quæ Judæis exinde competebant; secundò soli illi profelyti potuerunt ducere Israelitidem & vice versa, tertio soli illi gaudebant jure sacrorum, & antequam admitterentur ad templum tribus

Profelytorum Iustitiæ privilegia.

ceremoniis in numerum Judæorum recipiebantur, sc. circumfisione, baptismo & Corban scil. sacrificio. Videtur itaque impigisse Grotius, quando etiam de illis, qui institutis Hebraicis non subiciebantur, h. e. de profelytis domiciliis sive portæ afferit, (nam justitiæ profelyti institutis Hebraicis se subjicebant) licuisse illis in templo Hierosolymitano DEUM adorare & victimas offerre, ut quidem exemplum Heliodori, quod allegat ex II. Maccab. III. videtur evincere. Cui addi potest exemplum Vitellii apud Josephum lib. 18. antiq. Jud. cap. 7. Verum si probè expendamus, distinctione negotium potest expediri, dicendo: gentiles & profelytos inquilinos orasse non in ipso templo, sed in subdiali templi, quod vocabatur gentium: cæteros autem profelytos, sc. justitiæ, orasse in ipso templo cum Judæis, quod insinuare voluit procul dubio Grotius scribendo: licuisse DEUM adorare, sed in loco peculiari ac separato à statione Israelitarum, Longè enim deterior erat illorū conditio, quàm profelytorum justitiæ, qui aliquâ ratione pares erant Judæis; Hinc Maimonides quoq; observat tales non sacrificasse omnis generis sacrificia, sed tantum holocausta, cum profelyti justitiæ cum aliis Judæis etiam alia sacrificia pacifica & pro peccatis obtulerint. Quod secundum concernit, disputari potest num Naeman fuerit profelytus. Aut enim fuisset profelytus justitiæ, aut portæ. Non prius, quia non erat circumcisus, non posterius, quia

Respondetur ad Exemplum.

Naeman Profelytus.

quia non fuit inquilinus Judææ. Verùm respondeo utique posse ipsum dici profelytum portæ sive inquilinum. Nam profelytus portæ sive inquilinus non dicebatur talis ex actuali inhabitatione terræ sanctæ, sed ex jure, quia licuit ipsi habitare inter Judæos, quod cæteris, qui non erant profelyti non licuit; quamvis hoc jus quoque restrictum fuerit in profelytis portæ, ut quidem vel habitarent, vel habitare potuerint in hoc vel illo loco terræ sanctæ, non autem Hierosolymis, profelyto enim domicilii juxta Maimonidem non concessus fuit habitandi locus in Urbe Hierosolyma, idque per & propter loci sanctitatem; quemadmodum nec concessum fuit, ut mortuus pernoctaret in illâ Urbe ob eandem causam. Quod denique tertium concernit, certum quidem est Tyriis, Moabitis & Ægyptiis nunquam fuisse imperatum à Prophetis, ut legis onus subirent, si sc. de lege ceremoniali & forensi sit sermo. Nam hæc spectabant ad solam Judæam. Si verò de lege morali intelligat Author, ut intelligit, falsum hoc est; quousque enim oracula Prophetarum dimanarunt, eo usq; etiam cum Evangelio lex moralis, quam observare tenetur quivis homo, & ut illa hodiè omnes obligat, sive Judæos sive Gentiles, tanquam exemplar quoddâ veræ honestatis, ita etiam necessarium fuit, ut tales susciperent legem Mosis, ad quos scripserunt Prophetæ Interpretes Moysis, & num non annuendo Naamani proponenti sibi cultû Numinis verî

Quid de
Tyriis, Mo-
abitis & Æ-
gyptiis.

reliq̄â Idololatriâ Elifa insinuavit præceptum tabulæ primæ primum & secundum? num non Jonas prædicando Ninivitis ex lege illos peccatorum convicit, ulterius progressus ad Evangelii usque denunciationem? verè enim illi fuerunt conversi ad DEUM unum, Annon Daniel Nabuchodonosori commendavit abruptionem peccatorum, quæ legi divinæ adversabantur? num non multorum sententiâ fuit conversus, imò salvatus hic Imperator, quod prolixè docet Pererius? & quid scribendo Prophetæ ad Tyrios, Moabitas & Ægyptios intenderunt aliud, quam Mosaicam exponere legem, ostendere quantum differant illorum mores ab hâc regulâ, fulminibus ex Sinai mutuatis illos terrere, & ad poenitentiam promovere?

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO V.

Circumcisio probabilius censetur restringenda ad solos Israelitas.

Num omnes ex Abrahamo oriundi obligati ad Circumcisionem?

MOvet hîc Author dubium illud satis controversum, num sc. præter Israelitas descendentes ex Jacobo, etiam reliqui Abramidæ fuerint obligati ad circumcisionem, scil. Idumæi, qui tredecennes circumcidebantur teste Origene, quia Ismael XIII anno ætatis fuit circumcisus, & ex Cethuræ filiis nati? quos vult esse Æthio-

pas

pas illos, quos circumcisis annumerat Herodotus: Homeritas appellat Epiphanius, respiciens forsan ad illa, quæ leguntur apud Josephum lib. I. cap. 16. qui Kethurzos incoluisse dicit τὴν περὶ Ἰουδαίαν & partem Arabiæ felicis: quod tamen displicet Ariz Montano, qui Kethurzos asserit occupasse loca, deserta inter se diuisa, sita inter Moabitas, Ammonitas ad Occidentem, & Chaldæos ad Orientem inde ab Aram Naharaim, sive Mesopotamiam, nec invitâ Scripturâ, quæ testatur ablegatos esse Kethurzos in Orientem sc. versus Euphratem, Mesopotamiam & Babyloniam, cum Troglodytæ versus Meridiem habitarent Æthiopiæ vicinâ. Sunt, tamen qui putant hodiernos Æthiopus, quos Abyssinos vocant sub Præto Giovanni esse ex Kethurâ oriundos, qui hæcenus cum Baptismo circumcisionem retinuerunt, de quo alibi, & affirmativam amplectitur. Observandû autem hîc (1) quosdam planè in excessu peccare, inter quos referimus Franciscum Suarez, qui cum Sebastiano Oxoniensi Episcopo statuit circumcisionem, in quantum in remedium peccati originalis fuit ordinata, & professio de Christo futuro, potuisse esse in usu omnium gentium, quæ hoc signum inter alia eligere potuerint, quod sine dubio validum fuerit ad illum effectum, si ea intentione fieret, quamvis non fieret cum intentione profitendi Judaismum, seque illi populo adjungendi. Nam (1) hoc scædus circumcisionis apertè erat restrictum ad Abrahamum & ejus posteritatem, (2)

suarez circumcissionem iusto laxius extendit.

Perstringitur.

fulcipere hunc ritum cum intentione alicujus remedii & sub ratione professionis de Christo futuro non potest concipi sine præviâ informatione, quod sit remedium peccati, quod sit professio Christi venturi : At verbo & tali informatione caruere gentiles (3) ut sigillum à literis avulsum nullius est usus, sic circumcisio, quæ sigillum est, inter gentiles ob verbi defectum non habuit illum usum, quem Sacramenta præstant, (II) Observandum, Grotium restrictius quidem agere, dum saltim circumcisionem extendit ad Ismaelitas, Idumæos & Cethuræ posteros, interim tamè non posse probari ipsius sententiam, utut argumentis videatur esse suffulta sequentibus. Quia (1) in institutione circumcisionis semini Abrahamitico simpliciter hoc Sacramentum datum est. Semen autem Abrahamiticum erat etiam Ismael, & Kethuræ filii, nec non Esau cum posteritate. (2) Quam latè lex patebat, tam latè etiam circumcisio sigillum legis, quemadmodum quàm latè Evangelium, tam latè Baptismus sese protendebat, (3) actu ipso præter Israelitas alii populi quoque ex Abrahamo oriundi Sacramentum circumcisionis observarunt. Verùm hæc argumenta non sunt satis solida. Non primùm quia Ismael & filii Cethuræ accuratè loquendo non possunt dici semen Abrahæ, quamvis genuerit illos. Cum enim diceret Sara: *Ejice ancillam & filium ejus, non enim erit hæres filius ancilla cum filio meo libera*, DEUS id approbat & dicit: *Audi verbum, n:eris*

Grotii sententia expenditur.

Argumentum.

Responsiones.

uxoris tua; nam in Isaac tibi vocabitur semen, Gen. XXI. (2) Secundum non concludit, quia non solum ita circumcisio obligaret omnes populos, cum lex moralis ad omnes spectet, verum dispar ratio quoque in hoc sit, quod hic nullum mandatum de circumcisione extendenda ad omnes posteros, extensio autem Baptismi ad omnes aperte legatur, Matth. XXVIII. *Euntes in mundum universum, predicare Evangelium & baptizare &c.* (3) Tertium denique argumentum non concludit, quia quod à posteris istis circumcisio fuerit observata, id non arguit obligatos fuisse ipsos, cum etiam alii populi ab Abrahamo non oriundi potuerint hunc ritum adoptare & observare. Quapropter hoc non factum est ex obligatione aut conscientia legis ligantis, sed religione quadam & reverentia animi, quâ ritum illum tanquam divinum à se in pretio haberi, & à se tanquam ex Abrahami prosapia oriundis susceptum primitus fuisse testatum facere voluerunt. (III) Itaque observandum longè probabiliorem esse sententiam Grotianæ oppositam de restrictione ad solos Israelitas, tum quia expressè dicitur Gen. XVI. 29. 20. & 21: *Erigam fœdus meum cum Isaac in fœdus æternum, & semini ejus post illum; &*, per oppositionem ad Ismaelem, *erigam cum Isaac, quem pariet tibi Sara.* Exclusivè ergò restringitur fœdus circumcisionis ad Isaacum, & omnes reliqui excluduntur: tum quia ad solum Isaacum & posteros ipsius pertinuit pos-

Opinio
probabilior.

possessio terræ Canaan, & consequenter etiam fœdus circumcisionis, prout apertè constat ex Gen XVII. 7. 8. tum, quia illo tempore, quo DEUS circumcisionem instituit, si voluisset alios quoque obligare, obligasset etiam Melchisedecum, Lothum, qui tamen non fuerunt obligati. Et quod de terra Canaan urgetur in secundo nostro argumento, id etiam militat contra Idumæos ab Esau descendentes. Confirmat hanc sententiam operosè Gabriel Vasquez, qui in tertiam partem Thomæ Tomo secundo Disput. CLXII. capite 1. sequentia habet: *Vera sententia est ratione stirpis, & generationis hoc præcepto non fuisse comprehensos Ismaelem, neque Esau, neque posteros ipsorum quamvis eamquam vernaculos & domesticos filios suos circumcidere deberent Abraham & Jacob sicut & reliquos servos. Ita docent S. Thom. in q. d. 1. q. 2. a. 2. q. 1. ad 3. Durand. q. 6. n. 5. Major. q. 5. §. contra primam. adde etiam, quod ad priorem partem attinet, Sotum in 4. d. 2. q. 1. a. 2. ad quartum verò Ledismam 1. p. 4. q. 11. 3. 1. dub. 1. Hugonem de S. Victor. 1. de Sacramentis p. 12. cap. 2. in fine ubi hoc præceptum datum putat solum Abrahæ pro Isaac & deinde pro Jacob, & duodecim tribubus hoc autem ratione seminis, & stirpis non ratione familia de qua dicemus, capite sequente. Probat autem quia Job creditur fuisse de stirpe Esau, non tamen legitur fuisse circumcissus. Secundo probatur de Ismaele ex eo quod semen Abrahæ & Isaac in Scriptura non*

Vasquezii
consensus
adducitur.

veram;

vocantur, quicunque ex ipsis propagatione carnis descendunt, sed semen Abraham solum dicuntur descendentes ex Isaac. Semen autem Isaac descendentes tantum ex Jacob. Nam Gen. vigesimo primo dixit Sara ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus, non erit Heres filius ancilla cum filio meo Isaac, quod cum egre tulisset Abraham, dixit Dominus ad eum: non tibi videatur asperum, &c. omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem ejus quoniam in Isaac, vocabitur tibi Semen, quae quidem posteriora verba citavit Paulus ad Romanos 9. ut ostenderet, non omnes, qui ex aliquâ parte secundum carnalem generationem oriuntur, vocari semen illius. quod attinget ad Esau, eadem sententia eodem modo probatur. Quia licet secundum carnis generationem descenderit ex Isaac, qui praecepto circumcisionis pro se, & semine suo tenebatur, ut diximus, tamen non estimatur in semine Isaac, sed sicut semen Abraham tantum vocatur in Isaac, non in Ismaele; Ita etiam semen Isaac vocatur solum in Jacob, & ille etiam in eo solum estimatur, id quod eodem modo dixit Paulus ad Romanos. 9. juxta expositionem, quam locis citatis secutus sumus.

Ad

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO VI.

In dicto ex Epistola ad Romanos cap. 2. adducto Pseudhermenia deprehenditur.

Dictum ex Rom. 2. nō dextrè exponitur.

Prima Expositio corrigitur.

Altera reficitur.

Author noster allegat dictū Rom. II. 14. & illud dupliciter exponit, sed inconvenienter (1) vocabulum *Naturā* ad prædicatum referendo, quod sc. gentiles faciant naturā ea, quæ legis sunt, (2) referendo ad subjectum, ut sensus sit: gentiles naturā tales facere ea, quæ legis sunt. Prior sensus est legitimus, verū aliquo modo corrumpitur ab Authore, dum addit, illud *Naturā* notare mores ex primævo fonte manantes. Atqui non mores hīc intelliguntur ex primævo fonte manantes, sed ipse fons primævus, naturæ sc. ductus, instinctus & principiorum in mente hominis reliquorum complexus naturaliter impressus; quod patet tum ex oppositione: nam opponit Paul⁹ gentiles Judæis, qui non naturā, sed voluntate divinā, non *quos* sed *beatos* habuerunt legem, tum ex hujus vocabuli usu communi, quod institutioni opponitur, I. Cor. XI. 14. tum ex effectu, quia vi hujus in sequenti versiculo dicitur: *Fecisse gentes ea, quæ legis sunt.* Altera autem expositio, quam annectit, ex Arminianorum lacunis hausta est, qui ideò referunt ad subjectum vocem *Naturā*, ut concludant eos, qui

qui natura gentes sunt, ea facere, quæ legis sunt, per quandam supernaturalem omnibus hominibus communem gratiam. Quæ interpretatio refutatur partim ex eo, quia Apostolus hîc *Φύσιν* sive naturam constituit agendi principium, non ponit ut subjecti attributum; partim ex eo, quia oppositionem instituit inter Judæos lege instructos & gentiles extra gratiam constitutos, qui solo naturæ instinctu ferantur; partim ex eo, quia Augustinus lib. 4. contra Julianum c. 3. hanc interpretationem, quæ fit per fallaciam divisionis, ream egit Pelagianismi, & contra eam sequentia prodidit: *Illi, quos commemorare voluisti, de quibus ait Apostolus: Gentes legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis: Quid Te adjuvent, omninò non video. Per hoc enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi, veram posse habere justitiam, eò, quod isti, teste Apostolo, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt. Hoc est, unde eos maxime detestatur Christiana Ecclesia. Tertio, quæ annexit ex eodem capite versiculo 16. non quadrant, si intelligantur de præputiato observante legem ita, quasi detur gentilis, qui legi se conformet, & consequenter præputium illius pro circumcissione in foro divino reputetur. Talis enim nunquam in rerum natura existit, sed hypotheticè loquitur Apostolus, si præputium justificationes legis servaverit. Si aliquis esset, qui Regulæ sese conformaret divinæ, gratum fore DEO, æquè ut circum-*

cism.

Appendix
examina-
tuz.

cifum, quod sequentibus versiculis confirmat.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO VII.

Profelyti justitiæ non simpliciter fuerunt Israelitis æquiparati.

Profelyti
Justitiæ in
quibusdã
inferiores
Israelitis.

Author dicit Hebræos illos profelytos, qui erant Gere Zadik hospites justitiæ pari jure secum censuisse, quod cum grano salis accipiendum, non absolutè; tum, quia profelyti etiam justitiæ non poterant eligi in membrum Sanhedrim, sive Synedrii magni, quod erat Hierosolymis: nobilissimos enim è Sacerdotibus Levitis & reliquo populo allegebant, ut Casaubonus docet ex Mose Ægyptio, Exercitatione primã contra Baronium pag. mihi 21. tum, quia in communi commercio cum illis exercendo vilipendebantur; & suos Judæi admonebant dicendo: *Vel ad decimam usq; generationem a profelytis cave*: tum quia credebant eorum liberos plerunque esse pessimos. Hinc Abolonem ex Maacha, quam profelytam fecit David, judicant fuisse tam impium, tribuunt ipsis profelytis causam confecti vituli aurei & plagæ illius, quæ ob desiderium carniæ Israelitis inflicta fuit. Imò in genere utuntur hoc proverbio, teste Maimonide: *Duri sunt profelyti Israelitis sicut plaga lepre*. Contempti itaque fuerunt habiti, non secus atque

2. Sam. 3. v.

Romæ

Romæ & Athenis adscititii à civibus à prima origine talibus. Hoc tamen liquidum ex Scriptis Ebræorum profelytum justitiæ gaudium fuisse jure civitatis atque privilegiorum annexorum, jure sacrorum & admissos fuisse ad esum Agni Paschatis & sacrificiorum Oblationes, jure denique connubiorum, cum ducere illis licitum fuerit aliquam ex populo Israelitico & vice versâ, quo respiciens Grotius non habet contradicentem, & de jure sacrorum agitur loco allegato Num. XV. v. 15 dum Moyles dicit: *Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terra, quam volunt latam; partim, ut magis allicerentur gentiles ad judaicam religionem amplectendam; partim, ut ipsi Ebræi promptiores essent ad admittendum illos; partim ut solliciti essent de uniformitate cultus divini nec permetterent in Republicâ suâ Licentiam illam, qua quisque sibi fabricat sacra ex ingenio.* Locus verò ex Galat. 5. capite num appositè allegetur, dubitari potest, Paulus enim ibi non respicit illos profelytos præcisè, ut vult Grotius, nec agi de obligatione legis servandæ oriunda simpliciter ex circumcisionis susceptione, sed de obligatione ad perfectam impletionem, sub hypothesisi circumcissionis tanquam necessarii cujusdam operis unde justitia: qui enim ita recipit cum opinione illâ, ille non tantum revocat ceremoniam cultum morte Christi abolitum, sed etiam debitorem se facit totius legis. Quamvis enim Patres V. T. circumcisi quoque

In quibus
Pare.

Locus Num.
met. XV.

Locus ex
Gal. 5. non
quadrat.

fuerint non tamen in illâ ut actu quodam
 posuerunt justitiam, sed acceperunt eam
 ut signum & sigillum justitiæ fidei Rom. 4.
 vs. 11. agit de Circumcisione ut opere quo-
 dam, quod qui ita deamat, ut in illo subsi-
 stat, ad totius legis impletionem tenetur, non
 enim unum opus sufficit in viâ legali, sed
 omnium complexus & integritas; non itaque
 debitor factus est totius legis vel Judæus vel
 Profelytus susceptione Circumcisionis ut
 Sacramenti, quâ ratione fuit medium gratiæ,
 sed amplexu illius, ut operis coram DEO
 laudabilis in quo justitia sita, sub quâ condi-
 tione superstitionis & affectæ huic actui opi-
 nionis se consequenter fecit debitorem legis
 totius, quâ missâ nec Judæus nec Profely-
 tus factus est debitor legis, sed membrum
 Ecclesiæ.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO VIII.

Non rectè asseritur: nullâ partè le-
 gis Ebrææ, quâ lex est, propriè nos
 obligare.

Dicit Author, nulla parte legis hebrææ,
 quâ lex est propriè nos obligari, quia
 obligatio extra jus naturæ veniat ex volun-
 tate legis ferentis, quæ hîc non possit depre-
 hendi. At hoc nimis crudè dicitur. Nam
 (1) si nullâ parte legis, quâ lex est propriè,
 He-

Lege ebræa
 aliqua ex
 parte obli-
 gamur.

Hebræa nos obligamur, consequens erit, nos quoque non obligari lege morali, quia Argumen-
tum pri-
mum. lex moralis quoque pars est legis hebrææ; Non itaque peccabunt gentiles concupiscendo, quia lex moralis de non concupiscendo ipsos non obligat: Ubi enim nulla lex, ibi nulla prævaricatio. (2) Quia lex moralis non secundum tantum est ex voluntate divinâ, cum ea que sunt legis moralis etiam intrinsicam habeant honestatem antecedenter ad voluntatem divinam. Et quamvis Grotius prævenire velit obligationem tantum removendo, que præcisè ex voluntate pendet contradistinctè ad jus naturæ, intimè tamen connexa sunt materia legis moralis & voluntas divina illam intimans, approbans, præcipiens, non illa voluntas est tantum particularis ad solos Judæos directæ, sed laxius sese porrigens ut ex antecedentibus constare potest. (3) tertium. Quam latè patet mundus, tam latè patet lex moralis, juxta Paulû Rom. 3. v. 19. dicentem, quicquid lex dicit, dicit illis, qui sunt sub lege, ut totus mundus obnoxius DEO fiat. Non obstat autem, quod Grotius urget, non deprehendi ullo indicio illius obligationis universalitatem. Nam præter argumenta ad Remoio
Scrupuli. ducta ipsum initium confestim legis moralis hoc ipsum ostendit. Dicit enim DEUS: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis coram me Deos alienos.* Ubi in Hebræo est Jehova, quasi dicat: *Ego sum Essentiator tuus.* Quibuscumque itaque essentiam dedit, illi

obligati sunt, ne colant alios Deos, & consequenter ad legem moralem adstricti.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO IX.

Non tantum incommodè Author loquitur de Ablatione Obligationis quoad ritualia, sed etiam de Libertate, quam Gentiles in Christo sunt consecuti.

Non datur
lex Evan-
gelii.

MAlè concludit Author I. dicendo, ab Israelitis ablatam esse obligationem, quoad ritualia, statim postquam lex Evangelii cœpit promulgari; tum, quia non datur lex Evangelii; Lex enim & Evangelium sunt opposita, quemadmodum gratia & opera. Et sicut Evangelium est annunciatio læta gratiæ; ita lex est regula exigens opera perfectè bona, quâ consummatè observatâ omne Evangelium cessat; tum, quia legem Evangelii ut succedentem Legibus Mosaicis proponit Grotius, cum tamen Christus non fuerit novus legislator, qui veteribus legibus antiquatis novam promulgari curarit in orbe; nec Evangelium cœperit demum tempore N. T. fuit enim etiam id Patribus propositum, cum per gratiam JESU Christi fuerunt salvati, prout illi qui felicitatem N. T. attigerunt teste Petro Act. 15. vs. 10. tum, quia falsum est respectu nostri non dari ab-

roga-

Nec succedat
legi anti-
quæ.

Nec lex
moralis
simpliciter
abrogata.

rogationem ullam Legis, quia nunquam obstrinxerit nos; cum lex moralis adhuc dum obstringat, nec sit abrogata quantum ad debitum obsequii, eo ipso quo Christiani tenentur honestè vivere, & actiones suas legi morali conformare. II. Scribendo valde ambiguè: ab Israelitis ablatam esse obligationem quoad ritualia quidem sive legem ceremonialem tempore N. T. Nam ablatam esse obligationem dupliciter potest intelligi: aut per modum meræ cessationis, aut per modum positivæ abrogationis; & cum Arminianorum partes severit Grotius, forsan in illam sententiam propendit, quasi per modum cessationis saltem obligatio fuerit ablata; ita enim existimat Episcopus ejusdem religionis scribens: Abrogatio propriè non sit nisi per contrariam rogationem, quæ hîc nulla est. Non est abrogata lex divina aliquo jussu aut contraria sanctione, sed desit ac cessavit factò isto divino interveniente, quo Rempulicam, templum ac populum amplius esse noluit; Desinente enim populo, destructo templo & eversa Republica, lex etiam populo isti data & templo atque Republicæ isti affixa, ut desineret, omninò necesse erat: eundem planè ad modum, quo leges belli desinunt & cessant per compositas inducias aut inimicam pacem; non abrogantur leges belli tempore pacis, sed finiuntur ac desinunt, natura rei ita postulante, quia necessariè non sunt, & usum suum non habent. Verùm, si hoc intendatur à Grotio hac phrasi, ut men-

Qualis Abrogatio legis obtineat ritualis.

Verba Episcopi.

tem Arminianorum denudavit Episcopus, nimis exiliter sentit de ablatione obligationis, & veritati difformiter; non enim leges ceremoniales sive rituales tantum cessarunt tempore N. T., sed & positivè abrogatz sunt, obligatione ablata per dispositionem contrariam. quod ipsum patet tum ex prædictione de novo fœdere surrogando in locum prioris, de rejectione ceremoniarum & sacrificiorum Jer. 31. v. 31, 32, 33, 34. Et Paulus disertè dicit translato sacerdotio Aaronico necesse etiam esse legem transferri Heb. 1. tum ex actuali abrogatione positiva disertis verbis concepta Act. XV. v. 28. ubi dicitur: *Visum est Spiritui S. & nobis non imponere vobis ullum onus amplius* & num non forensam illam de libello repudiî abrogavit Christus Matth. 19. v. 7? tum ex eo, quia si per impossibile templum Hierosolymitanum mansisset, & populus DEI in Judzâ; non tamen ritus antiquandi, Sacerdotiî Levitici officia, sacrificia illa V. T. vigere potuissent & debuissent. Denique III. differendo de gentilibus. Dicit enim nos alienigenz non id in Christi adventu consecuti sumus, ut Mosis lege non teneamur, sed ut, qui antea spem tantum satis obscuram in Dat bonitate positam habere poteramus, nunc disertò fœdere fulciamur; Nam lege Mosis teneri nos dupliciter potest intelligi: aut quantum ad rigidam exactionem & maledictionem, aut quantum ad debitum obsequiî & jugem renovationem. Priori modo gentiles non tenentur conversi lege Mosis; Posteriori

ambiguitas
de Obligatione
gentilium
voluitur.

riori autem modo tenentur. Verum ita nulla est differentia inter gentiles conversos & Judæos conversos; nam etiam priori modo non tenentur Judæi, & posteriori tamen iidem ut nos. (2) Quando dicit: gentiles antea habuisse spem obscuram in bonitate DEI positam, aut intelligit hoc de spe illa futuræ vocationis ad regnum gratiæ & gloriæ, aut de spe bonitatis divini, quæ præmiatura esset bona, quæ patrarunt gentiles, sicut justitia mala punitura. Prior non fuit in gentilibus cum illa hauriatur ex verbo, & ubi fides non locum habet, ibi nec spes eadem superstructa; posterior autem itidem controversa est, si ad futuram aliquam vitam extendas; quia & hæc incognita fuit gentilibus, nec de immortalitate animæ, multò minus de resurrectione corporis certis, & posterior hæc nihil huc facit, cum illam non sequatur fundamentum fœderis gratiosi. (3) Quando de deserto fœdere dicit: fulciri nunc gentiles; hoc itidem dupliciter intelligi potest, quasi sc. vel simpliciter tempore V. T. à fœdere Evangelico fuissent exclusi aut secundum quid: Si prior sensus obtineat falsus est, si posterior admitti potest. Ut enim Evangelium tempore N. T. fuit promulgatum gentilibus solenniter, ita pariter concipienda est ratio fœderis gratiosi eidem innoxia.

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO I.

Quanquam regula prima quam ponit hic Grotius admittatur, non tamen illam solidè ex Psalmo decimo nono stabilit.

IN hac thesi Author ponit tres regulas, quæ usum legis Mosaicæ explicant. Cum autem in singulis aut cespitet, aut strictim saltem uberius expendenda attingat, & tandem planè à vero deviet, ideoque quid in singulis desiderari possit, ostendemus. In prima regula confirmationis loco adducit, quod lex Mosis vocetur immaculata & recta Psal. XIX. Non itaque quod lege Mosis præcipitur, esse contra jus naturæ. Verum hæc probatio non est satis proba, neque enim David Psalm. XIX. loquitur tantùm de lege Mosaica, sed de verbo DEI toto, prout & Legem & Evangelium complectitur, quod ipsum confirmatur (1) ex ipso Psalmo; tum, quia non tantùm mentionem facit Præceptorum, sed etiam testimonii, timoris DEI & judiciorum, quæ latius sese porrigunt; tum quia adjuncta sunt universalia, veracitas v. 8, mundities v. 9, æterna dulcedo & dulcis æternitas v. 10 & 11. tum, quia effecta ibi recensita talia sunt, ut non tam in legem quàm Evangelium quadrent, qualia sunt convertere animam, sapientiam asferre imperitis, illu-

Per Legem
in Psalmo
19. intelli-
gitur ma-
ximè Evan-
gelium.

Probatur.

1.

illustrare oculos. (2) Quia de illa lege loquitur in Psalm. 19. cujus legis meditationem suavitatem confestim in Psalm. 1. Atqui lex illa non est lex Mosaica, sed est verbum Domini in tota sua latitudine acceptum, & vel maximè Evangelium, Ergò. Legis autem nomine non solam Mosis doctrinam contradistinctam Evangelio ibi exprimi, & beatitudinis adscriptio, quæ non legi competit, sed Evangelio, & Jacobi expositio cap. I. v. 25. & scopi observatio docet. Agit enim de vero & ultimo fine hominis, beatitudine scilicet per Messiam obtinenda. (3) Quia Patres etiam non ita restrictè acceperunt, ut Grotius. Hinc Theodoretus hanc legem, de qua agit Psaltes, contradistinguit legi naturæ & legi Mosaicæ, & illam vocat legem gratiæ scilicet improprie, in quantum Evangelium etiam dicit aliquam regulam & normam, quæ animas purgat, & ab interitu liberat. Papizat itaque hic Grotius, quod I. ex eo deprehendi potest, quia quando nostri Theologi producant loca hujus Psalmi pro perspicuitate Scripturæ contra Pontificios, Becanus & cæteri excipiunt, Davidem loqui de lege Mosaica, quasi scilicet saltem lex Mosaica esset clara quoad sensum literalem, & ita nihil faciat hic locus pro perspicuitate Scripturæ in cæteris partibus. Melius pro confirmando intento à Grotio laudatus est locus ex Epistolâ ad Romanos cap. 7. vs. 12. ubi Locus Roman. 7. concludit. Apostolus dicit legem ipsam esse sanctam & præceptum sanctum ac justum & bonum, quod

quod Tertullianus ita legit; lex sancta & præceptum ejus justum & bonum; distinguunt Interpretes, ut lex sit totus complexus ille præceptorum, mandatum autem unaquæque pars legis, quo referimus illa Theophylacti: *Differt lex à mandato quemadmodum univ-
ersale à particulari.* Decreta itaque legis & institutiones sunt sanctæ, mandata etiam de rebus gerundis sancta, justa & bona sunt, quamvis autem Thomas hæc tria Epitheta ita distinguat, ut sanctum referat ad mandatum legis ceremonialis, justum judicialis, bonum moralis, commodius tamen omnia tribuuntur legi morali, de quo præcipue Apostolo sermo est; illi legi, de qua versiculo septimo dixit: illam manifestare concupiscentiam esse peccatum,

Ad eand. Th.

OBSERVATIO II.

Regula secunda nos ducit ad Juris forensis Mosæici penitio-rem Ex-
pensionem.

IN alterâ regulâ Author nimis concisè agit, nec se satis explicat, dicendo: licere nunc his qui Imperium inter Christianos obtinent, leges ferre ejus sensus, cujus sunt leges per Mosen datæ sc. Forenses, sub tribus tamen limitationibus annexis. Verum hoc *ζήτημα* prolixio-rem desiderat considerationem.

Nam

Nam disputari potest (1) an jus forense Mosaicum nullibi repugnans juri naturali aut morali in Rebuspublicis Christianis habere debeat vim legis? (2) Si absolute hoc ipsum non concedatur, sed negetur, an saltem comparative ad jus Romanum, quod non in omnibus Rebuspublicis Christianis, sed in quibusdam tantum obtinet, preferendum sit juri isti Romano, quod navis suis non caret, Jus illud forense Mosaicum, & vim legis habere debeat? (3) Si & hoc negetur, an ad minimum obtineat jus illud forense, aut perpetuo obtinere debeat vim legis in judiciis criminalibus, aut saltem in pœnis capitalibus, si non in cœteris, civibus scil. negotiis? Ubi in affirmativam descenderunt Piscator, Zepperus in Tr. de legibus Mosaicis, nec non Maccovius Professor quondam Theologiæ in Academia Franekerana, cujus argumenta juvat proponere & expendere, ut lucem affundamus decisioni nostræ circa assertionem hanc Grotii. Argumentatur autem ille (1) pro affirmativa: leges istas esse sapientissimas & appositissimas ad Rempublicam regendam, E. recipi debere. Minorem ut certam supponit; consequentiæ rationem autem inde ducit, quia leges propterea servari debeant, quia sapientissimæ, justissimæ, & rebus accommodatissimæ. Nec obstare si excipiatur, esse quidem leges forenses Mosaicas sapientissimas & justissimas, sed non accommodatissimas cuivis Rempublicæ. Nam hoc perinde esse, ac si quis

De lege forensi disputanda.

Maccovii argumenta pro forensibus legibus, primum.

quis diceret, leges morales Mosaicas non esse omnibus Rebuspublicis accommodatas, cum leges morales sint fundamenta legum forensium Mosis; (2) Argumentatur: DEUM ipsum in V. T. Magistratum ad istas leges obligasse. E. istas vel maxime observari debere. Minore iterum ut certa supposita probat connexionem: quia, si omnium causarum controversarum decisio potuit ex his legibus olim peti, cur non & hodie, cum nulla ratio diversitatis dari possit. Nec obstare, si quis excipiat: rationem diversitatis esse, quia deteriora sint jam tempora; Nam & tunc fuisse pessima tempora, quæ nostris in malitia non cedant, quod exempla iræ divinæ extraordinaria in diluvio, incensione Sodomæ, & alia ostendant. (3) Argumentatur, si leges istæ forenses non sufficiunt omnibus Rebuspublicis regendis, & decidendis controversis politicis, Scripturam non fore perfectam quoad præcepta morum; Atqui hoc esse falsissimum, E. & antecedens. Consequentia rationem probat, quia Scriptura ita dicatur perfecta, ut omnibus Statibus præcepta det, præsentibus sc. & futuris, quomodo se quisque in suo statu quovis tempore gerere debeat; nec obstare, si reponatur: si ita sese res habeat, consequens fore Scripturam præscribere Ianionibus, Sutoribus, & aliis mores, quod oppidò absurdum. Nam præscribere utique, etsi non quoad mores ipsorum, tamen quoad pietatem vitæ, prout constat ex Luc. III, 10, 11, & 12. Ne autem

autem videatur reliquisse intactum aliquid in hac controversia ab argumentis pro affirmativa descendit ad negativam, quam dicit esse Jctorum & Lutheranorum, & producit argumentum illorum, ut quidem opinatur, palmarium, quod tale est: Quicquid est abrogatum, juxta id controversiæ determinari non possunt aut debent. Lex forensis est abrogata in N. T. E. jam secundum eam controversiæ determinari nec possunt nec debent. Respondet autem ad hoc argumentum distinguendo inter legem forensis, quæ vel communis vel specialis. Legem forensis abrogatam esse, non communem sed specialem, quæ sc. ex certa circumstantia, & statu peculiari populi Israelitici ortum habuerit, qualis e. g. lex de anno Jubilæo, de superinducenda fratris uxore & consimiles.

(2) Ad instantiam ulteriorem nostrorum respondet, quando replicant: nullas manere & communes & speciales, omnes esse abrogatas præter legem moralem, quæ sola lata sit in perpetuum, quæ etiam propterea sola in N. T. citetur & allegetur, tanquam quæ obtinuerit non solum sub veteri fœdere, sed etiam obtineat in novo, respondet, inquam, ad hanc instantiam nostrorum: non tantum Legem moralem allegari in N. T., sed etiam Legem forensis, ut aperte constet ex Matth. XV. 4. præterea si conscientia & lex naturalis ex parte ostendat legum istarum æquitatem, consequens esse illas non esse abrogatas; atqui ostendere; Rationem autem consequen-

Argumenta
opposita
primum.

Responsio
Maccovii.

secundum.

Responsio.

sequentia esse, quia lex naturæ sit perpetua. Minorem autem, quod sc. ostendat, probari inde, quia ut homicidium, ita adulterium apud plerasque gentes & nationes cultiores morte puniatur, conformiter scil. juri forensi

tertium.

Responsio.

Mosaico. (3) Respondet non obstare, si replicent iterum nostri, ex hoc ipso apparere leges forenses esse abrogatas; nam, si res ita se haberet, tunc omnes cum lege naturæ convenirent; at non convenire: quia multis in locis adulteria capite non plectantur, alibi fures suspendantur, quod sit contra leges forenses divinitus latas. Juxta legem enim forenses Mosaicam adulterium esse capitale, furtum autem non capitale. Ad hanc nostrorum instantiam sive replicam denuò respondet, prout imago DEI in homine lapsa tantum quoad reliquias relicta sit, ita & legem naturæ, aded ut non mirum sit hos vel illos homines absque verbo DEI, in legum naturalium ad particulares hominum actiones applicatione, non usque quaque convenire. Verum hæc argumenta non concludunt. Non (1,) nam, si ex eo quod leges illæ sunt sapientissimæ & justissimæ, consequens est jura forensia Mosaica adhucdum obtinere, consequens quoque erit leges illas speciales forenses de Jubilæo & superinducenda fratris uxore adhucdum obtinere, quia & illæ sunt leges sapientissimæ & justissimæ, neque differunt in tertio sapientia aut justitia à communibus, sed in tertio saltem latitudinis juxta Maccovium. Atqui has speciales

Examen arguimento-
rum Maccovii.

les locum non habere ipse Maccovius agnoscit. (2) Qui addit esse etiam leges forenses appositissimas & Rebuspublicis accommodatissimas, hoc ipsum non absolute respectu omnium Rerumpublicarum admittendum est, sed determinate respectu Regiminis illius, quod viguit in populo DE I electo. Hinc concedimus largiter respectu istius Reipublicæ fuisse accommodatissimas & præstare cæteris omnibus, tanquam divinas humanis. (3) Quod replicatur, etiam respectu cæterarum Rerumpublicarum fuisse accommodatissimas, nisi velimus dicere etiam legem moralem non respicere omnes Respublicas, frustra dicitur. Nam lex moralis obligat hominem quæ talem, & consequenter quam latè patet humana natura, tam latè patet quodque lex moralis. Lex autem forensis Mosaica non obligat hominem, quæ talem; aliàs consequens quoque foret Jobum, Jethronem, Ninivitas & reliquos fideles, imò omnes homines fuisse legem forensi obstrictos, cum tamen stante adhucdum Politia Judaica patrias & avitas leges retinuerint, neque legibus forensibus Mosis sese submitterint. Præterea, quod additur leges morales esse fundamenta legum forensium Mosis, si itaque illæ obtineant, & has propter fundamenti stabilitatem esse retinendas, id non concludit, tum, quia pariter ita leges ceremoniales essent retinendæ in N. T., nam etiam leges ceremoniales fundatæ fuerunt in lege morali & præceptis Tabulæ primæ de cultu

T

divino:

divino: tum, quia fundatæ sunt leges foren-
 ses Mosaicæ in lege morali, saltem ratione
 materiæ, quatenus e. gr. agunt quoque de
 homicidio, de adulterio & cæteris objectis
 Decalogi sive Legis moralis, tum, quia pari-
 ter ita concludi potest pro legibus civilibus
 & jure Romano, nam & illud reduci potest
 ad titulos de furto, de homicidio, de adulte-
 rio, crimine falsi &c. & in multis ad jus na-
 turæ. Ad (2) argumentum respondetur (1)
 inverti posse hoc argumentum. Nam, si in
 V. T. DEUS obligavit Magistratum ad istas
 leges, sequitur cessante V. T. cessante Repu-
 blica Judaica, sine spe restitutionis, Magi-
 stratum N. T. non esse obligatum ad istas
 leges. (2) Quod concernit probationem
 connexionis, decisio causarum sufficiens peti
 potuit quidem ex istis legibus forensibus
 tum temporis, verum non est consequens,
 hodiè etiam exinde peti posse, quia sufficiens
 decisio causarum potuit peti ex illis non ab-
 solutè, sed respectu terræ sanctæ, respectu
 certi alicujus populi sub determinato regi-
 mine existentis, respectu denique certi tem-
 poris, & ad definitam periodum. Ut enim
 debuit cessare hæc Theocratia & Respubli-
 ca Judaica, ita quoque decisio causarum ad
 jus illi præscriptum debuit cessare. (3) Ex
 nostris Theologis non utuntur contra Ca-
 rolostadium, Anabaptistas, Piscatorem &
 cæteros hac instantia, quam sibi fingit Mac-
 covius de temporibus deterioribus, verum
 nituntur potius nostri Theologi eo, quod
 sceptrò

scepro ablato Judæorum Respublica cessare debuerit, legibus mutatis, veniente Messia & condente novum populum, quem leges veteres non constringant, Gen. XLIX. 10. & Dan. IX. 26. Quanquam, si quis ita vellet instare, nihil à Scriptura alienum diceret, cum constet mundo inclinante etiam scelera & flagitia magis grassatura esse, ut constat ex Matth. XXIV. Ad (3) argumentum respondetur (1) non esse consequens Scripturam propterea esse imperfectam quoad præcepta morum. Aliud enim sunt leges politicæ, aliud sunt præcepta morum. Illæ respiciunt statum publicum, & attemperantur illi etiam judicio Aristotelis, & peculiare jus vel publicum vel civile constituunt. Hæc verò pertinent ad Decalogum & Legem moralem, non itaque Scriptura ex eo imperfecta est, si de legibus istis politicis nihil disponit, sed tunc esset imperfecta, si quoad præcepta morum deficeret, quæ sufficienter in Decalogo exhibet. Ad probationem respondetur (2) Scripturam utique ita esse perfectam, ut etiam omnibus statibus præcepta det. Verum aliud est præcepta dare in genere, aliud illa determinare, applicare, attemperare. Prius exhibet Scriptura per Decalogum, posterius relinquit vel Majestati vel libertati Reipublicæ. (3) Ad instantiam, quod replicat, hoc pro nobis facit. Nam si lanionibus, sartoribus, & sutoribus præscribit Scriptura, quid faciendum non quoad mores, sed quoad vitam piam, cum totius vitæ pietas

ex lege morali pendeat, sufficet ad hoc lex moralis, non in subsidium vocata lege forensi, sed quoad externa concurrente potestate legislativa hujus vel illius, qui summum habet Imperium. Exemplo hoc illustrari potest, & eodem tota vis argumenti everti. Lex naturæ utique perfecta est, quantum ad honestatem vivendi exterioriorem, nec tamen illa præscribit omnibus statibus in particulari, quid faciendum, verum determinationem relinquit summæ potestati circa hos vel illos, in hoc vel illo statu viventes. Nec evertitur nostrum argumentum, quod Maccovius adducit sine probatione, ut eo facilius solvat. Nam fundatur hoc argumentum in abrogatione positiva, ut nihil dicamus de cessatione ex cessatione Reipublicæ, tum, quia ipse Christus abrogavit, jubendo dare Cæsari quæ sunt Cæsaris Matth. XXII. 21. & cum Christo Apostoli, jubentes, ut obediamus Regibus illis, qui potestatem in nos habent, Rom. XIII. 1. & 2. 1. Petr. II. 13. & 14. At obedientia illa extendit sese ad leges ab ipsis promulgatas, quæ utique non fuerunt forenses Mosaicæ; tum, quia apertè dicitur Eph. II. 15. quod Christus legem mandatorum mæseria rupta, h. e. destructa Republica Judaica, in decretis evacuaverit; tum, quia Christus disertè revocavit ad primum exemplum conjugii, libellum repudii repudiando, qui tamen lege Mosaica forensi erat permissus, Matth. XIX. 8. (2) Quod respondet distinguendo inter leges communes & spe-

& speciales, infirmum est; destructa enim Republica non cessant tantum speciales leges, sed & communes, (3) quod dicit, nostros instare legem moralem solam esse perpetuam, id ipsum ipse admittere cogitur, cum instantiam producit ex Matth. XV. 4. infirmam. Christus enim ibi subjiciendo legem de pœna parentum malè habitorum, non perpetuitatem legis forensis probat, sed (1) disputat ex hypothese cum Pharisæis legem forensis admittentibus & eidem subjectis, (2) idèò producit legem forensis, quia tum temporis nondum planè cessaverat, publicum enim & manifestum abrogationis istarum legum testimonium est Politicæ Mosaicæ destructio, stabat autem tum temporis adhuc dum quocunque modo Politia Judaica. (3) Producebat illam in comparatione ad traditiones Pharisaicas, non leges civiles alias. Hinc etiam colligitur falsam esse illam observationem Zepperi & aliorum, qui existimant, si lex in N. T. repetatur, esse illam juris perpetui. Quod deinde addit ipsam conscientiam & legem naturalem ostendere legum istarum æquitatem, nos non stringit. Nam etiam conscientia & lex naturæ potest ostendere æquitatem in legibus forensibus aliarum Rerumpublicarum, Anglicanis, Gallicis, nec tamen propterea istæ leges vim legis apud nos habent, aut habere debent. Neque meminimus quosdam instare, ut fingit; noverunt enim nostri Theologi, quod non necessarium sit, ut etiam lex naturæ æstimetur ex

omnium populorum conspiratione. Quapropter rectè pronuntiatur cum B. Luthero, leges forenses Mosaicæ tam nos non obligare, quàm non obligant leges aliarum Re-
 rumpublicarum Atticæ Draconis vel Solonis, & frustra à Zeppero & aliis quibusdam dicitur, leges illas forenses Judaicas non quidem in se, sed quatenus cum jure naturæ conveniunt, & in illo fundantur, vim legis habere apud nos, & obligare etiam Christianos, pari enim ratione posset dici, Jus Anglicanum, Jus Gallicum & cætera aliorum populorum, dicta Philosophorum, Decisiones Rotarum Neapolitanæ, Romanæ, Arresta Curiarum Parisiensis, Tolosanæ, vim legis apud nos habere in Germania & obligare, in quantum scilicet sese conformant juri naturæ. Aliud itaque est per modum doctrinæ sese habere, aliud per modum legis. Prius non negamus etiam in Rebuspublicis Christianis legibus forensibus Mosaicis, posterius autem est id, quod disputatur. Nam erudire utiq; nos possunt de æquitate, quemadmodum jura aliorum locorum, sed propter defectum potestatis legislativæ non obligant, nisi in quantum aliquid decerpitur ex ipsis, & imperatoriâ auctoritate in vim legis assurgit.

Grotii sententia probatur.

Ultimò itaque notamus, Grotium rectè quidem dicere, licere nunc his qui imperium obtinent inter Christianos leges ferre ejusdem sensus, cujus sunt leges forenses Mosaicæ, verum non obtrudere ut leges Mosaicæ

cas & forenses. (2) Limitationem illam; nisi *Limitatur.*
 Christus contrarium constituerit, esse ambiguum, atque exponi posse quasi Christus tanquam novus legislator aliquid contrarium constituerit, atque ita ubi constituerit, non possit locum habere lex forensis, quod falsum, cum Christus legislator non fuerit novus. (3) Melius dici potest, *explicitur.* leges forenses Mosaicæ non posse etiam constitui à Magistratu denuò observandas, in quantum illæ innexæ fuerunt legibus ceremonialibus, & ita non solum non consultum leges forenses iterum recipere, verum etiam peccaminosum, ut respectum habuerunt ad regimen illud religiosum populi electi & Sacerdotii Regalis, e. g. lege forensi constitutum erat, ut homicida, qui casu interfecit aliquem, maneret in Urbe refugii usque ad mortem Sacerdotis summi. Cum autem Christus jam umbram Sacerdotis V. T. suo adventu sustulerit, lex hæc planè locum hodiè habere nequit.

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO III.

Regula tertia Errores cumulat.

IN tertiâ observatione Author noster multipliciter peccat, & Photinianismam aperte prodit. Dicit enim quicquid ad illas virtutes pertinet, quas Christus à discipulis suis exigit, & lege Mosis præceptum, id nunc

Rejicitur
Sententia
de exactio-
ni perfectio-
ne sub N.
T.

Promissio-
num cele-
stium con-
sideratio.

etiam si non & amplius à Christianis præstandum. Atqui stante hac hypothese sequeretur (1) legem moralem non esse perfectissimum exemplar sanctissimæ voluntatis divinæ, ad quam se conformare debet omnis homo, quia amplius quid exigitur in N. T. à Christianis, (2) potius oppositum debuisset inferre, nempe non amplius, sed minus præstandum Christianis, quia tempus V. T. fuit typus servitutis; Novum autem libertatis, quod ipsum indicat clarè Apostolus Actor, XV. 10. & seqq. (3) Si de præstatione perfecta Grotio sit sermo, neque à Christianis neque à fidelibus V. T. illa fuit exacta. Dicit (2) fundamentum hujus observationis esse, quod quæ virtutes à Christianis exiguntur in majori gradu exigantur, quam statu legis hebraicæ, idque meritò, quia etiam promissiones cœlestes in Evangelio multò clarius proponantur. At hîc iterum errat graviter & photinianizat (1) quod existimat, virtutes illas humilitatem, patientiam &c. à lege morali non fuisse exactas in summo gradu tempore hebrææ legis. At, si lex moralis exigebat dilectionem DEI ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totis viribus, & dilectionem proximi summam, omnes utique virtutes, quæ per Decalogum se diffundunt, & in dilectione DEI & proximi fundantur, in summo gradu exegit. Requisivit autem lex moralis istiusmodi dilectionem in V. T., ut constat ex allegatione Christi Matth. XXII. (2) Fundamentum hujus observationis non est

est spurium illud, quod ponit Author no-
 ter, sed moralis legis perpetuitas, citra di-
 scrimen V. & N. T. Lex enim moralis cum
 æterna sit, cum constantissimæ sanctitatis di-
 vinæ exemplar, semper & æternum requirit
 illam conformationem per exercitium ista-
 rum virtutum. (3) Photinianismo affine est,
 quod dicit idè virtutes in majori gradu re-
 quiri hoc tempore, quia promissiones cœle-
 stes in Evangelio multò clarius proponantur.
 Hoc enim non solum Photinianis placet,
 cum Smalzius contra Frantzius, Ostorodus
 in Institutionibus suis, Volkelius lib. 4. de
 verâ Religione c. 3. dicant, promissiones de
 Messia in V. T. tanta fuisse involutas diffi-
 cultate, ut vix intelligi potuerint, & quamvis
 largiantur Patribus remissionem peccati &
 salutem æternam, nec non notitiam aliquam
 & spem illius cum desiderio, tamen Bonum
 vitæ æternæ nec fœdere inclusum, nec us-
 quam populo apertè promissum fuisse statu-
 unt, quò respicit Grotius; Verùm etiam falsis-
 simum est, & fundamentum fidei concutiens.
 Nam, si idè virtutes à nobis exiguntur in N.
 T. in majori gradu, quia promissiones cœ-
 lestes in Evangelio clarius proponuntur,
 consequens erit promissiones cœlestes exi-
 gere conditionem virtutum & operum no-
 strorum, cum tamen promissiones cœlestes
 in Evangelio non exigant opera & virtutes,
 sed exhibeant Christum, & cum sola fide sint
 connexæ, à qua sola pendet salus & vita æ-
 terna. (3) Dicit legem veterem in compa-

Lex veteris
 num perfe-
 ctior.

Diſta Scri-
pturæ vin-
dicantur.
illud Eb. 7.

ratione non fuiſſe perfectam nec ἀμειπλον,
h. e. ſine reprehensione, immaculatam, &
allegat dicta ſenſu planè perverso; Nam lex
V. T. non dicenda eſt reprehensibilis & im-
perfecta absolute; neque dicta illa quicquam
faciunt pro Grotio. Non illa ex Epistola
ad Hebr. 7. & 8., quando enim dicitur, lex
nihil consummavit, non tam de lege morali,
quàm ceremoniali eſt ſermo, adeoque ſen-
ſus, ceremonialis lex exteriorem commen-
davit munditiem, quæ nos non ſanctos facit
coram DEO, judicialis autem ita agebat, ut,
ſi quis homicidium commiſiſſet aut ſimile
quid, juberet eum occidi, ſed animum neu-
tra mundabat. Siq̄ verò de lege morali hæc
accipias, non hoc intelligendum eſt de lege
moralis in ſe, ſed comparatè ad hominem cor-
ruptum, de lege autem ceremoniali agere, de
illa negari τὸ τελειῶσαι, ſive perficere omnia
ſuadent, & comparatio Chriſti cum Melchi-
ſedecho, atque oppositio ad Sacerdotium Le-
viticum & ipſum τελειῶσαι, quod ſacerdota-
lem conſummationem indicat, quæ non per-
fecta fuit pecudum maſtatione, carnali ſacri-
ficatione, & tandem ratio Typi, quæ hîc inſi-
nuatur, lex enim ceremonialis media expia-
tionis adumbrat, & è longinquo oſtendit, cū
moralis peccata denudet & maledictionem
intendat: ſic quoque Heb. 8. lex V. T. dicitur
reprehensibilis, non quod lex ipſa mala ſit,
ſed, quia per pactum legis nemo juſtificari
aut ſalvari poteſt, non culpa legis, ſed infir-
mitatis noſtræ; Unde conſeſtim dicitur, non
incu-

Heb. 8.

incusans legem seu pactum illud vetus, sed incusans eos, Judæos sc., qui legem servare non poterant, suo vitio corrupti. Quam propè autem accedat Photinianis in dicti hujus ad propositum suum accomodatione liquet ex verbis Schmalzii contra Frantziū Disp 7. de Bonis Operibus, qui concludit, quia Christus Mediator fœderis melioris, vitam æternam nemini ante Christum fuisse promissam. Reprehensibile verò dicitur fœdus primum ut diximus, tum, quia instituta illius si generaliter accipiamus de prædicatione legis moralis & Sacerdotio Levitico non salutem in se continebant, nec justificabant, cum transgressor legis lege damnetur non absolvatur, tum, quia non poterant hoc fœdus servare homines corrupti, hinc etiam abrogatum fuit, non tantum, quia promissiones sub operum conditione homini sunt impossibiles post lapsum, sed & quia actu ruptum fuit hoc fœdus ab Israelitis prævaricantibus. (2)

Dictum Rom. X. non concludit. Christus enim ibi non dicitur finis legis, sed τέλος, atque si hoc dictum accipiatur de lege morali, tunc Christus dicendus τέλος h. e. impletio legis, consummatio, collectio, qui præstitit omnia, quæ nobis præstanda, vel τέλος cum respectu ad vœtigal, quia solvit pro nobis, etiam ut simus immunes ab exactione & onere legis. Si autem vox τέλος accipiatur de fine, Christus finis legis dicitur respectu ceremoniarum, quæ finitæ sunt Christo adventante. Sed libuit Grotio illo sensu hoc

Rom. 10.

dicto uti, quem prodidit in Commentario ad Epistolam illam Paulinam, ubi scribit τὸ λ. & νόμος χειρὸς, id est, lex Moysis via tantum fuit ad Evangelium τὸ λ. & est via meta, ut supra c. 6. v. 21, 22. 1. Tim. 1. v. 5. idem sensus est Gal. 3. v. 24. & supra c. 3. v. 31. & 8. v. 4. Ebr. 7. v. 19. Christus sapè ponitur pro Evangelio, ut & supradiximus 9. v. 32. πλήρωμα νόμου ἀγάπη infra 13. v. 10. quibus gemella habet Crellius, saniora verò potuisset discere ex Theodoro Beza, quem in Epicedio Ducem Ducum appellat, cujus sapiens labor antiquos respiciat annos, virtus nostros, fama sequentes, ita enim ille: *Finis, τὸ λ. &, id est, τὸ ἕνεκα, quod Latini tam finem, tam extremum, tum etiam scopum translative vocant. Finis autem legis est, illos justificare, qui eam observant, Quem finem qua minus assequamur, impedit non ipsius legis ulla qualitas; sed carnis nostra vitiositas: cui demum ita medetur Christus, ut in eo uno gratis per fidem nobis imputato finem legis consequamur per illum justificati, qui pro nobis legem implevit, pro nobis maledictiones omnes in se recepit, & in quem pro nobis omnes benedictiones sunt effusa, ut fieret nobis justitia, Sanctificatio, Redemptio. 1. Cor. 1. 30. Quamobrem & Apostolus dixit supra. 3. 31. Se per fidem non tollere legem, sed stabilire. Erasmus perfectionem maluit interpretari, id est, τελειωσιν vel πλήρωμα: cuius sententia mihi non placet omni ex parte. Nam τὸ λ. & non memini legere in ea significatione, & Paulum opinor non modo legem à Christo impletam dicere,*

dicere, sed de hujus impletionis efficacia differere, nostri videlicet per imputationem justificationis. Eorum itaque opinionem non sequor, qui perfectionis significatione ambigua decepti, putant Christum idcirco dici legis perfectionem, quod Spiritu Christi regenerati incipiamus velle ac facere quae DEI sunt: Cum aperte opponatur, hoc loco justitia fidei justitia operum: ideoque non possint ista commode accipi de justitia inchoata in nobis, sed de vera & perfecta justitia, quam in ipso per fidem cum suis illis beneficiis nobis communicato, i. e. nostro facto consequimur. Non desunt etiam qui τὸ ἐλθὲν pro fine (id est interitu) accipiant, quod Christus ceremoniarum legis finem attulerit, quae interpretatio videtur non indigere refutatione. Neque etiam quod ad Christum venimus, legis terroribus pulsus, tribui potest legi, nisi κατὰ συμβεβηκός. Causalis autem particula refertur ad participium μετέωρον. Quod autem (3) locum ad Gal. concernit, dicitur lex pædagogus ad Christum duplici ratione, (1) respectu typorum & umbratarum, (2) respectu constrictionis & disciplinæ. Priori modo lex ceremonialis pædagogus fuit ad Christum, quia prima rudimenta & elementa tradidit, Posteriori autem modo lex moralis, dum scilicet petulantiam coercuit; exspirante autem pædagogia puerili & umbratili, adhuc durat pædagogia pœnitentialis, quia lex moralis peccatores ad agnitionem peccati ducit, & novæ obedientiæ formam præscribit.

Gal. 3.

Ad

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO IV.

De Sabbatho Christianos obligante distinctè est pronunciandum.

Controversia de Sabbatho.

Circa finem hujus thesæ tandem Author duas sat controversas & vexatas quæstiones attingit, nempe de Sabbatho & de Decimis, in quantum lex Sabbathi obliget in N. T. Christianos? & quid seponendum sit in sacros usus, quod respondeat Decimis? Prima quæstio agitur magnis animorum motibus, quibusdam statuentibus, præceptum de Sabbatho esse legis moralis, quibusdam statuentibus esse legis partim moralis partim cerominalis. Et quidem quod lex de Sabbatho sit legis moralis videntur evincere sequentia argumenta, tum, quia Decalogus nil aliud est quàm lex moralis, lex autem de sanctificando Sabbatho est pars Decalogi, ejusdem itaque naturæ erit cum toto. Quod argumentum eò validiùs urget, quia nulla ceremonialia in Decalogo continentur: tum quia, quod ante leges ceremoniales & forenses ab ipsâ creatione & mundi exordio obtinuit, id utique non ceremoniale censei debet, quod argumentum eò magis stringit, quia ceremonialia in V. T. dicebant respectum ad Christum, & referebantur ad ipsum tanquam umbra ad corpus, ut constat ex Hebr. X. 1. Si autem lex de Sabbatho

Sabbathâ pertinet ad legem moralem.
Argumenta primùm.

secundum.

Sabba-

Sabbatho obtinuit confestim septimo die à mundi exordio, ante lapsum Adami, quomodo potest dici ceremonialis, aut respexisse Christum, cum Christus non venerit nisi propter peccatores; tum, quia substantia præcepti, quæ consistit in quiete & diei sanctificatione, non solos concernit Judæos, sed & alios. **tertium.** Accedit quod in Decalogo ut sic, & tertio præcepto nihil fit, quod propriè ad Christum spectet, nihil itaque ceremoniale, adeoque meri juris moralis erit lex de Sabbatho. **quartum.** Quod ipsum non videtur probasse Grotius, scribendo legem veterem de Sabbatho monstrare Christianos obligari, ne minus septima temporis parte ad cultum divinum seponant. Ut enim hæc morale & perpetuum quid agnoscat, quia obligationem etiam extendit ad Christianos, legis sc. de Sabbatho, tamen præter morale illud aliquid agnovisse videtur in lege illâ, quia dicit, ostendi nos obligari non ad Sabbathum illud, quod Judæi observarunt, sed ad temporis partem septimam indefinitè, ne sc. minus illa ad usum sacrum seponamus. Verùm ut hæc argumenta producta satis sint ponderosa, nihilominus adversa pars quoque habet, quæ videntur probare oppositum. **Sententia opposita.** Tum quia septimi diei determinatio non moralis est, sed ceremonialis aut politica, tum, quia **Argumenta. primum.** Sabbathum dicitur signum, sc. futuri, E. ceremonia, Exod. XXXI. 17. Ezech. XX. 12. **secundum.** tum, quia stricta illa diei istius observantia **tertium.** fuit pædagogicæ legalis Exod. XVI. 14. & XXXI.

quartula. XXXI. 14. Accedit, quod Sabbathum cum aliis ceremoniis comparatur, & ejusdem census esse dicitur Matth. XII. 2. 3. 7. quod Sabbathum inter umbras recensentur, quorum corpus Christus ad Coloss. II. 16, 17. Quod denique per istius quietem denotetur Sabbathismus cœlestis Hebr. 4. 9. Quanquam autem hæc quæstio ita sit comparata, ut ad argumenta primæ partis possit unum & alterum reponi, & quidem ad (1) quod non repugnet in Decalogo aliquid esse ceremoniale. Quamvis enim Decalogus sit compendium quoddam legis moralis, non tamen est legis moralis tantum, sed totius legis Mosai- cæ seu fœderis integri à DEO cum populo Israelitico initi, cujus fœderis seu legis uti tres partes sunt, moralis, ceremonialis & politica, ita & in hujus compendio, Decalogo scil., DEUS voluit aliquid morale esse & ceremoniale & politicum, quo tota lex illa Mosai- ca à DEO in monte Sinai ore proprio emissa sanciretur & quasi comprobaretur, quod vel exinde patet, quia Tabula prima fuit radix & fundamentum omnium ceremoniarum & rituum cultus illius V. T. Tabula secunda radix & fundamentum Politicæ Judaicæ, & Legum Judicialium de furto, homicidio, adulterio, perjurio, & cæteris. (2) Itidem non videtur esse consequens, quod à creatione obtinuit, illud confestim morale est, nam nolumus quidem cum Francisco Gomaro negare Sabbathum obtinuisse ab ipsâ creatione, & demum cœpisse à exitu

Responde-
 tur ad ar-
 gumenta
 primæ
 Classis.
 ad primum

ad secun-
 dum.

ab exitu ex *Aegypto*, vel tempore eo, quo *Manna* cœlitus fuit demissum; tum, quia apertè dicitur *Gen. II. DEUM* sanctificasse septimum diem; tum, quia anticipatio historica, quam fingit *Gomarus*, valdè est periculosa; tum, quia *Gomari* sententia non nihil ad *Paganismum* declinat, gentilibus ita sentientibus, quod scil. septem dierum jejuniò per *deserta Arabiæ* cum populo suo fatigatus *Moses*, cum tandem venisset ad montem *Sina*, septimum diem *Sabbathum* appellavit, & in omne ævum jejuniò sacravit, quoniam ille dies famem illis atque errorem finierit, ut *Justinus* docet. Majoris connectio non videtur esse firma, cum etiam ab ipso creationis primordio datum fuerit præceptum de abstinentiâ fructus vetiti, quod tamen præceptum non potest dici morale, aut intrinsecè aliquam bonitatem dixisse. (3)

Tertium itidem argumentum non videtur esse firmum: cum non possit ostendi præter *Judæos* gentiles fuisse adstrictos ad sanctificationem septimi diei, multò minus lumen naturæ ipsis hoc dictasse; quod scil. dies septimus sit *DEO* consecrandus. Quæ enim proferuntur à quibusdam pro sanctificatione septimi diei etiam apud gentiles recepta, ex ecclesiasticis & profanis *Scriptoribus*, illa non sunt solida; cum vel non extent in *Authoribus* citatis, utpote illa *Callimachi* & *Homeri*, vel loquantur non de *Sabbatho* *Judæico*, sed de aliis diebus gentilium cætui festivis, ostendente hoc *Johan. Meursio*, qui docet:

Refutatur
tertium ar-
gumentum.

U

loqui

loqui illos Authores vel de septimo cujusvis mensis, nō septimanæ, aut de septimo Januarii, qui Apollini fuit natalis, & consequenter in Fastis facer, vel de singulari numeri septenarii dignitate & vi astrologica ex circumgira-

Posterioris
Sententiz
argumenta
redundun-
tur.
Primum.

tionē cœli oriundâ. Posterior tamen sententia longè inferioribus nititur tibi cinibus; Primum enim argumentum non concludit. Nam, quamvis septimi diei determinatio concedatur esse ceremonialis & politica, nondum tamen evictum est, ipsum essentialē hujus præcepti, quietem sc. mandatam & quietis sanctificationem esse ceremonialem vel

secundum.

politicam. Secundum non concludit, quia non est consequens Sabbathum dicitur signum, E. est ceremoniale quid, fuit enim Judæis signum rememorativum & creationis Exod. XX. 11. & XXX. 17. & educationis ex

tertium.

Ægypto Deuter. V. 12. Tertium non concludit, quia observantia Judæis imperata illius diei fuit Pædagogicæ legalis, non simpliciter & ratione suæ substantiæ, sed ratione accidentium & circumstantiarum. Denique non concludit, quod dicitur referri inter alias ceremonias & umbras quoque Sabbathum, hoc enim tantum fit secundum id, secundum quod fuit Sabbathum Judaicum certis circumstantiis vestitum, certo populo præscriptum, certa periodo determinatum. Ut ergo de tota controversia constet, fontes

Explicatur
uberius i.
distinctio-
ne Sabba-
thi.

solutionum aperiemus. (1) Observandum, distinguendum esse inter Sabbathum Judaicum qua tale, prout septimus dies determi-

natè

natè talis præscriptus fuit populo Judaico, qui dies fuit deinde translatus in Dominicum, & inter Sabbathum quocunque modo acceptum, quatenus indefinitè notat septimum aliquem diem, in circulo hebdomadario. Controversia est, quando de moralitate Sabbathi disputatur, non de Sabbatho in primâ acceptione, sed in secunda. (2) Observandum, Sabbathum non posse esse juris moralis strictè sic dicti, cujus peccata ex se ipsis ita justitiæ divinz adversantur, ut divinitus non dispensari possit, qualia sunt blasphemia, desperatio & similia, adeoque aliud esse humanitus indispensabile, quod omnes homines obligat, aliud absolutè immutabile. Quamvis enim dies septimus in circulo hebdomadario indefinitè talis non possit mutari ab ullo homine, & in decimum vel alium rejici, non tamen etiam septimus indefinitè talis absolutè est immutabilis ab ipso DEO, quod exinde patet, quia ordo ille septendii in alterâ vitâ mutabitur ab ipso DEO, cum æternitas sine intervallo Sabbathum ducet è Sabbatho. Quapropter (3) observandum est, Sabbathum posse tripliciter considerari, atque (1) juris moralis naturalis esse cultum quendam externum, & tempus aliquod cultus divini, & vacationem à laboribus, quæ sacra impedirent, (2) juris moralis positivi esse circumstantiam septimi diel indefinitè, in quovis circulo hebdomadario, & tandem (3) juris merè ceremonialis fuisse septimum & ultimum septimanæ diem in se & sua natura

2. Negatione juris moralis de Sabbatho.

3)
2)

3. Alia æque tripliciter considerari ratione vocis Sabbathi.

Dies Solis
cur Domi-
nica.

Refutatur
I. excessus
Iudaeorum

tura mutabilem, ex hypothefi autem ftantis adhucdum Politiaē Judiciaē immutabilem, qui aētu variatus & immutatus auctoritate vel Divina vel Apoftolica, furrogato in ipſius locum die Dominica, in honorem reſurrexionis Chriſti; quæ dies, quia dicitur *ἡμέρα κυριακή* dies Dominica Apocal. I. ideoque à quibusdam ſtatuitur originem accepiffe ab ipſo Domino, & conſequenter hanc mutationem ei eſſe adſcribendam, quemadmodum Coena *κυριακή* ſive Dominica ita dicitur à Domino inſtituente, quia ſcil. ipſe Chriſtus eam inſtituit. Conſtat itaque Judæos peccare in Exceſſu, dum Sabbathi ſui perpetuitatem defendunt & nobis fruſtra obvertunt toties repetitum in ſacris præceptum de observando die ſeptimo, promiſſionem de favore DEI ſub conditione ſanctificationis debitæ hujus diei, & defectum probationis, quod abrogaverit Deus id, quod ſemel conſtituit, idque in Decalogo. Tandiu enim religioſè fuit hic Dies à DEO conſtitutus observandus, quamdiu cultus Eccleſiæ Judææ ex illius voluntate duravit, promiſſio de Gratiâ divinâ reſpicit Judæos in terrâ promiſſâ agentes, qui eo ipſo de illo aliter certare deberent, cum in illâ non ulterius indulgere licet illi feriatiōni à laboribus, prout de ceſſatione ſacrificiorum, abrogationis futuræ teſtimonium habetur, tum expreſſè Eſaiæ 66. v. 26. & Jer. 31. v. 31, 32. tum conſequenter, dum reſtringitur ad generationes filiorum Iſrael Exod. 31. v. 14. 15. 16. 17. nec ulto-

ulterius concluditur ex insertione hujus præcepti Coronæ decem Verborum immutabilium, quam aliquid in illo fuisse morale, aliquid esse juris perpetui. Anabaptistas verò & Photinianos peccare in defectu, qui nihil moralitatis hîc agnoscere volunt. Ita enim Catechismus Racoviensis: *Quæst. 69. Quid verò de hoc præcepto censes? Resp. Esse sublatum sub novo fœdere, quemadmodum alias ceremonias ut vocantur, censeo. Quæst. 70. Cur verò Decalogo insertum est? Resp. Ideò, ut absolutissimam legem Mosaicam partem non fuisse patefactam appareret, & quoddam indicium extaret ejus rei, legem successuram legi Mosaicæ, longè perfectiorem, legem nempe Domini nostri Iesu Christi. Quæst. 71. Nonne Christus constituit, ut diem quem vocant Dominicum Sabbathi loco observemus? Resp. Nullo modo: cum Religio Christi; quemadmodum alias ceremonias, uti vocantur, ita delectum dierum prorsus tollat, uti Col. 2, v. 16. aperte scribit Apostolus: Verùm cum diem Dominicum antiquitus celebrari à Christianis videamus, nos eandem libertatem omnibus Christianis permittimus. Quem falsitatis arguit recta ratio, quæ dicitur cultum aliquem DEO esse deferendum, tempusque peculiare illi destinandum, Indoles Decalogi, quæ moralis, nec non observatio illius ante tempora latæ legis in Ecclesia. Constat II. legem de Sabbatho habuisse aliquid de morali, ceremoniali & forensi denique lege; de morali; quantum ad temporis cujusdam divino cultui necessariam deputationem; de*

Photinia-
norum &c;

79

99

99

Lex de
Sabbatho
mixta est,
ex moralis

Ceremoniali, quantum ad diei septimi Judaici determinationem & laboris omnis cessationem, servilis operis interdictionem; de forensi denique; quantum ad quietis alicujus praescriptionem, ne nimium urgerentur servi & jumenta, atq; lucri cupiditas omnem diertu paginam faceret, nec non etiam quoad hoc punctum decenter ageretur in Politiâ Judaicâ.

Quid sentiendum sit de Coccejo. Constat III. quid pronuntiandum de sententia Coccei, quæ hîc singularis & alibi à nobis discussa.

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO V.

Non par est Ratio decimarum exhibendarum & Sabbathi sanctificandi,

Dispar est ratio colendi Sabbathi decimarumque ferendarum.

UT lex de Sabbatho controversa est, ita etiam controvertitur lex illa de Decimis, quam Grotius cum lege Sabbathi comparat: Quamvis in eo erret, quod parem rationem existimet esse obligationis in utroque. Nam ut ex dictatis constat, juris moralis est, quanquam positivi & humanitus indispensabilis, ut indefinitè dies aliquis septimus in Orbe hebdomadorum sanctificationi deputetur, at non minus nec magis fructuum decima parte erogare in Ministros Ecclesiae, vel illos, qui sacris operantur, non potest dici esse juris moralis positivi, adeoque humanitus indispensabilis, nec nisi à DEO mutabilis;

tabilis; cum summæ potestati hoc ipsum de-
negari nequeat, quæ satisfacit quoad hoc
punctum officio suo, si sufficientia alimenta
suppeditet ministerio, sive illa excedant de-
cimam partem proventuum, sive sint infra
illam. Ex Calvinianis accedit huic Opinioni
Wilhelmus Zepperus libr. 4. de LL. Mos.
cap. 10. p. 364. ita scribens: *Ecclesia usque
novi Testamenti ministros etiam suos alere te-
nentur. Quæ igitur æquior, minuique gravis
alendi eos ratio esse potest, quam ex agrorum
decimis? Moralitas sanè, vel perpetua legis
decimarum ratio, non obscure inde elucescit,
quod ante etiam legem latam in usu illa fue-
runt. Abrahamus etenim, ab Orientalium
Regum cade Victor rediens, ex preda hostibus
erepta, Melchisedeco, Sacerdoti DEI altissi-
mi, decimas offert, Gen. 14. v. 20. Id quod ita
narratur, ut satis inde appareat, piis homini-
bus tum in more hoc fuisse, ut si ex animi sen-
tentiâ aliquid ipsis successisset, aut singularem
DEI benevolentiam sensissent, decimarum ob-
latione gratitudinem suam testarentur. Sic
Jacob a furore Esavi fratris in Mesopota-
miam fugiens, decimas DEO vovet omnium,
quæ illis acquirat, si incolumis revertatur. Ge-
nes. 28. v. 22. Ex Pontificiis maximè pu-
gnat pro hâc sententiâ Marcus Antonius de
Dominis lib. 9. cap. 2. ita pronuncians: *Ego
ad obligationem juris divini naturalis à DEO
etiam explicati decimas pertinere non dubito,
quia, ut dicebam initio: Domini est terra, &
plenitudo ejus: Adhuc igitur sibi retinet Do-**

Accedit
Grotio
Zepperus

Marcus An-
tonius de
Dominis.

minus suum dominium, directum & solum, dominium utile hominibus concessit. Dominamini, inquit, piscibus maris, & volatilibus coeli, & bestiis terra; quia cum ista sint usui consumptibilia in his non distinguitur usus à dominio: ita dixit: dominamini terra. Igitur pro directo dominio DEO debetur feudum ex fructibus & aliis terra emolumentis: quod sane feudum in decima consistit parte, ita Domino inspirante primis patribus, ac expressè deinde ut supra dicebam, declarante & præcipiente. Cum itaque præcepta de decimis non sint purè judicialia, neque ceremonialia pro solo populo Judeorum: Sed sint moralia, & juris divini naturalis à DEO comprobati & explicati, illa omnes homines perpetuò obligabunt de jure, quamvis de facto à solis fidelibus DEI cognitionem habentibus illa serventur. Quibus alios jungere possumus modernos Hierarchicos Anglos, inter quos eminet Joannes Prideaux Episcopus Wigorniensis. Extremè oppositam sententiam amplexus dicitur Wiclefus, docens: Decimas esse, puras Eleemosynas & nullo jure deberi Sacerdotibus, & Parrochianos posse propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre, quem volunt secutos esse Anabaptistas & Trinitarios, quæ probari nequit; quamvis Wiclefus forsan respexerit veterem in Ecclesia consuetudinem & modum loquendi Patribus familiarem disertè enim Chrysostomus: *Eleemosyna decima est.* nimis verò duorum illud censetur quod propter peccata praelatorum

Aliique.

118s se opponit Wiclefus.

latorum possit auferri. Cum ergò hæc quaestio in utramque partem disputetur, ideoque utriusque partis argumenta producemus, *mixe* nostram subjuncturi. Primò itaque pro Grotio & cæteris videtur militare (1) quia decimæ ante legem latam in usu fuerunt, non itaque spectabant tantùm ad Politiam Ecclesiasticam populi Judaici, nam Abrahamus aliquot seculis ante Politiam Judaicam decimas obtulit Melchisedeço; ex quo apparet id tum apud homines in usu fuisse, ut, si aliquid ex animi sententia ipsis successisset, aut singularem DEI benevolentiam sensissent, decimarum oblatione gratitudinem suam contestarentur. (2) Quia disertæ leges de Decimis extant Exod. XII. Lev. XXVII. Num. XVIII. Deut. XIV. quod non solum ceremoniale ratione populi Judaici, sed & morale respectu Christianorum N. T. Ut enim magis abundare debet Christianorum justitia præ Phariseorum, Scribarum & Judæorum, ita etiam quoad hoc punctum si non magis, tamè æquè obligari Christianos N. T. censendum. (3) Christus ipse Matth. XXIII. & Luc. XI. cum ageret de Decimis reddendis dixit: *Hæc oportuit facere & illa non emittere*, & Matth. XXII, pronunciat: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & DEO quæ sunt DEI*; accedit Clemens libro Constitutionum Apostolicarum 2. cap. 35. cujus hæc sunt verba: *Vos scire oportet, quod tamen si vos Deum a servitute adscitorum vinculorum, liberaverit, emundationibus, victimis emissa-*

Argumenta pro Sententia Authoris, primum,

secundum,

tertium,

Opinio Clementis.

riis, lavationibus, assiduis adspersionibus, nondum tamen liberavit vos à pensionibus. Ex

& Patrum.

Decimæ
quorupli-
ces †

Patribus sequentium seculorum plures producit Archiepiscopus Spalatensis, de quorum Testimoniis alibi. Ut ergò constet de toto negotio observamus (1) Decimas esse vel prædiales, vel personales, ut communiter Canonistæ & cæteri Theologi distinguunt, quibus David à Mauden Jctus & Theologus in Ecclesia Bredana, in Discursibus moralibus ad septimum præceptum addit decimas mixti generis, quales sunt fructus animalium. Controversiam autem esse præcipuè de decimis prædialibus, nam personales non locum habuisse in lege Mosaicâ, constabit ex sequentibus. Quod enim de Abrahamo obvertitur, decimas prædæ & manubiorum dante Melchisedecho, id ipsum fuit extraordinarium ante legem latam Mosaicam. (2) Observandum posse disputari, si de obligatione sermo sit: num illa descendat ex jure naturali, an ex jure divino, an ex jure Ecclesiastico, & quidem si de jure divino sit sermo dupliciter hoc ipsum intelligi potest, num præceptum Decimarum sive jus divinum positivum, quod populo Israel fuit datum, adhuc duret, ita ut ex vi illius obligentur, nunc fideles, & ita rectè Joh. Major in tertio Sententiarum Canonistarû sententiam quoad hanc partem hæreticam vocavit. Aut ita intelligi potest, quia illud præceptum divinum V. T. ex peculiari Christi confirmatione prorogatum fuerit, atque ita rectè cen-

Præceptum
Decimarum quos-
nam obli-
get †

setur

setur etiam illa sententia voluntaria & improbabilis, cum nullum fundamentum habeat, vel in Evangelio vel in Historia Ecclesiastica, aut doctrina Patrum. (3) Observandum, argumenta adducta non concludere. Non (1) quia non est consequens, ante legem decimæ fuerunt solutz, E. sunt juris divini vel naturalis: tum, quia non omne id, quod ante legem obtinuit, ad legem naturæ pertinuit, nisi velimus etiam dicere, Sacrificia e. g. Abelis & cæterorum Patriarcharum descendisse ex jure naturæ, circumcisionem esse juris naturalis, & alia, quæ ante legem Mosaicam obtinebant; tum, quia non necessarium est, ut quod Abrahamus vel alius fecit, fecerit vi alicujus obligationis ex jure naturæ vel divino descendens, quasi actus fuerit justitiæ, cum potuerit facere ex spontanea propensione & motivo alterius alicujus virtutis; tum, quia illa decimarum exhibitio ab Abrahamo præstita, posito quod non fuerit ex gratitudine, reverentia ac devotione & gratiarum actione pro victoria in bello parta, multò minus ex obligatione justitiæ, fuit tamen in recognitionem dignitatis & Sacerdotii Melchisedechi Christum figurantis, adeoque planè extraordinaria. quid quod Cajetanus non intelligat hîc quotam? sed speciem pro genere positam esse existimet, ut sensus sit dedit Abraham ipsi Melchisedech tanquam Sacerdoti DEI excelsi portionem ex omnibus, quam consuevimus decimam nominare: sic enim apud Israelitas nominaba-

Argumen-
ta allata
pro asser-
tione legis
Decimarû,
dissolvun-
tur.
primum,

tur tempore Moysis, qui tamen vapulat sociis contrarium tenentibus. consimiliter pronuntiandum de Jacobo, quem in Theatrum producunt Archi-Episcopus Spalatensis & Zepperus: liberè enim & voluntariè, non lege, non præcepto divino adactus decimarum Exhibitionem promisit, agnoscente Marco Antonio de Dominis, quamvis autem addat votum hoc non fuisse de opere supererogationis, ex justitia DEO non debita, cum ex divina lege naturali, scripta in cordibus optimè intellexerint prisca seculi notitiam DEI ex fide habentes ex benignitate donantis, & propterea se teneri partem aliquam DEO tanquam Authori omnium bonorum ac perfectè Domino refundere, & in ipsius specialem cultum insumere, hanc verè partem decimam esse debere DEO sic inspirante, & in cordibus ipsorum revelante agnovisse. principium tamen illum petere, quivis facilè deprehendit, non tantum, quia lex naturalis in debito gratitudinis subsistit citra determinationem quantitatis; verum etiam si admittamus illam inspirationem & revelationem Jacobo factam, quoad quotam, nondum tamen illa jus divinum universale & perpetuum stabiliat. Ad (2) argumentum respondetur: primò leges illas omnes, quæ adducuntur ex Exodo Levit. & Num. spectare ad V. Test. neque obligare Christianos N. T., secundò, quod decimæ fuerunt assignatæ Levitis in V. T., id factum ex peculiari causâ quæ hodiè cessat. Ideò enim illæ cedebant illis,

illis, quia carebant hæreditate & duodecimam tribum faciebant: quæ quomodo Ministerio Ecclesiarum Christi, quis aptare velit, non videmus. Neque (2) illud concludit, quod de justitia superabundante adjicitur ex Matth. V., tum, quia non est necessarium, ut Christianorum justitia superabundet & prævaleat Pharisaicæ in tertio exhibendarum Decimarum, cum ex alia parte superabundantiam Christus potuerit requirere; tum, quia justitia Pharisaica non erat justitia vera, hinc Christus non voluit intensiorem gradum à Christianis sectandum: adeoque rejecit justitiam Pharisaicam planè; si autem rejecit planè & pars istius justitiæ fuit Decimarum exhibitio, potius concludendum erit, sic magis rejectas fuisse decimas, quàm imperatas: tum, quia Christus per superabundantem justitiam aut intelligit justitiam legalem aut Evangelicam. Si prius, quod Calixtus & alii Theologi volunt, requirit justitiam ex asse Decalogo conformatam, ad quem decimæ accurate loquendo non pertinent, ut constabit ex sequentibus. Si verò Evangelicam, ut alii Theologi sentiunt, nihil illa commune habet cum operibus, neque consistit in agendo, sed in recipiendo, non in nostro exercitio, sed in alterius meriti & satisfactionis amplexu. Ad (3) argumentum respondetur (1) nõ esse consequens: Christus voluit, ut non omitterentur Decimæ, E. in N. T. obligatio obtinet ad exhibitionem illarum, quia Christus loquebatur hoc stante

adhuc-

tertium.

Justitia Legalis & Evangelica.

adhucdum Republica Judaica & Sacerdotio. Præterea loquitur Christus de decimis vilissimorum Olerum, quas lex Moysis ita strictè non exigebat, imò quas pendebant juxta Drusium non ex lege, sed majorum traditione, ut Interpretes illud: *Oportuit illa non omittere*, non tam de debito juris divini, quam de convenienti & commodo accipiant. Quid quod totum illud possit accipi ex hypothesis dictum, ut Christus intelligatur locutus ad mentem Pharisæorum, si scil. putarent. hæc minima etiam deberi. (2) Quando dixit: *Reddendum esse DEO, quæ DEI sunt*, non tam respexit Decimas, quàm renovationem cordis, ut quemadmodum denarius dabatur Cæsari, cui imago Cæsaris fuit impressa, ita cor exhibeatur DEO imagine DEI insignitum. Hinc Beda: *Solvimus Regi nostro denarium cum decem præcepta legis illius, quocunque modo implere aut observare (quod commod:us dicitur) satagimus*. Sanè si pro Ministerio faciant hæc verba, ut volunt dissentientes, non tantùm Decimæ illis erunt ex jure divino debitæ, sed & quicquid est in hominum Facultate, Viribus & Substantia. (3) Quicquid sit de Constitutionibus istis Clementis, quas supposititias esse agnoscunt Critici præstantissimi, ut ostendit Scultetus, agnoscit Perronius, docet Blondellus. Respondemus illas non urgere, tum, quia pensionum verbulum generale est, & Patres sibi plus quandoque tribuerunt in hisce assertionibus, quàm probari potest,

Quid sentiendum de supposititiis Clementis constitutionibus.

potest, tum, quia hoc ipsum intelligi potest commodè de Decimis consideratis quoad substantiam, non quoad quantitatem; tum, quia accipi etiam possunt talia enunciata de ratione exempli, quod sc. Christianis etiam imposita sit decima nõ peculiari verbo, sed veteris constitutionis exemplo quamvis non præcisè talis. In veteri sanè Ecclesia decimæ non dabantur, sed vivebant Pastores & Clerici ex Oblationibus spontaneis fidelium, quod Posidonius in vitâ Augustini, Ambrosius & Ammianus etiam Marcellinus docere potest. Legatur totum primum Caput libri noni de Republicâ Ecclesiasticâ, Marci Antonii de Dominis, in quo ipse docet Clerum ex Oblationibus panis & vini victitasse usq; ad tempora Innocentii tertii, & abundantiam illarum redundasse ad pauperes, viduas & pupillos; neque etiam hoc fuisse firmum & stabile, ut repetundis essent obnoxii, qui illas negarent, dicere enim Tertullianum modicam unusquisque stipem menstruâ die vel cum velit, & si modo possit, opponit; nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hisce in antecessum positis breviter totam doctrinam sequentibus aphorismis complectimur. (1) Decimarum exhibitio non est de jure naturali, idque probatur ex eo, quia ipsum lumen naturæ non dicitur necessarium esse ad honestatem morum dare decimam partem Sacerdotibus ad sustentationem ipsorum, cum nec certum, nec evidens sit illam copiam esse illis necessariam, aut esse justum stipendium.

Vetus Ec-
clesia nun-
quam De-
cimas pen-
sitavit.

Epicrisis

Nec

Jacobum
nulla lex
ad dandas
Decimas
obligavit,
ut nec gen-
tiles, qui
Diis deci-
mas exsol-
verunt.

Nec obstat, quod de Jacobo supra objectum
& quod gentiles idololatræ naturali instin-
ctu de suis decimas sese debere agnoverint.
Sic Romani Herculi decimas solverunt, quæ
pars herculana à Plauto dicitur in Rud. Ara-
bes Arabiæ thuriferæ thuris collecti, ante-
quam distraheretur, decimas DEO cuidam
dederunt, quem Sabin vocarunt, ut Plinius
docet lib. 14. sic Ægyptii ex Cinnamomo, sic
Victores de spoliis hostiū decimas persolve-
runt vel Jovi vel Apollini vel Dianæ: vid. Cic:
lib. 2. de Offic. & l. 3. de nat. Deorum. Plin.
l. 12. c. 14. & 19. Herodotus lib. 1. Xenophon
l. 5. de Cyro, & lib. 3. de rebus Græcorum.
Nam, quod Jacob fecit, id ipsum huc non fa-
cit, qui non fecit ex obligatione juxta ipsos
Pontificios, sed ex devotione & spontaneâ
promissione. Præterea quamvis ipsa ratio con-
gruentiam aliquâ ostendat in denario, de quo
Petrus Bungus non tamen est sufficiens illud
fundamentū ad legem naturæ obligantem in
hac materia probandam. Plura enim pro-
babiliter ex ratione innotescunt, quæ non-
dum juris naturalis sunt, sed æquitatis alicu-
jus probabilis. Alterum non concludit,
quia non id, quod apud populos alios obti-
nuit, confestim censendum est juris natura-
lis, cum potuerit oriri vel ex traditione ali-
quâ à Majoribus accepta, vel ex conversatio-
ne cum Judæis, vel denique, quod hîc ma-
ximè probabile, à persuasione Diaboli, qui ut
fimia est operum divinorum, & sacra illius
ad se quoque transferre semper annis fuit,

ita

ita hoc quod DEUS præcepit Israelitis voluit, ut imitarentur quoque Gentiles. Præterea Exemplis è gentilismo productis opponere possumus Exempla aliorum, etiam Christianorum: multos in Africa non solvisse decimas Augustinus docere potest; Poloni verberibus erant compellendi ad exhibitionem illarum & resilierunt quidam ex hoc onere Nobiles à Christianismo, teste Longino Cracoviensi Canonico; de Normannis Adamus Bremensis refert, quod suo tempore decimas dare, aut nesciverint, aut noluerint; contra decimas pugnarunt Germani per Johannem Teutonicum, (qui dictus Semeca) Præpositum S. Stephani Halberstadensem & Glossatorem Decreti Gratiani, quem propterea Clemens quartus excommunicavit.

Exempla contrariis exemplis arguuntur.

(II) Decimarum exhibitio non est quæ Juris divini, positivi, perpetui; Probatur hoc ex eo, quia nulla constitutio in N. T. invenitur de decimis exhibendis. Nec obstat, quod in jure Canonico dicitur, decimas constitutione divina deberi, C. tua. 25. de Decimis. Et quod dicitur decimas esse juris divini, DEUMQUE præcepisse sibi solvi in signum universalis Domini, C. tua nobis. 26. eod. quæ loca urgent Canonistæ. Nam decimæ dicuntur deberi constitutione divina, quia DEUS primitus præcepit solvi Decimas in V. T., ad cujus imitationem in Ecclesia etiam obtinuit hoc vel illo loco. (2) Dicuntur juris divini terminativè, non formaliter per obligationem, quia DEO con-

U.
Decimarum pensio non est juris perpetui.

X

secratæ

secratæ & dicatæ, prout res sacræ dicuntur juris divini, quia peculiari modo ad DEUM pertinent, & in ejus dominio ac jure sunt, agnoscentibus ipsis Moralistis. Si ex Vet. Test. Jus deducitur, non malè Gentilletus in Apologiâ arguit Clerum Romanum, qui velit in exigendis Decimis Levitarum successorem se profiteri; ubi verò de rerum soli & prædiorum possessione agitur nolle Levitis accenseri.

III.
Conveni-
unt juri ce-
remoniali
& judicia-
li.

quomodo
in jure na-
turæ fun-
dentur?

Quo tem-
pore inter
Christiâos
seperant.

(III) Decimæ spectant ad jus ceremoniale & judiciale V. T. Ubi disputatur tamen, an magis ad judiciale, an magis ad ceremoniale spectent. Quod verò ad utrumque ceremoniale & judiciale pertineant, probatur ex Exod. XII. Lev. XXVII. Num. XVIII. locis supra citatis. Semper tamen observandum, utut statuamus fuisse mixti generis, in jure tamen naturæ fundari, quantum ad ipsam exhibitionem mercedis pro labore, ipso Christo dicente: *Dignum esse operarium mercede sua* Matth. 10. v. 10. demonstrante æquitatem & obligationem Paulo 1 Cor. 7. v. 7. & sequentibus, ex jure gentium, Mosaico & naturali, nec non graviter monente, ut, qui docetur, in Verbo comunicet omnia sua bona cum eo, à quo docetur Gal. 6. v. 6. & nobis esse sermonem de determinatione quoad quotam. In Ecclesiis N. T. verò cœpit juxta Zepperû Constantini ætate; cùm Hermannus Gigas testetur Constantinum M. primò præcepisse, ut de rebus omnibus Decimæ Ecclesiis omnibus solverentur, juxta Crantzium
rolî

illa Quantitatis circumscriptio, tempore Caroli M., qui tributa remiserit illis, & eorum loco Decimas assignarit Ecclesiis & Episcopis. Probabilius tamen cum Johanne Stella ad Gregorii quarti Pontificis, & Ludovici Imperatoris tempora hoc referunt, præpomis, si de jure exigendi sit sermo. An autem sit magis judiciale, an ceremoniale præceptum illud, disputari potest. Videtur autem esse præceptum ceremoniale, quia spectabat ad virtutem religionis; quibusdam melius tamen dicitur esse judiciale, quoad determinationem partis decimæ; tum, quia præcepta judicialia dicebantur, quæ ad debitum ordinem, & æquitatem inter partes illius populi servandum ordinabantur: præceptum autem decimarum ordinabatur ad constituendam æquitatem quandam inter homines illius populi, quia tribus Levi non habuit partem cum aliis tribubus quoad prædia, & idè oportuit illud aliquo modo recompensari; tum, quia præceptum illud non fuit primo & per se datum propter significationem, sed propter convenientem ordinem illius Reipublicæ; tum, quia præcepta ceremonialia ita cessarunt, ut renovari per legem humanam non possint. Præceptum autem de Decimis exhibendis fuit apud aliquas Ecclesias observatum, & adhucdum observatur. Hoc certum mixti fuisse generis, & quantum ad oblationes Jehovæ ex Decimis præceptas, videri magis respexisse ad legem ceremoniam, de quo Num. 18. v. 26.

An sint jus ceremoniale vel judiciale.

X 2

CAPUT

CAPUT II.

Ad Thesin I.

OBSERVATIO I.

Πρώτη κατά Φύσιν, sive prima Naturæ videntur affinia puris naturalibus, quæ à nostris reprobantur.

IN hoc Capite Author agit de bello, & probat illud non repugnare juri naturæ (1) Rationibus, (2) probat hoc ex Scriptura, (3) ex Consensu. Circa primum quædam supponit, quæ censuram merentur, (2) rationes etiam ejus, quas affert, non omninò concludunt: ideoque eas examinabimus, & deinde (3) exceptiones Photinianorum, quibus bellum contra jus naturæ esse probatum eunt, refutabimus Prius ergò de primo.

Prima Naturalia

Supponit Author noster dari quædam *πρώτη* naturæ, scil. instinctus naturales, in conservationem sui ipsius propendentes, & interitum alienantes, nec non consequentia, quæ post hæc cognita sequuntur. Et de primis naturæ dicit, in examinando jure naturæ primum videndum esse, quid illis primis conveniat. Verùm num illa prima naturæ, quæ Author hîc commendat, obtineant, meritò dubitatur, Nam (1) illa prima naturæ videntur fundare statum illum purorum naturalium, quem Scholastici confinxerunt, & Pontificii adhucdum defendunt, quibus accessit Calixtus in Epitome Theologiæ. (2)

stabiliant statum purorum naturalium ab orthodoxis reprobentur.

Prima

Prima illa naturæ, si cum secundis conferantur, ita se habent, ut secunda & prima inter se pugnent. Prima enim conveniunt homini secundum appetitum sensitivum, secunda juxta rationem. Proinde sicut Pontificii admittunt in statu tali pugnam facultatum superiorum & inferiorum, luctam appetitus & rationis; ita paria admittenda videntur in opinione illa de primis & secundis naturalibus. Ita enim Scotus in 2. Dist. 29. quæst. primâ: *Rebellio esset in homine existente in puris naturalibus, quia naturale est unicuique appetitui ferri in suum appetibile. Igitur cum appetitus sensitivus existens in puris naturalibus habeat proprium appetibile, & delectabile, summè habere tendere in illud, quantum est ex se, & illud tendere impediret actum rationis; quia adhuc essent ista potentia in eadem essentia, sicut modo.* Legatur Joan Martinetz de Ripalda Tomo III. lib. I. disp. 8. Sectione primâ & sequentibus. At omnis *εὐπάθεια*, omnis Rebellio, omnis pugna in homine non est *κατὰ φύσιν* secundum Naturam, sed contra eam; non est ex creatione sed defectione, non est ex primâ origine, sed peccato. Et aut illa prima naturæ considerantur,

Pugnant
cum secundis,

nec admitti possunt vel in homine integro vel in corrupto.

& sine illis
conserva
tionis stu
dium non
cessabit.

Quid Gel
lius de il
lis?

lam exhibere possunt, juxta quam jus natu-
ræ possit dijudicari; & neutro modo dici
potest prima naturæ nos commendare rectæ
rationi, ut loquitur Grotius, (3) Non o-
pus est, ut admittamus prima illa naturalia
propter studium conservationis sui, in quod
homo naturaliter propendet. Quamvis e-
nim homo possit considerari juxta præcisi-
ones, primum ut animal, dein ut animal ratio-
nale, atque juxta hanc considerationem pri-
ma & secunda naturæ possint admitti, vel
quocumque modo explicari, studium tamen
se conservandi etiam homini, quâ homini est
congenitum. Idq; eò magis, quò magis præ-
sidijs sese conservandi est instructus à DEO,
ratione sc. & quæ ex illa pendent. In margine
adducit Author Gellium, qui lib. 12. c. 5. Ser-
monem Tauri Philosophi refert; sed in illo
deprehendimus primò quod Natura omnium
rerum, quæ nos genuit, induerit atque ino-
leverit nobis in ipsis statim principiis, qui-
bus nati sumus, amorem nostri & caritatem,
postea verò per incrementa ætatis exortam
esse è seminibus suis rationem & utendi con-
sillii reputationem & honestatis utilitatisque
veræ contemplationem, subtilioremque ex-
plorationem commodorumque delectum;
quod in Creatorem, quem Naturam vocare
solent, injuriosum, neque enim ita Natura
primum condita est, ut demum succedente
tempore ratio debuerit temperare illum con-
creatum amorem, & extra honestatis leges
positum in Ordinem redigere. Secundò quod
illu-

illustrare hoc fatagit exemplo ægrotantis Philosophi ex Stoicorum Sectâ, qui vim senserit morbi, contra quam ratio & natura animi depugnarit, ita ut perpeffus fuerit & cohibuerit, coercueritque intra se effrenati doloris violentias, nullos ejulatus, nullas complorationes, nè ullas quidem voces indecoras edens, prima illa & secunda naturæ non stabilit, non tantùm enim juxta prima vim morbi averfamur, sed & juxta secunda nec recta ratio ita vel sese comprimit, vel *πρῶτον* illa constringit, ut non honestè doleat, & malum rectè aversetur. denique Taurus sub nomine Stoici dicit affectiones illas primitus penitusque inditas rationem post additam convellere ab stirpe, atque extinguere vix posse, interim pugnare cum illis semper & exultantes opprimere, obterere & parere atque obedire cogere. Quod est non componere prima & secunda naturæ, sed evertere illa *πρῶτον*, vim facere naturæ, excindere affectus, quæ Stoicorum opinio. legatur Seneca Epistolâ 86.

Ægrotans
Stoicus.

Affectus
num extir-
pandi.

Ad Th. I.

OBSERVATIO II.

Ad prima Naturæ non expenden-
da sunt illa, quæ Juris naturalis.

UT in hoc impegit Grotius, ita quoque
in sequentibus. Dum dicit, in exami-

Prima natura non sunt eequalia juris naturae.

nando jure naturae primum videndum, quid illis naturae initiis sive primis congruat. Hoc enim admitti nequit: partim ex eo, quia prima illa naturae sunt communia homini & brutis: qui itaque ad illa primum reflectit, aut ad ea putat respiciendum in cognoscendo jure naturali, ille aut jus commune cum brutis admittere tenetur, aut illa communia supponere juri naturae; cum tamen ea quae juris naturae sunt, non nisi ex propriis juris naturae possint investigari: partim, si loquitur de primis naturae, prout sunt in homine corrupto, jam prima illa non nisi motus sunt concupiscentiae vitiosae, qui stimulant ad quaevis peccata; quomodo autem id, quod ad concupiscentiam illam vitiosam spectat, potest in examinando jure naturae prodesse ratione suae convenientiae? partim, quia secunda naturae corrigunt, limitant & determinant prima. Cum itaque illa prima sint indifferentia juxta ipsum Grotium, cum conservationis sui studium possit esse vel rectum vel obliquum, cum post lapsum sit vitiosissimum, quomodo id, quod vitae & membrorum conservationi, retentioni regulariter ad vitam utilium aut acquisitioni inservit, confestim justum dici poterit, & juri naturali conforme? Sanè cum sui conservandi studium possit esse nimium, ita ut quis omnia sibi appropriare aut plus justo intendat, liquet in examinando jure naturae non primum videndum, quid illis naturae initiis congruat, sed potius secunda naturae, ut Grotius loquitur, si ob-

si obtineat distinctio, utramque hinc facere paginam,

Ad Th. I,

OBSERVATIO III.

Argumentum ab Animantibus desumptum non est satis solidum.

AUthor in hâc thesi colligit, inter prima naturæ nihil esse quod bello repugnet, atque addit animantibus singulis vires à natura ideò datas esse, ut sibi tuendis & juvandiſ sufficiant. An autem hoc argumentum concludat, disputari potest; tum, quia homo planè inermis producitur, & in hoc à brutis à natura armatis discernitur; tum, quia hoc ipsum etiam non universale est respectu ipsorum brutorum, cùm hoc ipsum saltem in quibusdam & quidem rapacibus maximè compareat; tum, quia homo primus ratione fuit instructus & ad pacem conditus. Quæ ratio ipsi data fuit, non ut dimicaret contra homines, sed ut esset fundamentum domini in bruta, cui fini quoque ministrant manus & cætera organa corporis. proinde illa Galeni & Aristotelis non ita crudè sunt accipienda, quasi homo indifferenter sese haberet per naturam ad pacem & bellum, sed de statu subsidiario naturæ, & casu aliquo necessitatis,

Vires animantium an argumentum exhibeant.

X 5

Ad

Ad cand. Th.

OBSERVATIO IV.

Non est contra Jus naturæ bello
uti, & vim vi repellere.

Bellum
non con-
trariatur
juri natu-
ræ.

Author in hâc thesi disputat, non esse
contra jus naturæ aut societatis condi-
tionem, bello uti & vim vi repellere. Nec
malè Fortunius Garcia ab Erisca: *Divina
providentia artificio, natura eos cuique inge-
rit motus vel inclinationes, quibus se conservet,
conservatione enim individuum omnia con-
servantur, quod est primus finis.* Dupliciter
autem hoc intelligi potest, aut de vi quadam
authoritate publica suscepta, quæ bellum di-
citur, aut de vi quâdam privatâ cessantibus
scil. judiciis. Utrumque videtur admittere
Author, & unum in altero fundare, quia u-
trumque nihil habet dissentaneum à naturali
jure. Imò sui defensio juris naturalis vide-
tur esse positivè talis. Rectè enim Cicero:
*Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, &
mos gentibus, & feris natura ipsa prescripsit,
ut omnem semper vim quacunque ope possint à
corpore, à capite, à vita sua propulsarent.* Sed
quantum ad ipsam justam defensionem à po-
testate summa susceptum, quæ bellum dici-
tur, à Photinianis hoc argumentum ex jure
naturæ petitum impugnatur sequentibus ex-
ceptionibus. Primò Evangelium tempore
ante legem non minus quàm ei, quod post
legem

Vis duplex
in vi repel-
lenda.

Exceptio-
nes Photi-
nianorum

Prima.

legem fuit opponi, nec quicquam hodiè licere, quod cum Evangelio pugnet, quanquam licuerit olim DEO auctore. (2) Regionis aut religionis causa bellum movendum esse; non prius; quia incertum sit, an sit eam obtenturus qui defendit, multos defendendo Regionem perdidisse illam; satius itaque esse alios tentare modos servandæ Regionis, fœderis sc. pactionem, cessionem, deditionem, tributi solutionem &c. Non posterius, cum religio non possit bello tolli; Viro enim forti non posse vim fieri, sed manere in eo religionem sive pax sit, sive bellum. (3) Si Magistratus vel summa potestas cum subditis sit populus DEI, eique confidat & obediat, DEUM illum in pace absque bello conservaturum. Sed respondetur (1) primam rationem non concludere: quia nec lex naturæ nec moralis Evangelio repugnat, & ut Evangelium non abolet Politias, ita nec illa quæ necessaria sunt ad conservandas & tuendas illas, de quibus in sequentibus plura occurrunt. Non (2) ratio quoad primum membrum: tum, quia eventus dubius non tollit potestatem; quia etiam quæ justè geruntur, & ex officio quandoque infeliciter cedunt; tum, quia hîc disputatur de licito, non de conducibili; tum, quia si modi hi admittantur, nihilominus præter hos stabit adhucdum potestas belligerandi, & modus hic, tanquam remedium extremum afflictæ justitiæ. Quoad alterum membrum non concludit argumentum; tum, quia saltem probaret religio-

Secunda,

Tertia,

Responsio
ad 1,

11

Religio
quomodo
tollī queat.

III.

nis causa non esse suscipienda bella; tum, quia aliud est respectus belli, aliud moventis bellum; tum, quia aliud est religio, aliud exercitium religionis. Religio non potest tolli bello quoad habitum animi, ut & professio, exercitium autem religionis potest tolli, ut patet, si attendamus tempora Antiochi Epiphani, ubi per triennium cessarunt sacrificia Hierosolymis, in N. T. tempora Constantii & Arianorum, ubi sublatum fuit exercitium orthodoxæ religionis. Tertia denique ratio non concludit; quia DEUS suos tuetur ordinatè ad media, quemadmodum panem suppetit, sed interveniente agricultura, quia etiam promittens patrocinium nihilominus bellum subordinat isti, ut constat ex Nehem. IV. 14. 17. & 18. quia denique supponitur, cum in pace conservaturum eos, qui ipsi obediunt absque bello, quamvis enim DEUS non immittat bellum in peenam suis, tanquam iratus aliquis iudex, potest tamen Diabolus populos vicinos irritare & incitare, ut moveant bellum, atque ita cadant dextrâ fidelium, ipsisque cedant in prædam, victoriam & triumphum.

Privata de-
fensio est
licita.
; Testimo-
nio Cice-
ronis.

¶ ex Lege,

De privatâ autem defensione videtur idem statuendum esse ex sequentibus rationibus: tum, quia jure naturæ licita est defensio, cum omni animantium generi à natura tributum sit, ut se vitam corpusque tueatur, juxta Cicer. 1. de Offic. tum, quia lege divinâ licebat furem nocturnum deprehensum in effusione & vim ædibus inferentem occidere, in

in periculi propulsationem & sui suorumque defensionem. Quam legem Augustinus, confirmat etiam lege civili, quæ habetur l. 4. §. 5. ff. ad L. Aquil. in quæstionibus suis ad Exod. quæst. 84. Lex autem divina habetur Exod. XXII. Unde colligere datur, si licet illum occidere, qui vim intendit illis, quæ sunt circa corpus, multò magis in periculo vitæ imminente, quale tunc præsumitur, licet aggressorem occidere in sui defensionem; Hinc quidam ad hoc referunt factum Mosis Ægyptium occidentis, qui læserat Israelitam, cum juxta Carolum Bortelium apud Ægyptios Majestatis reus fuerit, qui injuriam patienti non opem tulerit. Tum, quia & ratio naturalis & moralis illud dicit: Naturalis quidem, cum non solum nobis datus sit appetitus concupiscibilis, sed & irascibilis, cujus est noxia propellere & arcere, qui frustraneus esset, si mala & noxia essent semper sustinenda, nullo autem in casu propulsanda. Moralis verò dicitur hoc ipsum, quia par est ratio privati ad privatum, si vim privatam inferat cessante judicio, atque potestatis summæ unius Reipublicæ ad aliam potestatem in vi publicâ. Liceat autem paulò penitiùs hanc materiam spectare, & præsentis Argumenti pondus expendere. Primò quidem distinguendum esse censemur inter defensionem qualemcunque & repulsionem violentiæ à nobis, & inter illam, quæ moderamen debitum observat, nec excedit, nec deficit si ponamus priorem esse ex genere licitorum,

Exemplū
Mosis.

3- ex ratio-
ne naturali
& morali.

De privatâ
defensione
agitur pro-
ximus.

Defensio-
nis parti-
tio.

citra

Vim vi repellere est
juris naturalis,

Divina

citra absurditatem posteriorem ad genus præceptorum poterimus referre. Prior enim aliquâ labe respergi potest, & ut licita inflecti possunt, ad peccatum inclinare potest; posterior verò extracta ut censetur statu indifferentiæ, ita boni rationem habet & actus sub obligationis vinculo comprehensi. Secundò principium hoc: *Vim vi repellere licet*, comparare possumus vel ad Jus naturale, vel divinum, vel civile: si ad primum, putamus, si vis immineat vitæ nostræ aliter indeclinabilis nisi vi oppositâ, obligari nos jure naturæ ad defensionem vitæ & corporis nostri: tenetur enim quisque, si per Superiorem non possit se & sua tueri, sique proximo obstrictus est in tali casu, multò magis sibi ipsi, si à societate debet amoliri, quæ illi inimica, utique tenebitur invasorem talem, sicubi nulla elabendi via pateat, tollere. Docet hoc luculenter Cicero in Oratione pro Milone, dum asserit hanc Legem, non scriptam sed natam esse quam non didicerimus, acceperimus, legerimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuerimus, hauserimus, expresserimus ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Si ad secundum itidem obligatio ostendi potest, tum ex præcepto charitatis, contra quod peccat, qui se & vitam suam negligit, cujus custodiam DEUS illi commisit, tum ex prohibitione de Homicidio, quando enim Exod. 20. v. 14. dicitur: *Non occides*, non tantùm defensio sui non prohibetur, sed etiam mandatur. Cum, si

CAVEN-

cavendum nè rei fiamus alieni sanguinis absque justissima causa, summo quoque studio & curâ annittendum, nè vim non repellendo alios nostri sanguinis reos faciamus, & sic tum nobismet ipsis, tum adversario, quem ut nos diligere debemus, prosumus, neque amittendo vitam patientes videri & esse volentes proximum homicidam faciamus. Ut non malè concludit B. noster Thummius. Si denique ad tertium, ni aliud doceatur, verba & civilis. legum licitum tantùm & impunitatem in foro humano indicare videntur. Ita enim illa concepta sunt: *Is, qui aggressorem, vel quemcunque alium, in dubio vite discrimine constitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet.* Item, *si quis percussorem ad se venientem ferro depulerit, non tenetur crimine homicidii, quia defensor propria salutis videtur in nullo peccasse.* Et ad legem Aquiliam: *vim vi repellere, omnes leges omniaque jura permittunt.* & rectè Ovidius: *Armaque in armatos sumere jura sinunt.* Tertiò; quamvis quidam ex Patribus adducantur adversantes, quid tamen de illis sentiendum alibi exponemus.

Ad Th. II.

OBSERVATIO I.

Exemplum Abrahami ab Authore pro confirmatione sententiæ suæ allatum disputari potest.

Non adversari juri naturæ bellum probat Author etiam ex sacrâ Historiâ, & quidem

Bellum Abrahami, qui videatur contrarium juri naturæ.

quidem ex exemplo Abrahami, quod putat fuisse solo jure naturæ dictante susceptum sine speciali mandato divino. Verùm (1) in hoc exemplo profundius quid querendum est, & insimul credendum speciali mandato, non ductu naturæ, fuisse illud bellum susceptum. nam (1) disputari potest, num bellum illud fuerit justum, & consequenter à jure naturæ dictatum, præsciñdendo à mandato speciali: contrarium enim videtur concludi posse (1) si consideremus personam Abrahami, quia ille fuit privatus, non Rex illius terræ, nec potestatem à Rege terræ accepit, imò contra Principem & Dominum illius regionis, h. e. Regem Elamitarum pugnavit, (2) si consideremus causam belli. Non ille acceperat injuriam à Regibus istis vel in se, vel in suâ familiâ, & quamvis Lothus fuerit captivus, non tamen Abraham requisivit ab illis liberationem illius, quod facere debuisset ante oppressionem bellicam, (3) si consideremus modum. Non enim induxit bellum ut Romani missis Feacialibus prius, qui res repeterent, & de vi & injuriâ quærentur, de quorum Feacialium necessitate & officio potest videri Fenestella de Sacerdotibus Romanorum c. 9. Gellius lib. 16. noct. attic. cap. 4. Alexander ab Alexandro lib. 5. genial. dierum cap. 3. Quapropter videtur vel maximè hîc ad speciale aliquod mandatum esse recurrendum, quod ipsum probatur tum ex eo, quia aliàs vix ab audaciâ & temeritate possit excusari Abrahamus, aggredi enim

Susceptum fuit ex speciali jussu.

enim tot Reges potentes tam exigua militum manu non fuisset prudentiæ, neque potuisset Abrahamus sibi polliceri victoriam, nisi divino fuisset instructus mandato; tum ex eo quia locus videtur esse evidens pro speciali mandato *El. XLI. 2. & 3.* ubi dicitur: quis ante conspectum Abrahami gentes prostravit, fecitque ut de Regibus illustrem obtinere victoriam, & *v. 4.* additur: *Deum hoc ipsum fecisse.* Ut itaque DEUS speciali mandato ipsum ex Mesopotamia vocavit, quod connectitur cum hoc actû belligerandi, ita quoque jussit ipsum Reges istos sternere. Quamvis autem sint, qui potius de Israelitis hoc ipsum intelligant ex Abrahamo ortis, commodius tamen de ipso Capite locus accipitur; partim propter disertam illius mentionem, partim propter primum actum evocationis ex Mesopotamia, partim propter convenientem Historiæ applicationem: Ipse Grotius in Commentario ad versiculum tertium Capitis illius scribit. Ex ebræo sic veritas: *Persecutus eos scil. Reges pervenit incolumis eâ viâ quam pedibus suis ingressus (supple ante) non fuerat, id est, Damascum usque Gen. 14. v. 15.* tum, quia sinceriores quoque Theologi consentiunt, jussu sc. speciali susceptum fuisse hoc bellum; quod etiam observavit Thomas Anglicus scribens: *Si Rex ille Elamitarum illis quinque Regibus Pentapolitanis justum intulisset bellum, injustè profecto Abraham adversus illum bellasset.* Licet deinde addat injustum fuisse bellum. His suppo-

Probatur I.
Ratione.

I I. Suffragio Scripturæ;

III. Testimonio finceriorum Theologorum.

Y

litis,

Responde-
tur ad ra-
tiones, quæ
justum A-
brahami
bellum ne-
gabant.
Ad I. quòd
fuerit pri-
vatus;

fitis, adeoque non ad ratihibitionem subse-
quentem, sed mandatum antecedens respi-
cientibus nobis facilius erit ad objecta re-
spondere, & quidem ad (1) negando Abra-
hamum fuisse aliquem privatum. Quamvis
non fuerit Rex Damasci, ut ex sententia Ni-
col. Damasceni tradunt Joseph. lib. I. antiq.
cap. 8. Eusebius l. 9. c. ult. de præparatione
Evangelica; Justinus libr. 6. Historiarum,
nihilominus non fuit merè privatus, sed in
tractu illo Regulus aliquis, vel Princeps ut
patet ex eo, quia tam copiosum numerum
habuit vernarum, Patres autem familiâs co-
piofa instructi familia sensim proficiebant in
Reges, quæ prima etiam Regum origo; tum
ex eo, quia in illo tractu fuisse aliquem su-
periozem Abrahamo Regem, cui subiectus
fuerit, quamquam negare nolimus, ostendi
nequit; tum ex eo, quia jam erat secundum
quoddam Rex illiusterræ coram DEO, ut ut enim
possessio fuerit dilata, DEUS tamen singulare
aliquod specimen ejus potestatis dare voluit,
quæ adhuc hominibus ignota erat: quemad-
modum tale præludium legimus in Mose Æ-
gyptium occidente, priusquam se vindicem
suz gentis palam profiteretur & liberatorem.
Ad (2) respondetur utiq; injuriam accepisse
in amico & consanguineo. Loth enim non
erat indigena in terra Sodomorum aut bel-
lator pro illa gente, sed advena & innocen-
tem degens vitam. Non itaque debuit om-
nibus suis spoliari bonis & in servitutem
abstrahi: nec vis caritatis fraternæ in Abra-
hamo

Ad II quod
injuria la-
cessatus;

hamo torpere, ut non conaretur quocunque modo illum liberare, juxta illud Salomonis Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Et sanè Abrahamus tunc fecit id, quod Ambrosius rectum judicat: *Qui injuriam non repellit à socio, si potest, tam est in visio, quam ille qui facit.* Ad (3) respondetur non opus fuisse illa clarigatione; tum, quia injuria præsens fuit, & exostulatio saltem ibi locum habet, ubi spes est injuriam acceptam posse resarciri, & dubium, num Principes consenserint; tum, quia non semper necessaria est denunciatio, sed saltim in bello solenni, ubi jam actum fuit ex utraque parte, quod agi debuit; tum, quia jus naturæ non prohibet, repètere sua etiam citra solennitates, præsertim in statu turbato, qualis tunc erat. Quanquam nolimus morosè reluctari, si quis hoc Exemplum urgeat in tantum, quod sive instinctus divinus, sive mandatum aliquod exterius à Numine intimatum hîc admittatur, non adversa fuerint juri naturæ, nec jusserint, quod illud prohibet, maximè concurrentibus circumstantiis, quæ aliàs quoque armare in prælium potuissent alium aliquem.

Ad III. de
Clarigatione.

Ad Th. II.

OBSERVATIO II.

Contra Amalekitas non est pugnatum absque Voluntate DEI.

Author etiam adducit exemplum Hebræorum pugnantium contra Amaleki

Et Dei jussu cum Amalekitis decertatâ

Y 2

tas est

tas. Exod. XVII. atqui hoc itidem non ita crudè accipi potest, tum, quia Israelitæ nihil injussu DEI debuerunt facere; tum, quia & antecedentia & consequentia in textu ostendunt istud bellum non esse susceptum sine Numinis mandato; tum quia, si speciale mandatum, ostendi non posset, generale tamen sufficeret. Peculiarìa verò intervenisse omnia docent. Divinæ providentiæ fuit, quòd Amalekitas permisit invadere Israelitas; mandati, quòd disposuerit omnia ad bellum Moses; Assistentiæ, quod Moses quasi certus de victoriâ dixerit: *Se staturum in Collis Vertice, habiturumque virgam DEI in manu suâ.* quæ confirmat suo calculo Rivetus scribens: *Poterat Deus nullo negotio eos detinere suis finibus, & avertere ab invadendo populo suo. Id tamen non fecit, sed permisit, ut venirent, & aggrederentur eum.* Id ita Deum permisisse & ordinasse credere par est, ut excuteret Israelitis servilem animum & paulatim assuesceret populus bello, cum non sine cade & sanguine, debuerit introduci in terram promissam. Utile etiam fuit non solùm in eum finem ut excitarentur, sed etiã, ut corrigeretur eorum desidia; ne in otio malis artibus assuescerent, aut inter se, de hostilibus externis securi seditioes moverent. Ad id, quia bellum, quantumvis cum successu gestum, resulta semper incommoda secum affert, nec sine jactura acquiritur victoria; Voluisse etiam Deum, murmuram & rebellionem Israelitarum, hac ratione castigare. & paulò post: *Justam & necessariam*

Assensus
Riveti.

riam fuisse defensionem, nemo ambigit. Ideo Moses tanquam populi ductor, omnia preparat ad sustinendum hostium impetum, & propulsandam injuriam; idque haud dubio facit ex mandato divino, quod in rebus minus arduis semper sequutus erat. Ex quo videtur procedere, quod non ipse descendit in bellum, contra hostes, sed legatum instituit Josuam, cui etiam committit delectum militum ex toto populo, ut convenienti ordine omnia fiant. Tandem circa finem: *Quid interea facturus esses* Moses indicat; *Ego, inquit, stabo super verticillis, & virga DEI in manu mea. Virgam, DEI appellat eam, qua Moyses & Aaronis dicta fuerat; sed quia nihil aggrediebantur nomine suo, DEIque virtus erat, qua ad virgae elevationem potenter operabatur, merito virgam DEI appellat. Quod etiam emphasin habuit, cum animaret Josuam; quasi diceret: tu bellum DEI geres, & ego in monte stabo, cum virga DEI tanquam vexillo, ut scias, signum belli dari à DEO, cujus auspiciis pugnabis.*

Ad cand. Th,

OBSERVATIO III.

Leges de modo gerendi bellum non sufficienter ostendunt justum.

Concludit Author, quia DEUS leges generales de modo gerendi belli praescripserit, ostendisse justum bellum etiam sine

Delineatio
modi belli-
gerandi
mandatum
necessario
non exclu-
dit.

mandato suo speciali esse posse. Atqui hoc itidem non ita simpliciter est accipiendum; Nam (1) non est consequens, DEUS de modo alicujus negotii aliquid præscripsit, E. illud est justum. Nam etiam præscripsit modum circa divortium, quod scil. dandus esset in tali casu libellus repudii, nec tamen sequitur ipsum repudium sive divortium fuisse justum. Potest enim aliquid, quod in se iniquum est supponi ut iniquum, & relinqui, atque ratione modi legibus circumscribi. Interim videtur concludi posse, si cum addito hoc intelligatur, nempe: si DEUS leges condat de modo, neq; res ipsa incurrat in aliquam legem, & divinæ voluntati adversari, ostendi nequeat, esse id non iniquum, quod de divortio dici nequit, quæ primæ Institutioni Conjugii fuit contraria. (2) Quamvis DEUS præscripserit leges generales de modo gerendi belli, tamen non supposuit propterea bellum esse justum sine mandato suo, sed mandatum prærequisivit. (3) Antequam populus Judæorum erat sub statu Regio jura Majestatis erant penes DEUM. Si autem erant penes DEUM, jus ut pacis, ita quoque belli, fuit penes ipsum. Ad Majestatis enim jura vel maxime pertinet jus belli. Sicut ergo subditis non licet bellum gerere sine mandato illius, penes quem est Majestas; ita quoque tum temporis non poterant bellum gerere, utut leges generales essent præscriptæ de modo gerendi bellum, nisi prævio mandato & jussu sui Regis, qui erat DEUS. Aliàs non negatur

tur bellum justum ut solenne notat, potuisse esse absq; mandato & Rabbinis duplex genus esse bellorum, de quo Drufius: *Bellum duplex: concessum & jussum: illud vocatur bellum licentia, id est licitum; Hoc bellum jussionis aut precepti. A bello concesso aberant quatuor hominum genera: primum erat eorum, qui novam domum construxerant nec dedicaverant eam Deut. XX. v. 5. Secundum erat eorum, qui vineam plantaverant, nec communem fecerant v. 6. Tertium cui puella desponsata erat, nec tamen duxerat eam v. 7. Quartum qui natura erant timidiores & meticulosiores v. 8. Sed hi ultimi in bello concesso portabant in castra exercitui aquam & cibum. A bello jusso nemo liber erat ne sponsus quidem, qui è cubiculo suo prodibat ut sponsa è Thalamo suo. Druf. ad loca diffic. Deuteronomii. legatur hinc etiã noster Schickhardus de Jure Regio cap. 5. Seldenus de Synedriis lib. 3. cap. 10.*

Distinctio belli Rabbinarum in concessum & jussum.

Ad Th. V.

OBSERVATIO I.

Bellum non evertitur loco *Genesis IX.* de non fundendo sanguine humano, sed potius illo stabilitur.

Disputat hinc Author, num jure divino voluntario Veteris Testamenti bella sint sublata, & respondet negativè; tum, quia jus hoc Noacho datum etiam Abraham nãverit, & propterea bellavit; tum, quia Moses abs-

Interdictum fundendi sanguinis nã est prohibitio belli.

que mandato speciali arma expediverit contra Amalekitas; tum, quia à piis semper exercita fuerint supplicia capitalia in homicidas, & qui par quiddam homicidio perpetrarunt. Antequam autem doceat Abrahamum ex scientia juris Noachici bellum gessisse, (de quo supra, nam præter notitiam juris Noachici mandatum speciale obtinuisse ostendimus,) examinat locum illum classicum Genes. IX. 5. & 6. atque tangit, quod Photiniani obvertunt de generali intellectu horum verborum & sensu comminatorio, quod quia saltem tangit, distinctiùs erit expendendum. Nam locus potius militat pro Orthodoxis, quàm pro Photinianis. Concludunt enim illi, licere summæ potestati sanguinem effundere vel irrogatione suppliciorum capitalium in Republicâ, vel expeditione belli contra extraneos, quia dicitur: *qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur.* Hic reponunt (1) Photiniani illud de reposcendo sanguine generalissimè esse intelligendum, (2) posito, inquit, in V. T. id licuisse, non tamen in Novo, (3) verba hæc non continere præceptum Magistratui datum de puniendo homicida, sed saltem comminationem divini supplicii, prout ex antecedentibus pateat, ubi Deus dicat se repetiturum sanguinem, & planè similem esse sermonem cum sermone Christi Matth. XXVI. 52. *quicumque gladium acceperit, gladio peribit.* Ne autem sine ratione id dixisse videantur, probant hoc ipsum

Locus Genes. IX. an generaliter possit accipi.

Argumenta Photinianorum.

I.

II.

III.

Corroborantur rationibus quatuor

ipsum (1) ex eo, quia non occurrat imperativus, sed verbum futuri temporis, non dicatur: qui sanguinem effuderit hominis, ejus sanguis *effunditor*, sed *effundetur*; futurum autem esse saltim notam prædictionis, non mandati (2) non dici in textu per hominem esse effundendū sanguinem, sed verba ita esse ordinanda: qui effundit sanguinem hominis per hominem vel in homine, ejus sanguis effundetur, ut Arias Montanus & Santes Pagninus reddiderunt, adeoq; phrasi in homine non instrumentū pœnæ significari, sed subjectum peccati, in quo sc. homicidium committitur.

(3) Quia repugnent & antecedentia & consequentia. Mandato enim repugnare antecedentia, quia dicatur DEUM requisiturum sanguinem ab omni homine, de manu cujusunque fratris ipsius requisiturum animam hominis, si itaque etiam Magistratus, vel per supplicia vel per bellum sanguinem fundat, DEUM illum requisiturum; Consequentia repugnare, quia reddatur hæc ratio non effundendi hominis, quoniam ad imaginem suam DEUS fecerit hominem, & consequenter non nisi DEUS tanquam factor hominis ad imaginem possit illum & illam destruere; non autem homo, sive sit publica persona, sive privata: cum ad nullius hominis imaginem homo factus sit. Quanquam autem hæc speciosè opponantur, non tamen sunt solida.

Nam (1) illud de reposcendo sanguine non ita generalissimè est intelligendum, eo ipso quo in sequentibus confestim modus istius

Non concludit di-
cti genera-
litas

requisitionis indicatur; nempe: quod DEUS requisiturus sit sanguinem ab homicida per hominem: qui homo aut est privatus, aut publicus DEI minister: Non privatus; aliàs fieret processus in infinitum, nam talis occidens iterum homicidium committeret, & sic hujus homicidium alio rursus expiandum foret, & istius alio rursus sequente, & sic porrò. E. intelligitur publicus minister sive persona publica. Addi potest quoque ratio illa, quam Grotius hinc inspergit, quod interdictum de sanguine non effundendo latiùs non pateat, quàm quod in lege est: *Non occides.* (2) Respondetur frustra distingui inter statum V. & N. T., tum, quia à V. T. etiam probatio potest peti, præeunte ipso Christo Math. XIX. 14. tum, quia si aliquid non nititur singulari ratione Politix Judaicæ, & consistit vel in legibus ceremonialibus vel merè forensibus, vel in iis, quæ DEUS abrogavit & sustulit in N. T. tunc utique etiam illud obtinere creditur in N. T. At sententia hæc non pertinebat ad ceremonias, non præcisè ad Politiam Judaicam, neque abrogata est in N. T., quapropter par ratio status V. & N. Test. tum, quia hæc sententia lata est hominibus ante divisionem; Noachidis, qui totum genus humanum representabant, & sicut in moralibus argumentum procedit à V. ad N. T., ita in sanctione pœnali res quoque sese habet, cæteris paribus supra observatis. Hinc legem illam homicidii etiam gentiles traderunt

Relicitur distinctio inter statum Veteris & N. T. Qua ratione id in N. T. obtineat quod in V. adprobatur.

derunt Draco, Solon, Lycurgus, Numa. (3) *Allegata loci verba præceptiva sunt non comminatoria.*
Respondetur: rectè Grotium negare verba hæc esse comminatoria, sed præceptiva; sed excutienda quoque erant à Grotio objecta. Non autem esse hæc verba comminatoria, sed præceptiva liquet tum ex eo; quia DEUS non simpliciter dicit: *Sanguis ejus effundetur, sed per hominem effundetur.* Homo itaq; talis effundens sanguinē aut absq; mandato effundit, & sic crimine homicidii se polluit; aut cum præcepto, sc. autoritate armatus publica, & ita habetur intentum; tum ex eo; quia hæc sententia exposita est præceptivè non solùm Exod. XXI. 12. Lev. XXIV. 17. sed & Numer. XXXV. 16. tum ex eo; quia DEUS violentiam, quæ in Nephilim (gigantibus) erat Gen. VI. 3. 11. & 12. post diluvium aliquâ autoritate publicâ remove voluit, ad quod non sufficiebat prædictio eventus, quid scil. eventurum homicidæ, sed necessaria erat prolatio quoque mandati. Neque obstant verba Christi, sed pro nobis militant. Dicit enim: *qui gladium acceperit gladio interibit*, ubi de temeraria acceptione gladii loquitur; Magistratus autem non à se sed à DEO illum accipit, & gestat, neque frustra sive temerè, ut quidam exponunt, sed ad exercendum jus, malorum metum; bonorum securitatem. *Rationes autem adjunctæ non concludunt.* Non prima; tum, quia futurū pro imperativo poni solenne est Hebræis, ut constat ex toto Decalogo. Exod. XX. & Deuter. V. tum, quia lex de homicida Exod. XXI. 12. concepta est

*Rationes
Phopina-
norum sol-
vuntur.
Prima;*

in futuro, & præceptivè nihilominus intelligenda, Mot jumat moriendo morietur; Legem autem Exod. XXI. Photiniani non negant esse legem imperativam, sed tanquam forensem concedunt continere præceptum; tum, quia si nuda esset divini supplicii comminatio verbo futuri temporis indicata in hoc oraculo, prædictio illa divina falsitatis argui posset; cum non semper homicidæ sanguis per homines effundatur, nec semper obeat mortem violentam, sed impunè quandoque ferat, quod non pugnat cum præcepto, pugnat autem cum prædictione. Secunda ratio non concludit, nam verba hæc: *quisquis effuderit sanguinem hominis*, non sunt legenda, prout quoque Grotius posuit, citra distinctionem, sed (1) verba hæc ita sunt legenda: qui effuderit sanguinem hominis interposito commate, *per hominem sanguis illius effundetur*, (2) textum hunc ita esse distinguendum contra Ariam Montanum & Pagninum patet ex Bibliis Venetis & Basilensibus; malè verò illum distinguunt Arias & Pagninus, non observantes accentum Sakephkaton, qui impositus notat absolutum esse propositionis subjectum & dictionem *Beadam per hominem*, non ad antecedentia, sed ad sequentia referri debere, non subjectum notare, sed instrumentum pœnæ, hoc modo, qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur. Moses & Prophetæ declarant, dum ultionem Magistratui permittunt Deuter. XIX. 17.

18. 19.

18. 19. 20. & 21. Hinc etiam Chaldaeus Paraphraſtes ita expreſſit: *Qui effuderit ſanguinem hominis per teſtes juxta ſententiam judicium ſanguis ejus fundatur.* Quo ipſo privato abrogatur Jus & Magiſtratuſ tribuitur, qui tamen ne præcipitanter agat per idoneos teſtes prius facti veritatem explorare teneatur, quæ magis placent quam illa Toſtati, qui illud Bejadam exponit intra hominem, & de ſuffocatione accipit, ſtrangulatione vel veneno, quaſi ſenſus eſſet: quicumque effuderit ſanguinem hominis in homine, hoc eſt, intra hominem non foras provocando ſanguinem, illius ſanguis fundatur, quod utique abſurdè dicitur. Ad tertiam rationè reſpondetur non repugnare mandato vel antecedentia vel conſequentia, tum, quia Deus denunciando ultionem effuſi ſanguinis humani non eripit poteſtati ſummæ ſua jura, & dicit ſeſe ab homine requiſiturum ſcil. privato, non publica authoritate inſtructo, non vocato ad munus Magiſtratus; tum, quia ſi Deus expoſcit ordinariè à Magiſtratu, ſi impunè dimiſerit homicidam, utique non requirit, ſi punit homicidam; tum, quia Magiſtratus non punit ut frater, ſed ut Judex divinitus conſtitutus. Dicitur autem notanter in textu, *de manu cujuſcunque fratris requiram animam hominis*: nec ſanguinis conjunctio officium publicum tollit. Ultima denique ratio ab imagine divinâ petita non concludit, quia in ſuppliciorum irrogatione vel bellica expeditione poteſtas publica DEI perſonam repræſentat.

Tertia.

Quarta.

sentat. Hinc per hominem instructum DEI autoritate homo ad imaginem DEI conditus potest destitui, & potestatem illam habet Magistratus eo ipso, quia Elohim titulo coronatur Psalm. 82.

Ad eand. Th.

OBSERVATIO II.

De Caino Grotius incerta pro certis obtrudit.

Caini propter fratricidium trepidantis collectio.

Non oritur ex æquitate naturali.

IN hac thesi Author ulterius differit, & ad exemplum Caini se confert. Ubi quidem tripliciter peccat, (1) vagè dicendo: natura non iniquum esse, ut quantum quisque mali fecit, tantumdem patiat. Non enim dictamen naturæ est, quod ille existimat, sed hoc ostendit recta ratio, non iniquum esse, ut quantum quisque fecit mali, tantumdem patiat ab illo, qui potestate legitima est instructus, (2) adducendo dictum Caini, quasi illud esset profectum ex hujus æquitatis naturalis sensu; quod iterum falsum: tum, quia naturalis æquitas non dicat, privatum à privato aut posse aut debere occidi; tum, quia hoc ipsum Cain dixit ex conscientia trepidante: quod vel maximè corroborat Hieronymus, scribens: *Ex tremore corporis & furiosa mentis agitata, dum se eum esse intelligit, quæ mereatur interfici, dicit ex horrore conscientie: omnis, qui invenerit me occidet me: tum, quia adhucdum disputatur inter eruditos,*

tos, ad quid respiciat, cùm quidam hoc ipsum non referant ad homines, sed ad bestias, ac si diceret, se ab illis non tutum fore. Quod tamen cum proximè sequentibus non convenire videtur. Dicit enim DEUS, Omnis, qui occiderit Cain septuplum punietur, quod de bestiis nequit commodè intelligi, quadrat autem in homines. Quod si ad homines referamus, sanè in mundo tunc juxta quosdam erant pauci præter Adamum, Evam & sorores aliquot Caini. Non autem metuebat sibi à sororibus imbelli sc. turba, neque ab Adamo & Eva, cùm ab illis nullum imminuerit vitæ periculum, qui occidendo Cainum mœrorem animi cumulassent, sublato quoq; superstite filio. Quapropter referunt aliqui ad nascituros, ex familia Adæ, vel etiam natos Abelis. (3) Errat, quando addit: DEUM primis illis temporibus aut ob hominum raritatem, aut quia paucis adhuc grassantibus minus opus erat exemplo, id quod naturaliter licitum videbatur edicto repressisse; tum, quia naturaliter non licitum erat, ut privatus privatum occideret; & proinde nec opus repressione per edictum; tum, quia illa dispositio circa Cainum planè fuit specialis; tum, quia maximè DEUS judicavit opus esse exemplo, & in hunc finem Cainum voluit esse superstitem, signo patrati homicidii impresso, quod juxta Lutherum fuit vehemens tremor capitis & omnium membrorum, adè ut instar anathematis publici ob scelus illud omnium hominum oculis obversarit.

DEVS ob
hominum
raritatem
non impe-
dit Caini
necem.

Ad

Ad eand. Th.

OBSERVATIO III.

De Lamecho Author etiam non
satis liquida prodit.

Lamechus
ex Caini
facinorè
impunito,
impunita-
tem sibi
polliceri
nō potuit.

1. Ob incer-
titudinem
commissi
patricidii.

2. Ob fabu-
læ suspi-
cionem;

3. Ob flu-
antes
Theologo-
rum sen-
tentias.

TRANSIT Author ad Lamechum, & dicit:
Ab uno facto sc. impunitatis illius sum-
ta conjectura divinæ voluntatis in legem i-
visse, ut Lamechus quoque sibi impunitatem
ex consimili facinore ab hoc exemplo pro-
miserit. Verùm hæc non ita sunt liquida,
ut Author existimat; Nam (1) adhuc contro-
versum est, num istiusmodi factum designa-
rit Lamechus? num homicidium commiserit?
cùm verba ipsius hypotheticè possint ac-
cipi, ut sensus sit: *Non est, quod mihi metua-
tis, ò-Uxores meæ, nam quemvis virum, aut
etiam adolescentem nullo negotio possum confu-
dere. Si quis me aggredi ausit, occiderem,
sane in vulnus meum & in livore meo, si quis
mibi vulnus velit instigare, aut me plaga affi-
cere.* Sanè Fabulam redolere illam occisio-
nem Caini à Lamecho multa indicant: pro-
misit enim DEUS impunitatem Caino, & di-
xerat septuplum iri punitum, qui illum inter-
fecisset, ut probè observant Paulus Burgen-
sis, Ambrosius Catharinus, Hieronymus ab
Oleastro & alii, non potest fundamentum
Historiæ ostendi ullum præter traditionem
Ebræorum, variant denique sententiæ, dum
quidam asserunt Cainum fuisse occisum à La-
mecho

mecho: quidam alium aliquem, quidam duos, qui fratres fuerint Henochi, quorum unus virilis, alter juvenilis fuerit ætatis, quidam illum juvenem volunt fuisse Thubalcaimum, quem tamen, si fuisset, non tam juvenem, quam natum suum, judice Drusio, appellasset.

(2) Posito respici factum, & homicidium patratum à Lamechio, nondum tamen erit consequens ab exemplo Caini sibi promississe impunitatem; Non enim impunis dimissus fuit Cain, utut DEUS in tantum ipsi caverit, ut, qui ipsum occidisset gravem incurreret pœnam. (3) Nititur Grotius communi illâ sententia, quasi Lamech dicendo: *Septuplum ultio dabitur de Cain &c.* intendat hoc: nolite metuere, qui occiderit Cain graviter puniendus est juxta legem DEI, de qua v. 15. hujus cap. IV. E. longè gravissimè, qui me occiderit. Nam supposito, quòd Lamechus occiderit in venatione Cainum, putans illum esse feram, & percusserit ad livorem usque puerum armigerum suum, tamen hæc verba non sunt semetipsum consolantis, aut impunitatem Caini in exemplum trahentis, sed possunt accipi, ut verba extremè pœnitentis: tum, quia & Hilarius & Basilius cum Ambrosio intelligunt prædici hîc non occisorem Lamechi, sed ipsum Lamechum longè gravius puniendum, quàm Cainum; tum, quia ratio hoc ipsum suadet: gravior enim est culpa ejus, qui etiam post condemnationem alterius sese non correxit, homicidio non abstinuit; tum, quia ipsa phrasis hebræa hoc

4. Ob illas Cains pœnas.

5. Ob suppositum falsum.

Verba Lamechi non sunt semetipsum consolantis.

Z

docet,

suffragium
Hebræorū
contrariū.

docet, qua Cain dicitur ulciscendus seu vindicandus, *ψ. 15.* Quid quod juxta Ebræos oppositum illa Lamechi Oratio significet, Volunt enim illi: *Lamechum Senectute male tractatum esse ab uxoribus, vel propter nimiam ejus libidinem atque lasciviam, vel propter truculenta filiorum ingenia, quippe qui invento usu armorum passim cades hominum faciebant. Quamobrem identidem Lamecho talium filiorum parenti mortem uxores comminabantur, quasi DEUS de ipso & filiis ejus gravissimas pœnas sumpturus esset. Lamechus igitur ex comparatione sui cum Caino, ostendit uxoribus, sibi non esse timendam mortem. Num ego, inquit, occidi virum, & hunc adolescentulum, sicut Cain, qui fratrem suum, Abel juvenili aetate florentem, in vulnere & livore, id est, partim ferro, partim fustibus interfecit? Si igitur prohibuit DEUS ne quis Cainum, etiamsi fratricida erat, occidere auderet: Quanto gravius puniet Deus, si quis mihi mortem afferre ausus sit.*

Ad eand. Th.

OBSERVATIO IV.

Post diluvium concessum fuisse, ut insons esset, qui homicidam occideret liquidò ostendi nequit.

Non impunè tulit, qui post diluvium homicidam interemerat.

VERO non sunt consona, quæ subjungit Author, quasi scilicet ante diluvium aliter sese res habuisset, quam post diluvium, & Deus ante illud permiserit, ut insons esset, qui

qui homicidam occidisset, quod postea ad solos Judices restrictum fuerit institutis judiciis: partim quia supponit, per tot secula ante diluvium non fuisse judicia instituta, non fuisse Principes in illa hominum multitudine, imò, si ponamus, nullos fuisse, penes Patresfamilias, non fuisse jus illud vitæ & necis; partim, quia DEUS non restrinxit ad Judices jus occidendi homicidas post diluvium, cum jus gladii pro omni tempore competat Magistratui, & enssem gestet à DEO datum in bonorum tutelam, malorum excisionem; partim, quia, quod de pristini moris vestigio recenset in proximo vindicante consanguinei sanguinem, non tanquam consequens aut vestigium pristini moris est accipiendum; cum nitatur falsa hypothese quasi obtinuerit hoc ab initio, ut privatus privatum occidere potuerit, sed tanquam statutum peculiare constitutâ jam Republicâ, independenter ab omni more præcedente, sive ut concessio quædam à Mose facta erit explicanda. Consultatur Cicero pro Cæcinnâ. Expendamus verò ea quæ Scriptura hîc prodit, ut de Origine nobis magis constet. Habetur lex illa, ad quam Grotius respicit Num. cap. 35. v. 19. *Propinquus, inquit Moses, occisi homicidam interficiet statim, ut apprehenderit eum interficiet: quæ videtur non tam esse positiva & obligare, quàm permissiva, & aliquid concedere; tum, quia hæc fuit constituta judiciis constitutis & vigentibus; tum, quia privatam vindictam stabilit, quæ aliâs nullibi proba-*

Lex Num.
XXXV. 19.
an permis-
siva vel po-
sitiva.
Rationes
pro per-
missiva.

tur in universa Scriptura; tum, quia hoc etiam extenditur ad illud homicidium, quod non dolosum, imò ne culposum quidem, sed casuale tantum versiculo vigesimo secundo & sequentibus, cum Moyses dicit: *Quod si fortuito & absque odio & inimicitia quicquam horum fecerit & interfector extra fines Urbium, qua Exulibus deputata sunt, fuerit inventus & percussus ab eo, qui ultor est sanguinis: absque noxa erit, qui eum occiderit.* Ad

Resp. ad I.
Qua conditione licita fuerit vindicti inferre mortem homicidæ.

primum tamen responderi potest iudiciis nihil decessisse: cum vindex sanguinis non simpliciter iussus fuerit occidere homicidam, sed præviâ causæ cognitione, quasi Minister supremæ potestatis: hinc illud *statim* non accipiendum de tempore immediatè homicidium insequente, sed iudicium, ut vult Augustinus q. 65. cui Chaldæus favet, qui expressè addit: *Quando condemnatus fueris in iudicio.* Ad secundum reponi potest: vindictam cessare, ubi ministerium exhibetur

Ad II. Vindictæ nomen non habet quando iudicium relinquatur Magistratui.

Magistratui: & posito, quòd ante causæ cognitionem, ante iudicis sententiam Vindex sanguinis occiderit homicidam, juxta hanc legem licitè vel justè occidisse citra affluxum peccaminosum vindictæ, cum hæc supponat non tam injuriam alteri illatam, quam sibi; nec prohibita sit juxta Ebræos vindicta nisi respectu propriæ personæ. Ita enim Rab.

Vindicta quæ à Rab. rejicitur est personæ propriæ.

Levi. *Res autem hæc ita se habet, cum, exempli gratia Israelita molestia aut dolore affectus proximum quocunque modo, non cessant plerique homines occasione tam diu inhiare, donec*
male

male facienti sibi, paria reddiderint, eodemq;
modo tristitia illum affecerint: Atque ab hoc
vicio Deus benedictus mandato hoc suo: Ne
ulciscaris; nos correat. In Siphra legimus.
Quousque vis vindicta se extendit? Si quis al-
teri dicat: Da mihi mutuo falcem tuam, ne-
que das; Hic verò cras ab altero utendam pe-
tat securim, qui negaturus illam, dicat: Non
mutuo do, quia neque tu mihi falcem tuam
dedisti, propterea dictum est: Ne ulciscaris.
Causam assignat Rab Levi: Ut noverit homo,
& ad animum revocet, quod, quicquid ei, sive
bonum, sive malum, acciderit, ipse causa sit,
cur à DEO benedictio illud immittatur. Unde
nihil à quoquam, imò ne à fratre, ei continget
absque voluntate DEI benedicti. Proinde, si
quis ipsum molestia aut dolore affecerit, scias,
peccata sua causam esse, & quod Deus hoc de
illo decreverit, neque ulcisci aut prosequi cogi-
tet illum, qui non est causa istius calamita-
tis (peccatum enim causa illius existit) quem-
admodum dicit David: Sine ipsum, ut mala-
dicat: quoniam sic ei (Deus) precepit. Suspen-
dit negotium hoc à peccato suo, non à Simeï,
filio Gera. Habet hoc preceptum aliam etiam
insignem utilitatem, ut tollantur lites, & abo-
leantur odia ex cordibus hominum, & ut pax
sit inter homines, ipse Deus benedictus inter illos
eam componit. Ad tertium dici potest: ho-
mucidam involuntarium à Vindice sanguinis
non occisum licitè ex homicidio perpetrato,
sed neglectu voluntario privilegii: quia non
aliâ conditione ei concessum fuerit Jus A-

Ad III. Cõ-
tentus pri-
vilegii vin-
dici im-
munitatẽ
dedit.

Legem de
occidendo
involun-
tarium ho-
mucidam
fuisse per-
missivam
denuò af-
feritur.

fyli, quam ut Urbe Refugii non egredere-
tur, ut docet versiculus vigesimus quintus &
octavus. Utut autem hæc responderi pos-
sint objectis, censem tamen hanc legem
non tam præcipere, quàm permittere. Ver-
ba enim sunt generalia, neque videntur li-
mitanda ex iudicio prævio, vindictam etiam
hîc omnem exulasse, quis demonstrabit in-
fallibiliter? homicidam denique involunta-
rium occidere absque noxâ in foro divino
vix videtur admittendum, probabilius ergò
statuitur permissionem hîc obtinere, quâ
Occisor sive Vindex sanguinis non extraha-
tûr omni culpæ in foro divino & conscien-
tiæ, sed pœnæ tantùm in foro humano. Quî
enim potuit homicida involuntarius, qui in-
noxius jam fuit habitus à iudicibus sine cul-
pâ occidi? quî potuit propinquo occisi ho-
mucidum imperari simpliciter, cùm si statim
debuisset occidere ejusdem iudicio conces-
sum fuisset discernere, quis Occisor volunta-
rius, quis involuntarius, quod tamen Iudicis.
Notum etiam Judæos fuisse populû duræ cer-
vicis, quorum duritiei hoc DEUS ut alia juxta
quosdam Interpretes indulgit, nec promiscuè
quibusvis ut vult Eugubinus, sed tantùm Co-
gnatis, quod B. Osiander vidit & probavit,
scribens in locum hunc: *Licebat alias apud
Judeos, cognatis occisi vindicare eadem & ho-
mucidam vicissim interficere, etiam non præce-
dente ordinariâ causa cognitiæ. Quam violen-
tiam Deus in populo dura cervicis non tam ap-
probavit, quam toleravit sicut etiam divorcium*

ex alia, quam adulterij cause, usurpatū magis dissimulavit, quam instituit. Nisi itaque illam sententiam Augustini sequamur, posterior videtur esse amplectenda, sive autem illa, sive hæc obtineat, Grotii nutabit. Si prima, non consequens erit: naturâ non iniquum esse ut insons sit, qui homicidam occidit; quia DEUS non simpliciter illud permisit, sed factis faciendis & præmissâ cognitione causæ, nec aliud vestigium in jure Vindicis; si altera; itidem non poterit dici naturam non iniquum esse dictare & DEUM, ipsum permisisse, ut insons esset, qui homicidam occidisset: quod enim DEUS tantum ita permittit, ut saltem impunitatem indulgeat in foro exteriori, illud nondum dici potest naturâ non iniquum esse; & cum hæc constitutio à Moyse fuerit promulgata, illius indicium in anterioribus temporibus non appareat, lata fuerit, ut ipse Tostatus Abulensis conspirans Osiandro sit ad duritiam cordis Ebræorum, qui, si ipsi manibus suis vindictam non peterent, putarunt nihil esse factum, quapropter paulò audacius pronunciat post diluivium hanc legem viguisse; quæ demum emergente Republicâ Judæorum specialiter huic populo fuit promulgatâ. De Abrahamo autem & Mose quæ annexit supra excussa sunt.

Ad eand. Th.

OBSERVATIO V.

Non commodè dicitur, apud ipsos
piæ doctrinæ alumnos, capitalia sup-
plicia fuisse usurpata, quia conjectu-
ra divinæ Voluntatis ipsa naturæ
ratione adjuvante à similibus ad si-
milia processerit.

Fundamen-
ta suppli-
ciorum ca-
pitalium.

Sententiã
Iehudæ in
Thamarem
audacter
Grotius ex-
ponit

TAndem addit Author capitalia supplicia
non tantum in homicidas, sed & alios
facinorosos usurpata fuisse apparere Exem-
plo Thamaris, conjecturã divinæ voluntatis,
ipsã naturali ratione adjuvante, cum sint, quæ
vitæ æquiparentur. Atqui hic iterum errat
Author, & (1) quidem ponendo exemplum
illud ex Genes. XXXVIII., non obtinebit,
quod intendit apud omnes: tum, quia Judas
egit contra Thamarem vel ut accusator, vel
ut iudex. Si prius, arguitur nimis crudeli-
tatis ex supplicio desiderato tam horribili, &
cum distinctæ sint partes accusantis & judi-
cantis, quomodo potuit tam severè decerne-
re. Thamar enim tantum fuit delata ex for-
nicatione: *Nunciaverunt enim Jude dicen-
tes: fornicata est Thamar Nurus tua;* si poste-
rius, ut iterum non dicam de crudelitate, du-
bitari potest; num potestate judiciaria fuerit
instructus peregrinus in terrã peregrinã, &
ut omnia suadent, sub alio Regimine. Audia-
mus hinc Franciscum Junium, qui ita pronun-
ciat:

Magis dex-
trè Iunius.

ciat: *Hic incidit quaestio. Primum utrum Iuda hac verba: eijcite illam ut comburatur, tanquam iudex enuntiet; aut tanquam accusator. Qui iudicis verba esse putant, sic interpretantur: Educite illam in locum supplicii ut comburatur. Qui accusatoris verba esse putant, interpretantur hoc modo: Educite illam in locum iudicij, ut quaestione habita & te comperta comburatur me irrogante, ut accusatore, & iudicibus ex lege deseruentibus. Priorem interpretationem non possum admittere. Cum enim ipsius interfuerit, ut de crimine Thamaræ cognosceretur, non potuit idem suus interfuit, & iudex & accusator esse: quin etiam si filius ipsius Schela Thamaræ adulterij insinulasset, non potuisset Iuda huic iudicio praeseri: cum juris naturalis sit, ut in necessitudinibus & propinquitatibus eiusmodi iudicia aliis permittantur. Statuimus itaque illa Iuda verba accusatoris irrogantis esse: Atque in eam sententiam accipimus illa verba: vers. 25. illa educeretur, puta ad iudicium ut de crimine ipsius cognosceretur legitime: atque hac ratione factum est, ut Iuda recipiens iudicia, quæ pro arrhabone in manus Thamaræ dederat, ea commodè agnouerit, & ex his crimen suum senserit, Thamaræque purgaverit, cum se auctorem & caput huic malo fuisse animadverteret: Nam propterea dicebat Iuda: iustior est me, quandoquidem non dedi illam uxorem Schela filio meo. Negat itaque Junius hæc Judam dixisse ut iudicem. Sed & si postremo accipiantur sensu Verba, premuntur*

difficultate supra tactâ; tum quia, si statuatur ipsum jus-vitz & necis habuisse tanquam Patremfamiliâs in suos, etiam hoc non videtur suâ carere difficultate, quia Thamar tum temporis non habitabat apud Socerum suum, non erat in familia Judæ, sed habitabat penes Patrem suum Virum Cananzum; tum, quia pronuntiatio illa Sententiæ videtur esse profecta ex affectu nimio, cum cumbustio nimis atrox supplicium, præsertim, si cesset fabula illa, quod puella ista non fuerit filia Melchisedechi, quem Semum existimant, quia ille 38. annis ante natum Judam diem suum obiit; nondum lata fuerit illa lex de filia Sacerdotis fornicante, quæ legitur Levit. 21. v. 9. Subjungimus in confirmationem sententiæ, quæ hic habet Cornelius à Lapide, ita pronuncians: *Judas ex irâ hic præcipitat sententiam: damnat enim Thamar inauditam; rursum damnat non tantum Thamar, sed & fœtum ejus innocentem. Iussit enim Thamar gravidam cum fœtu trimestri jam animato comburi; itaque fœtum tam corpore quam anima interfici, quod est contra omne jus natura & gentium. Ita Cajet. Quid enim aliqui sic exponunt; producite eam scilicet, inquit, non proximè ad rogam sed carcerem. ut illic afferretur, donec pepererit, & postea comburatur, non satis coheret cum textu: qui sic habet: Producite eam non, ut incarcerationetur, sed ut comburatur. Unde & mox ad ignem protracta est Thamar. Subdit enim statim Moyses, dicens: quæ cum duceretur ad*
penam

Assentit
 Cornelius
 à Lapide.

pœnam, nam pœst hæc Thamar demum v. 27.

parit. (2) Errat, dum ad conjecturam sese confert, quasi liceat à similibus ad similia procedere lege divina constituta circa aliquod negotium. Processus enim talis, ubi ex voluntate legislatoris omnia pendent, non potest admitti, sed ad illam unicè est respiciendum, quicquid sit de processu ratiocinativo.

Conjecturis in divina lege non datur locus.

(3) Demonstrat Grotius ipso facto quomodo & quàm facile hîc erretur, dum sc. addit: quædam vitæ comparari, ut existimationem, pudorem virginalem &c. Atqui nunquam ita concludi potest: lege divina occidendus est homicida, qui vitam alicui eripuit, E. cum de similibus simile sit judicium, etiam, qui existimationem læsit proximi sui, vel sustulit, extremo erit afficiendus supplicio.

Grotius nõ benè concludit à similibus.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO I.

Evangelium non complectitur peculiaria præcepta, nec strictiùs obligat, nec pleniùs peccatum denudat.

IN hæc thesi nihil sani, imò talia occurrunt, quæ ipsam Orthodoxiam maximè concutiunt. (1) autem Author statuit, extra præcepta credendi & Sacramentorum in Evangelio quoque alia occurrere, quæ non sint juris naturalis, & ulterius obligari nos legibus Christi, quod deinde exemplis de concubi-

Credendi
præcepta.

Præcepta in
Evangelio
quomodo
dicantur
Juris Natu-
ralis.

Distinctio
Juris Natu-
ralis.

natu, divortio & Polygamia confirmare sata-
git. At (1) ambiguè loquitur, cum dicit
extra præcepta credendi & Sacramentorum
nihil esse in Evangelio, quod non sit juris
naturalis, quasi scil. præcepta darentur cre-
dendi & Sacramentorum, procul dubio in
sensu Arminianorum, cui sectæ addictus fuit;
ut evinceret, fidem justificare tanquam obe-
dientiam præcepto præstitam, Quamvis e-
nim actus fidei sit mandatus, mandatus ta-
men est in ipsâ lege, & quidem in primo
præcepto; neque justificat in quantum est
actus aliquis nobis mandatus, sed ratione
objecti sui, quod Evangelium ostendit. Ut
autem statuendo præcepta credendi, & Sa-
cramentorum ambiguitate sese involvit, ita
quoque eâdem utitur, quando dicit: in Evan-
gelio præter præcepta credendi & Sacramen-
torum, cætera, nobis scil. mandata, non esse
juris naturalis. Aut enim per jus naturale
intelligit jus illud naturale primævum in sta-
tu integritatis, cujus repetitio est Decalo-
gus; aut intelligit jus naturale post lapsum,
Si primum, ut jus naturale ipsi sit jus morale,
falsum est præter mandatum credendi & Sa-
cramentis utendi, dari alia mandata de vir-
tutibus & bonis operibus in Evangelio, cum
hoc militaret contra perfectionem legis mo-
ralis sive Decalogi. Sin verò secundum, cer-
tum est, quod in Evangelio præter præcepta
credendi & Sacramentis utendi dentur alia
præcepta, sed hoc non fit contradistinctè ad
libros V. T. quia eadem in illis occurrunt.

Ambi-

Ambiguum denique est, quod dicit in Evangelio extra præcepta credendi & Sacramentorum dari alia, quæ non sint juris naturalis. Nam Evangelium dupliciter accipitur, aut pro libris N. T. & sic in illis repetuntur passim præcepta Decalogi, nec alia præter hæc, aut accipitur in sensu Theologico & proprio, prout contradistinguitur legi & ita planè præter præcepta credendi nihil in illo habetur vel juris naturalis vel præter illud. (1) Errat Author, quando dicit nihil nobis in Evangelio præcipi, quod non naturalem habeat honestatem, interim tamen ulterius nos obligari legibus Christi; tum quia, quæ in Evangelio propriè sic dicto occurrunt, nihil habent commune cum naturali honestate, quæ intra terminos societatis civilis subsistit; tum, quia frustra leges Christi finguntur, cum Christus nec Legislator fuerit, nec ostendi possit lex aliqua in N. Test., quæ non ad Mosen referri debeat; tum, quia ulterior aliqua obligatio non datur, quàm ad ea, quæ jus naturæ requirit, sive Decalogus: *Qui enim fecerit illa vivet in eis*, juxta Scripturæ testimonium. (3) Quod exempla concernit, in quibus existimat desudare Theologos, illa nos non premunt: partim, quia si Concubinitus, Divortium & Polygamia in Evangelio prohibentur: non in quantum Evangelium propriè accipitur, & dicit doctrinam de Christo, ejusque merito & officiis, sed in quantum libri N. T. ea continent, præcipiunt & urgent, quæ Decalogus.

An Evangelium præcipiat, quod non est juris naturalis.

Evangelii distinctio,

Leges naturæ & Evangelicæ Verba distinctissima.

Resp. ad Exempla.

gus. At ita quod est vetitum in Evangelio, illicitum quoque est lege naturæ; partim, quia talia aut recedunt aliquo modo à voluntate divinâ, aut non: Si prius; etiam in jure naturali primævo sive Decalogo censentur esse vetita, quia Decalogus est perfectissimum sanctissimæ voluntatis divinæ exemplar; Si non recedunt, frustra adducuntur ab Authore; partim, si hisce abstinere honestius esse dicat ipsa ratio, ipso jure naturæ innotescunt habere aliquam obliquitatem: quid enim est ipsa recta Ratio, nisi ratio instructa principiis honestatis naturalis?

Ad Th. VI.

OBSERVATIO II.

Non Evangelicæ legis est vitam ponere pro fratribus vel sociis.

Ut mortem pro aliis appetamus aliquatenus naturali jure obligamur.

Author maximè urget illud ex 1. Joh. 3. v. 16. & vult evincere, Christianam legem præcipere, ut alii pro aliis mortis periculo nos objiciamus, ad quod nemo jure naturæ obligetur. Probabimus itaque (1) jure naturæ aliquo modo obligari ad hoc officium nos. (2) frustra Authorem hîc intendere discrimen V. & N. T. Et tandem (3) modum obligationis, quo scil. obstricti sumus animam ponere pro fratribus. Quod primum concernit, probamus hoc ipsum tum dictis saniorum gentilium: Ita enim Cicero: *Vehementer est iniquum, vitam, quam*

Probatur I. Gentium suffragiis.

à natura acceptam propter patriam conserva-
 veris, si natura cogat reddere patriam, cum ro-
 get non dare, & cum possis cum summa vir-
 tute & honore pro patria interire, malle per
 dedecus & ignaviam vivere, & cum pro ami-
 cis & parentibus & ceteris necessariis adire pe-
 riculum velis, pro Republica, in qua & hoc &
 illud sanctissimum nomen patriæ continetur,
 nolle in discrimen venire. Dulce & decorum
 esse pro patria mori, dixit Horatius: In pa-
 gnas descendentes, juxta Lucianum: nulla
 exhortatio est vehementior, quam quod pro pa-
 triâ bellum gerant, quo audito nemo ignavus
 esse amplius sustinet. Si autem recta ratio dicat
 pro patria, pro amicis, pro parentibus esse vi-
 tam fundendam, si dulce & decorum pro
 patria mori, si hoc accendit, qui potest negari
 jure naturæ nos obligari? tum exemplis pu-
 blicis Cadorum, Deciorum, Leonidarum,
 qui pro publicâ salute se devoverunt; tum
 exemplis privatis Damonis pro Pythiâ, Py-
 ladi pro Oreste, Lucilii pro Bruto, Nisi pro
 Euryalo clamantis: *In me convertite ferrum!*
*Pirithoum Theseus stygias comitavit ad un-
 das.* Quanquam negari non possit hæc po-
 steriora Exempla non tam indicare strictu-
 ras rectæ rationis, quam abortus vitiosæ
 mentis in gloriam pronæ; cum eò usque lex
 moralis divina non se porrigat, ut citra re-
 spectum Boni publici quis pro amico mor-
 tem oppetat, si certissimum sit illam secutu-
 ram (alia ratio est, si periculum sit vitæ qui-
 dem, sed probabiliter evitabile, nec qui libe-
 randus

Et Exem-
 plia.

Pro fratre
mortem
subire Mo-
saica &
moralis est
Legis.

randus reus ex iudicio) & plus illum diligit, quam seipsum. Quod (2) concernit, demonstratu itidem facile est, juris fuisse moralis in V. T. Nam, si Decalogus respectu totius tabulæ secundæ hoc voluit: *Dilige proximum tuum ut te metipsum*, obligavit utique etiam Lex Mosaica sive moralis ad depositionem animæ pro fratre. Nec obstat, quod Photiniani reponunt, quorum vitulâ per totam hanc thesin arat Grotius, Mosen præcepisse ut proximum diligamus sicut nos ipsos, Christum autem præcepisse ut proximum diligamus magis quàm nos ipsos, quia præceperit, ut postponamus nos & vitam nostram proximo nostro in præsentî loco ab Authore allegato, & Johan. XV. 13. Nam & falsum est in præcepto hoc: *Dilige proximum ut te metipsum*, non includi præceptum de depositione animæ pro fratre: cum hoc ipsum exemplo suo comprobarit David suspiriis suis pro Absolomo, Heroes item illi Davidici, qui vitæ pericula adierant, ut Rex salvus esset, & totus populus, & quando Christus præcipit, ut vitam ponamus pro fratribus, nihil aliud dicit, quàm, diliges proximum tuum ut te metipsum. Dilectio enim hæc præcepta complectitur & affectum internum, & effectus externos omnes, quicunque homini præstari possunt ab homine, & proinde etiâ hoc, ut parati simus variis discriminibus & quandoque mortis periculo nos objicere pro fratre, graduum obligationis tamen observatâ ratione; præterea tum 1.

Joh. 3.

Joh. 3. tum Joh. 15. animam ponere pro fratre intelligi potest de salute fratris æternâ, ubi non plus diligitur frater sive proximus, quàm ipse homo, qui diligit fratrem, sed salus æterna alterius præfertur vitæ naturali propriæ, ubi gloria DEI in ejusmodi actu depositionis vertitur, non tam talis ergò proximum magis diligit, quàm semetipsum, quàm gloriam DEI antefert vitæ suæ temporali. Et hoc liquet ex eo, quòd non plus diligit, quia diligit tantum eundem quantum semetipsum, quia quando de salute animæ propriæ agitur, vitæ utique temporalis est alacriter profundenda, ut obtineatur æterna. Si itaque proximum diligere debet ut semetipsum, etiam pro proximo fundenda vitæ, intuitu salutis æternæ. Quod (3) concernit ipse Author ita commentatus est ad hunc locum: *Debemus igitur & nos quavis pericula adire, ut alios homines fratres nostros in primâ origine exitio æterno eripiamus. Non debet nobis charior esse vita, quam Deo filius suus fuit.* *τὸ ἁγαπᾶν ψυχὴν* verò explicat non per expositionem vitæ, sed per aditionem periculorum, at num in V. T. non fuit sub præcepto objicere se periculis, ut fratres exitio æterno eriperentur? quot sustinuit Moyles pro populo Israeliticum in Ægypto? quid majus: potuisset vel dicere vel optare, quàm ut dederetur? libro vitæ pro populo prævaricatore? Exod. 32. v. 32. Non malè Thomas sensit dicendo, hominem seipsum magis ex charitate diligere teneri quàm proximum. Si

Fundero animam pro æterna proximi salute non est diligere eum magis quam semetipsum.

Modus obligationis ponendi vitam pro fratribus consistit & in discriminum vitæ susceptione, & in profusione

Consentit Thomas

¶

autem

autem quæstio ita instituat: utrum homo magis debeat diligere proximum, quam corpus proprium? Respondet, proximum magis, quod ad animæ salutem attinet, quam corpus proprium ex charitate homines teneri diligere. Priorem conclusionem Thomas intelligit in ordine ad bonum spirituale. Posteriores autem conclusionem confirmat ex eo, quod illud magis ex charitate diligendum, quod habet plenior rationem diligibilis ex charitate, consociationem verò in plena participatione beatitudinis. Conclusio prima ita concepta est: *Homo seipsum magis ex charitate diligere tenetur, quam proximum.* RESPONDEO: *dicendum, quod in homine duo sunt, scilicet natura spiritalis & natura corporalis. Per hoc autem homo dicitur diligere se ipsum, quod diligit se secundum naturam spirituales, ut supra dictum est. Et secundum hoc debet homo magis se diligere post Deum, quam quemcunque alium. Et hoc patet ex ipsa ratione diligendi. Nam sicut supradictum est, Deus diligitur ut principium boni, super quo fundatur dilectio charitatis. Homo autem seipsum diligit ex charitate secundum rationem, qua est particeps prædicti boni. Proximus autem diligitur, secundum rationem societatis in isto bono. Consociatio autem est ratio dilectionis secundum quandam unionem in ordine ad Deum. Unde sicut unitas potior est, quam unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quam quod*
alius

alium associetur sibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis seipsum diligere, quam proximum. Et hujus signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet à peccatis. Conclusio verò altera ita se habet: Proximum magis, quod anima salutem attinet, quam corpus proprium ex charitate diligere homines tenentur. Respondeo: dicendum, quod illud magis est ex charitate diligendum; quod habet plenior rationem diligibilis ex charitate, ut dictum est. Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, qua est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, qua est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem anima magis debemus diligere, quam proprium corpus. Liqueat itaque charitatem illam, quam statuit Evangelicam Grotius, & superiorem legali, etiam in lege fuisse præceptam hoc modo explicatam, & obligasse æquè Judæos ac Christianos.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO III.

Frustra Author Moysen Christo opponit, loca Matthæi quinto sinistra explicat, & errores erroribus addit.

IN hac thesi notandum Authorem dirum venenum Photinianorū proponere ad locum

Aa 2

illum

illum Matth. V. negando Christum ibi interpretem tantum agere legis per Mosen datæ, & vindicem. (1) Itaque demonstrandum nihil Christum opposuisse vel addidisse legi in isto capite (2) Non concludere argumenta Grotii quocunque modo accipiatur illud: *Audivistis dictum esse antiquis*, (3) loca illa ex Mose producta nihil facere pro Grotio. Quod (1) concernit, probamus hoc ipsum; tum, quod legis perfectio & immutabilitas adstruitur in hoc ipso capite v. 18. tum, quia legis per Christum impletio vel stabilitio & doctrinâ & praxi vers. 17. asseritur; tum, quia non solum expressè prohibita fuit additio & detractio Deut. IV. 1. & 2. verum etiam in N. T. Christus semper legem commendavit Matth. VII. 12. imò impletioni legis, si possibilis, æternæ vitæ promissionem addidit Matth. 19. vers 16. 17. Quod etiam observarunt Patres. Quod (2) concernit, nihil obtinet Grotius argumentis suis, 1. urget quod dictum sit: *Audivistis dictum fuisse veteribus, ego verò dico vobis*: quæ verba oppositionem innuant 2. quod malè vertatur: *dictum esse à veteribus*, non enim subjectivè sed objectivè esse verba accipienda, 3. quod per veteres intelligantur illi, qui tempore Mosis vixerunt, non recentiores, illi quibus lex lata fuit in monte Sinai. Verum hæc argumenta non concludunt, non 1. ab oppositione petitum; tum, quia utique oppositio instituitur in hisce verbis, sed non inter Mosen & Christum & utriusque dicta, sed inter Christum & Pha-

Locus
Matth. V.
Christum
Novum Le-
gislatorem
non arguit,

Oppugnan-
tur argu-
menta dis-
sentientis
Grotii,
Primum.

quod nobis dictum est.

& Phariseos, quod ex eo patet, tum, quia Christus non dicit: Legistis in Mose hæc & illa, quæ ipse corrigit; sed audivistis dictum veteribus; tum quia Christus, quando Mosis verba refert, utitur formula illa ἀρχαίων, sive legistis Matth. XII. 3. & 5. XIX. 4. Hic autem dicit: *audivistis*; scil. ex Magistrorum vestrorum institutione; tum, quia quàm plurima, quæ audivisse ipsos recitat Christus, non occurrunt scripta in lege Mosis, prout hoc ipsum constabit ex sequentibus. Ad 2. ^{secundam} respondetur (1) absurdum non esse, ut dicitur: Dictum est antiquis, accipere illa verba subjectivè hoc modo: *dictum est ab antiquis*, sc. Phariseis; non enim abhorret Scriptura ab isto genere loquendi. sic dicitur de Christo *visus est Simoni* Luc. XXIV. 34. h. e. à Simone, sic 1. Corinth. XV. 6. *visus est fratribus*, i. e. à fratribus (2) concessio verba hæc esse objectivè accipienda, non necessarium est, ut quod dictum est antiquis, confestim intelligamus dictum esse antiquis tempore Mosis viventibus. Cum enim Pharisei per ducentos ferè annos jam cathedram occuparint, poterant hæc dicta esse ab ipsis, etiam illis auditoribus, qui ab annis ducentis illos audierunt (3) posito etiam per antiquos intelligendos esse istos, qui vixerunt tempore legis latæ, nihil tamen concluditur, nam verba possunt ita accipi: Judæorum Magistros legis corruptores præceptis à se depravatis prætexisse hoc protemium, atque speciem conciliasse suis falsis propositionibus.

bus, ita præfando: dictum esse antiquis, præcepta hæc nō esse noviter conficta, quæ inculcent, sed vetera, majoribus olim Judæorū de monte Sinai, si non scripto, ore tamen tradita. Imò si intelligam⁹ per antiquos Israelitas tempore Moysis viventes & sequentibus seculis, per dicta etiam ipsa enunciata Moysis, nondū tamen evictū erit id, pro quo Grotius pugnat, eū dicta illo alio sensu Pharisei acciperint, & vel truncando vel addendo, vel sensum inferendo peregrinum, Moysi obloquuti fuerint. Quod (3) concernit, peccat Grotius multis modis, primò allegando locum Levit. XXIV. & Num. XXXV. quasi idem diceretur Matth. V. vs. 21. quod in locis allegatis. At primò falsissimum hoc est: tum, quia non sunt unum & idem: *qui occiderit obnoxius erit iudicio*, ut Pharisei hīc dicitabant apud Matthæum, & *qui occiderit morti traditor*, quæ verba leguntur in locis allegatis Mosais; cū obnoxius iudicio etiam ille esse possit, in cuius factum tantū inquiritur, & qui leviori aliqua pœna quàm capitali afficitur, imò qui nullā, quod etiam patet ex oppositione Christi v. 22. ubi obnoxeitatem ad iudicium tanquam minus aliquid ponit cæteris gradibus à se recensitis; tum, quia quamvis Levit. XXIV. & Num. XXXV. habetur ducendum esse homicidam ad iudices, non tamen propterea verba illa eam hīsc *Obnoxius erit iudicio*, coincidunt, quia etiam triumvirorum collegium erat iudicium, & qui coram pedaneis reus peragebatur, obnoxius

Tertium.
Discrimen
inter id.
quod dicitur
Matth.
V.

1)

Et inter
id quod dicitur
Lev.
XXIV. morti
traditor.

Obnoxius
erit iudicio.

noxius erat iudicio, tum, quia Pharifæi his
 ipfis verbis: *Obnoxium erit iudicio*, eluserunt
 vim legis, quæ urget capitale supplicium ho-
 micidæ, captantes auram popularem, pro-
 ut mores ipsorum passim describuntur, quod
 se laxarint fibulam, de rigore pœnarum re-
 miserint, & flagitiosis indulserint. Secundò
 verba ex Levitico adducta aut accipiuntur de
 percussione hominis, ad quam non sequitur
 mors nec mutilatio, nec deformitas notabi-
 lis, & notatur punitio ad arbitrium Iudicum,
 cum Vulgatus legat: *Qui percusserit homi-
 nem, punietur*; aut accipiuntur de percussio-
 ne ad mortem usque: si primum, quod placuit
 quibusdam apud Lyram, non ea, quæ apud
 Matthæum leguntur, erunt ex hoc capite pe-
 tita, cum illa agant de interfectione, hæc ve-
 rò in Levitico tantum de qualicunque per-
 cussione; si alterum, quod textus ebræus do-
 cet, Rabbi Solomon probat, Cajetanus osten-
 dit, evidens iterum est non recitari verba
 Moysis, quia habetur vox *jamath* moriatur,
 quod & Chaldæus probat & LXX Interpre-
 tes, qui legunt *Jurato Juratædo* emphaticè,
aperte moriatur. Tertiò locus Numeror.
 allegatus agit de homicidio voluntario & in-
 strumentorum aliquorum varietate recitatâ
 longè aliter pronunciat, quàm Pharifæorum
 corruptum iudicium; non tantum enim dici-
 tur talem reum fore homicidii, sed & mo-
 riturum, juxta Ebræum textum & Chal-
 dæam paraphrasin, futuro posito pro Impe-
 rativo; ut LXX exponunt similiter punien-
 dum.

Divortia
nec Mosis
nec Christi
sunt
approbata.

dum, qui lapidem jecerit, percussoris sanguine vindicandum, si ligno quis percutiat ad mortem, etsi nullus vindictam expetat, Magistratus tamen esse hoc officium. Peccat (2) quando ex Deut. XXIV. allegat, *quisquis dimiserit uxorem, det ei libellum divortii*; quasi hæc lex fuisset Mosaica, cui sese Christus opposuerit v. 31. & 32. hujus capituli Matth. Nam si Tertulliano fides, per sceleratam sive turpitudinem intelligenda erit impudicitia, ut ita Moyse hæc verba conspirent cum verbis Christi, quod tamen nolumus defendere; tum, quia verba hæc Mosis ex Deut. 24. erant hypothetica ex suppositione divortii, Pharisei autem usurpabant illa tanquam categorica, quasi sc. Moses præcepisset divortium, adeoque planè in alium sensum transferebant; tum, quia hæc ipsa verba fuerunt usurpata à Phariseis mutilatè; non enim addiderunt restrictionem illam Mosis de causa divortii, turpitudine sc., quam ipse expressit Deuter. 24. tum, quia Moses in hac lege non præcipit divortium, sed supposito illo, modum saltem præscribit, qui observandus in tali casu divortii. Et quidem ita agit, ut non tam laxet fibulam, quam coesceat incommodis annexis isti præscripto dimissionis modo. Unde Augustinus observat causam scribendi libelli fuisse, ut aliqua mora interponeretur, quo animi calor interea intepesceret, mens de malo hoc dimissionis cogitaret & ad saniora rediret; cui subservire quoque debuerint Scriptores illius: neque enim

enim permissus fuit ille libellus, ut quidpiam bonum, sed propter duritiam cordis adeoque ut aliquod malum, & in hac re juxta Augustinum lib. de Bono conjugali cap. 8. magis apparuit divortii Exprobatio, quam Approbatio. Imò, si concedatur, hæc verba esse Mosis, quibus se Christus opponat, nihil tamen obtinebitur; quia probandum est Grotio hanc legem fuisse moralem & non potius forensis sive civilem, cui Christus sese opponere potuit, quas etiam tollere in N. T. voluit. Peccat (3) Grotius allegando locum ex Exod. 20. v. 7. & Num. XXX. 2. quasi scilicet fuisset saltem perjurium prohibitum: tum, quia verba v. 33. apud Matth. saltem hoc volunt: *non pejerabis*; at verba Exod. 20. v. 7. longè latius patent, concepta enim ita sunt: *non sumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Aliud verò est saltem prohibitum esse perjurium, aliud omnem divini nominis abusum. Notanter dicitur: *Audietis, quia dictum est antiquis Græcis Πιορκῆς non pejerabis*. Πιορκῆς autem non notat profanationem Nominis divini simplicem, sed intensam, quod Syrus observavit, vertens: *Non mentieris in juramento tuo*, at longè profundius verba Mosis, ex Exodo allegata penetrant, longè magis se extendunt, longè ab hoc restricto sensu absunt; tum, quia aut Pharisei respexerunt priorem legem de juramento, aut alteram illam de perjuria. Si prius, quod vult Grotius, tunc malè prohibitio juramenti ad prohibitionem

Omnia ab-
usus divini
Nominis
legis prohi-
bitus.

folius perjurii restringitur, sub prohibitione juramenti enim etiam comprehenditur juramentum leve, temerarium, non tantum perjurium; Si posterius, tunc malè dissimulatur vis secundi præcepti, neque æquè latè patent præceptum secundum de non assumendo nomine DEI in vanum, & præceptum illud quoad primam partem Lev. XIX, 12. nec tantum dicitur: *non perjurabis in nomine meo*, sed & additur: *Non pollues nomen DEI tui*, irreverenter quocunque modo tractando; tum, quia Pharisei Scripturæ repugnabant etiam in eo, quod permetterent formulas illas juramenti per cælum, terram, Hierosolymam, caput suum &c. & pejerare permetterent per illa, ut constat ex Math. XXIII. 15. Locus Num. XXX. v. 2. & 3. Agit de voto, juramento confirmato. quod non violandum, quod à Christo non improbat, neque posterioribus hisce verbis suum opponit Salvator effatum. (2) Peccat Grotius allegando legem Lev. XXIV. 20. de talione. Nam (1) quod concernit legem talionis, non tam erat illa juris moralis, quam juris forensis & judicialis. (2) Christus non sustulit legem talionis etiam in N. T., sc. in quantum lex talionis excercetur non à privato, sed à persona publica, quæ gladium in hunc finem gestat, (3) in ipso V. T. ita lex talionis sese habebat, prout hoc ipsum constat ex Deuter. XIX. 17. & 18. Quid quod in V. T. Patriarchæ Jacobq displicerit factum Simeonis & Levi, qui propterea dixit: *Simeon & Levi*

Lex talionis à Christo non est dissoluta.

& *Levi instrumenta violentia sunt gladij sive
 negotia illorum. Non veniat anima mea in
 arcanum eorum, neque honor meus jungatur
 ipsorum congregationi, quia in irâ suâ occide-
 u. Virum, & in petulantia suâ abripuerunt
 bovem. Maledicta ira ipsorum quod fortis, &
 furor ipsorum, quod durus Gen. 49. v. 5, 6, 7.
 quid quod Ultio fuerit prohibita Levit. 19. v.
 18. & Regū Sapientissimus dixerit: Ne dicas,
 quemadmodum fecit mihi, ita faciam ei, red-
 dam isti pro secundum Opus ejus Prov. 24. v.
 29. Unde Isidorus Pelusiota hanc legem da-
 datam esse existimat Judæis, non ut veniam
 negarent, sed ut eadem, quæ agerent, perpeti
 metuentes abstinerent ab Injuriâ. (5) Pec-
 cat Author adducendo ex Levit. XIX. v. 18. *diliges proximum tuum*, hac adjectione, sc.
 Israelitam: quasi sc. per proximum ibi intel-
 ligeretur solus Israelita. Atqui hoc falsissi-
 mum esse patet partim ex ipsâ voce, quia vox
 proximi notat quemvis hominem, etiam ex-
 traneum, & à Republica Israelitarum alie-
 num. Ita vocantur Ægyptii Exod. XI. 2. ita
 Philistæi Judic. XIV. 20. partim, quia ipse
 Author restringit odium ad certas tantum
 gentes devotas excidio: At si per proximum
 saltem Israelita intelligeretur præter istas cer-
 tas gentes, licuisset Judæis quosvis etiam al-
 ios non diligere; partim, quia apertè con-
 trarium habetur Exod. XXIII. 4. & 5. ubi
 bos inimici, asinus osoris curandus, & Prov.
 XXV. u. nec Christus dextræ summam legis
 explicasset Matth. XXII. 40. Matth. V. 46.*

Proximus
 in Hebræa
 Lege qui-
 vis homo
 est

& 47. & Luc. X. 33. & 36. Quid quod ipsa recta ratio dicat, proximi Nomen non ita esse arctandū, hominem homini debere humanitatis officia. Illustria insuper possint produci Exempla illorum, qui in hostes non fuerint odio armati, sed æquiores & ad officia parati ex Plutarcho, Valerio Maximo & aliis. Num itaque Deus sub Veteri T. rigidior esse censendus erit, & quidem contra stricturas juris vel luminis naturalis? annon generale fundamentum dilectionis, in omnes sese porrigentis, quod ex eodem sanguine omnes? annon cum dicitur: *Diliges proximum ut te metipsum*, intinuat; ita nos aliis facere debere, prout nobiscum agi velimus. At hoc etiam docet insitum illud principium. Quod tibi non vis freri alteri, nè feceris. annon in illâ ipsâ lege Levit. 19. v. 16, 17, 18. adduntur, quæ universaliter illicita & prohibita, utpote detrahere, & insurgere contra sanguinem? Neque obstat, quò respicit Grotius, quod in lege illâ dicatur: *Ne ulciscitar neque itam asservato in populares tuos, ne instato contra sanguinem proximi tui*, quasi proximi tantum essent populares: Nam ut non dicamus exclusivè non loqui, sermo ita fuit temperatus ex aliis causis, tum, quia crebra cum popularibus conversatio, & consequenter etiam irascendi occasio, rara autem cum gentilibus. Hinc ille inter Romanos cum fratre litigans respondit, nihil sibi posse intercedere similitatum vel litium cum aliis, quibus cum familiam heriscundam non haberet;

beret; tum, quia ratio fuit reddita duplex non irascendi, & vincula odii mittendi fuerunt multiplicata, quia talis & proximus sit & popularis; tum, quia eo ipso, quod dictum est: *instare non debes contra sanguinem proximi tui*, non solum popularis propositus est ut non odio habendus, sub strictiori ratione, sed etiam proximus, sub illa latitudine, quæ omnes homines comprehendit. Ipse Josephus nomen proximi latius extendit lib. 2. contra Appionem & legibus sancitum esse asserit, ut peregrinis præbeatur aqua, cibus & iter comiter ostendatur, quæ charitatis sunt officia, à quibus sequioribus temporibus deflexum, ut de recutitis scripserit Juvenalis in more ipsis positum: *Non monstrare vias eadem nisi Sacra colenti*. Et Tacitus: *Fidem habere obstinatas, misericordiam in promptu, adversus omnes alios hostile odium*. (6) Peccat Author tanquam legis verba addendo: *Odio habebis inimicum suum*, & de septem populis devotis excidio explicando, nec non de Amalekitis; Nam (1) verba illa: *Odio habebis inimicum tuum*, nullibi inveniuntur in universa lege Mosis, sed merum fuerunt commentum Pharisaicum. Quid? Si verba hæc legerentur, possent intelligi de quovis hoste, cum generalia sint, & quis Grotio potestatem dedit illa restringendi tantum ad septem, illos populos & Amalekitas? Et qui convenirent hæc verba: *Odio habebis inimicum tuum* cum antecedentibus: *Diligas proximum tuum*. (2) Allegat quidem Author pro se locum

Commiserationis prohibito non est Odii præceptum.

locum Exod. XXXIV. II. 12. & seqq. nec non Deut. VII. 1. At hoc nihil ad rem. Non enim est consequens, prohibetur Israelitis amicitia cum septem populis & commiseratio illorum, E. debuerunt illos odio habere. Sanè odio habere proximum semper in vitio est, quia repugnat præcepto illi, de diligendo proximo, quod est legis moralis & perpetuæ; & medium datur inter amicitiam & inter odium, cum amicitia dicat aliquem affectum specialem animorum, conjunctionem studiorum & officiorum, inter quam & odium dilectio generalis mediat. Præterea falsum est, quod dicitur prohiberi commiserationem, non enim commiseratio prohibetur absolute, sed saltem secundum quid ratione ultionis à DEO demandatæ, prout Judex potest commiserari, & tamen ratione ultionis demandatæ non commiserari. Denique etiam Israelitis non fuit grassandum, in istos populos simpliciter ut in inimicos; tum, quia non ut inimici fuerunt habendi Israelitarum, sed DEI & Ecclesie, & hostes publici, qui sceleribus sese contaminarunt ad summum, & proinde justo DEI judicio erant excindendi, mensurâ peccatorum completa, quod concludere potuisset Author ex prædictione illâ divinâ Gen. XV. v. 16. tum, quia non privato motu erant tollendæ istæ gentes, sed publicâ autoritate, manum saltem commodantibus Israelitis, quod iterum Grotius intelligere potuisset ex tenore verborum allegatorum Exod. XXXIV. v. II. ubi
DEUS

DEUS sibi appropriat illam ejectionem & excisionem dicens: *Ego ejiciam*; tum, quia finis eradicationis fuit necessarius, non solum Ecclesiasticus, sed etiam civilis, sc. abolitio idololatriæ & fuga communionis Israelitarum cum illis, qui erant idololatræ, quod denuò colligere ex eo potuisset, *ne essent illis laqueo* Exod. XXIII. 33. & ex ipso loco allegato Deut. VII. v. 1, 2, 3, & 4. (3) Quod concernit Amalekitas, itidem nihil obtinet Author: aliud enim est mandatum de excidio Amalekitarum, aliud de odio in illos. Prius habetur Deuter. XXV. non autem posterius. Atqui excindi etiam possunt illi, quorum miseremur, quos amamus. Sic e. g. Magistratus vel in propria Republica excindit facinorosos, vel agens contra alium extraneum bello, sternit obvios gladio, citra tamen rationem odii. Si enim hic affectus intercurrat, confessim peccatur contra legem de diligendo proximo: Imò si Lictor minister justitiæ eo corripitur, peccat. Non enim odium in personas debet ferri, sed in vitia tantum illarum. Et si DEUS voluit, ut populus Israeliticus esset bene affectus in bruta, qui potuit imperare, ut hominem odio haberet ad imaginem DEI conditum? Aliud itaque est affectus internus odii, qui nunquam laudabilis, aliud effectus externus excidii, qui non excludit charitatis & condolentiæ motus laudabiles & præceptos.

Ad

Ad eand. Th.

OBSERVATIO IV.

Dum Author distinguit inter legem Moysis generaliter consideratam & specialiter, immiscet, quæ vero sunt dissona.

Legis generaliter & specialiter accepta distinctio non bene defenditur; s. ex dictorum probantium ψευδερμηνεία.

TAndem Author noster malè finit hanc thesin distinguendo legem per Moysen datam aut secundum id, quod commune habet cum aliis legibus, aut secundum id, quod legis divinæ est proprium. Nam quamvis aliquo in sensu possit concedi hæc distinctio, non tamen illam confirmat, sed potius pervertit (1) adducendo dicta Scripturæ, quæ in sensum detorquet alienum. Sic malè allegat locum ex Hebr. II. 2. per verbum enim ibidem non intelligitur lex secundum id, secundum quod aliquid commune habet cum aliis legibus, sed intelligitur lex moralis sive Decalogus secundum totum suum esse datus & promulgatus è monte Sinai. Loquitur enim Apostolus de Sermone illo, qui inter Angelos tum temporis dictus, quem Stephanus vocat λόγια ζώντα Verba Vitæ Act. VII. 53 loquitur de illo Sermone, qui factus est firmus, Effectu ipso comprobatus; loquitur de illo Sermone adversus quem prævaricatio, & inobedientia h. e. ut vult Thomas peccata commissionis & omissionis, quæ vel maximè contra id, quod spirituale in lege,

de

de quo Paulus Rom. 7. v. 14. Sic locus ille ex Hebr. VII. 16. inconvenienter planè adducitur, nam per legem illam sive mandatum carnale non intelligitur lex Mosaica moralis, sed ceremonialis, quæ præcipiebat ceremonias Levitici Sacerdotii, in quo plurima, quæ expectabant tempus correctionis. Hinc Chrysostronus, de lege ceremoniali discretè exponit, unde Retributio; illam legem servantibus lac, mel, pax, deliciae, vita longa, omnia carnalia. Imò, si Theodoro accedamus; lex ibi dicitur esse *ἐπιλογὴς σαρκικῆς* mandati carnalis, quia continebat mandatum hoc carnale, ut secundum generationem carnalem nascantur, & succedant morientibus Levitici Sacerdotes. Sic absurdè deniq; adducit locum Rom. III. Lex enim factorum ibi non notat legem saltem secundum rationem præcepti in externis occupatam, sed notat legem quanta quanta est mortalem; quod patet tum ex directa oppositione ad Evangelium sive legem fidei, tum ex exclusione glorificationis, quæ non sita fuit in externa qualicunque observantia, tum ex phrasi Scripturæ, quæ legem operum sive factorum, non accipit de qualicunque externa observantia, aut lege illam tantum urgente, sed de lege illâ, quæ primum interiorem affectum requirit, & ex illo opera externa. (II) Peccat Grotius, quando dicit legem divinam secundum id, quod legis divinæ est proprium, requirere etiam mentis puritatem & actus aliquos, qui sine poena

II. Ob textum minorum amphiboliam,

temporali omitti possunt. Nam hoc dupliciter intelligi potest: aut de qualicunque puritate, aut de puritate summi gradus, qui cadere potest in humanam naturam. Si de priori accipiat, errat Grotius, nec totum dicit. Si de posteriori, rectè quidem sese res habet, verum verba nimis generaliter sunt concepta, & hic iterum cespitat, dicendo legem ea ratione vocari spiritualem Rom. VII. quanta quanta enim est, spiritualis est. Quamvis enim etiam exigit actus externos, non tamen quocumque modo exigit, sed ut procedunt à radice sanctitatis internæ, adeoque in spiritualitate cum internis communicant. Errat adducendo dictum ex Psalm. 19. ubi de lege dicitur, quod exhilaret animam. Non enim hoc ipsum de lege dicitur exclusivè ad Evangelium, sed de toto verbo divino, & præprimis de Evangelio (III) Denique errat Grotius, quando dicit Legisperitos & Pharissos fuisse priori parte contentos, scilicet legis; & quod secundam partem concernit, nempe id, quod legi divinæ qua tali est proprium, commendari aut præcipi quidem illos spirituales habitus, illas virtutes, sed non æquè Hebræis & in tanto gradu quo Christianis, atque hoc sensu perfectiore opponere Christum sua præcepta veteribus. Nam (1) quicquid Grotius dicat de Josepho & Hebræorum Magistris, nunquam poterit ostendere, Pharissos & Legisperitos, cum legem explicarunt populo, explicasse illam sub ratione illa generali, secundum

III. Ex
Confirmatio-
nis in-
firmitate.

Ostenditur
non Poli-
tice Phari-
ssos aptas-
se legem
sed religio-
si.

dum quam ceteræ quoque leges cum illa conveniunt, & graviora delicta pœnarum aspectabilium formidine coercentur, juxta illos. Hoc enim non tam est officium Theologi & Doctoris Cathedrarii, quàm Magistratus & Politici. Quanquam enim non intimum nucleum aperuerint legis Pharisei in explicatione sua, tamen legem explicabant sub ea ratione, sub qua faciebat, aut facere debebat ad religionem. (2) Falsissimum est legem in quantum est lex divina & spiritalis non tantum exegisse ab Hebræis, quantum à Christianis. Lex enim moralis est immutabilis, semper sibi constans, & quod semel exigit semper exigit, quoque in gradu aliquid requirit, illud uniformiter observat, & quod perfectissimam conformationem hominis cum DEO exigit, quomodo aliquid majus sub N. T. exegisse dici poterit, cum perfectissimo nihil detur superius, nihil perfectius? (3) Peccat, dum ex falsa hypothesis concludit; nempe: Christum præcepta sua opposuisse veteribus utroque sensu, neque hæc verba tantum continere interpretationem legis; tum, quia Christo affingit hæc præcepta quædam peculiaris Mosaicis opposita; tum, quia fingit utroque sensu opposuisse, nempe etiam legi divinæ quæ divinæ, qua spiritali sua præcepta, quod absurdissimum, Verum enim vero consonat & spirituale spiritali, nec opponitur; tum, quia falsum est Christum non interpretem egisse Mosaicæ legis; verum enim sensum aperuit

In eodem gradu lex à Christiano & à Iudæo exigit.

Præcepta Christi non sunt opposita Veteribus.

& vindicavit absterfis glossis Pharizorum,
ut constat ex antecedentibus.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO I.

Quanquam thesin suam commo-
dè Author stabiliat, dictum tamen
ex Psalmo secundo inconvenienter
etiam de Davide accipit.

JAM Author decurrit ad probationes pro
jure belli ex Scriptura, in quibus quædam
probari possunt, quædam improbanda ve-
niunt, quorum illa admittenda, hæc vindican-
da. Dictum I. ad Timoth. II. non malè
explicavit.

Nec malè adducit Author locum ex I. ad
Tim. II. adjuncto loco ex Rom. XIII. verùm
errat in eo, quod dicit in Psalm. II. loco huic
illuſtrando ſervire id, quod de Regibus di-
citur, qui Psalmus veritatem suam habuerit
in Davide, plenius tamen & perfectius in
Christo. At sicut concedendum est Gro-
tio, locum illum illustrare, & maximè etiam
probemus verba Augustini, ita malè dicit
Psalmum istum habuisse veritatem suam
in Davide, perfectiùs autem in CHRISTO.
Nam exclusivè agit iste Psalmus de Messiâ,
plane veritatem suam non habuit in Davide,
& solitariè agit de Christo. Quod patet tum
ex eo, quia huic Regi in hoc Psalmo tribui-
tur

Psalmus H.
in Davide
veritatem
non habuit,

tur dominium in omnes gentes & in fines Orbis terrarum v. 8. At imperium Davidis exiguis Judææ finibus fuit terminatum; tum ex eo, quia præcipitur ut omnes Reges & quidem in perpetuum sine ullo fine huic Regi sese submittant v. 10, & 11. tum denique, quia promittitur salus & beatitudo omnibus illis conferenda, qui fiduciam suam in hoc Rege collocent, & è contrario maledictio æterna, qui ei parere recusent, atque ita iram ejus in se concitent *ps. 11.* Maledictus autem est, qui in homine fiduciam suam collocat, neque beatus dici potest, qui in Davide spem mentis suæ reposuit. Quum verò dicitur: *Osculamini Filium.* Malè hoc Grotius exponit in Commentario, ac si David hoc voluisset. Vos alii vicini Reges interfectorum Regum exemplo territi in tempore, venite ad fœdus obsequiosum. Beati omnes, qui fidei meæ se permittunt. Non enim hic agi de Osculo Davidi deferendo ex dictis constat: cum Psalmus agat de Messia, per Filium hic intelligatur Filius in æternitate genitus, ex quo superior eminentissimo creaturarum Ordini, ipsis angelicis spiritibus *Ebr. 1. v. 4. & 5.* quamvis autem Psalter referat hæc verba ad Filium Dei consubstantialem non tamen agunt illa directè de submissione ad fœdus obsequiosum, sed latriam & cultu divino illi deferenda, ut partim vox ipsa docet, quæ ita usurpatur *1. Reg. 19. vers. 18,* partim usus & consuetudo illorum, qui extra Ecclesiam, atque hoc modo Deastros suos ve-

Osculum
Veneratio-
nis & cul-
tus argu-
mentum.

nerabantur, quod Jobus indicat, dicendo cap. 31. *¶* 26, 27. *Si vidi Solem cum fulgure & Lunam incedentem claram & letantem est in abscondito cor meum & osculatus sum manum meam ore meo.* Quamvis enim sint, qui de lætâ fortunâ hoc accipiant, quos, dum quis suæ industriæ tribuit, manum suam osculari dicitur, tanquam fontem tanti boni, & juxta Gregorium, qui laudat, quod facit, & testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operationis, manum suam osculari dicatur; nihilominus alii Interpretes de protensione manus religiosâ è longinquo & osculo illius luce cœlesti perfusæ accipiunt, imò ipse Grotius de subreptione opinionis, quòd Sol & Luna summi Dii, rerumque arbitri, animus adorandi quibus debeatur; partim Interpretes orthodoxi, inter quos D. D. Geierus hîc omninò videndus.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO II.

Rectè concluditur ex Rom. XIII. & licere Magistratui fontes occidere & contra externos bello uti.

Ius gladii
ex Rom.
XIII. foli.
de adstrui.
tur;

NOtandum est Authorè rectè concludere ex Rom. XIII. quod scil. potestas summa sit Ordinatio DEI, & gladium non frustra gerat, quapropter illo uti possit tum in facinorosos subjectos, tum in extraneos bello ar-

lo arcendos. Quamvis enim primò & directè agatur de jure gladii in subditos, ut sequentia docent, consequenter tamen etiã agitur de jure gladii in exteros, à quibus defendendi sunt subditi, & à quorum incurfionibus liberandi.

Photiniani quidem cum Anabaptistis eludere Contrad-
cunt Pho-
tiniani ac
Anabapti-
sta- tentant hoc oraculú excipiendò: non haberi híc mandatum, sed narrationem, quid fiat à potestate summâ, (2) de infideli Magistratu

loqui, cui ferre leges non fuerit vocatlonis Apostolicæ, nihil commemorari quod attineat Christianos, (3) non exprimi pœnæ modum, posse Magistratum gladium gerere citra effusionem sanguinis, esse figuratam phrasin, quæ non plus notet, quàm severam pœnam, aut etiam gravem discordiam Matth. X. 34. alioquin omnes facinorosos sine discrimine capitali supplicio fore afficiendos.

Verùm hæc frustra opponuntur. Nam (1) Itorú Ob-
jectionis
satis sit.
Primg. utut præceptum expressum híc non legatur, tamen implicitum habetur; tum, quia dicitur **Ordinatio divina; Institutio autem divina obligat ad vibrandum gladium; tum, quia Magistratus dicitur minister DEI; minister autem obligatur ad executionem mandati principalis sui; tum, quia dicitur, Magistratum frustra gladium non gerere: quod potest accipi vel ita, ut vox eiuſ notet temerè, & sensus sit: non gerit temerè sine vocations, prout accipitur ad Coloss. II. 18. aut ita, ut notet frustra, ut sensus sit: non gerit frustra sine fructu, vel etiam usu; non enim frustra gladium gestat Magistratus, sed ut eo utatur,**

ut stringat illum in malefactores, atque ita Republicæ Bonum conservet. Prout vox hæc accipitur I. Cor. XV. 2. & Syrus eo respexit, qui vertit *inaniter*. Grotius in Commentario addit: *ὁ γὰρ εἰς τὴν ἐστὶν ἀλόγιος, pro gravi de causa gladium gerit, in Thalmudicia frequens illud est de Rege Hebræo: Rex, qui portat gladium. Id recte aptat ad Reges omnes: par enim nunc omnium jus, & Romani Imperatores pugionem gerebant, quod jus vita nunc eius civium interpretatur Tacitus historiarum.*

III. Licet illis interficere, quod aliis non licet. Irenæus v. 24. Et propter hoc ipsi magistratus indumentum justitiæ leges habentes, quacumque juste & legitime fecerint, de his non interrogantur, neque pœnas dabunt. Quocumque autem modo accipiatur habebimus intentum.

Ad (2) respondetur (1) Paulum generaliter loqui de Magistratu in genere citra discrimen fidelitatis vel infidelitatis, (2) ideò de infideli Magistratu loquitur, si hoc ponamus, quia tum temporis non nisi infideles erant, præprimis si de summis potestatibus sit sermo, generale autem officium exprimitur (3) utiq; scribit talia, quæ Christianos attinent; Scribit enim ad Christianos, informat illos, & cum dubitarint, num tantis monstris subesse debeant, dicit omnem animam subesse debere potestati supereminenti. Ad (3) respondetur nihil id facere contra propositum argumentum; tum, quia non opus erat specialem modum pœnæ exprimere, modo generali in voce gladii probato; tum, quia phrasis hæc

utur.

Secunda.

Tertia.

utut sit figurata, non tamen notat saltem severitatem poenæ, sed etiam jus gladii, quod ad Majestatem & honorem tuendum, & puniendos maleficos requiritur. Hinc etiam Romanis Potestatibus prælatæ secures in fascem Virgarum colligatæ, ut indicaretur Virgas corrigibilibus, secures ad plectendum morte incorrigibilibus imminere. neque locus ille Matth. X. huc quadrat, non solum quia confestim explicatur, quid gladius ibi significet v. 35. sed, quia etiã in illo loco gladius non potest significare poenam politicam, nec locus parallelus est, cum alias consequens foret sensum hujus loci esse: Magistratus non frustra gerit dissidium; tum, quia non est consequens omnes esse capitaliter plectendos, si jus gladii hinc exprimatur, ita enim exprimitur, ut modus exercitii prudentiæ summæ potestatis relinquatur, quæ attemperat poenas delictis, supplicia culpæ, non æqualiter, sed per proportionem.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO III.

Utut de Sergio constet illum fuisse conversum, fabulosum tamen est illud de Abgaro Rege Edessenorum, scribitur.

UT Photiniani errant circa hoc dictum, ita ipse Grotius non satis caute agit adducendo exemplum Edessenorum

Sergius
quis?

rum Regis, quem putat fuisse Christianum, præmittitque illi Sergium, qui juxta quosdam fuit de familiâ Sergia, cujus Auctor Sergestus Comes Ænez, membrum L. Sergius Catilina, vocatq; illū Proprætorem, non Proconsulem, ut Vulgatus & Erasmus; cùm Cyprus non fuerit Consularis, sed prætoria provincia, teste Strabone. Favere tamen illis videtur vox græca, sed agnoscit ipse Author Catachresin in Commentario, quem conversum fuisse ad Christianismum laudatus ab illo versiculus docet; de posteriori autem audacius paulò pronuntiavit & citra basin solidam. Nititur enim hoc ipsum illâ Epistolâ Christi, quæ fingitur ad Abgarum Regem hunc Edessæ missa, atqui illa supposititia ut imago, quæ etiam fingitur ad ipsum translata, de quâ Baronius, cui Casaubonus satisfecit; quod probatur tum ex eo, quia etiam ipso Melchiore Cano teste historiam Eusebii apocrypham idèò judicavit Ecclesia, quia in primo libro refert Eusebius Epistolam ad Abgarum scriptam, quam Gelasius explodit; tum, quia Erasmus in Epistola ad lectorem præfixa Tom. 4. Operum Hieronymi, ostendit factum hunc esse subventaneum; tum, quia ipse Costerus alias pronus ad superstitiones, & homo Pontificius ordinis Jesuitici, litteras has nunquam pro genuinis ab Ecclesia agnitas statuit, in Enchiridio suo c. 7. & Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 34 ingenuè fatetur. Epistolam Christi ad Abagarum nunquam fuisse

Epistola
Abgari est
subventane
vca.

fuisse admiffam ab Ecclefia inter Scripturas Canonicas, inter quas fine dubio admiffa fuiffet, fi ab ipfo Domino fcriptam fuiffe conftitiffet.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO IV.

Potestas supereminens Paulo concretè dicitur.

Denique Grotius ambiguè loquitur, quando dicit non de personis quæri, an impie fuerint, sed an functio in illis impia fuerit, & negari ab Apostolo functionem esse impiam, quia à DEO instituta. Atqui, si hoc intelligit de dicto Pauli, quod se, Apostolus agat ibidem non de Principibus aut Regibus, sed de functione saltem & munere, quod agat de potestate in abstracto, non in concreto, imprudenter nimis & oscitanter circa locum Pauli versatur. Nam per potestates ibi intelligi Reges potestate instructos, vel illos, quibus Imperium competit, liquet tum ex eo, quia de tali potestate loquitur, quæ gladium gestat, & cui tributa solvuntur, vers. 4. & 6. ad quam propterea provocavit Paulus Act. 25. v. 11. Atqui talis potestas non est potestas in abstracto, & muneris forma, sed in concreto. Principes enim gladio sunt armati, illis tributa penduntur. Apostolus notanter dicit: Cæsarem (non potestatem in abstracto) appello; tum
ex

Rom. VIII
potestatem
in Concre-
to Aposto-
lo accepit.

ex eo, quia aliàs si Apostolus hoc voluisset singulari fuisset usus & dixisset: *Omnis anima potestati supereminenti sit subiecta*; At non ita loquitur, sed ut concretum innuat, dicit potestatibus supereminentibus in plurali; tum ex eo, quia Apostolus Petrus explicat, quid per potestates supereminentes intelligatur I. Epistola c. 2. dum ponit concretum Rex. Et quàm facillè posset aliquis ita insurgere contra Reges & Principes, dicendo, se venerari quidem potestatem illam in abstracto, recalcitrare autem personæ, sive subiecto illius. Neque obstat ipsa vox, quæ videtur pro Grotio stare, nam vox etiam *tyrannia* sive potestas usurpatur pro subiecto potestatis, pro Regibus & Principibus, ut patet tum ex Sacris Luc. XII. 11. tum ex illo Suetonii in Claudio: Jurisdictionem per provincias potestatibus demandavit; tum ex usu loquendi recepto apud Italos hodierno, qui Præsides loci ex veteri lingua Potestates appellant, observante Marco Antonio de Dominis.

Ad eand. Th.

OBSERVATIO V.

Argumentum tertium ex Luca cap. 3. depromptum miscet putamina bæcis & plenius est vindicandum.

Johannis
ad milites
orationem
ad Christia-
nos quoq;
retinere?

IN argumento tertio petito ex Johannis Baptistæ verbis non est nervus contemnendus. Tangit autem (1) Grotius Photinianos,

nianos, qui respondent ad locum objectum verba Johannis ad Christianos non pertinere, quia ille non fuerit lux illa, quæ nos illuminare debuerit, sed Christus, nec Evangelii, adeoque novi vivendi generis autor. Verum respondet ad hanc exceptionem Photinianorum Grotius rectè quidem, quod Johannes & Christus eodem exordio doctrinæ, quam asseruerint, summam indicarint, verum malè deinde addit: (1) Christus regnum cœlestis h. e. legem novam dicit cœpisse invadi à diebus Baptistæ Johannis: neque enim Christus neque Johannes legem novam protulerunt, neque per regnum cœlestis lex nova intelligenda erit, sed regnum gratiæ; sub majore mensura & amplitudine. Nec probari potest Christum respexisse ad illum modum loquendi, qui Hebræis fuerit familiaris. Errat (2) quando dicit, Johannem nunquam distinguere Christum à se præceptorum discrepantia. Neuter enim præcepta eo sensu in medium protulit, sed conspirarunt in doctrina. Quapropter longè melius respondetur Photinianis, simpliciter negando, verba Johannis ad Christianos non pertinere. nam quamvis non fuerit ille lux vera, quæ illuminat totum mundum, fuit tamen lucerna præluces, præcursor Domini, qui viam paravit; absit autem, ut statuantur præcurso-rem Domini contraria tradidisse Domino, approbasse quod principali displicuerit. Putida itaque & in fraudem Veritatis conficta sunt illa Photinianorum scribentium: *Ani-*

Conten-
dunt Pho-
tiniani.

Refellun-
tur rationi-
bus.

Regnum
Christi nō
est lex no-
va.

Johannes
nullū præ-
ceptū pro-
tulit.

madver-

inadvertendum hoc loco est, quamvis pœnitentia disciplina non minimam Johannis Baptistæ officij partem contineret: nequaquam tamen tam satis ab illo fuisse explicatam, aut tam perfectè traditam, ut omnia, quæ ad Christianam pietatem constituendam sunt necessaria, ex illa hauriri possent. Neque enim ad percursorum pertinebat, illud sibi assumere, quod ejus erat proprium munus atque officium, cui præcurrebat, viamque muniebat: Christus namque is erat, qui absolutam omnibusque suis numeris expletam pœnitentiæ doctrinam hominum generi traditurus esset. Quæ tamen tam sine prævia animi probitate, ut suo loco docebimus, nec satis percipi, nec præstari possent; Consentaneum DEI bonitati sapientiæque erat, ut ipsius jussu atque impulsu divinus iste præcursor fundamenta quadam salutaris disciplina jaceret hominumque mentes ad studium probitatis excitaret, & sic ad Christi instituta tam rectè intelligenda, tam alacriter exequenda prepararet. Tum, quia perfectam utique pœnitentiæ disciplinam tradidit, qui ut ipsi Photiniani concedunt, perditos multorum mores acerrimè reprehendit, & ut dignos verâ pœnitentiâ fructus in posterum ederent, admonuit, & singulos ab eis rogatus, quâ ratione vitæ instituenda esset, erudiit, & sic multos de filiis Israel ad Dominum DEUM ipsorum convertit; tum quia, si comparatur pœnitentiæ doctrina Johannis cum Christi, potius dicendū austeriorem & rigidiorem illam fuisse, eâ quàm Christus urisit, ut constat ex

Matth. XI.

Matth. XI. v. 14, 15, 16, 17. adeoque omnibus suis numeris expletam; tum, quia poenitentia non supponit præviam animi probitatem, nec præcursor Johannes salutaris disciplinæ fundamenta jecisse dici potest; cum non tantum supponatur imperfectæ poenitentia illum fuisse præconem, sed & absurdissimè arbori malæ ante conversionem tribuantur fructus boni contra Enunciatum Christi Matth. VII. v. 18. (3) Dissimulat, quæ Krasni argumenta; Erasmus huic argumento opposuit, quæque hîc diluere debuisset Grotius, qui reposuit: Johannem hæc non dixisse Christianis, sed potius gentilibus, aut certè profanissimis Judæis. (2) Bellasse Judæos legi, stipendia autem meruisse sub alienis Ducibus non legi (3) bellasse Judæos sed jussu Numinis, Christianos autem non habere jussum Christi, sed potius oppositum. Dixisse itaque juxta Theophylactum hæc militibus, non ut ea servantes benè, sed ut minus malè viverent. Verùm ad hæc respondetur & quidem ad (1) Inervatus prima. non posse probari illos, quos allocutus fuit Johannes fuisse Gentiles vel profanissimos Judæos, & dehortatum ita esse saltem illos, ut minus mali essent. (2) Posito quod Gentilibus hæc dixerit Johannes, multò magis hoc ipsum dictum erit Christianis, quorum vita debet esse illustrior vitâ Gentilium, (3) qualescunq; fuerint, venerunt ad Johannis baptismû, resipiscentia omnibus commendatur, nec excipiuntur milites, aut admittuntur nisi sub conditione depositi balthei, abjecti clypei

Secundum

Judei stipendia sub Græcis & Romanis Imperatoribus fecerunt.

pei, soluti militaris cinguli. Ad (2) respōdetur posito ita sese rem habere, sequeretur saltem militiam mercenariam non posse probari, quid verò fiet, si defendenda civitas contra incursiones hostium, si Respublica nequit conservari, nisi vi oppositâ armis adversantibus: (2) Falsum est aliis Principibus non militasse Judæos; militarunt enim Xerxi, Alexandro M., ut docent Chæzili versus, quos Josephus producit, ut constat ex Hecato; Antiocho, Demetrio, Ptolomæis; Pompejo, Romanis; prout hoc ipsum constat ex Josepho, Appiano, Eusebio & aliis. Hinc Grotius existimat hos *σπαρτομύηστο* sive *σπαρτωτάς*, ut Salmasius cum Beza exponit, aut Herodi, aut Philippo, aut etiam Romanis militasse. Cum Romani Judæam partim suo, partim Sebasteno, partim Cæsariensi milite custodierint juxta Josephum sine 19. Originum: Cæsarienses verò Judæi fuerunt. Alii verò volunt militasse partim sub Herode Antipâ contra Aretam Regem Arabum; partim sub præfecto templi, partim sub Pilato Præside Romano, paria habet Ludovicus Wolzogenius Socinianus in Commentario. (3) Si quando alienis Principibus noluerunt militare, causa fuit non ipsius belli, tanquam rei illegitimæ, averlatio, sed cultus Judaici sufflaminatio. Qui enim sunt sub alieno arbitrio, illi suis sacris non possunt ita defungi, ut volunt. Audiamus hic iterum Grotium hanc causam exponentem, cui & alias addit, scribens: *Ut militiam in profidiis non desu-*
giant

giabant Judæi, ita expeditiones sequi salva religione vix poterant: Quia Sabbatho ferrè arma & magna itinera facere per legem vetabantur: adde quod permixti externis vix poterant observare traditam victus rationem, quæ duas causas à Judæis obtendi solitas ad impetrandam dispensationem liquet ex Dolabella literis ad Ephesios, quæ apud Josephum extant. Qui & à L. Lentulo Judæos religionis causa missionem impetrasse narrat. Alia causa quæ interdum Judæos à militia arcebat hæc erat, si adversus populares essent pugnaturi; Nam κατὰ τῶν ὁμοφύλων ὄπλα λαβεῖν ἀξιοῦσιν, inquit idem Josephus. Ad (3) respondetur (1) fallum esse, & supponi, Christianos contra CHRISTI jussum belligerare, nec dicta quæ Matth. V. leguntur, huc quadrant, ut constabit ex sequentibus. (2) Si esset contra Christi voluntatem, etiam veteres Christiani abstinuissent; atqui contrarium constat ex Historia legionis Thebææ sub Marco Aurelio, ex Tertulliano in Apologetico cap. 5. ex Basilio, qui refert multos Sanctorum fuisse in castris Gentilium in Oratione de laudibus 40 militum Martyrum ex Augustino & aliis. (3) Quomodo contra voluntatem Christi hoc esse potuit, cum ille nihil immutarit circa dictum hoc, nec reprobarit effectum illud Johannis, sed passim ad ipsius enunciata provocarit. Frustra itaque producitur Theophylactus. Nam dictum hoc esse militibus, tantum ut minus malè viverent, textui adversatur. Dixit Johannes: *Facite fructus pœnitentia*

Tertium.
Bellum nõ
contravenit
mandato
Christi.

sentia dignos; arbor non faciens fructum bonum in ignem mittetur: hoc fulmen cum uffisset, corda penetrasset. quærunr, ut publicani, milites: quinam igitur fructus boni? quid faciendum? informat itaque illos Johannes non de minus malis, sed bonis fructibus, & si probandus hic est Theophylactus, probandum quoque erit Turbam adventantem fuisse innocentem ad opera bona, ut ille sensit contra Effatum Johannis versiculo hujus capitis septimo.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO VI.

Non satis validum argumentum illud negativum est, quod quinto loco Author producit.

IN hac thesi quædam minutiora occurrunt tangenda; utpote illud, quod in quinto argumento ponit legem sc. forensis durasse usque ad Reipublicæ destructionem, Christum nec Apostolos unquam de istius cessatione locutos, nisi quatenus id comprehensum videri possit in Reipublicæ destructione: quod, qua ratione possit subsistere, superius expensum est, ubi de abrogatione hujus legis etiam actum. Quod dicit: quædam fuisse permessa ante Christi tempora, etiam quoad animi puritatem, quod admitti nequit: nam saltem impunitatem in foro externo habebant, qui vel uxorem repudiabant,

Rad: m a-
nimi puri-
tas an: c
Christum
est exacta,
quæ debe-
tur post i-
1 n.

bant, vel aliquid aliud agebant dissonum re-
 ctæ rationi, neq; propterea magis fuit inten-
 sa Puritas illa sub N. T. quàm sub V. Addit
 Paulum dicere summum Pontificem esse con-
 stitutum, ut judicium ferret secundum legem
 Moyſis Actor. 24. vers. 3. in quâ citatione
 mendu-ⁿ forſan typographicum, cùm illud
 legatur Actor. 23. v. 3. At verò hîc ſeipſum
 ferire Grotius videtur: pugnat enim pro po-
 teſtate belligerandi, pro jure gladii. Ipſe
 autem cenſet judicia capitalia, jam tempore
 Chriſti ceſſaſſe, & ad verba illa Judæorum
 ἡμῖν ἔ ἐξῆς ἰδοὺ οὐκ ἔστιν ἔδρα, nobis non licet
 interficere quemquam Joh. 18. v. 31. ita com-
 mentatur: *Tacite innunt Jesium tantorum*
criminum teneri, ut omnino morte luenda
ſint. Id autem non erat ipſorum poteſtatis.
Nam ſi qui aliquando à Judæis ſunt interfe-
cti, id factum eſt motu populari, quanquam
interdum præjudicium quoddam interceſſerat
Senatus eos reos declarantiſ. & ad Matthæi
cap. 5. ejuſque verſiculum vigefimum ſecun-
dum laudat Thalmudicos, qui titulis de Sy-
*nedrio & de Sabbatho dicant: *Judicia ani-**
marum, id eſt capitalia ablata fuiſſe a Senatu
magno quadraginta annis ante excidium Ur-
biſ. Quamvis autem hæc non probemus,
 nec ex vero dicta eſſe exiſtimemus per ea,
 quæ in contrarium diſputat Richardus Mon-
 tacutius Originum Eccleſiaſticarum Tomo
 priori partis poſterioris, numero 77. & B.
 Hülſemannus in Harmoniâ numero 140.
 huic tamen argumento, quod hîc producit

Grotius à
 ſeipſo dif-
 ſentiens in
 eo.

Negativa
refellitur:

bellum indicere luculenterprehenditur. Hinc ipse limitare cogitur nimis laxè dicta, scribendo ad locum Actor. 23. *Mansisse legem judicalem, quamdiu manserit Respublica & secundum illam judicare debuisse Ebraeos iudices intra eos cognitionis limites, quos Romani ipsis concedebant.* Secundò nititur fundamento valdè lubrico verbis scil. illis Pauli: *Tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti:* quæ verba quidam accipiunt non de illo, quod jure vel actu competierit Pontifici Ananiæ, sed de facto, quod sibi arrogarit, cum Senatus & Paulus hîc non convenerint, ut iudex & reus, sed ut duæ partes adversæ & litigantes coram Claudio Lysîa Judice, qui eum eripuerat Judæorum furori, flagris in ipsum inquisiverat, & postremo die inter Senatum & Paulum confrontationem instituerat: jussit itaq; Pontifex percutere Paulum non vi potestatis cujusdam judicialis, sed ex Intemperie quadam & Impotentiâ animi. Tertiò oppositum colligunt quidam ex versiculo quinto, dum dicit Paulus: *Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum,* hoc enim pronunciasse, non quasi ignoraverit hunc Ananiam filium Nebedæi se venditare pro Pontifice, sed quod reprobarit Principem in Ordine Ecclesiastico, neque agnoscere voluerit illum ulterius, quia Sacerdotium vetus cessarit Ebr. 8. quò collimant Beda, Rabbanus, Salmeron Gagnejus, nec non ut familiarem ipsi laudemus, Daniel Heinsius, cujus sunt sequentia:

Ego

Ego nec iis assentiri neque cateris possum Theologis, qui in his & similibus Paulum humanitatis quid passum volunt, & ut ipsi loquuntur τῆς χάριτος ἐκ ἀπολαύσεως, sive destitutum à gratia fuisse, qui nec voluisse Apostolum, quod volunt, existimo. Ut cum sciret, scilicet Pontificem fuisse summum, id dissimularet; Constat enim tantam tum fuisse ἀναρχίαν, ut in diem quasi essent Pontifices, aut non essent; qua confusione ut nil fœdum, ita nihil justum; postquam factione summorum quoque Sacerdotum & mendaciis damnata veritas, damnata Patrum spes, damnatus esset summus omnium Sacerdotes. Paulum ergò ut acerbè ita verè quod sentiret dixisse: nesciebam esse vel adesse Pontificem. Quæ mens perspicua & clara, nec repugnant Græcæ. De loco Matthæi quinto quæ annexit, caduca sunt. Loquitur enim Christus principaliter de lege morali, partim, quia connectit cum illâ Prophetas, partim, quia hanc complevit sincera explicatione & vindicatione à corruptelis Phariseorum, deinde præstatione obedientiæ. quæ illi debebatur Rom. 8. v. 3. partim, quia in sequentibus agitur de præceptis legis morali, quæ contra Phariseos stabilit.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO VII.

In argumento undecimo Author incommodè loquitur.

Non satis dextrè Author in argumento undecimo dicit: Christi legem solam

Malè dicitur Christi legem sustulisse legem Moysicam.

legem Moſis, quæ gentes ab Hebræis ſeparabat, ſuſtulſiſſe. Malè, quia Chriſto nulla lex comperit, quia inſuper maceria illa rupta non fuit lege Chriſti, ſed adventu in carnem & propagatione Evangelii ad extraneos quoque. Locus ex Ephęſiorum capite ſecundo adductus in tantum concludit, in quantum quæ honeſta ſunt, non ſublata eſſe adventu Chriſti oſtendit; directè verò agit de lege ceremoniali illa enim paries intergerinus, qui ruptus præmiſſo ſigno in aulæo templi, de quo Matth. 27. v. 51. illa inimicitiiſ occaſionem dedit inter Judæos & gentes, de quo Act. 10. v. 28. illa denique fuit lex in ritibus poſita, de qua Eb. 10. v. 1. remittimus iterum ad Bezam, qui ſic ſcribit in Notis majoribus: *Legem quidem in genere Chriſtus pro nobis implevit, ſed non ut illam irritam faceret, ſicut mortem & peccatum deſtruxit. Nam ceremoniali quidem legem ſic abrogavit, ut in ipſam pro umbris ſubſtituerit: & quod ad moralem legem attinet, liberavit nos quidem ab eius maledictione, ſed tantum abſuit ab eo ut illam collet, ut è contraxio nos juſtificatos, id eſt ab illa legis condemnatione aſſerens, ſanctificet, id eſt, illum pro viribus præſtande ſtudio nos donet, ſicut paſſim docet Apoſtolus, & quidem Rom.*

6. & 7.

Ad

Ad Th. VII.

OBSERVATIO VIII.

Jure singulari bellum gesserunt
Israelitæ adversus Chananzos.

RECTÈ Author statuit non unam belli causam esse & ante tempora occupandæ terræ Cananzæ pios rationis ductu, melius forsan revelationis, quæ in arduis negotiis suscipiendis illos animabat, bella gessisse, & postea aliis quoque de causis. De jure autem belli Israelitarum adversus Chananzos disputari potest, an ex solo titulo mandati divini pependerit, nec ne? Sunt, qui existimant jus aliquod accrevisse Israelitis ex scelerum mensurâ & impietate Chananzorum, de quo Gen. XV. v. 16. & Levit. XVIII. vs. 24, 25, 26, 27, 28. titulo repetundarum; Semi enim posteros Majores Judæorum ex hâc ipsâ Regione vi ejecisse olim Chananzos, atque ita jure repetiisse veterem possessionem & hæreditatem. An autem hæc sufficiant dubium esse potest. Primæ enim causæ opponi potest, quod non confestim populo in populum jus aliquod competat, si alter sit sceleratus, cum & potestas summa populi impientissimi immediatè subsit DEO vindici & admittens hâc licentiâ societas humana in discrimen adduceretur, nec ita invadere tantùm potuerint Israelitæ Chananzos, sed & alios populos æquæ vitiis contaminatos, ipsique

Ius Israelitarum ad bella Cananza deducendum est non ex scelerum mensura. Nec ex titulo repetundarum.

que Israelitæ non fuerint integri vitæ scele-
 risque puri, tum in Ægypto, tum in deserto;
 Alteri verò, quia tractus annorum 500 &
 quod excurrit, illam elidat, possessio quieta
 per aliquot seculorum decursus, quæ si non
 obtineret, ut alibi Grotius loquitur dominia
 rerum semper essent incerta & fluctuarent
 in Salo immenso controversiarum; plures et-
 iam fuerint Semi de stirpe nepotes præter
 Mraelitas in Oriente, qui pari jure, parique
 titulo potuissent repetere occupatas sedes: e-
 rant enim Semo filii Elam, Assur, Arphaxad,
 Lud & Aram Gen. X. v. 22. unde Persæ, Af-
 syrii, Chaldæi, Lydii, Syri. Hinc etiam con-
 questi sunt Chananæi de injustitiâ armorum,
 quæ moverunt Israelitæ apud Procopium li-
 bro de Bello Vandalico, Evagrium lib. 4. cap.
 18. & passim Gentiles, Alexander Polyhistor,
 Tacitus, Justinus, Strabo illa improbarunt;
 ipsi denique Manichæi apud Epiph. hæresi
 66. Quapropter ad authoritatem & volunta-
tem divinam solam videtur recurrendum,
 quæ nulli controversiæ obnoxia, DEUS enim
 per populum aliquem alterum evertere jure
 potest, & manu nunc uti hâc nunc illâ, nunc
 hoc, nunc illo ministro justitiæ: DEUS prædi-
 xit se vindicaturum iniquitates hujus populi
 Genes. 15. DEUS præcepit & jussit occupare
 hanc terram Josuæ I. v. 2. & 3. qui, si nulla
 fuisset causa ex parte Chananæorum jure su-
 premi Domini potuisset bona hujus terræ
 transferre à possessoribus ad alios Dan. II.
 v. 24. Colligitur hoc primo ex Scriptura quæ
 osten-

Sed ex fo-
 lã DEI au-
 thoritate.

approbatur
 calculo
 scripturæ,

ostendit voluntatem divinam. Dicit enim Dominus Josuz I. v. 2. *Surge & transi Jordanem istum, tu & omnis populus tecum in terram, quam EGO dabo filiis Israel;* ubi vox Ego juxta Masium emphasum habet: Docet Israelitas ad hoc jus provocasse, ita enim Jephthah Judicium XI. v. 21, 22, 23. *Tradidit Dominus Sihonem Regem Amorrhæum in manus Israel cum omni Exercitu suo, qui percussit eum & possedit omnem Terram Amorrhæa habitatoris regionis illius & universos fines ejus de Arnon usque ad Jaboc & de solitudine usque ad Jordanem. Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum pugnante contra illum populo suo Israel.* Monstrat Gentiles quoque hoc jure fuisse nisos, utut ex falsâ Opinione versiculo vigesimo quarto, quod profani Scriptores comprobant; Herodotus lib. 2. Xenophon lib. 4. & alii. Secundò Rabbinorum consensus, juxta quos bella quædam jussu legis gerebantur, ut probè animadvertit noster Schickhardus in Jure regio, titulo de Bello, theoremate 16. Tertiò Patrum testimonium præprimis Augustini libro 22. contra Faustum cap. 78. *Calumniosâ imperitiâ Moses reprehenditur, quòd bella gesserit, qui minus reprehendi debuit si sua sponte gereret, quam si DEO jubente non gereret: ipsum verò Deum quòd talia jussisset, audere reprehendere: vel Deum justum & bonum talia jubere potuisse, non credere hominis est, ut mitius loquar, cogitare non valentis divina providentia per cuncta summa atque ima tendenti, nec*

II. Rabbiorum.

III. Patrum

novum esse, quod oritur, nec perire quod mo-
 ritur, sed in suo singula quaque ordine sive na-
 turarum, sive meritovum vel cedere, vel suc-
 cedere, vel manere: hominum autem rectam
 voluntatem, divina legi conjungi, inordinatam
 verò cupiditatem divina legis ordine coerceri: &
 ut nec bonus aliud, quam precipitur, velit: nec
 malum amplius, quam permittitur, possit: ita
 sane, ut non impune possit, quod injustè volue-
 rit: ac per hoc in omnibus, qua humana infir-
 mitas horret, aut timet, sola iniquitas jure
 damnatur: cetera sunt vel tributa natura-
 rum, vel merita culpavum. Quamvis verò
 sola voluntas divina possit nobis esse causa,
 non tamen negamus superius allegatas duas
 posse quoque in numerum causarum referri,
 // non quidem separatim sumptas, sed conjun-
 // ctim & cum hâc connexas, quæ sola princi-
 palis vim sustinet, Augustino & Cassiano
 etiam alibi partim criminum multitudinem,
 partim hæreditatis repetitionem alleganti-
 bus. Edificarunt autem exules Chananæi
 Oppidum Tingem munitissimum in Numi-
 diâ, ubi duæ ex albo lapide columnæ, qui-
 bus inscriptum erat: *Nos Maurisci sumus*
& fugimus à facie JEHOSCHVÆ
Filij NUN.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO IX.

Tributa solvenda sunt summæ Potestati, etiam non attento Fine; Formâ & Materiâ.

IN nono Argumento ex fine colligit Author & concludit, cum tributorum finis sit, ut potestates publicæ habeant unde sumptum faciant ad bonos tuendos, & coercendos malos bellum ex genere illorum esse, quæ lege Christi non sublata. In subsidium vocat locum Pauli Rom. XIII. v. 3, 4, 6. ubi disputant quidam num tributa solvere semper sit honestum & præceptum conscientiam obligans, si scilicet non intendatur Tutio bonorum & Coercitio malorum, sed aliud, etiam noxium uni vel alteri in Republicâ vel statui adversum, & videtur Grotii argumentum ulterius non concludere, quam si tributa cum fine bono jungantur, & ad illa ad quæ aliâs vergere debent adhibeantur. At

Nobis nec finis, nec forma, nec materia, nec usus rationem habuisse Apostolum verò simillimum videtur: quia simpliciter tributum, vectigal cui vectigal debetur, solvi jubet: Debitum istud ex potestate imperantis, non ex jure Imperij estimans, quasi dixisset: Rectoribus debetis, siue jure regant,

Tributa non ex fine forma & materia tantum estimanda.

Sed præcepti auctoritate.

siue

sive jus sibi usurpent. Rationes sunt: 1. Quia Rectoribus quatenus suprema potestates sunt & gladium gestant, non legitimi aut justii Rectores sunt, vetat resistere. 2. Quia, qui legitimi ac justii Rectores sint, difficilissima est dijudicationis. 3. Quia Christiani à Petro jubentur parere Dominis, non solum bonis & aequis (ἄπεικτοι) sed etiam τοῖς σκληροῖς, id est, pravis aut distortis: 1. Pet. 2, 18. 4. Quia veltigalia solvuntur bono Reipublice istius in qua vivimus & cujus membra sumus, ad quod procurandam etiam periculo vite & damno fortunarum omnium obstringimur, & quod procurare præsimitur Princeps, si non Reipublica ipsius, saltem sui ipsius causa, ne Dominio & Principatu excidat.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO I.

Dictum Esaianum neque conditionatè neque absolutè explicatum, à Grotio sine Censura transmitti potest.

Resolvuntur hinc quædam, quæ videntur militare contra militiam, in quibus Author partim rectè procedit, partim cespitat; Opponit Author sibi testimonium ex Esaiâ II. 4. seqq. & respondet ad illud (1) conditionatè posse accipi, (2) si intelligatur purè, nondum impletum id esse, sed implendum

dum in conversione generali Judæorum ad
 hac expectanda. Sed malè agit, quod 1. di-
 cit conditionatè esse accipiendum; nam Ora-
 cula de futuro statu N. T. non sunt hypo-
 theticè sed purè accipienda. 2. Pari ratione
 cætera oracula & vaticinia possent hypothe-
 ticè accipi, e. g. illud Genes. XLIX. de ven-
 turo Messia ablato sceptro. 3. Judæis ita &
 profanis amplissima aperiretur janua cluden-
 di vaticinia V. T., si Commentum Grotiū
 subsisteret. 2. Errat, quando dicit intelligen-
 dum idem esse purè, sed rem ipsam docere
 nondum impletum hoc esse: Atqui hoc ipsum
 & est contra Authorem & falsissimum illud,
 quia hoc dictum non accipit de temporibus
 Messie & illa insequentibus in Commenta-
 rio suo, sed perversè refert ad illud tempus,
 quo Urbs ab obsidione Rasinis & Phaceæ
 liberata fuit, & multi ex populis hostibus
 Syrorū Hierosolymam se ut ad locum tutissi-
 mum contulerint, & ibi in atrio Gentium
 DEUM adorarint. Falsissimum verò, tum,
 quia utique circa initia N. T. Apostolis mis-
 sis in universum Orbem cœpit hoc impleri;
 tum, quia nihil nisi summa fidelium in Ec-
 clesia N. T. consensus indicatur, scil. natio-
 num, ingeniorum, statuum, animorum di-
 versissimorum concentus, & harmonia sua-
 vissima; tum, quia Patres etiam antiquissimi
 admiserunt in N. T. jam esse hoc vaticinium
 completum. Origenes 2. Homil. in Gen.
 Basilus Homil. 10. Chrysost. Homil. 12. in
 Gen. Hieron. in Comment. ad h. I. Gregor.
 l. 2.

Vaticiniū
 Esaiæ acci-
 pi non po-
 test sub
 conditio-
 ne.

Illud Gro-
 tius purè
 intelligen-
 dum esse
 non pru-
 denter sta-
 suit.

Idem vati-
 cinium in
 N. T. im-
 pletum est.

Quomodo
sit intelli-
gendum.

l. 2. in Ezech. Homil. 16. Dictum itaque hoc aut accipitur de pace politica aut ecclesiastica N. T. si primum; ex Historia constat nato Christo peccatum fuisse Orbem, Jani portas clausas, ut verè dici potuerit:

*Pax me certa ducū placidos conflagavit in usus
agricola nunc sum, militis ante fui.*

Hinc de Augusti tempore Virgilius:

Aspera tunc posuere mitescunt secula bella.

Et quamvis dicatur: *non exercebuntur gentes
iusta ad praelium*, potest tamen phrasi Scripturæ notari non tam perpetuum, quàm longum tempus pacis optatæ. Consulatur Suetonius in Augusto cap. 22. Si secundum; utique temporibus Messianis pax floruit in Orbe; tum, quia Evangelium fuit propagatum sine instrumentis bellicis & armorū vi, Sueda oris divinitus animatâ, nec excisi, qui hactenus idolis litarunt, ut quondam Chanaanai, sed Oleæ insiti; tum, quia inter Judæos & Gentes Maceria fuit disrupta Eph. 2. tum, quia animorum fuit consensus maximus in Ecclesia, tranquillitas conscientiarum, cœlestis sinceritas Actor IV. v. 32. quocunque modo autem exponas, quanquam posterior sit præferenda primæ, nihil contra bellum inde concludi potest, non ex primo, quia non præcipitur quod faciendum vel omittendum, sed refertur quid futurum, cujus complementum docuit eventus; non ex altero, quia Apostoli & Christiani sub ipsis persecutionibus non fuerunt turbati, sed gaudentes Act.

V. v. 41. & verè quisque fidelium potuit esse sanguinis & belli mediis tranquillus in undis.

(3) Peccat Grotius, hoc dictum torquendo ad generalem conversionem Judæorum, si purè intelligatur & talem generalem conversionem audacter statuendo, melius fecisset, si rem in suspensio reliquisset, prout mul-

Generalis
conversio
Judæorum
expectan-
da temerè
afficitur.

ti Theologi faciunt circa hoc dubium, aut si in negativam propendisset cum B. Luthe-
ro Tom. 8. Jen. 109. tum, quia illam univer-
salem conversionem gentis Judæorum im-
pugnat maledictio illa gravissima, de qua
Ps. 96. v. 24. & Ps. 119. v. 17. Matth. VIII.
11. & XXVII. 25. tum, quia consistere non
videntur hæc duo: generalis Judæorum Con-
versio, & tanta Raritas fidei in ultimis tem-
poribus, de qua Luc. XIIX. 8. tum, quia in-
gressus gentium cum consummatione seculi
immediatè necitur, Luc. XXI. 24, 25.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO II.

In dicto Christi ex Matthæi quin-
to capite resovendo Author miscet
quædam, quæ non possunt admitti.

Opponit sibi Author loca ex Matth. V.
atque respondet (1) Christum non al-
loqui Magistratū, sed privatos, qui impetun-
tur, nec de quavis agere injuria, sed de tali,
qualis est alapa. Verùm ut primam respon-
sionem

Verba Christi de infli-
cto colapho l. non
excludunt
patientiam
strocioris
injuriz.

II. Dicta
sunt com-
paratè.

sionem non improbamus, ita circa alteram
meritò dubitatur, num scil. alapa ibi sub ra-
tione tali proponatur, & levis injuria à Chri-
sto esse dicatur; partim, quia alapa in se satis
atrox est injuria, neque Christus illud quod
atrox est voluit leve dicere, qui aliàs tem e-
locutus est prout se habet; partim, quia Chri-
stus etiam in graviore injuria requirit, ut non
resistamus malo; partim, quia comparatè hæc
verba intelligenda sunt, scil. potius esse per-
ferendam alapam & alteram maxillam exhi-
bendam, quàm alapam regerere, & vindi-
ctam sibi sumere privatam; quia in priore
casu injuriam saltem patior, in posteriori au-
tem me vindico, Magistratus jura involo, at-
que ita pecco; quidvis autem potius susti-
nendum est quàm peccandum: & verba hæc
ut probè observavit Augustinus, non tam
intelligenda sunt de exhibitione operis,
quàm de præparatione cordis, quo scil. ani-
mus adeò debet esse liber ab affectu vindi-
ctæ, ut potius paratus sit novam injuriam
ferre, quàm veterem peccaminosè vindicare.
Quod Socius Religionis docere potest, scri-
bens: *Christus eo ipso, quod secus fecit, tan-
quam legis suæ optimus interpret, significavit
se verba legis suæ καὶ ἑμὴν intelligi velle,
& non ἀποτόμως urgere. Et sanè, etiamsi
factum hoc Christi non exstaret, ratio ipsa
recta cogeret. Nos verba legis Jesu Christi be-
nignè & non κατὰ τὸ πῆρδν interpretari. Nam,
i. quid si percutiens maxillam dextram, se-
cundo percutere nolit? Quid si volens secundo*

per-

percutere, sinistram nolit ferire, sed eandem iterum dextram? 2. quod si percussio unius maxillæ adeò gravis sit, ut percussus præ dolore nove ferendæ impar sit? 3. Obversio illa ultro-nea, irritatio videretur, aut invitatio ad novam injuriam & plagam. 4. Tum non liceret declinare, subterfugere novam injuriam, contra omnem rationem & contra ipsum Christi præceptum, quo persequentes nos fugere jubemur de civitate in civitatem. Matth. X. 23. 5. Ne liceret quidem blando alloquio demulcere ferientem & à nova injuria inferenda divertere; Multo minus reprehendere sermone & delicti sui commonefacere, quin & verbis ad severitatem compositis objurgare, quæ sanè totidem absurda esse nemo non vidit. Non itaque prohibetur hîc Injuriz Declinatio, nec moderata sui Defensio, nec denique auxilii superioris decens imploratio, sed ut diximus, vindicta privata, cum ipse Christus contra injuriam egerit Johan. 18. vs. 23. Egregiè Isidorus: *Promptior esto ad suscipiendum, quàm ad inferendum molestiam. Disce mala potius tolerare, quàm facere, disce mala ferre potius, quàm inferre.* (2) Allegat locum ex I. Cor. VI. 4. & dicit: vetari Christianos in profanis auditoriis inter se litigare. Verum I. non prohibitum erat justè contendere etiam in profanis auditoriis, quia etiam Magistratus gentilis erat minister DEI gladium non frustra gerens, & quidem bonis præmio, malis terrori. (2) Actu ipso sæpè contenderunt Christiani in profanis audito-

Christianis
in profano
foro liti-
gare nun-
quam est
prohibitum.

rijs coram iudice aliquo gentili, prout plura adduci possunt exempla ex Historiâ Ecclesiasticâ. 3. Saltem hoc prohibet Apostolus in casu scandali & restrictè ad certû objectû, nempe *βιωνας* vel ea, quæ spectabant ad victû & lucra, adeoq; concernebant bona temporalia, & existimat consultius esse si abstinenceatur, quàm in tali casu litigetur. Oppositum non malè collegit Socius Religionis ex tribus hisce iudiciis:

1. *Quum Apostolus in principio capituli oppositè loquatur, ac non sub sanctis. Eo ipso enim testari satis clarè, sanctos iudices esse & iudicia exercere posse, & quidem manentes sanctos. Nam si sanctimonia, sive veri Christiani titulo exciderent eo ipso quod iudicia exercerent, iam sub iis iudicio experiri tantundem esset atq; sub iniustis iudicibus litigare.*
2. *Quia Apostolus alioquin tot verba non fecisset, ut probaret sanctos sive Christianos aptissimos esse ad iudicandum: quorsum enim illud serviret, si Christianis Iudicibus nullo modo esse liceat?*
3. *Quia multò adhuc minus mandasset, ut ex ipso Christianorum numero constiguerentur. Iudices ejusmodi litium & controversiarum, quales inter eos agitabantur. Mandat autem & urget id Apostolus, imò affirmat prestare, ut vilissimi aliqui ex fratrum numero ad jus dicendum inter fratres deligantur, quam ut in fideles Magistratus adeant; quanquam dicat deinde necesse non esse ut id fieret, propterea, quòd non deessent inter eos qui juris dicendi periti essent, & ad ejusmodi controversias dirimendas maximè idonei*

donci. Certè, si *judicia tum intendere tum exercere Christianis prohibuisset Apostolus, non dixisset absolute: statuantur judices ex ipsis fratribus, cum ejusmodi lites incidunt, sed dixisset: si nullo omnino pacto fieri potest, ut Christiani à peccato litigandi cum Christianis abstineant, saltem ne adeantur infideles, at ne majora mala ex morbo illo litigandi pullulent, potius aliqui ex Christianis constuantur, quam insultores illi adeantur, quia illud minus malum est quam hoc. At quia absolute & simpliciter in talibus casibus judices ex fratribus constitui debere dicit, satis ostendit, id Christiano illicitum non esse, aut se pro illicito id non habuisse.* (3) Dicit Author legem hebræam divortii libertatem indulisse & privatæ ultioni, ut apud judicem exigere potuerit talionem; Christum verò majoris patientiæ Magistrum nolle arceri quidem vel vi vel in judicio injurias quasdam tolerabiles. Verùm hæc nimis crudè dicta; tum, quia indulgentia non facta est in divortio, sed saltem illius permissio locum habuit quoad impunitatem in foro exteriori, conscientiam non evolutam aut liberam factam in foro interiori. 2. Privatæ ultioni non indultum fuit in V. T. etiam apud judicem exactio talionis; quod enim peccaminosum est tum extrajudicialiter, tum in judicio, lex hebræa nunquam indulsit; peccaminosum autem est ultionis studium privatum, sive illud quis persequatur simpliciter sive coram judice. Vindicta enim privata semper pugnat, & ultio cum dilectione pro-

Divortio & privatæ ultioni non indultum, fuit in lege Hebræa nec Christus utriusque libertatem sustulit.

ximi. 3. Falsissimum est Christum fuisse majoris patientiæ Magistrum, neque ille prohibuit aditum ad judicem, nisi supponatur animus vindictæ cupidus, qualis aditus ad judicem etiam in V. T. cum hoc animo non erat in conscientia tutus.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO III.

In resolutione tertii Argumenti Grotius etiam aliquoties à vero deviat.

Proximi significatio semper porrecta fuit ad homines quosvis.

Tertium argumentum Author malè solvit, respondendo: præceptum esse Hebræis, ut proximum diligerent Hebræum, sc. quod ostendat collatio v. 17. & 18. Atqui hæc non consistunt; tum, quia ut supra notatum & proximi nomine intelligitur omnis homo juxta nos, exponente Christo Luc. X. 36. & seqq. tum, quia hæc ipsa glossa fuit & Phariseorum & hodiè Photinianorum; tum, quia non evincit collatio versiculorum hoc ipsum. Nam, si per fratrem intelligatur Hebræus *ys.* 17. non propterea consequens est verba illa: *Diliges proximum &c.* v. 18. esse exegetica priorum, sed potius esse ampliativa, atque progredi Mosen à dilectione fratris Hebræi scil. ad dilectionem proximi, omnis hominis, qui nostræ opis indigus; Ut ergò erravit in hoc dicto exponendo, ita errat

errat quoque concedendo latius esse porrectam significationem proximi ad homines quosvis tempore N. T. cum omnes in communem gratiam jam sint recepti, nulli populi à DEO devoti. Falsum enim est significationem hanc esse extensam in N. T. Proximus enim ^{Proximus quis?} semper notat illum, qui ejusdem sanguinis nobiscum ex Adamo, tam in V. quàm N. T.

2. Gratia vel defectus gratiæ non fecit, ut aliquis esset proximus vel non esset, cum in naturæ identitate fundetur ratio proximi. 3. Christus Luc. X. exponens quis sit proximus, non accersit fundamentum istius propinquitatis ex receptione in communem gratiam aut exclusionem omnis devotionis ad excidium, sed ex indigentia ejus, qui ejusdem nobiscum naturæ. Denique errat, concedendo in lege Evangelica majorem dilectionis gradum imperari: tum, quia non datur lex Evangelica, tum, quia nullus major gradus potest imperari quàm ille, ut diligam proximum sicut me ipsum: Ille autem in lege imperatus est; tum, quia cum illa dilectione proximi nihilominus inæqualitas illa consistit, ut magis diligam e.g. patrem, quàm extraneum. Subjicit & dicit: *V. de sententiam moralem, quæ extat* Prov. XXIV. 11. Hæc si ita simpliciter leguntur, putantur esse sine veneno, sed non sunt. Nam Grotius aliàs quoque statuit, quod quæ in proverbiiis Salomonis habentur non tam sint præcepta divina quàm monita quædam moralia, qualia sc. aliàs monita prudentiam occurrunt inter Gentilium

Major dilectionis gradus à Christo nunquam præceptus est.

Salomonæ proverbium non sunt morales sententiæ

Scriptores. At hoc periculose dicitur, tum, quia talia sunt divinæ Originis immediatæ, tum, quia obligant & quidem in conscientia, habent itaque rationem legis sive præcepti; tum, quia malè dicuntur sententiæ morales, quæ fœcundæ Spiritu, & non tam hominum mores formant, quàm vitam DEO placentem, imò Christianam præscribunt & exigunt, de quo videri potest Samuel Bolius in Comment. ad Proverb. Salomonis.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO IV.

Pr obatur Responsio Authoris ad Argumentum ex Rom. XII. rejicitur verò Commentum, & de Sectionibus Caputum aliquid annectitur.

NON malè respondet Author ad locum Rom. XII. In Commentario autem Virus Socinianum prodit, addendo verbis Pauli: *Nulli malum pro malo reddentes. h. c. non licet vobis, quod Levitis illis licebat, sine judicio occidere Idolatras. Vobis id Christus non permisit. Illis licebat oculum pascere pro oculo, dentem pro dente: Vobis id non licet.* Cæterum addit responsioni: *Eoque minus, quia capitum sectiones non ab Apostolis sunt, aut eorum auctoritate, sed multò serius facta ad dividendamlectionem & faciliorem locorum allegationem.* Tangit hîc controversiam intricatam de capitum divi-

Sectionū,
quæ est Ca-
pitum Bi-
bliorum,
Origo.

divisione, de qua ita censuit Heinsius in pro-
 legomenis suis, esse illam novam planè & re-
 centem ; Suidas testis est Evangelium Mat-
 thæi sectum esse in titulos 68. & capita 355.
 &c. Unde discere nos jubet Casaubonus
 majores partes à priscis vocatas fuisse titulos,
 minores κεφάλαια five capita, contra quàm
 nos hodiè facimus. De inventore autem
 sectionis in capita certum est Patres Latinos
 Arithmetica illa capitum sectione non fuisse
 usos, & in latinis Bibliis manuscriptis
 antiquioribus nulla planè extat capitum di-
 stinctio. Sixtus Senensis se in exemplaribus
 latinorum Bibliorum, quæ ab anno salutis
 nostræ Millesimo prodierunt duplicem inve-
 nisse capitum enumerationem testatur; vetu-
 stiorè quæ numerosior, & recentior, quæ
 in omnibus impressis exemplaribus hodiè
 usurpatur. Sunt qui distinctionis hujus au-
 thorem faciunt Arlottum natione Hetruscum
 Ordinis minorum, ministrum generalem, qui
 floruit sub Adolpho Imperatore anno 1290.
 Sunt, qui putant fuisse Hugonem Cardina-
 lem natione Burgundum, professione Do-
 minicanum, qui absolutis in Biblia Com-
 mentariis tale quid molitus fuerit. Proba-
 bile est, quod Joh. Crojus observat, à priscis
 Patribus fuisse inventam ad imitationem li-
 brorum V. T., ut & faciliorì Scripturæ le-
 ctioni consulerent, lectorum memoriam ju-
 varent, & locos ipsos vel interpretari vel lau-
 dare commodiùs possint, ita tamen, ut anti-
 qua divisio cum hodierna non eadem planè
 fuerit

fuerit. Quapropter, si Grotius loquatur de antiqua, rejicitur cum Heinsio, quoad assertionem, quòd tam serò facta sit divisio, si vero de posteriori, admitti potest.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO I.

Ufus sequens & prudentum Auctoritas in divinis Scriptoribus tantum non sunt facienda, ut Grotius opinatur.

Quis sit in divinis Scriptis v. usus sequentis & auctoritatis prudentis valor.

Hic Author (1) dicit, in divinis etiam scriptis sequendum esse usum sequentem & prudentum auctoritatem. Verùm hæc commodè sunt accipienda. Nam 1. longè alia est ratio Scriptorum divinatorum, alia humanorum. In his magnam vim habet tum usus sequens, tum prudentum auctoritas, non verò in illis. (2) Hoc ipsum vel maximè favet illis, qui Scripturæ sensum volunt venari ex antiquitate, & eo usque progrediuntur, ut etiam consensum Patrum normam faciant fidei, sed secundariam. 3. Quamvis Ecclesiæ ab Apostolis constitutæ acceperint liberaliorem explicationem, subsistit tamen illa intra simplicitatem primitivæ Ecclesiæ, & emergentibus hæresibus longè majori industria occupati fuerunt Dd. in Scripturis explicandis & vindicandis, quàm nondum natis; quemadmodum nostro sæculo plus

plus actum est circa textum sacrum, quam per aliquot secula etiam Patrum tempore: neque hæc ita sunt posita, ut Pontificii ad traditiones suas stabiliendas non abuti possint.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO II.

Non multum laborandum de testimoniis adversantibus Bello Origenis & Tertulliani.

Author in hac thesi ad dicta veterum contra bella respondet, tales docuisse quiddam magnificentius, utpote Origenem & Tertullianum: quasi sc. hi Patres hoc voluerint, non quidem præceptum esse abstinere à bello, sed tamen consultum. Verùm non opus est, ut vindicias paremus Origeni & Tertulliano, cum uterque à quamplurimis Scriptoribus habeatur pro hæretico, & cum primis contra Origenem agit Cornelius Jansenius Episcopus Yprensis in August. sui Tomo primo lib. 6. cap. 13. scribens: *Inter omnes, qui præcesserunt Pelagium neminem peritiorum totius Pelagiana hæresis Architectum inveni, quam Origenem, & paulò post: Errorum diversorum lacunam meritò vocari posse asserit.* (2) Quomodo magnificentius illud ipsum dicitur, quod cum superstitione est conjunctum? (3) Ita stabilitur distinctio consiliorum & præceptorum Pontificia, quasi scil. abstinentes à bello non solum præ-

Origenis & Tertulliani testimonium adimendæ bellorum justitiz, nihil derogant.

Notatur distinctio præceptorum & Consiliorum.

ptis satisfaciant, sed etiam consiliis; cùm tamen talia consilia superiora præceptis non dentur: nam si quod magni Viri consulunt eo ipso præcipiunt, si homo non potest præcepta adimplere, quomodo consilia non erunt annumeranda præceptis, quomodo poterit assurgere ad consilia perfectionis, ut vocant, qui nec præceptis satisfacit? Et hoc ipsum est, quod recoquit p 33. dicendo, Christianos primorum temporum tanto ardore succensos fuisse ad præclarissima quæque capessenda, ut sæpè consilia divina pro præceptis amplecterentur.

Ad eand. Th.

OBSERVATIO III.

Non inter consilia referendum, quod quidam ex Christianis non contenderunt iudicio adversus Raptores, & juramenta refugerint atq; ab aliis abstinuerint.

Author inter consilia deputat in sequentibus, quod Christiani non contenderint iudicio adversus sua rapientes, quod omne iuramentum refugerint, quod à secundis nuptiis abstinuerint. Verùm hæc non sunt consilii sed præcepti. Primum quidem, quia iudicio contendere adversus rapientem & non litigare non est saltem consultum, sed est etiam præceptum. Præceptum autem dupliciter

Præcepto non Consilio est annumeranda i. Litii declinatio. Præcepti distinctio.

pliciter intelligi potest: aut simpliciter, aut in casu casus sub hypothese gloriæ divinæ: Posito quod hoc non sit præceptum absolute & simpliciter, est tamen præceptum in casu scandali sub hypothese gloriæ divinæ, ubi utique potius relinquenda sunt bona temporalia, & postponenda gloriæ divinæ. Novimus aliàs quid Ambrosius Catharinus scripserit: *Res hodie deploranda nulla natio est sub Sole, qua contra consilium Apostoli sit litibus tam implicata, quam Christiana: nam Turca, Tartari, Afri & Indi omnes controversias per Arbitros vel Judices de plano, sine strepitu judicij definiunt.* Alterum, quod refert de abstinentia à juramentis, itidem non fuit consilii, sed præcepti; abstinerunt enim ideò à juramentis, ne cogerentur per idola jurare, prout hoc comprobatur exemplum Basilidis apud Eusebium lib. 6. Ipse Grotius observat in notis ad Matth. ex Tertulliano, Christianos non jurasse ut cæteros per genium Principis, quod juramentum Polycarpus detrectavit, quia illi voci inerat falsi numinis sensus, sed eosdem Christianos jurasse per salutem Principis, omnibus geniis augustiorem: Nec simpliciter concedi potest, primos Christianos prorsus non jurasse, si sine conscientie læbe fieri poterat, oppositum patet ex Vegetii lib. 2. cap. 5. de re milit. ubi meminit juramenti Christiani, sed per DEUM, non per genium. 3. Quod concernit secundas nuptias ab illis dehortari non est laudabile consilium; tum, quia Apostolus Paulus

II. Evitatio
Juramentorum.

III. Nuptiarum secundarum.

disertè docet Rom. VII. 2. cessare omne vinculum interveniente morte; tum quia, si uestio urgeat, periculosum est abstinere à nuptiis secundis & contaminare corpus, peccare & remedium in Scriptura præscriptum non amplecti, quo cavetur peccatum; tum, quia legis necessitate à nobis exigitur secundarum nuptiarum amplexus; qui enim dixit, *satius est nubere quàm uri* I. Cor. VII. ille præcepit, in casu uestionis conjugium. aliàs notum esse iniquiores justo fuisse nuptiis secundis Tertullianum, qui digamos peccatores voluit esse; Athenagoram, qui adulterium illas vocavit; Clementem Alexandrinum, qui fornicationes dixit, sed hoc inter natos venustatis deputandum.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO IV.

De Labaro Constantini non constans est omnium sententia.

Veris Scri-
ptorum de
Labaro
Constanti-
ni senten-
tiz.

IN eadem thesi pag. 34. meminit militum, quos habuit Constantinus in exercitu suo, Christianorum, & vexilli, cui Christi nomen inscripserit, de quo Prudentius.

Signabat labarũ, clypeorum insignia Christi.
non ita res est liquida. Sunt, qui putant so-
lam crucem immissam aut commissam Con-
stantino apparuisse cum literis: in hoc vin-
ce, sine duabus initialibus nominis Christi-
literis & reliquo apparatu; adeoque hi planè disce-

discedunt à Grotio, afferentes quod sc. Christi nomen non inscriptum fuerit, sed crucis figura apparuerit, & consequenter in labarum traducta fuerit. Sunt, qui crucem & vocabula, in hoc vince, & nomen Christi & reliquum apparatus exceptis imaginibus apparuisse volunt. Sunt, qui putant X Græcorum majusculum cum inserto P & vocabula, in hoc vince, Constantino apparuisse, & ipsum X esse crucem decussatam. Primam sententiam fovit Cæsar Baronius, alteram sententiam amplexus est Gretserus, tertiam noster beatus Brenzius. Si itaque prima subsistat, Grotii non subsistet, quamvis & cæteræ aliquo modo discedant à sententia Grotiana. Verba Eusebii verò lib. I. in Vita Constantini Magni cap. 25. ita habent: *Erat autem tali figura fabricata. Hastile oblongum, erectumque, auro undique obductum fuit: quod cornu habuit transversum ad formam crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis, corona affixa, lapidibus preciosis, & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis Servatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis: id est, duabus primis literis nominis Christi (erat enim litera P in ipso medio litera X curiosè & subtiliter inserta) que totum Christi nomen perspicue significarunt. Quas quidem literas deinceps semper Imperator in galea gestare consuevit. Ad cornu illius particula, que ex transverso erat, per hastile trajecta, velamen quoddam pertenne appensum adhaesit, regalis videlicet & magnifica*

*fica textura, mirabili varietate lapidum precioso-
 rum artificiosè conjunctorum, lucisque
 sua claritate pulchrè resplendensium d:pi-
 eta, & multo auro intertexta: que dici non po-
 test, quantam spectatoribus ob suam pulchri-
 tudinem excitavit admirationem. Istud igitur
 velamen ad cornu affixum, longitudinis latitu-
 dinisque crucis mensuram penitus exaquavit.
 Oblongum verò & erectum hastile in sublimi
 appensum, cujus pars inferior versus basim lon-
 gius ducta fuit, sub ipsum crucis insigne ad tex-
 tura discurrentis fimbrias, auream p̄ Imper-
 ratoris pariter ac liberorum suorum effigiem,
 ad pectus usque concinnè descriptam continuit.
 Isto igitur salutari signo Imperator, tanquam
 hostilis cujusque & infesta violentia propugna-
 culo, semper usus est. Cujus expressa similitu-
 dines, mandavit ut universum exercitum per-
 petuo antecederent.*

Ad Th. IX.

OBSERVATIO ULTIMA.

Tribuit hîc Author Christiano-
 rum bonitati, quæ non undiquaque
 cum Christiana pietate conspirant.

Dicit Author sæpè Episcopos & plebem
 Christianam interpositis precibus suis
 avertisse pœnas præsertim capitales: morem
 quoque introductum, ut, qui ad Ecclesiam
 confugissent, non nisi vitæ servandæ fide data
 redde-

redderentur, & ut circa Pascha carcere emitterentur, quos sua crimina attinebant, quæ vult esse signa Christianæ bonitatis omnem rapientis clementiæ occasionem. At primò num illa Interpositio precum, illa Intercessio Episcoporum & plebis Christianæ semper fuerit signum Christianæ bonitatis merito dubitatur cum sufflamen justitiæ & signum Christianæ bonitatis non conveniant. Secundò de more introducto, ut, qui ad Ecclesiam confugissent non nisi vitæ servandæ fide datâ redderentur, iterum disceptari potest, num laudabilis nec ne, num illa fuga ad Ecclesiam facinoris ultimo supplicio digni fræditatem expiarit, exercitio justitiæ obesse potuerit, impunitatem conciliare debuerit reo? sanè sequioribus temporibus abusus accessit detestandus, ut verè Petrus de Ferrariis: *Ego dico, quod hæc jura facta sint sine ratione, & ad beneplacitum, imò & contra jus divinum. Si enim Deus noluit tolerare ementes & vendentes in Ecclesiâ, sed eos ejecit, quanto magis non vult receptari in ejus Ecclesiâ latrones, & homicidas & similes.* Tertiò emissio sceleratorum circa Pascha non debetur pietati aut bonitati Christianæ, sed consuetudini vitiosæ Judæorum, de quâ Matth. 27. v. 15. Luc. 23. v. 17. Joh. 18. v. 39. Quamvis autem Grotius hunc morem non ad Judæos, sed ad Romanos referat, scribens: *Veterem hunc morem fuisse non credo. Nam lex Mosis erat χρεὶς δικημάτων, ut ait scriptor ad Hebræos X, 28. ὁ νόμος αὐτοῦ γινώσκων ἔχει, in-*
quit

Pietatis nō
fuit Chri-
stianorum
veterum
pro sceler-
atorum inter-
cessio;

)

Nec eorum-
dem circa
Pascha E-
missio.

quit scriptor responsionum ad Orthodoxos. Nec
 cuiquam homini data ignoscendi potestas: Non
 Regi, non Synedrio, non populo universo. Nam
 Jonathan, cujus poenam poscebatur à Patre,
 aut certè non ex lege Mosis, sed ex novo edi-
 cto regio. Nam in legem nihil peccaverat.
 David Absalamo veniam dare ausus non est,
 donec forse propositum paterno affectui, Jo-
 abo annitente, succubuit. Joabo quoque homi-
 cidij pœna dilata, non donata est, Rex etiam
 Sedecias agnoscit se contra Synedrij sententiam
 nihil posse. Ipsi autem Synedrio Saneas exi-
 tium vaticinatus est, quod Herodem accu-
 satum non condemnasset, quare credibile est à
 Romanis hoc esse. Nam in Livij historia in-
 venimus lectisternij indiæ diebus vincetis dem-
 pta vincula: religioni deinde fuisse quibus eam
 opem distulissent vinciri. Ad hoc exemplum
 putem ab Augusto hanc gratiam concessam po-
 populo judaico; Idque mandatis procuratorum
 fuisse comprehensum. Nam alioqui praesides Ro-
 mani nullam habebant ignoscendi libertatem, ut
 leges nos docent. Non tamen possumus proba-
 re hanc Originem, nam Johannes disertè di-
 cit, Pilatū dixisse: est Consuetudo vobis, Judæis
 sc. quam ipsi introduxerint, vel in memoriam
 liberationis ex Ægypto, vel paschalis benefi-
 cii, ut dimittendo unum & reliquos captivos
 occidendo indicarent interfectionem filio-
 rum primogenitorum ab Angelo percussore,
 & gratiam Israelitis à DEO factam. Secundò,
 si ideò deducit hunc morem à Romanis, quia
 penes illos obtinuit, cum apud Græcos quo-
 que

que invaluerit & alios populos Judæis vicinos, cur non pari ratione alius ex Hellade illum in Judæam derivare posset? Tertiò non est consequens, aliquam similitudinem habuit hæc consuetudo Judæorum cum lætisternii Romani sacris; ergò exinde natales suos: potuit Judæus esse quoad faciem similis Romano, num itaq; filius fuit illius, quem lineamentorum Effigie referebat? neque laudare hanc consuetudinẽ possumus, quò ut Cella illa gemituum, tristicæ domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetuã nocte cæcatus aliquã infusione albesceret, ut loquitur Cassianus dimissi fuere referatis carceribus captivi, de quã graviter noster B. Gerhardus in Harmoniã: *Si rem rectè expendere velimus hæc ceremonia fuit ἐθειλοδρησκέια humana, non solùm præter legem introducta, sed etiam eidem planè contraria. Deus enim memoriam liberationis ex Ægypto instituerat Pascha certis ritibus quotannis celebrandum, sed Hypocrita non contenti hoc memoriali divinitus instituto superinduxerant hanc ceremoniam, qua initio fortassis fuit libera, sed progressionem temporis, ut fieri solet in ritibus & traditionibus adhasit illi opinio necessitatis & cultus.*

Consuetudo Judæorum vin-
ctos in Fe-
sto Pascha-
tis dimit-
tendi Ro-
manorum
lætister-
niò Origē-
nem non
debet.

Ee

CAPUT

CAPUT III.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Descriptio belli publici non omnimodè probari potest.

Ad bellum publicum requiritur non tantum is qui Jurisdictione gaudet, sed & summæ potestatis auctoritas.

IN hac thesi Author Bellum publicum describit, quod sit illud, *quod auctore egeritur, qui jurisdictionem habet.* Verùm hæc sententia non potest subsistere, partim ex eo, quia etiam Magistratus inferior habet jurisdictionem, non tamen potestatem bellum gerendi; potestas enim bellum gerendi est penes illum tantum, qui habet jura Majestatis, & caput summum est in aliquâ Republicâ, partim, quia Grotius aut loquitur de potestate belligerandi dependente, aut independente: si prius; habet quidem potestatem belligerandi, qui jurisdictionem habet, verùm ita non describitur ratio belli publici, qua talis, neque refunditur in proprium suum subjectum, radicem & principium: si verò loquatur de potestate independente, falsum est, qui jurisdictionem habet, habere potestatem independentem belligerandi; cùm eo ipso, quo quis jurisdictionem habet tantum, præsupponatur dependens ab alio, & quidem determinatè tantum respectu hujus facultatis; partim quia, si hæc sententia subsisteret, magnum accederet pondus sententiæ Parei, tribuentis potestatem belligerandi

gerandi etiam Magistratibus, cujus liber combustus est Londini, & cujus sententiam ipse Grotius in sequentibus reprobatur. Accedit, quod jurisdictio in illos est, qui subiecti; quum bellum non tam sit in subditos, quàm in extraneos, in illos qui jurisditionem alterius partis non agnoscunt. Verùm Grotius ita describendo bellum publicum & contradistinguendo illud privato voluit publici nomine complecti, quicquid aliquâ ratione publicum dici potest, cùm illud, quod etiam ab inferiore Magistratu geritur Superiore annuente, aut non repugnante, vel necessitate exigente, speciem habeat publici comparando ad privatum: interim non dextrè exposuit naturam belli publici in tota latitudine suâ accepti, reticendo summæ potestatis auctoritatem, & mentionem faciendo illius tantum, qui jurisditionem habet, quod deprehendo etiam notatum à Clariss. Dn. Feldeno, Bœclero & Zieglero.

Ad Th. I.

OBSERVATIO II.

De bello mixto dubitari potest an veram belli naturam referat.

Meminit belli alicujus mixti, quod ex una parte est publicum, ex altera privatum. An autem tale admittendum sit merito dubitatur: tum, quia bellum, quod habet rationem propitiè sic dicti belli, debet

Bellum mixtum ex publico & privato minus accurate dicitur bellum.

esse ex utraque parte publicum; tum, quia tale bellum, quod privatum est ex altera parte, non tam bellum quàm latrocinium & depraedatio vel seditio & tumultus; tum, quia bellum præsupponit potestatem belligerandi; Si itaq; ex aliquâ parte detur Exercitus quocunque modo collectus citra potestatem & auctoritatem publicam, non tam erit exercitus militaris, quàm cœtus privatorum vel rebellium, vel alio quocunque modo latrocinantium. Sed, ut omnia docent, Grotius in hâc divisione belli vocem illam accepit latissimè, cujus opinionis fundamenta superius jam ponere voluit describendo illud per statum certantium per vim quâ talium.

Ad Th. I.

OBSERVATIO III.

Judicia publica non rectè dicuntur esse ex facto humano.

Judicia publica non dependent ab hominum Sanctione, sed sunt i. Iuris divini.

Dicit Author noster judicia publica non à natura esse, sed à facto humano, quod ipsum admitti nequit, si enim essent à facto humano, non essent originaliter juris divini moralis, & naturalis Atqui demonstrari potest i. esse juris divini, nam Deuter. I. 17. dicitur: *Non accipietis cuiusquam personam, quia DEI judicium est.* Ubi notanter nomini Mischpath sive judicium præponitur
He

He emphaticum, (2) *judicium intelligitur, quo & criminales & civiles causæ cognoscuntur & deciduntur; & (3) dicitur, *judicium illud esse DEI. Ubi genitivus; est efficientis. Targum sive Chaldaica versio & LXX Interpretes itidem genitivum observarunt, quod etiam Lutherus expressit: Das Gericht-Ampt ist Gottes.** Juris 2. mo I I. Juris moralis. *certa ratione est judiciorum constitutio. Si enim in quarto præcepto præceptus est cultus & obsequium Parentibus, & illis, qui loco Patrum sunt, si ex naturâ relatorum supponuntur, qui imperant & judicant, non à morali jure judiciorum ordo abludet. Quò quoque collimat VIII. præceptum, ubi falsum testimonium prohibetur, & consequenter cognitio judicialis tanquam divinitus orta stabilitur. (3) Juris naturalis est; tum* I I. Juris naturalis. *quia, si imperia sunt suo modo à natura, judiciorum quoque ratio illis annexa erit à natura; tum quia, si DEUS est author ordinis non confusionis, ut fundavit societatem & naturalem appetitum ad illam indidit, ita quoque natura duce ordo judicantium & judicatorum fuit ostensus; tum, quia vel maximè conveniens est & naturale homini, per disceptationem judicialem agere & jus suum vel consequi vel tueri. Hinc Theodoretus Orat. 7. de Providentia ad ipsa naturæ incunabula revocat hoc ipsum, dicens: *DEUS velut Pharmacum quoddam mali expulsum iniquitatis ulceribus imposuit**

Magistratus administrationem. Plinius de Trajano. Mundi parens te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungeris.

Ad Th. II.

OBSERVATIO I.

Status ille quo Injuriz fuerunt repulsæ citra cognitionem publicam, non facîle admittitur.

Injurarum
repulsio
nunquam
licitè facta
est citra ju-
diciam pu-
blicam.

IN thesi 2. Author noster tangit (1) restrictionem belli privati, & dicit, restrictam esse vim illam, quæ ante constituta judicia obtinuerit: ubi videtur malè philosophari & extra Historiæ Sacræ orbitam; Putat enim statum quendam fuisse ante judicia constituta, ubi quis manu sua potuerit repellere à sese injurias. Verùm an talis status obtinuerit meritò dubitatur; tum, quia ratio repugnat; posita enim aliqua societate, ponetur Ordo imperantium & parentium, & consequenter obtinebunt etiam aliquo modo judicia per imperantes administrata; tum, quia historia reclamationem, non longo quippe tempore post lapsum Cainus occidens fratrem extruxit urbem Henochiam, congregavit quosdam, quod multo magis factum est sequentibus temporibus. *Cum enim, scribit Augustinus illius hominis familia tantâ numerositate cresceret, ut haberet jam populi Quantitatem, tunc potuit utique fieri, ut & constitue-*

ret

ret & nomen primogeniti sui constituta imponeret civitati. Si autem præfuerunt etiam amplissimarum familiarum Patres, & illæ in civitates profecerunt, ut judicarent patresfamilias manente adhucdum familia intra terminos, quantò magis si sese extendit ad civitatis usque amplitudinem. Repugnat denique ipse Philosophus l. I. Pol. cap. 1. ubi scribit: *Principio civitates sub regum Imperio erant, & nunc etiam Gentes quia ex iis, qui sub regno vivebant, convenerunt, omnis enim domus regitur ab eo, qui ætate antecedit; & si jus vitæ & necis juxta quamplures habuerunt Paterfamilias, quí non multò magis potestatem judicandi? quamvis concedamus formam judiciorum rudiorum fuisse in initiis & variasse, temporisque successu alium modum nactam fuisse.*

Ad Th. II.

OBSERVATIO II.

Locus ex Exodi Capite vigesimo secundo petitus probat, iudicio cessante posse occidi furem nocturnum, ex Harmonia etiam cum jure naturali.

Adducit Author legem ex Exod. XXII. 2. & vult illâ probare, quod etiam post iudicia constituta naturali juri non repugnet omne bellum privatum, quia hæc lex ipsum

Ec 4

jus

jus naturæ explicet nec fundetur in aliquo
 peculiari mandato divino, sed in ipsâ æqui-
 tate communi, quod probat adductione tex-
 tus ex XII. Tab. qui ex jure veteri Attico
 petitus sit. Verba sunt emphatica in Ebræo
 & Chaldæo: *En Lo dânim non ei sanguis,*
leth leb doma, non ei sanguis; Græci οὐκ ἐστὶν αἷ-
μα φόνος non est ipsi cades. Quod quidam
 referunt ad percussorem, ut huic non impu-
 tetur Interfectio juris, quidam ad furem, ut
 scil. non judiciis vindicetur sanguis, sed jure
 talis censeatur esse interfectus, sed in idem
 recidit. Quanquam autem hoc concedi pos-
 sit, consequentia tamen laborare videtur. non
 enim fluxus est necessarii: Lex aliqua Mo-
 saica etiam ex gentium legibus confirmari
 potest, E. propterea juris est naturalis. Cùm
 certum sit leges quasdam Mosaicas dimanasse
 ad gentiles, furtim fuisse subleatas, ut non
 tam debeantur lumini naturali, quàm tradi-
 tioni vel subductioni. Quapropter aliis insu-
 per indiciis ostendendū est hanc legem nō esse
 peculiaris alicujus mandati divini, sed juris
 naturalis, quod ipsum peti potest tum ex eo,
 quia fur nocturnus non potest dignosci, an
 ad furandum tantūm venerit, an verò ad occi-
 dendum etiam; quia itaq; Res in dubio est, &
 ille consideratur non tam ut fur, quàm ut in-
 tentans cædem, ideoque cūm juris naturalis
 sit vim vi repellere, seque defendere, patet,
 quomodo lex illa fundata sit in jure naturæ,
 cui accedit, quod in tenebris non facilè se
 quis possit tueri contra talem, cūm de die
 hoc

Gentium
 leges cum
 Mosaica
 congruen-
 tes legem
 Naturæ nō
 ponunt.

Lex de ne-
 cando fure
 naturalis
 est.

hoc facilius possit; tum ex eo, quia facilè recuperari non possunt, quæ noctu ablata sunt, facilius autem, si de dæ auferantur; tum ex eo, quia si præcisè accipiatur de modo non se defendendi licito quantû ad vitam, sed recuperandi, ablata æquitas aliqua apparet & aliàs lex naturæ dictat, juxta Cicer. de Offic. se, vitam & corpus tueri. *Principio enim generi animalium omni est natura tributum, ut, se vitam, corpusque tueatur.* Accedit, quod sancta fuerit hæc lex ad timorem furibus incutiendum, qui videntes nullam dari actionem sanguinis in eos, qui noctu suffodientes percussissent, ita averti debuerunt vel maximè à pessimo isto consilio. Cùm verò facilè quis possit transgredi terminos in tali casu & omni nisu in id incumbendum, ut talis Directarius servetur vivus, sanguis temerè non fundatur, ideoque quidam hanc legem accederunt de foro externo, in quo tale homicidium non fuit punitum ex suppositione, quod fur etiam vim intentare voluerit. Rectè B. Proavus D. Oslander: cavebit sibi homo pius, ut quacunque aliâ ratione potius furem ædibus expellat, quam ut eum interficiat, nisi extrema vitæ defendendæ necessitas à fure ipsi afferatur.

Ad Th. II.

OBSERVATIO III.

In ipso textu Juris divini ratio apparet pro attici Juris stabilimento.

Jus Atticum divini
Juris rationes stabilimentum.

ADducit Author aliquo modo consonantem legem illam ex veteri jure Attico. Rationem autem reticet, quæ vel maximè hinc expendenda. Rectè enim talis occiditur, positus ponendis, quia ipsa lex divina hoc ipsum permittit, & hanc addit limitationem, *si ortus fuerit sol super eum, homicidium perpetravit talis Paterfamilias, & morietur propterea*; Nam sive hoc accipiamus de die lucefcen- te, sive cum Rabbi Salomone etiam de testibus præsentibus, vel deniq; de diei tantùm præsentia citra testium cõcursum, apparet discriminè inter furem illum, qui suffodit domum noctu, & qui lumine pleno molitus est tale, atque concedi nocturnum furem posse occidi, scilicet si nulla spes sit recuperandi ablata, vel retinendi ipsum; talem autem, qui non de nocte fecit furtum, non posse occidi; *quia oculus testium cecidit super ipsum*, ut textus Hebræus habet, nisi vim inferat, quæ aliter declinari non possit. Et hoc ipsum est, quod Gellius agens de legibus XII. Tab. reliquit, scribens: *Furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permisissent, si aut cum faceret furtum nox esset, aut interdum se telo, cum deprehenderetur, defenderet.*

Ad

Ad Th. III.

OBSERVATIO I.

Patientia quam DEUS exigere potest à nobis eousque non progreditur, ut omnem Defensionem sufflaminet.

IN hac thesi Author disputat, num DEUS potuerit à nobis patientiam eo usque exigere, ut etiam in privatum periculum adducti, occidi deberemus potius, quàm occidere? Antequam autem ad resolutionem procedamus hujus quæsti, monemus Grotium contestim in limine impingere, quando mentionem injicit juris divini voluntarii perfectioris, Evangelici scil., tale enim non dari aliquoties à nobis ostensum fuit. Ipsa autem quæstionis resolutio pendet ex hoc: num sui defensio sit juris naturalis positivè, ita ut obligemur ad defensionem nostram, & illa sit sub præcepto. Nam, si ita sese res habet, sanè DEUS etiam non poterit exigere patientiam eo usque, ut occidi semper, & in omni casu mavelimus, quàm occidere. Quod enim juris naturalis est positivè, contra id DEUS regulariter nec agit, nec agere potest. Sui autem defensionem esse juris naturalis positivè suadent sequentia argumenta; tum, quia proximum diligere debemus ut nosmetipsos juxta jus morale, si autem proximum debemus diligere sicut nosmetipsos,

Quousque
injuriarum
patientiam
DEUS exi-
gere possit.

Defensio
sui est le-
gis Natura-
lis positivè
Ratio Pri-
ma.

amoliri ab illo omnem vim injustam, & defendere tenemur vi dilectionis, ita ut norma istius dilectionis & defensionis constituatur *αυτοφιλία* sive dilectio sui ipsius, & charitas à me ipso incipit, utique positivè teneor me diligendo defendere contra vim, & potius meam vitam servare quàm alterius, occidere aggressorem, quàm vitæ meæ jacturam negligenter facere; tum quia, si jure naturali teneor honorem & famam tueri, quæ minor vitâ, & non tam proximi, quàm mei ipsius, certâ ratione inde concludere licet ad vitam;

secunda. tum quia, si lege divina possum occidere furẽ nocturnum, & bona mea tueri etiam cum periculo vitæ illius, qui ista invadit, multò magis præeligere debeo defensionem vitæ meæ, præprimis cum Apostolus dicat I. Cor. V. *ψλ. 8. qui suis non providet, illum fidem amisisse & deteriorem esse gentili;* contingit autem in tali casu, si vitæ meæ sim prodigus, ut neglectim habeam meos, & consequenter deterior fiam gentili, cui lumen naturæ hîc aliud dicitur. De quo sub distinctione supra. Interim tamen hoc non ita est universaliter accipiendum, quasi in nullo casu DEUS possit hanc patientiam à nobis exigere, ut malimus mori quàm alium occidere. Si enim hoc requirat vel salus animæ vel gloria DEI tutius est mortem oppetere, quàm aliis inferre. Si sæviat summa potestas cui obluçtari armis nefas præter patientiæ gloriam Christiano nihil relictum esse censetur; nec tam defensione quàm patientiâ se commendavit primitiva

tiva Ecclesia. *Nullis scribit Sulpitius Severus, unquam magis bellis mundus exhaustus est; neque majore unquam triumpho vicimus quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus; vicissent Tyranni, si quod quassuerint, impetrassent.* Sed Author disserit hic de illis, qui privatim in periculum adducti & exigere DEUM posse, ut præferamus mortem vitæ, potius nos patiamur occidere, quam ut alios occidamus, asserit.

Ad Th. III.

OBSERVATIO II.

Locus ex Matth. 26. v. 52. productus non satis dextrè vindicatur ab Authore & jus gladii stabilit.

Author in hac thesi producit illud: *Omnia, qui gladium accipit, gladio peribit, & dicit id proverbium esse ex vulgi usu desumptum quo significetur, sanguinem sanguine elici, ideoque armorum usum periculo nunquam vacare. Paria ferè occurrunt apud Adamum à Contzen, qui scribit. *Simplex mihi sententia videtur: Qui gladium contra Romanos & Magistratus Templi acceperint, se tueri non poterunt, fortiori succumbent inferiores.* Sed hæc Caduca sunt; supponit enim (1) Grotius esse Proverbialem tantum locutionem, non autem probat, (2) aliud textus structura & scopus Christi indicat, & tandem (3) hoc*

Verba: qui accipit gladium &c. non sunt proverbialis sententia.

(3) hoc dictum vel maxime stabilit potestatis publicæ gladium. Nam eo ipso quo Christus jubet, ut Petrus gladium in vaginam convertat, subjuncta non proverbiali locutione, sed accurata ratione, quia qui gladium *accipit* privata temeritate periturus sit gladio potestatis publicæ, tacitè confirmat jus gladii in potestate publica, vel stringendum in subiectos, vel etiam in extraneos. Nec obstat quod Photiniani exponunt, esse meram prædictionem, adeoque Christum tantum prædicere, quid ordinariè fiat, si quis gladium accipiat, non verò quid jure fieri possit vel debeat, quemadmodum etiam hodie is, qui planè negat licere aliquem interficere, posset eum qui contetiosus est, & ad arma statim provolat dehortari ab ista levitate hoc argumento: vide, ne des pœnas tuæ levitatis, nam ita comparatum est, ut qui arma sumunt, etiam per arma pereant. præterea non exprimi, per quem perire debeat, qui gladium accipit, cum possit gladio perire aliquis absque ulla pœna Magistratus, vel bello publicæ potestatis, prout experientia testatur. Nihili hæc sunt, quorum prius videtur probasse Grotius, & hausisse ex Photinianis, dum locutionem vult esse proverbialem, partim quia Christus observante Chrysostomo & Theophylacto respicit ad jus illud antiquissimum Gen. IX. 6. *Qui effuderit sanguinem ejus sanguis effundetur per hominem*; quem locum supra vindicavimus, partim quia Christus dirigit sermonem suum ad Petrum, personam scil. privatam, cui non
 datus

Nec sunt prædictio
 ejus quod
 accepto gladio
 conficitur.

datus erat gladius divinitus, & ex hac ratione, quod qui non datum habeat, sed ipse accipiat proprio ausu & temerè, propterea sit obnoxius potestati illi, cui datus est gladius, ut eo animadvertat in eos, qui fundunt sanguinem; partim quia Christus hoc dixit etiam cum iniquè uteretur gladio suo Magistratus emitendo satellites & speculatores qui ipsum prehenderent, quos arcere voluit Petrus & defensionem parare adversus illos. Adde, occurrere in textu particulam universalem, ex quo colligitur propositionè hanc esse nõ pro-verbium, sed regulã ordinariam & quidem universalem, quod sc. homicidæ, voluntarii per Magistratum sint puniendi. Rectè itaque Jansenius hæc verba ita accipit. Gladio peribit, *h. e. dignus est, qui pereat, non enim Eventus, sed meritum homicidæ significatur.* Quod autem urgent, etiam qui negat planè licere aliquem interficere posse hoc genere sermonis uti, vix concedendum erit. Multum enim differunt illa Verba; vide nè pœnas des tuz levitatis, & vide ne facias, quia gladio peribit qui illum citra commissionem divinam usurpat, prius enim potest intelligi de qualicunque Eventu possibili vel futuro; posterius autem Ordinem insinuat & Justitiæ Munus. Neque verba Christi tantum sunt prædictoria, cum alias essent falsa; dicit enim omnem qui accipit gladium gladio periturum, atqui itidem Experientia teste certum est, non omnem qui gladium accipit gladio perire, multos effugere vim ipsius. Per quem autem pe-
 rire

rire quis debeat gladio non solum expressum est in loco supra citato Gen. IX. , sed etiam virtualiter in hoc loco continetur, nempe, per illum, qui non accipit gladium, non temerario ausu illum sibi arrogat, sed per illum, cui datus est gladius desuper, & qui non frustra sine vocatione aut fructu illum gestat, ut Paulus docet Rom. XIII. nec, si non exprimitur Judex, nostra non subsistit sententia, cum etiam alibi illius non fiat mentio, & tamen necessario subintelligendus veniat Exod. 21, v. 12.

Ad Th. III.

OBSERVATIO III.

In resolvendo Argumento quod ab Exemplo Christi ductum Author non satis dextrè procedit.

Grotius differit de morte Christi & obligatione subsequente, & dicit in hac ipsa thesi quod Christus pro impiis mortuus sit, id non fecisse ex lege aliqua, sed ex speciali pacto & fœdere cum Patre, qui propterea ei summam gloriam & gentem in æternum duraturam promiserit, nec jussisse animam nostram periculis subjicere pro quibusvis, sed saltem pro ejusdem disciplinæ consortibus i.

Exemplum Christi in quantum sit imitabile?

Joh. III. 16. At (1) Author errat, quando dicit Christi Exemplum si imitemur laudabile quidem esse, sed imitandum quoad fieri possit. Nam quamvis certum sit, nos non posse imitari

tari exemplum Christi quantum ad rationem specialem mortis, quia Christus pro nobis redimendis, & nostro non tantum bono sed & loco, animam posuit; tamen tenemur imitari hoc exemplum in certo casu, quantum ad ipsam caritatis rationem, ut sc. etiam parati simus ponere animam pro fratrum bono, in his ædificandis, cōsolandis vel etiam cōservandis.

(2) errat, quādo differit de morte Christi & asserit ipsum esse ex pacto vel fœdere inito cum Patre. At hoc, non factū est ex pacto & fœdere cum Patre exclusivè, sed in consilio totius Trinitatis, 2. non factum est intuitu suæ gloriæ Christo deferendæ, gloria enim habuit sese ad passionem antecedentē non per modum mercedis ad meritum, sed consequentis; cujusdam ad antecedens ex ordine divinitus instituto 3. etiā Ecclesiæ constructio, gentis sc. in æternum duraturæ non pependit ex passione tanquam ex conditione prævia, sed habuit sese ad illam tanquam effectus ad causam. Hinc loco allegato ex Esaia dicitur: *Si posuerit Animā suā pro reatu videbit Semem*, hoc est posteritatem moriendo sibi comparabit & propagabit, veram scil. & perpetuam Ecclesiam; quidam per modum admirationis accipiunt sed in idem collimant, ac si sensus esset: admirandum est quod qui ita percussus & contritus, imò mortuus, tam immensam tamē sobolē ediderit.

(3) Author noster quādo restringit dictum I. Joh. III. quasi sc. non pro quibus cunq; , sed pro ejusdē disciplinæ consortibus tantum teneremur animam ponere.

Mors Christi non suscepta est intuitu fœderis cum Patre. vel obtinēdæ Gloriæ;

vel augendæ Ecclesiæ.

In quo casu tenemur vitam ponere pro Fratibus.

Ff

Quantum

quàm enim promiscuè non teneamur pro vi-
 ta temporali aliorum vitam nostram discrimi-
 mini objicere, quod Augustinus eleganter docet scribendo in libro de mendacio ad
 Consentium c. 6. *Ipsa dilectio proximi ex
 sua cuiusque dilectione terminum accepit. Di-
 xit enim Deus: diliges proximum tuum tanquam
 teipsum; qui itaque pro alio temporalem vi-
 tam perdit, non iam diligit sicut semetipsum,
 sed plusquàm seipsum, quod sanè doctrina regu-
 lam excedit: tamen pro quibusvis tenemur,
 sed non promiscuè citra respectum certi casus
 & hypotheseos; quod ipsum probamus tum
 ex eo; quia pro exemplo hujus dilectionis
 ponitur Christus, qui etiam suam pro nobis
 deposuit, ut autem Christus non tantum
 mortuus est pro ovibus suis, pro electis, ut vo-
 lunt Calviniani, sed pro omnibus: *mortuus est
 pro nobis cum adhuc inimici essemus* Rom. 5.
 v. 6. 7. 8. ita pro quolibet, etiam si non sit
 nostræ Religionis tenemur in certo casu ani-
 mam ponere; tum ex eo, quia hoc enuntiātū
 Apostoli conforme est verbis illis: *dilige
 proximum tuum sicut teipsum*; proximus autem
 non solum notat illos, qui sunt consortes Reli-
 gionis, sed quemvis hominem ex ipso humi-
 nitatis vinculo nobis junctū; tum quia, quam-
 vis Johannes dicat, pro fratribus esse morien-
 dum, quod videtur favere Grotio, tamen non
 excluduntur illi, qui fratres non sunt, h. e. non
 ejusdem religionis. Optavit enim Paulus Ana-
 thema fieri à Christo pro fratribus non secun-
 dum Religionem, sed carnem, animo & Spi-
 ritu*

Illustratur
 exemplo
 Christi.

ritu adversis. Rom. 9. v. 3. & si accipiamus hanc vocem large, omnis homo frater noster dici potest. Agit autem hoc dictum de interveniendi promptitudine proximo, quo ipso intelligimus latius illud sese porrigere quam ad fratres, quam ad ejusdem religionis consortes, & tam agit de vitæ jactura quam de fortunis quoque; & omnibus, quæ in hac vita nobis cara esse possint & interim tamen rectè probatur ex illo, etiam posse & deberi aliquando vitam poni pro fratre partim si sit persona publica, qua ratione omnes subditi tenentur; partim si salus publica id exigat, ut David in pugna cum Goliatho; partim si spiritus alterius vita cum periculo temporalis possit salvari, ut supra ostensum, quâ ratione Paulus & Barnabas commendantur, quod sint homines qui exposuerint animas suas Act. 15. v. 26. Consulantur etiam loca illa ex Epistola ad Coloss. 1. v. 24. 2. Timoth. 2. v. 10. De Consilio & sublimis propositi commendatione, quæ subjungit, alibi excussa sunt.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO I.

Quæ prodit Grotius de Bello publico minus solenni sine castigatione non possunt transmitti.

In thesi 4. Author (1) differit de bello publico minus solenni, & statuit geri in privatos, & authorem habere Magistratum

quemvis . qui, *isi vis occurrat*, jus habeat Belli gerendi, nterim tamen quia ex bello tota civitas in periculum veniat ideò ferme omnium populorum Legibus cautum esse, ut bellum non geratur nisi ab illo, qui gaudet summa potestate. Verùm multa hinc dicuntur sine fundamento; & non absque erroris nota. Erroneum est (1) quod statuit bellum geri in privatos, & authorem habere Magistratum quemvis; tum quia bellum accuratè loquendo non geritur in privatos, sed in compares, qui Majestate quoque gaudent, aut Reipublicæ sunt talis, quæ bellum gerenti non est subjecta; tum quia Magistratui non concessum est bellum gerere; qui enim superiorem habet, non debet nisi ex præscripto ejus gladium sumere, juxta illud Christi Math. XXVI. v. 52. tum quia, si absurdum est, statuere Magistratum posse bella gerere, multo absurdius erit illa universalitas, quam Grotius asserit, nempe quemvis magistratum hoc ipsum posse, (2) errat, quando dicit, extra leges Civiles si respectetur, Magistratum habere potestatem belli gerendi, adeoque jure quasi gentium, cui sibiulam imposuerit jus Civile. Verùm hoc erroneum esse patet tum ex eo, quia præscindendo à legibus Summa potestas in Republica habet jura Majestatis, habet itaque, sicut antecedenter ad leges Civiles, Majestatem, ita antecedenter ad leges Civiles jus belli, potestatem suos defendendi & hostes arcendi; tum quia falsum est jure gentium Magistratus habere jus belli gerendi, & ob-

si, quibus-
cum bella
geri pos-
sunt, non
sunt Privati

Magistra-
tus ius bel-
ligerendi
non habet.

cem illis tantum positum esse ex legibus Civilibus, eo ipso enim quo talis Magistratus superiori est subiectus, non habet jura illa, quæ soli superiori competunt; tum, quia ipse Cæsius argui potest ex propriis verbis; dicit enim omnium populorum legibus ferè cautum esse, ut bellum geri non possit, nisi auctore eo, qui summam in Civitate potestatem habet, at, si hoc est, ex omnium ferè populorum legibus; gentium juris intelligitur esse, adeoque antecedenter sese habere ad jus Civile.

(3) Dicit, sicut Magistratus possit exercere Jurisdictionem, ita, si vis occurrat, jus habere belli gerendi. Verùm (1) non est par ratio Jurisdictionis & juris belli; cum prius cadat in Magistratum, posterius transgrediatur limites illius, (2) si vis aliqua externa occurrat, & consequenter cogatur illam depellere, faciet hoc non tam auctoritate propria, quàm auctoritate publica, quæ fundatur in consensu Principis virtuali vel implicito, præsumitur enim ipsum Principem si moram pateretur negotium, depulsurum vim à Civitate subiecta, (3) quamvis etiam armata manu possit in Jurisdictionis executione uti Magistratus, nondum tamen hoc ipsum fundat jus belli, quod alterius est ordinis. De rituum requisito ad Bellum solenne alii disputent. Formulam apud Romanos consuetam exhibet Livius lib. I. scribens: *Legatus ubi ad fines hostium venit. Audi Juppiter, inquit, audite fines, audiat Fes. Ego sum nuncius publicus Romani populi jure pique legatus venio, verbisque me-*

In bello Magister pendet ab Auctoritate Principis.

Formule Romanorum bellum indicientium.

*is fides sit (peragit deinde postulata:) si non de-
duntur, qua postea diebus tribus & triginta
per actis Bellum indicit: Audi Juppiter &
& tu Juno. Quirine Diique omnes coelestes,
vosque terrestres, vosque inferni audite: Ego
vos testor populum illum injustum esse, neque jus
persolvere.* Legatur Plutarchus in Numa
Dionysius Halicarnassensis lib. 2. Antiq. Gel-
lius lib. 16, & 24. Noct. Attic. cap. 4.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO II.

Quantvis per apparitores cogere
possit non parentes Magistratus,
& in casu instantis necessitatis arma
movere, quæ tamen colliguntur ex
hypothesi hac, non concludunt.

In iis, quæ
licite agit
Magistra-
tus jus bel-
landi non
fundatur.

Dicit Author hanc legem suam interpre-
tationem recipere. Nam primùm il-
lum, qui Jurisdictioni præest, posse per appa-
ritores suos vi cogere paucos non parentes;
quoties ad eam rem copiis majoribus opus
non est, nec periculum imminet Civitati (2)
si ita præsens est periculum, nec tempus su-
perfit, ut consuli possit summa potestas, hinc e-
tiam necessitatem exceptionem potrigere.
At & hinc erratur: tum quia hoc non est bel-
lici juris cogere per apparitores; tum quia,
etiamsi majoribus copiis opus esset ad hoc ne-
gotium, non tamen propterea sequeretur, ad-
hibitis illis, fundatum esse jus Belli in adhiben-
te,

te, tum quia si de mero licito sit sermo, etiam in casu periculi licet vi cogere, nec tamen propterea jus belli admittendum est in tali cogente.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO III.

Franciscus Victoria Civitati periculose tribuit, quæ illi non competunt.

Concludit Author hanc thesin, scribendo; extra talem necessitatem ad vindicandas injurias, quas Rex persequi negligit, jus bellandi oppidanis in Civitate dare ausum fuisse Franciscum Victoriam, sed ejus sententiam merito ab aliis repudiari. Concise hinc agit contra Victoriam, rectè autem dicit, quoque alios ipsum repudiare. Nam scribit ille in Relectionibus Relectione de jure belli num. 9. Civitatem ab aliis passam graves injurias posse tentare armis compensationem, si Princeps requisitus nolit eam tueri; imo posse Civitatem, aut Ducem injuriam passum non tantum se defendere, sed etiam Bellum inferre & animadvertere in hostes. Ludovicus Molina Disputat. 100. Victoriam referens idem docet, sed limitare vult, & ait, illam licentiam non debere extendi. Ægidius Cornink. autem num. 60. solum ut probabilem illam defendit, & quidè in casu, quo sæpe ea Respublica patitur talia damna, & Princeps

An Civitatibus injussu Principis tentare bellum liceat?

Pugnatur contra Victoriam.

nolit esse sollicitus de eorū reparatione. Verum rectius alii simpliciter Victoriā rejiciunt; nec limitatio vel Molinæ, vel Coninkij negotium expedit, & proin vel universaliter erit concedendum in sententiā Victoriæ, vel illa erit universaliter neganda. (2) ut constet de tota controversia præmittendum est (1) dari duplicem Ordinem Rerumpublicarum: quædam enim Principi planè sunt subjectæ in omnibus e. g. in regno Civitates Regni, quædam sunt liberæ Respublicæ, ita tamen, ut habeant supra se saltem in multis rebus unum aliquod caput, quemadmodum in Germania dicuntur aliquæ Civitates liberæ absolute, & tamen supra se recognoscunt Imperatorem, prout etiam Electores & Principes & liberi sunt & subjecti Imperio. (2) Respublicæ sive Regna secundum quosdam instituta sunt, vel ex conventionem hominum traditionem se voluntati alterius, in ordine ad gubernationem Politicam, vel vi fuerunt subjectæ & armis. (3) In illa traditione voluntatum subditi se maximè suis Capitibus subjecerunt in ordine ad decisionem litium, & ita juxta quosdam omnem puniendi & belli gerendi potestatem in Principem seu Caput Reipublicæ transtulerunt, ita ut supposita eâ Reipublicæ regnive institutione, prius nõ possit jus indicendi bellum offensivum, (quod est quædã puniatio aut decisio litis,) reperiri in ejus Reipublicæ quolibet membro, quàm credatur à supremo capite illi concessum, quodq; maximè videatur indigere prudentiâ Capitis Reip. quia si

Rerumpublicarum
& Civitatum forma
varia.

ali-

aliquid est magni momenti in Republica & videtur maximè indigere prudètia Capitis Reipublicæ, bellū id est. Hisce positis (3) tres conclusiones possunt formari, quarum Primà est, si Princeps consentiat posse unam Civitatem Regni alteram nolentem satisfacere, armis ad id cogere; Secunda, Principe resistente non videtur ullo modo licitum esse, etiamsi grave aliquod damnum passa sit Respublica, quia majoris momenti est servare illam subordinationem erga Principem, & modum præscriptum à Principe, quàm quod per accidens aliquando, aliquod particulare membrum patiatur damnum. Illustratur hoc ipsum ex decisione juridica causarum. Nam quamvis aliquando Judices à Rege vel Republica constituti iniquè ferant sententiam, non tamen liberum est propterea privatæ personæ, extorquere vi illam rem ab eo, cui est adjudicata; id enim gravissimis inconvenientibus esset expositum: multò minus itaque licebit Reipublicæ contra voluntatem Principis id tentare per bellum, quod longè periculosius est. Confirmatur ulterius, quia illa vindictio vergeret in gravissimum Principis damnum, non solum quia imminerentur eo modo subditi, & per mutua vulnera caderent, sed etiam, quia civitates integræ vel destruerentur vel muris & munitionibus destituerentur, aperireturque aditus externis hostibus, ut facilè possent regnum invadere & occupare. Tertia denique conclusio sive propositio est: Sine

Civitas a
viti bel-
lum indi-
cere jure
non potest

Ff 5

fiden.

licentia vel expressa vel interpretativa & quidem valdè clara Principis non posse tale bellum indici à civitate aliquâ, etiamsi de novo positivè Princeps id non prohibeat. Ratio non solum ducitur ex implicito pacto Reipublicæ cum Principe, quo præsumitur tale bellum prohibitum, sed vel maximè ex eo, quia soli summæ potestati in Republica tribuitur, juxta Scripturam, *Majestas & consequenter jus belli.* Si itaque Respublica aliqua subjecta sine licentia vel expressa vel clarè interpretativa alteri civitati bellum infert, vel armis illam aggreditur, *gladium sibi sumit, jus illud Majestatis involat, & consequenter etiam fulmine Christi tangitur, dicentis: Omnis, qui gladium accipit, gladio peribit.* Quæ in tantum probamus, in quantum inferioribus & subditis, contra Victoriam Molinam & Coniactium, derogant illam Auctoritatem belligerandi: de hypothësis enim præmissis aliter philosophandum, ut constabit ex sequentibus. Quamvis autem quædam in contrarium moveantur hîc, & suis limitationibus circumscribantur postremæ propositiones, in his tamen poterit Conscientia acquiescere.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO I.

Facultas moralis gubernandi civitatem tria complectitur.

Potestas civitatis, in tribus consistit juxta Aristotelis;

IN hac thesi præmissis ex Thucydide tribus rebus, quæ facultatem moralem gubernat.

bernandi civitatem integrant, progreditur ad Aristotelis sententiam, & dicit facere illud tres partes in administranda Republica (1) consultationem de rebus communibus, (2) curam legendorum Magistratum, & (3) judicia. Circa quam sententiam Aristotelis observamus, quod i. ita proponatur, ut Aristoteles mentionem quidem faciat consilii sive consultationis, verum non de consilio præcisè tali loquatur, sed de consilio in quantum illud armatum est potestate circa omnia communia, prout hoc ipsum non solum patet ex verbis subjectis, sed etiam exemplis ab Aristotele additis; Sic etiam quando loquitur de creatione Magistratum Interpretes observant, quod consultatio sit præmittenda & subintelligenda in textu, ut alterum in Republica sit consultatio de Magistratibus; in tertio jurisdictio proponitur, quod vocabulo satis commode Græco expressit. (2) Observ. Bodinum frustra hinc se opposuisse Aristoteli, quod scilicet hæc non possint jura Majestatis dici, neque hisce comprehendi ea, quæ essentialia sunt Majestatis. Nam, quod replicat contra primum, nempe consilium de Republica capere, proprium esse Senatus, cujus officium ab officio Principis divisas habet rationes: quod contra alterum replicat, etiam Magistratus à Magistratibus creari, cum consules crearent Tribunum militare, qui cum Jurisdictione fuerit, & Imperio militari, Vasalli etiam Magistratum & Jurisdictionem aliis tribuant: Denique, quod contra

Obicitur
huic Bodi-
nus.

Retundit-
tur ratio-
nibus.

tra tertium replicat, Jurisdictionem esse penes Magistratum, non evertunt illa, quæ posita sunt ab Aristotele, & à quibusdam defenduntur. Non primum, quia Princeps caput est Senatus, cujus autoritate consilia robur induunt, & quomodo consilium sit accipiendum, sub qua notione sumat Aristoteles supra expositum. Alterum nihil concludit, quia, quamvis Magistratus etiam creet inferiorem Magistratum, & Vasalli hoc jus habeant, tamen non habent radicaliter & independenter, semota autem radicali illa & independente potestate cessat Majestas. Tertium denique non concludit, quia jurisdic-tio ita est penes Magistratum, ut tamen fundamentum illius resideat in Majestate. (3) **O**bserv. disputari posse, num Aristoteli propositum fuerit in loco allegato ab Authore nostro, delineare jura Majestatis, cum id alibi fecerit, & consultare, si propriè accipiat, non sit ad Imperium referendum, sed ad illos, qui assistunt Imperio, nec habet rationem regiminis, sed prudentiæ & oculi in illo. Nec obstat, quod Aristoteles exempla subjiciat, quæ ad summam potestatem referenda, cum hoc non tam factum sit per relationem ad primam originem, quàm propter connexionem consultationis cum summa potestate in hisce negotiis conspicuæ.

Ad

Ad Th. VI.

OBSERVATIO II.

Quæ ex Dionysio Halicarnassensi
producentur, probè explicata ad-
mittuntur.

Adducit Author Dionysium Halicarnas-
ensem, qui tria maximè notat, quæ
potestatis civilis ambitu comprehenduntur,
nempe jus Magistratum creandorum, (2)
jus legum condendarum & tollendarum, (3)
jus decernendi de bello & pace, quæ senten-
tia non potest displicere eruditis, ita tamen
ut 1. alius instituaturs ordo, nam jus creando-
rum Magistratum non primum censetur esse
in Majestate, sed potius jus legum conden-
darum & tollendarum; tum, quia hoc spectat
ad Architectonicam, tum, quia versatur cir-
ca universalia juxta ipsum Grotium; tum, quia
in illa potestate circa sacra & profana maxi-
mè conspicitur Majestatis splendor. 2. Ob-
serv. ad has tres partes posse cætera Regalia,
ut jura Majestatis vocantur in jure Canoni-
co, facilè reduci. Hinc illa tria saltem sunt
summa capita, quæ tamen dextrè accepta ex-
hauriunt totam latitudinem Majestatis. 3.
Non opus est, ut addatur quartum nempe
Judicia, quia commodè hoc reducitur ad jus
Magistratum creandorum, nec cura sacro-
rum & convocatio comitiorum tanquam di-
stinctum quid, cum id ipsum sub jure legum
con-

Potestatis
Civilis par-
tes ex Dio-
nyf. Hali-
carnassensi
approban-
tur.

condendarum & tollendarum comprehen-
datur.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO III.

Rectè Author potestatem civilem
non tantum circa profana, sed & sa-
cra versari asserit.

Facultas
Moralis gu-
bernandi
versatur
tam circa
sacra, quàm
circa pro-
fana.

Observandū est in hâc thesi Grotium ita di-
spescere potestatem summam, ejusq; jura,
ut statuatur illū, qui civitatem regit, occupari aut
per se circa illam, aut per alterum. Per se, ut vel
objectum sint universalia, leges sc. circa sa-
cra & profana; vel singularia, quæ dispescun-
tur in illa, quæ directè publica sunt, & vel
nomine actionum veniunt, pacis scil. belli &
fœderum, vel regulariter, dominiū scil. emi-
nentis, juris, vectigalium, & aliorum, & in
illa quæ privata sunt, interim tamen publi-
cam rationem habent, & induunt respectum
ad aliud, nempe ad publicum, qualia sunt res
controversæ inter singulos, quas publica au-
thoritate dirimi publicæ quietis interest.
Quæ autem regens civitatem per alterum
exequitur, non per se, illa negotia referun-
tur à Grotio vel ad Magistratus, vel ad alios
Curatores & Legatos. Quanquam autem in
hac divisione quædam desiderari possent, ut
patebit in progressu, admitti tamen potest
pro præsentī. 2. Observ. est circa hanc divi-
sionem disputari à Politicis Pontificiis vel

Dissentiunt
Pontificii
quoad pri-
us;

ms.

maximè primum caput, nempe potestatem circa Sacra. Impugnavit enim illam in Principe politico Bellarminus, Baronius, Becanus, Thomas Bozius, Nicolaus Sanderus, Colmas Magalianus, Wilhelmus ab Effern, Jacobus Oranus in Principe Christiano & alii quamplures. Sanè Besoldus in politicis ita differit, ut dicat: *Jura Majestatis, Ecclesiastica imprimis, eo sine introducta sunt, ut Imperantes simul divinarum & humanarum rerum, animarum aequè ac corporum domini existere possint.* Verùm malè, tum, quia jura Majestatis Ecclesiastica non introducta sunt in sensu Besoldi, sed divinitus concessa & commissa, qui enim summam in Republica potestatem contulit, ille etiam in ipsa inclusam vult dispositionem circa Ecclesiastica & curam sacrorum. Principis certè est non prospicere solum, ut benè sit subditis temporaliter, sed etiam æternum, & studere, ut quàm beatissimos illos faciat, hinc divinum de hac cura veritatis divinæ mandatum Deut. XVII. 18. ad quem locum legatur Schickardus noster de Jure Regio Ebræor. cap. 2. theor. 5. & 6. 2. Si Besoldus denegat jura Majestatis Ecclesiastica Principibus Politicis, transcribit illa utique Episcopis vel potius Pontifici Romano, num itaque quia Pontifex Romanus jura Majestatis habet Ecclesiastica, eum in finem habet, ut animarum sit Dominus, quæ tamen soli DEO subsunt? 3. Jura Ecclesiastica habere quantum ad dispositionem externam, non est dominari animabus, sed pro-

Refutatur.

Confirma-
tur sanior
sententia
Consuetu-
dine Gen-
tium,

Et Princi-
pum Chri-
stianorum.

prospicere animabus, præscribere non abso-
lutè, sed ex agnito typo doctrinæ cum consi-
lio doctorum, quæ in certo & determinato
territorio publicè doceri debeant. Hinc et-
iam apud Gentiles Majorum consuetudo e-
rat juxta Servium, *ut Rex esset etiam Sacer-
dos vel Pontifex*, & de Hebræis Tac. l. 5. Hist.
scribit: *honorem Sacerdotij firmamentum po-
tentia fuisse assumptum.* De Christianis Im-
peratoribus scribit Baronius ad annum Chri-
sti 312. *Auctoritas pontificatus Christianis Im-
peratoribus hoc magis necessaria videbatur,*
*quod scirent, se invito Senatu regnare & di-
versâ Religione, jam in se gentilium omnium*
odium atque invidiam concitasse. Pergit Be-
soldus: *Corruere dogma anglicanum, quod Re-
gem & Principem quemlibet Caput Ecclesiæ sua
esse urgeat. Hujus antea inauditi dogmatis
Authorem fuisse Henricum Angliæ Regem,*
*qui cum divortium à Pontifice Maximo im-
petrare non posset ab eodem secessionem fecerit.*
At corruisse dogma Romanum de Pontifice
Capite Ecclesiæ norunt quotquot Scripturis
attendunt, Reformationis beneficium agno-
scunt. Regem & Principem esse Caput Ec-
clesiæ, si de membri Principis Dignitate vel
summâ Inspectione accipiatur, non est tam
horrida phrasis ut quidam sibi imaginantur.
Annon Scriptura Capitis titulo Regem ornat
& Clerum eidem substernit? 1. Sam. 15. v. 17.
annon ratio docet architectonicam potesta-
tem non tantum intra circûm civilium subsi-
stere, sed & ad Ecclesiastica se extendere? an-

non

non Constantinus Magnus se Episcopum vocavit illorum, quæ sunt extra Ecclesiam, ut curam internam tribuendo Episcopis illos dixit tales intra eam apud Eusebium libr. 4. cap. 24. Henricum Angliæ Regem dogmatis hujus inauditi Authorem fuisse vix impetravit à Veritatis Luce Historia; disertè enim Socrates *Ex quo Imperator facti sunt Christiani res Ecclesie ab ipsis dependisse* asserit. Si Imperator dictus est Navarcha Ecclesie universalis, cui gubernacula illius à D E O sunt concredita à Basilio, si Concilium Moguntiacense L. Carolum Magnum vocavit veræ religionis Rectorem, si ipse Rex Britannus ab Eleutherio Romano Pontifice salutatus est Vicarius DEI etiam in negotio religionis, quæ absurdum sit proscribere titulum Capitis dextrè explicatum? quæ dogma hoc dici meretur inauditum ante tempora Henrici. Ex causa quam assignat, Besoldus secessionem fecisse à Pontifice Henricum, si ponamus, non oberit justæ vindicationi: possunt varia humana intermisceri divinis, ut tamen hæc eniteant & abstergi sordes ex occasione sordidæ. Quid quod divortium illud Sorbona probaverit non tantum, quod illa Catharina fuerit fratris Henrici sponsa, sed etiam nulla ex illa spes masculæ proli; respuit hunc titulum Elisabetha & recepto illo, ut loquitur Thuanus lib. 15. historiarum sui temporis à patre & fratre, Ecclesie Caput cepit per Angliam appellari, nec Bionii Jocus in deliciis Foreiro dicentis de Elisabetha ad numeros se agitante:

Reges Capita in Ecclesiis.

rante! Ecce quam belle saltat Caput Ecclesie Anglicane Pontificijs conducit, cum de uno & altero Papa Cynado possit consimiliter dici: Ecce quam belle Caput Ecclesie Romanæ miscuit se pueris. Legantur Chopinus, Salgado, Goldastus & noster B. Brentius in Prolegomenis Apologie Ducis Christophori, ubi multa ad hanc materiam utilia occurrunt. Ex Calvinianis dextrè non incedunt Jacobus Revius in Examine Opusculi Vedeliani Triglandius de potestate civili & ecclesiastica, nec nos Guilielmus Appolonius in tractatu theologico de Jure Majestatis circa res ecclesiasticas, quos imprimis malè habet, quod tribuatur jus vocandi & eligendi pastores summis potestatibus, cum in V. T. Magistratus non constituerint Sacerdotes & Ministros cultus divini, sed ipse DEUS sibi selegerit tribum Levi; Aaronem & ejus posteros ipse constituerit Sacerdotes. In N. T. ipse Christus dedit Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores, qui deinceps per Ecclesie suffragia alios elegerint, vocaverint, instituerint; quæ nihil probant nisi ipsam substantiam Ministerii & functionis ecclesiasticæ esse refundendam in Originem divinam, non autem ab externis circumstantiis excludi potestatem in Republicâ summam, interna subesse soli DEO, non verò negandam esse dispositionem circa ea *ἐκ τῶς* ut Constantinus voluit: & num patria potestas non est à DEO immediate, tum nihilominus subsit moderamini politico? Nec

Ius vocandi Sacerdotes Regibus iniquè adimunt Calviniani qui dam.

tamen

tamen admittimus excessivè scripta ab Episcopo, quod sacrorum Cura atque Imperium ad Magistratus solos pertineat, quia aut nolimus his solis supremam potestatem in Republicâ competere, quo pontificiûm in Rempublicam & Ecclesiâm reducatur Imperium, aut certant tantum speciem supremæ potestatis assignare, atque ita admittendam collateralè potestatem. de quo alibi egimus. 3. Author in alterâ parte potestatis, quæ ipsi dicitur Politicâ, civilis, vel etiam consultatrix, ponit dominium eminens, & dicit hoc dominium habere civitatem in cives; Verùm minus commodè id dicitur, melius hoc ipsum tribuitur potestati summæ in civitate; quia ut tali competit Imperium in personas, ita competit quoque dominium eminens in res civium sive bona, positæ ponendis etiam exercendum; quamvis autem plures censeant & denegent summæ potestati tamen illud ipsum satis fundatum est etiam in ipsa Codice sacro, præprimis autem in loco I. Sam. VIII. de quo in sequentibus.

Episcopus
notatur.

Dominium
eminens
debetur
non Civitati
sed
potestati
summæ

Ad Ph. VII.

OBSERVATIO I.

Malè Subjectum summæ potestatis commune admittitur.

IN hac thesi Author disputat de summo potestatis subjecto, & illud duplex constituit, (1) commune & (2) proprium. Commune

Subiectum
Potestatis
summæ ab
eâ nisi pro-
prium.
Probatur I.
Rationibus
Regis Bel-
larminii : ab
iuramento
do.

ipsi est civitas, proprium verò ille, qui præest civitati, penes, quæ est *κύριον*. Illustrat hoc ipsum exëplo corporis humani & oculi. Corpus humanum subiectum est comune visus juxta ipsum, & præter illud subiectum proprium, visus est oculus. Verùm hæc planè à vero recedunt, cum præter proprium subiectum nullum commune detur, neque civitas subiectum commune potestatis summæ dici possit. Quod ipsum (1) demonstramus ex argumētis Jacobi Regis Britanniz, quibus usus est contra Bellarminum. Primum enim petit ab incommodo, quia sententia hæc sit fundamentum seditionum & factiosis & rebellibus avidissimè arripiendum : si enim præter Principem datur commune subiectum potestatis summæ, & radicaliter in totâ civitate est illa potestas, tunc, quia Princeps à populo potestatem haberet, posset populus in Principem insurgere, seque in libertatem vindicare, quâncumque ipsi videretur, nimirum fretus eodem jure & potestate, quam in Regem transtulit, præsertim cum Bellarminus dicat populum nunquam ita suam potestatem in Regem transferre, quàm illam sibi in habitu retineat, ut in certis etiam casibus actu recipere possit. Reponit quidem Franciscus Suarez postquam populus potestatem suam transtulerit in Regem non posse justè in libertatem se vendicare, ut particularis persona, quæ juri suo renunciavit, & se in servum vendidit. at manet nihilominus posse populum uti non pro arbitrio & desultoriâ levitate in liber-

libertatem se vendicare, posse tamen in certis casibus, quia juxta Navarrum & Bellarminum retinet potestatem in habitu, quod falsissimum, cum nunquam vel actualiter vel habitualiter illam habuerit, multò minus retineat vel retinuerit, propone autem hæc populo ad novas res prono & prurienti, quàm gratum erit flabellum, quàm suave in excussione jugi incitamentum. Alterum petit ab exemplo Saulis, Davidis, qui non à populo, sed à DEO immediatè principatum acceperunt. Saul enim per sortes nutu divino electus est, quod signum potestatis immediatè à DEO acceptæ, prout constat exemplo Matthiæ Apostoli, de quo scimus inde Apostolicam dignitatem immediatè à DEO accepisse, quia per sortem ad illam electus est, Act. I. Putidissima verò sunt, quæ idè reponit huic argumento, disputari posse, scribens: *non duo illi Reges Saul & David immediatè a DEO acceperint potestatem*, dein apertè statuens populum contulisse, juxta illud Deut. 17. v. 14. & 15 Sed, quid inter Jesuitas disputari non potest, qui cum Anaxagoram ipsa nive quandoque atramentum videt. Nec dicitur Deut. 17. quod sibi Jesuita fingit, sed præter potestatem conferendi Majestatis splendorem & jurâ, etiam Deus sibi appropriat potestatem eligendi; neque, si dicitur constituisse populum Israeliticum Regem, de collatione potestatis regis in ipsum, sed vel Desiderio, vel designatione personæ subordinatâ ad voluntatem divinam vel Consensu hoc erit accipiendum.

2. 2000.
Plus.

Bellarminus cum Sociis notatur.

9. A dictis
Scripturæ
Rom. XIII.

num, quia Cardinales constituunt Papam, potestatem summam ecclesiasticam habebit non immediatè à DEO, sed illis Ecclesiæ Cardinibus? Tertium possumus addere ex dictis Scripturæ, si eligamus è multis tantum duo; unum ex V. T. alterum ex Rom. XIII. v. 1. & seq. ubi dicitur: *Non est potestas nisi à DEO, & quæ sunt potestates sunt à DEO ordinata: Itaque quisquis obstitit potestati, DEI ordinationi obstitit, DEI enim minister est.* Particulâ autem nisi excluditur omnis causa constituens, removetur populus, & solus DEUS causa potestatis asseritur, quemadmodum si dicerem: non fuit Adamus nisi à DEO, hoc vellem solum DEUM creasse immediatè primum hominem; Ita quando dicitur non est potestas nisi à DEO, immediatè colligitur instituta esse potestas à DEO in remedium naturæ lapsæ. (2) Qui Diaconus sive Minister DEI est, ille à DEO immediatè officium suum accipit. (3) Qui est Vicarius DEI in his terris, ut per omnes actus Rom. XIII. describitur, & apertè ita vocatur ille, qui præst populo Sap. VI. v. 5. ille immediatè vicariâ potestatè à principali suo, à DEO, accipit, non à populo: non enim populus potest DEO Vicariû adjungere, quod ne terrenus quidè Princeps aliquis admitteret.

Prov. VIII. Ex V. T. pro nobis militat locus Prov. 8. v. 15. & seq. Ita enim Sapientia: *Per me Reges regnant & legum conditores justa decernunt; per me Principes imperant, & omnes magnifici Judices terra, circa quod oraculû notamus loqui Sapientiam hypostaticâ, utpote cui soli illa competunt.*

petunt, quæ in hoc capite attributa occurrunt; non agi de habitu quodam Regibus in regimine necessario, loqui illam de Constitutione Regum & administratione Regni, ut voluit **Aben Esra**; ita quidem ut verba illa *per nos Reges regnant* prius designent, reliqua *Dominatores* scil. *deceperunt justitiam* posterius: nec illud Beth satis commodè translatum propter à Chaldo, quasi sensus esset propter me Reges regnant, sed strictè de causa instituentem esse accipiendum & phrasin indicare immediatam Originem, ut loca parallela demonstrant Joh. i. v. 3. Col. i. v. 16. Ebr. i. v. 3. loqui illam generaliter de omnibus Regibus & Dominatoribus, quicquid ex accidenti adfluat, quicquid vitiosi intercurrat. Consultatur **B.**

Hülsemañus. Audiamus hîc Italû disputantem contra Hispanum pro Anglo Rege egregiè: *Quod spectat ad Saulem & Davidem, rex optime affirmavit eos à DEO immediate habuisse Regiam potestatem; & non à populo, & ego ostendi lib. 6. cap. 2. num. 33. 34. non modo Potestatem, sed etiam electionem à DEO immediate illos habuisse. De electione concedit Suarez: sed de potestate dicit ex Scriptura non constare, sed utrunque posse probabiliter dici: quod mihi videtur à Suarezio valdè improbabiler dictum; quia potestas rectiva in populo jure nature non est, ut probavi, est enim populus naturaliter regibilis non rectivus. Et potestas rectiva non habetur à Deo, nisi jure divina positivo, & ex ipsius positiva voluntate: eo prorsus modo quo Ecclesiastica potestas. Urgat cum*

Potestatem regiam immediate à DEO esse confirmatur ultioribus.

Bellarmino, ex Benter. 17. Eligere esse Dei, constituere vero populi. Sed constituere ibi & eligere idem est. Deus enim ibi precipit, ut eundem eligat populus in Regem, quem Deus ipse eligendum esse ostenderit. Sic dicebant Israelite Samueli: Regem constitue super nos: Num ergo Samuel habebat auctoritatem dandi Regiam potestatem? Electionem Regis petunt: cui bene sciunt à Deo dari potestatem. Aut si est aliqua differentia, eligere ibi erit tantum designare; constituere vero erit designatam personam eligere; Aut eligere erit vere eligere, constituere vero erit personam electam admittere, & se ei submittere; non autem potestatem ei tradere. Quicquid itaque in hoc de Saule & Davide habet Scriptura, id totum ad solam personae electionem spectat, & ad populi consensum in eam, eique factam subjectionem; traditio vero potestatis semper à Deo solo facta intelligitur. Et sortes illae cum quibus Saul, tum quibus Matthias est electus, vere & proprie demonstrant, electiones illas esse immediate à Deo: Sicut igitur Matthias electus est per sortes immediate à Deo ad Apostolatam: ita Saul ad regnum. Electus, factor, non datur aut Apostolatam aut Regnum, neque sortes convincunt potestatem esse immediate à DEO: Sed potestas utraque immediate datur à Deo cum primum legitima facta sit electio: & sic Matthias & Saul habuerunt immediate à Deo per sortes suam electionem; consequenter vero etiam potestatem; Igitur non modo à Deo immediate habuerunt potestatem, quod semper omnibus

omnibus contingit; sed etiam electionem; quod omnibus non contingit. Merito itaque reprehendit Rex Bellarminus, quod Saulos & Davidem dixerit habuisse regni potestatem à populo ex sequenti ipsius consensu; quem consensus pro Saule ponit Bellarminus in electione, cum tamen electio quoque ipsius per sortes fuerit immediata à Deo. Ex Paulo post n. 14. Scriptura & Patres Reges faciunt ministros Dei, & à Deo habentes potestatem: Hoc Suarez subterfugere sagax per mediata & immediata distinctionem: nempe ut populus potestatem habeat immediate à Deo Rex à Populo. Ergo secundum Suarez Paulus illis verbis, Dei minister est; hoc voluit: Vos populum (qui immediate à Deo potestatem summam accepistis) estis minister Dei; Rex autem, in quem vos hanc transtulistis potestatem, est minister vester immediate, & non Dei nisi mediate, & reductivè. Atque ita Rex minister est Dei, quatenus minister est ministrorum Dei. O tortuosum Sorison. Si hoc voluerit Paulus, cur non potius aperte, & sine ambage dixit, vester minister est vobis in bonum? Certe hic ibi vocat ministrum Dei, non simul populi. Deinde si daretur hujusmodi reductio potestatis ad Deum, non nisi per radicationem ejusdem potestatis primitivam in populo, improprie dixisset Paulus; Omnis anima; (hoc est universa multitudine) potestatibus sublimioribus subdita sit: Potius docendus erat, Paulus ita loqui: Sublimiores potestates (hoc est Principes) omni anime (hoc est universa multitudi- ni) sunt subdita: hoc est agnoscant unde suam

*immediatè acceperint sublimitatem: nempe,
 non à Deo sed à multitudine, cui hanc prima-
 riò concessit Deus. Si Papa concedat Legato
 suo à latere potestatem conferendi Episcopatus,
 Abbacias, & Beneficia, ac dignitates Ecclesia-
 sticas totius regni sua Legationis, cui ipsi placet,
 profectò Episcopus à Legato factus Episcopatus
 habuit absolute à Legato, & absolute non habu-
 it ipsum à Papa: licet Legatus potestatem ha-
 buerit faciendi Episcopos à Papa: & quid quis
 habet ab aliquo, quod mediate & reductivè non
 sit à Deo? Et tamen qui beneficium accipit
 illud suo debet immediatè benefactori, & non
 illi superiori à quo ille benefactor habuit facult-
 tatem aliis benefaciendi: & omnis effectus de-
 betur sua immediata tanquam causa secunda,
 & particulari; remotiori verò causa non debe-
 tur ut causa prime, universali. Denique cum
 jam probaverim populum jure natura esse regi-
 bilem non rektivum, sequitur, naturalem illam
 consecutionem nullo modo esse admittendam:
 & falsum esse populum esse subiectum, cui pri-
 mario jure natura competat, rektiva potestas:
 Hac enim sola voluntate positiva à Deo datur
 hominibus: Electio tamen, ut plurimum, & sa-
 ne jure natura permittitur hominibus. Igitur
 & Scriptura & Patres eodem modo loquuntur,
 & ita sunt intelligendi: Neque in hoc est dif-
 ferimen ullum inter potestatem Laicam, & Ec-
 clesiasticam: ut Electio personarum sit huma-
 na; potestas tamen electis immediatè à Deo con-
 cedatur. II. Hæc sententia de unico subiecto
 Majestatis & potestate immediatè summa à
 DEO*

Deo est in libris symbolicis fundatissima, & à Romano Imperio & reliquis Statibus approbata, rejecta illa Sententiâ, quam moderni Jesuitæ & Pontificii defenderunt Nicolaus Sanderus, Bellarminus, Suarez, Tannerus & alii. Augustana enim Confessio Carolo V. exhibita, asserit Magistratum secularem ejusq; regimen esse à Deo creatum & ordinatum. Apologia autem Augustanz Confessionis id ulterius dilucidat, hæc ponens: *Ut hac rerum natura, & hi siderum certi motus verè sunt ordinatio Dei ita legitima Politia vera sunt ordinatio Dei, & retinentur ac defenduntur à Deo adversus Diabolum.* Stante itaque immediata origine non potest statui duplex subjectum, sc. Civitas, quæ conferat potestatem, ut Princeps illam habeat formaliter, & quæ retineat tamen illam potestatem adhuc dum, habeatque habitualiter. Ita enim esset consequens non immediatè conferri potestatem à DEO, sed conferre illam Civitatem & ne quidem in solidum, retentâ illâ habitualiter & radicaliter. Egregiè Marcus Antonius de Dominis Libr. 6. de Republica ecclesiasticâ capite secundo §. 26. pag. mihi 530. *Multitudo naturaliter regi debet, non regere: est ergò naturaliter regenda, non reactiva; & frequentissimi sunt casus, in quibus multitudo se ad eam formam regiminis redigat, quæ ei ex tribus dicitur, aut mixtam, magis placeat; nihil aliud convincit, nisi in multitudine esse potestatem deputandi, seu eligendi personam, vel*

personas, à quibus regatur. Facta vero electione, seu deputatione, Deus immediate, ut jam explicatam est, electis concedit Politicam potestatem: cuius potestatis verum & immediatum subiectum est non multitudo, sed Rex, Senatus populus, prout ipsa multitudo uni ex his formis subest, nec eam potest amplius in inferiorem formam mutare. III. Simile illud quod Gro-

Potestas politica non tribui potest duobus, ut quidem visus dicitur communis esse corpori &, proprius oculo.

tius adducit non satis quadrat, tum quia corpus non videtur esse subiectum commune visus, sed homo: Ut enim oculo tribuitur visus tanquam subiecto inhæisionis, ita homini, non corpori, tribuitur tanquam subiecto denominationis, neque corpus dicitur videre, sed homo; tum quia si corpori tribuatur visus, tribuendus erit ita, ut radicaliter & principaliter animæ competat, utpote cui hæc facultas animalis visiva sc. propria est; sique sic comparatio subsistat, Princeps habebit summam potestatem radicaliter & principaliter, Civitas autem saltem derivativè per & propter connexionem cum Principe, adeoque non erit subiectum primum potestatis, & radicale, ut Jesuitæ supponunt, quibus hîc Gro- tius favet; tum quia non potest quadrare hoc simile ex eo, quia si anima recedat à corpore & homo moriatur, recedit una visus; de cadavere enim non potest dici, quod habeat visum. Ponamus itaque mori Principem, recedet summa potestas, adeoque Civitas non erit ulterius subiectum illius, neque ad illam redibit imperium, quemadmodum sentiunt isti, sed ut anima cum facultatibus suis stipata redit

ta redit ad Deum, ita Rege defuncto facultas regnandi & potestas summa redibit ad illum, qui dedit eam. Quamvis autem Jesuitæ velint videri, quasi essent assertores potestatis immediatæ à Deo in Principes translatae, & ut simplicioribus imponant, dicunt, in tantum utique esse politicum Regimen immediatè à Deo quatenus naturam societatis humanæ à Deo immediatè conditæ necessariò consequitur, tamen hoc ipsum merum est glaucoma: tum quia natura Societatis humanæ non est immediatè à Deo: homo quidem est, immediatè à Deo, Deus enim creavit Adamum ex luto, & ei inspiravit spiraculum vitæ sine interventu causæ mediæ; societas autem est mediatè à Deo, scilicet per generationem & multiplicationem adeoque causas naturales intervenientes; tum quia non id potest dici esse immediatè à Deo, quod immediatè à Deo conditum necessario consequitur. Fingamus cum Pontificiis, Deum hodie animam immediatè creare, adeoque illam esse immediatè à Deo; non tamen consequens est illud quod animam necessariò consequitur, qualia sunt vegetare, informare corpus, actiones sensibiles producere, esse immediatè à Deo; tum quia Jesuitæ statuunt ita potestatem summam esse à Deo, ut nihilominus causam quandam sub Deo propriam & proximam statuunt istius potestatis, ubi non potest dici, quod Deus faciat tale quid immediatè, quod scilicet fit interventu causarum non instrumentalium, sed principalium & proximarum sub Deo, quem

Factus Jesuitarum de immediata potestate plenius legitur.

admo-

admodum non potest dici ignem immediate calefacere, quia Deus eum cum calefaciendi potentia creavit. Quapropter quando nostri dicunt potestatem Politicam esse immediate à Deo, tunc hoc intelligunt ita, ut statuunt esse Dei creaturam, ut nulla alia creatura in pari aut superiori genere causæ neque ex principiis secum natis quicquam ad institutionem hujus Regiminis contulerit, vel Regibus esse authoritatem à Deo immediate; perinde ut illi asserunt Pontificibus immediate esse concessam; prout vult Jacobus Rex Angliæ contra Bellarminū, & propterea eundem carpit, quod non Regibus authoritatem à Deo immediate perinde ac Pontificibus esse concessam asserat. Non itaque probari potest hoc Grotii commentū, nisi velimus illud hoc modo accipere & intelligere, quod sc. Majestatis subiectum commune sit Civitas, proprium autem Princeps, quia Princeps Imperium habet, & illud in Civitate reperitur, exercetur; observatur. Qui tamen sensus est improprius, nec ad mentem Grotii, qui aliud hac distinctione intendit, prout hoc ipsum constare potest ex lib. 2. c. 9. n. 8. ubi statuit imperium, quod in Rege est ut in capite, in populo manere ut in toto, cujus pars est caput. Atq; adeo Rege, si electus sit, aut Regis familia extincta jus imperandi ad populum redire. Quanto melius Marcus Antonius de Dominis: *Facta mutatione personarum Regentium Deus etiam statim suam potestatem priqribus aufert, & in posteriores transfere, qua facta translatione*

*jam in populo nihil penitus remanet, siue in actis
siue in habitu reſtictiua potestatis, Legantur hic
Alberic⁹ Gentilis & Theodorus Granwinkel.*

Ad Th. IX.

OBSERVATIO I.

Mutua subjectio Regis & populi
universi est conficta.

IN thesi 9. Autor disputat contra illos, qui
mutuam quandam subjectionem fingunt,
ut populus universus Regi imperanti parere
debeat, Rex autem male imperans populo
subjiciatur. Reprobatur autem illam, quod non
facienda quidem manifestè iniqua ob Regis
Imperium, interim tamè hæc ex parte populi
non jus Imperii includere asserit. Verùm hæc
uberius sunt confirmanda, ut & sequentia.
Nam: (1) certum est Regi non esse paren-
dum, si manifestè iniqua præceperit; idque i-
deò, quia in contrarium militat & lex divina,
Actor. V. 29: *oportet DEO magis obedire
quàm hominibus;* & profanorum etiam sen-
sus, ut constat ex Euripide in Phœnissis, &
exemplum ipsorum Regum, Antiochi sc. III.;
qui scripsit civitatibus, si quid per literas ju-
beret legibus repugnans, non curarent, per-
inde ac si ipso nescio scriptum essent; adde
illud Dan. III. 28. Sed longè aliud est dene-
gatio paritionis in certo casu, quæ dicit su-
spensionem quandam obedientiæ ad deter-
minatam negotium, quod non est in manu

subjectio
Regis ac
populi mu-
tua perpe-
ram asseri-
tur.

In quo Re-
gibus pa-
rendum
sit?

impe-

imperantis; & aliud est positiva quædam ob-
 luctatio per suppositionem potestatis in po-
 pulo, coercendi Regem in tali casu. II. Qui
 hoc volunt, illi respiciunt ad contractum, &
 putant: sicut in potestate populi fuit creare
 Regem, ita in tali casu etiam esse in ipsius po-
 testate eum abdicare, quia contractus solvan-
 tur, ut sunt conflat. At hoc falsissimum prin-
 cipium: tum quia Princeps non est talis ex
 conventionē, præprimis si successio obti-
 neat, vel jus Belli titulum contribuerit, tum
 quia contractus ita non possunt dissolvi ut
 illi existimant, præprimis si dispositio
 divina interveniat, qualis hinc obtinet, que
 vult etiam durioribus obedire Dominis I.
 Pet. II. tum quia, quamvis à contractu rece-
 dat in illo casu populus, non tamen recedit
 Rex, consensu ex utraque parte præsentē, Rex
 enim sive Princeps nunquam consentiet, sed
 potius ob renunciationem istius contractus
 pro jure pugnabit puniendi recedentes. III.
 Rectè Author dicit summam confusionem
 oborituram, si populo fas sit in casu actuum
 exercitorum animo illius difformium. Nam
 populus partim nõ aptus simpliciter est ad hoc
 judiciura de bonitate & malitia actus, partim
 licet faciat majorē partem, nihilominus non-
 dum erit par potestati Regiæ removendæ,
 partim quia notum est, populum queru-
 lum esse, jugi impatientem, novi-
 tatis studiosum.

Ad

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Rectè quidem Author ex Electione & Successione non vult judicari Naturam Imperii; de Laconico Regno Exemplum subjicit; sed in postremo de Romanorum Imperio à vero deficit.

IN thesi hac Author ad cautiones progreditur, atque dextrè monet, non ex nomine aut externarum rerum specie esse Majestatem judicandam, quod vel maximè probat exemplo Ducum apud Lacedæmonios, qui Reges dicebantur citra jurium Majestatis possessionem. Tangit autem quosdam, qui existimant, discrimen summi Imperii aut summo minoris petendum esse, ex delatione Imperii per electionem aut successionem, & hæc summa esse, non verò illa. Rectè autem respondet hæc universim vera non esse rationem adjicit, quia successio non sit titulus Imperii, qui Imperio figuram assignet, sed veteris continuatio. Verùm hæc limitatè sunt accipienda. Nam hoc aut intelligitur simpliciter, in depressionem successionis, aut determinatè ratione electionis prævia, quod sc. successio in tali regno, ubi primus electus fuit, dicat saltem continuationem quandam veteris, de quo nunc non disputamus. Aliàs præferunt successionem ratione antiquitatis Scriptores politici; tum

Quomodo
Summum
Imperium
inferat suc-
cessio?

Hh

quia

Successio
Scriptori-
bus anti-
quior est
Electione.

quia, si profanos & sacros consulamus Scri-
ptores, successio prior fuit electione, & con-
sequenter erit etiam titulus aliquis con-
tradistinctus electioni: Ex sacris autem hoc
ipsum constat, quia imperantes familiis pro-
fecerunt sensim in Reges & Principes, ubi in
posteritalium non electio, sed successio ob-
tinuit; e.g. in Noa & filiis ipsius, in Ismaelis fi-
liis, Jobo & aliis. Sic Aristoteles l. I. Pol. c.
1. *Regna, scribit, exorta ex familiis, quibus
angustis dominabatur Paterfamilias sensim
transiens in auctoritatem Regis, familiam ita
amplificatam, ut domestico imperio concludi ne-
quiveret; tum quia, qui electionem ita commē-
dāt, & successionem dejiciunt, favere videntur
illi sententiae, quae putat, ex electione tantum
legitima esse imperia, quam defendit Alphon-
sus à Castro, Vasquius, Covarruvias, Hotto-
mannus, Rossus & alii, adeoque nimium
tribuere populo, tum quia successio ita est
comparata, ut antecedenter sese habeat ad e-
lectionem; imitatur enim tantum aliquo mo-
do naturam, cum Electio artificiale quod-
dam sit & successio ex profundiore naturae
principio pendeat, prout quoque in quam
plurimis regnis semper obtinuit, & primo-
genitorum titulus fuit antiquissimus demon-
strantibus hoc Exemplorum Nube adducta
Tiraquello Cirerio & Martino Laudensi: de
primogenitorum apud Ebreros Jure consula-
tus Johan Stephanus Menochius lib. I. Hie-
ropoliticorum cap. 7. II. Exemplum de Re-
gibus Laconum quadrat Scopo Grotii: quis
tra-*

transiisse docet ad hæredes Regnum, nec tamen successio illa prævaluit Electionis titulo in aliis, potestati, quæ gaudebant alii eminentiori: erant enim illi adstricti regiminis, adeo ut Aristoteles scripserit. *Nihil esse hoc Regnum, quàm præturam militarem* 3. polit. c. 10.

& singulis Mensibus tenebantur jurare se secundum legibus imperaturos teste Xenophonte in libro de Republica Lacedæmoniorum

III. De Romano Imperio quod annectit non consistit, quasi per Electionem fuisset collatum. aliud quippe docet Historia, & cæpit demum Electio Anno Domini millesimo, septuagesimo septimo, Constitutione facta in Conventu Forcheimensi, cujus Verba addere juvat ita se habentia: *Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum. Romani Pontificis*

Authoritate est corroboratum, ut regia potestas nulli per hereditatē, sicut ante fuit consuetudo, cederet, sed filius Regis, etiam si valdè dignus esset, per electionem spontaneam, quam per successione lineam, Rex provenerit: Si verd non dignus esset filius, vel si nollet eum populus,

quem regem facere vellet, haberet in potestate populus.

Romanis Imperatoribus Imperium absolutum, per electionem non semper collatum est.

Hb 2

Ad

Ad Th. XI.

OBSERVATIO

Impropriè Grotius dicit, quosdam Jure usufructuario habere Imperium, de Dictatore dubia prodit, & de Curatoribus Regni periculose differit.

Rex malè
dicitur ha-
bere Re-
gnum Jure
usufructua-
rio.

IN thesi hac tria habet, quæ partim non consistunt, partim dubia sunt, partim aperte falsa. Non consistit (1) illud quòd dicit: Reges quosdam habere jure pleno proprietatis, quosdam autem jure usufructuario regnum; tum quia termini hi, nempe jus proprietatis & jus usufructuarium, non commodè adhibentur in Politicis, sed in jure Civili dominantur, & privatos atque habitudinem illorum ad hæc vel illa concernunt; tum quia usufructuarius talis est, qui saltem usumfructum habet alicujus rei, proprietate ad alium spectante, stante ergò hac sententia Rex sive Princeps saltem usumfructum regni habebit, jusque proprietatis erit penes alium; num itaque imperii proprietates ad populum spectabit? num non ita populus constituetur superior ipso Rege, corpus capite? tum quia ita nulli principi sat cautum erit, delinquat ille in usufructu, modum qualitercunque excedat, is, penes quem jus est proprietatis, populus sc. insurget contra ipsum, causabitur esse deiciendum usufructuarium, utpote qui hîc modum excesserit. Quid quod malè dicatur Reges

Reges primùm electos, & qui electis succedunt ordine legitimo, gaudere tantum Jure Regni usufructuario; Pleno autem tantum Jure illos proprietatis, qui Bello justo Imperium quæsierunt, aut in quorum ditionem populus aliquis majoris mali vitandi causa, ita se dedit, ut nihil exciperetur; hoc enim nimis abjectè sentire est de Regibus Electionis vel successionis titulo gaudentibus. Dubium est (II) illud de Dictatore Romano quod subjicit, cui tribuit summum imperium sive Majestatem, utut illud Imperium non fuerit perpetuum; durationem enim naturam rei non immutare. Verùm maximè controversum est, num Dictator Romanorum habuerit Majestatem: tum quia potestas ejus videtur tantum fuisse delegata, cum Majestas sit juris proprii; tum, quia libertas videtur mansisse apud populum, Dictatore tantum in Magistratum extraordinarium assumto; tum, quia non videtur habuisse jura illa, nisi ad certos actus, cum constitutus fuerit bello gerendo, seditionibus componendis, & aliis quibusdam expediendus. Sanè Bodinus lib. 1. de Republicâ cap. 8. longè aliter sensit, quem secuti sunt etiam alii. Nec obstare videtur, quod Grotius reponit, illum omnes actus exercuisse eodem jure quo Rex, neq; ejus actus ab alio potuisse reddi irritos, nec durationem rei naturam immutare, nam (1) supponitur eodem jure, quo Rex, exercuisse omnes actus, quamvis enim lictores Dictatori fuerint duplicati, supra Consu-

An Dictator
Romanus
habuerit
Majestatem.

les potestatem habuerit, eminuerit in toto populo, nondum tamen hæc Indicia sufficientia censentur pro Axiomate regio (2) non poterant irritari isti actus, non ex suppositione Majestatis, sed ex repræsentatione populi, qui ipsum ita constituerat, unde etiam sunt, qui Curatores tantùm dicunt fuisse Dictatores & tales, quos hodie Commissarios vocamus (3) quamvis duratio non sit, nisi circumstantia quædã externa absolutè loquendo, videtur tamè interna fuisse in Dictatore, quia pacto fuit intrinseca, ex quo cõstitutus fuit Dictator, duo enim ipsi injecta sunt frænæ, ut semestri exacto Dictatura deponeretur, ne in summum proficeret Imperatorem tractu temporis, & ut Italiã cum exercitu, tantoque cum Imperio non egrederetur, ut sub oculo esset Senatus populique Romani, jugi inspectione & observatione proximorum intra terminos contineretur Nescio annon Livius voluerit indicare, ex comisso fuisse omne id, quod Dictator exercuit, atque diminutè loqui adhibendo Vocabium Magistratus, dum lib. 2. scribit : *Discordia intestina & Bellum externum fecere, ut hoc Magistratu egeret Republica.* quanquam non dissimulandum Pomponium Jurisconsultum augustius quid insinuare scribendo : *Populo aucto cum crebra orirentur Bella, quadam atrociora à finitimis inferrentur, placuit majoris potestatis Magistratum constitui: itaque Dictatores traditi sunt, à quibus nec provocandi Jus fuit, & quibus etiam Capitis animadversio data est.* Hunc Magi-

stra-

stratum quoniã summam potestatem habebat,
non erat fas ultra sextum Mensem retinere.
 Sed si Grotio subscribamus in illâ de Di-
 ctatore controversia, quia id vel maxime ur-
 gere videtur, quod actus exerciti à Dictato-
 re à nemine potuerint reddi irriti, neque hoc
 ipsum pependit ex commissione populi, fue-
 rit actus summæ potestatis, quia intercedere
 poterant tantum precibus populus & Senatus,
 nihilominus in tota hac controversia probè
 distinguendum est inter Dictaturam vetustio-
 rem & recentior. Vetustior sanè augu-
 stioris fuit Ambitus: & si de hac loquitur Gro-
 tius, mitius de illo judicari poterit: posterior
 autè & recentior, quæ consistebat in moderato
 regimine ex pacto pendente, ubi saltem cõsti-
 tuebatur Dux, primus & extraordinarius Ma-
 gistratus, citra amplissimū illam concessionem
 jurium nomine Dictatoris saltem retento, nō
 potest allegari tanquam species quædam regi-
 minis summi & absoluti Imperii. Falsum
 deniq; est (III) quod Grotius differit de Regi-
 bus, qui adhuc dū sunt infantes, furore aut ca-
 pitivitate impediti, quod se Curatores Regni
 ita constituentur, ut populo non subsint, neq;
 ante legitimum tempus potestas eorū sit revo-
 cabilis. Nam absurde hoc ipsum dicitur
 & falsò; non enim tutores habent temporari-
 am Majestatem, si hæres Regni adhuc dum in-
 fans est, nec si furiosus sit. Nam (1) infans
 Regni hæres confestim ex ipsâ nativitate ha-
 bet Majestatem, cunabulis adnascitur illa, neq;
 demum ex ætatis incremento accedit, (2) fu-

Regibus
 vel furiosis
 vel infan-
 tibus abso-
 lutum Im-
 perium de-
 mi non
 potest.

rius est & manet Rex, quanquam exercitium in eo suspendatur sicut caput phreneticum est & manet corporis caput, licet sit vitio aliquo affectum. (3) subveniri potest & infanti & furioso, si sc. administratores & adjuutores dentur, per quos actus ad regimen Imperii exercentur; nec obstat quod exercitium iurium Majestatis requirat prudentiam summam, quæ non locum habet in infante, quod furiosus æquiparetur bestie, imperans autem debeat esse intelligens, quod ipse Nabuchodonosor furore correptus regno dejectus sit. Nam quamvis prudentia desit infanti, non tamen deest Consiliariorum numerus, qui sunt oculi in regno, ut infans caput. (2) quamvis furiosus destituatur exercitio rationis, habet tamen illam adhucdum ratione facultatis, & proinde homo est, non bestia; habet ita ut quandoque vel spiritualis vel corporalis Medicinæ Beneficio obstacula Exercitii possint removeri, & ubi non *αδυναμία*, sed *ατύχημα*, quæ obesse illud potest Regi, quæ deici ab eo, quod jure illi competit. (3) Nabuchodonosor non fuit simpliciter remotus ab Imperio, juxta quamplurimos. Posito autem fuisse remotum, hoc ipsum fuit ex speciali quodam judicio & supplicio, quod in exemplum cedere non debet. Videat autem Grotius num in tali casu Curatoribus Regni tribuendo Majestatem, non illos in solium Regium evehat, illo cui debetur inde dejecto?

Ad

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Incerta pròdit Author de Abalienatione Urbium in terra Cabul.

IN thesi hac Author disputat etiam de abalienatione, an scilicet liceat illa Regi, & respondet: si Imperium jure proprietario habeat, licere jus perpetuum cives regendi alienare, aliam autem esse rationem regnorum, si populi voluntate delata sint. Adducit in exemplum Solomonem, qui abalienavit 20 urbes non ex urbibus populi Hebræi, quia terra Cabul sit extra fines Hebræorum, sed ex iis urbibus, quas populi devicti hostes Hebræorum ad eum diem retinuerint, quasque partim Rex Ægypti Solomonis socrer vicerit, & Solomoni dotales dederit, partim subegerit ipse Solomon, & non habitatas fuisse ab Israelitis ex eo constare, quia Hiramus eas reddiderit, & post redditionem demum Solomon eò deduxerit Hebræorum colonias. At nimis securè hic agit Grotius & multa supponit, (1) quidem supponit has urbes fuisse alienatas, & non saltem ad usum, ad aliquod tempus concessas, de quo in sequentibus. (2) Putat etiam illas urbes non fuisse ex urbibus populi Hebræi, neque terram Cabul spectasse ad Israelitas; Atqui spectabat utique juxta complures Scripturæ interpretes hic tractus ad tribum

Cabul in
Israelitarum
fuit possessio.

Aser, & consequenter erant hæc urbes ex urbibus populi Hebræi, vel juxta Hieronymum pertinebant ad sortem tribus Naphtali, & exstabant in Galilæa gentium sive superiore. accedit, quod possessio Israelitis à DEO definita ad Tyrum usq; fuerit, imò usque ad Sidonem & Libanum. Josuz 19. v. 28, 29. neq; Cabul Jos. XI X. ponitur extra fines Hebræorum, Cabul enim ibi nomen est, Urbis, non Regionis illius, quæ 20 oppidis constabat, quæque à Solomone multò post tempore donata Hiromo, cum insolens sit à Regionibus integris terminos tribuum conscribi, & antecedentia & consequentia urbium nomina recenseant. (3) Supponit hæcenus fuisse detentas has urbes ab hostibus Hebræorum, & hos partim Socerum vicisse, & dotales dedisse Salomoni, partim subactas esse ab ipso Solomone, partim denique post redditionem demum eò deduxisse Colonias Hebræorum Solomonem. At hæc omnia supponuntur à Grotio non probantur. Quod autem concernit ipsum factum, disputari potest, num Rex Solomon abalienavit has urbes, ipsum dominium transtulerit, quia primò sacrilegium videtur fuisse, dominio Regis Ethnici subjicere populos sanctos & terrâ divinæ hæreditatis, ut loquitur Cajetanus; quia secundò neque hæreditas ex unâ tribu ad aliam transferri poterat ob periculum confusionis in sortibus & familiis, & si pretio ad alios aliquid deducta fuerat, tempore Jubilæi nihilominus redibat ad pristinum dominum,

Cabul urbs est, non regio.

An urbes Hiromo dote fuerint abalienate disquiri-
turus

minum, multò minus igitur ad peregrinum
 & Principem verè Religionis expertem po-
 tuit dominium totius alicujus terræ transfer-
 ri, quia tertidè expressè cautum fuit ex do-
 minio DEI eminenti & peculiari ne quid ab-
 alienaretur Levit. 25. vers. 24. ubi Deus ita:
*Terra non vendatur in perpetuum: quia mea
 est & vos advene & Coloni mei estis: unde o-
 mnis Regio possessionis vestra sub redemptionis
 conditione vendetur.* Quapropter alii pu-
 tant fuisse permutationem quandam, ut So-
 lomon 20 Oppida Galilææ Hiramò dederit,
 Hiramus autem viceversa ei totidem repen-
 derit, atque illi hoc ipsum probant ex II. Pa-
 ral. VII. II. seqq. & cap. 8. ad quem locum
 respexit Grotius, sed opinantur redditas esse
 illas urbes, quod isti non concedunt, qui
 permutationem intervenisse volunt; existi-
 mant enim alias urbes à Salomone datas Hi-
 ramo alias vicissim ab Hiramò Salomoni, ut
 hac vel mutua donatione amicitia inter illos
 firmaretur inchoata à temporibus Davidis
 vel permutatione ob locorum vicinitatem
 aliamve opportunitatem major unicuique
 accederet utilitas, quo vergit sententia Vata-
 bli, Emanuelis Sa, Pinedæ & aliorum. Negatus.
 Verùm & hæc sententia ex adductis rationibus
 in priori non subsistit. Quapropter potius
 statuendum erit cum Tostato, Firino & Ofi-
 andro nec alienationem nec permutationem
 in hoc negotio obtinuisse, sed saltim con-
 cessa esse hæc oppida ad aliquot annorum u-
 sumfructum, ut scilicet, Hiramus inde, ut qui-
 dam

dam volunt tributa colligeret, donec lignis illis cedrinis, & abiegnis, & centum viginti talentis auri aliisque sumtibus & operarum mercedi satisfactum esset. Idque probatur tum ex prima ratione de hæreditate Domini non alienanda; tum ex eo, quia nulli probabile esse potest, Regem Salomonem virum sapientissimum XX oppida in regno suo non maximo, tam parvo pretio distracturum fuisse cum tanto plura talenta quotannis ex vectigalibus, tributis, navigationibus, negotiatione suppeterent, & oppida in medio propè Regni sui vicino Principi traditurum, ut alias novas hinc inde dissipatas civitates ædificaret; tum, quia incredibile quoque Hiramum tam inopem fuisse consilii, ut summum & perpetuum dominium in XX Oppida & opportuna regno suo, loco prædictæ summæ sibi contemnenda putaret: dixit enim per contemptum, quæ hæc est terra Cæbul, quid hoc ad meas impensas? ut Salius concludit. Quamvis autem, qui primam de alienatione sententiam propugnare studeant cum Grotio, respondere soleant: Hiramum, qui Eupolemo dicitur Suron, fuisse ad fidem Hebræorum conversum, tamen hoc solido argumento demonstrari nequit. Hoc autem constat ipsum condidisse Templum Agenorium, Jovis Olympii & Astartes & Herculis Tyrii, in quibus aureæ Columnæ & stantes è Smaragdo Cippi, & multorum Regum anathemata. Præterea posito quod recesserit ab Idololatriâ Hiramus, & ad fidem Hebræo-

Hiramus
Idololatra.

brorum fuerit conversus, nihilominus periculum fuit, ne scilicet Principes subsequentes, terras abalienatas sibi proprias servarent, & populum à vero DEI cultu ad idololatriam traducerent. Subjungimus Discursum Martyris, qui discrepantes adducit Opiniones: *Hic nonnulli ex Hebraeis ajunt, oppida haec non fuisse Hiram simpliciter data, sed factam commutationem quandam, ut vicissim dederit Salomoni totidem oppida: Et addunt meliores fuisse urbes, quas Salomon accepit, quam illae fuerint, quas tradidit. Et ne videantur commissinisci, quod asserunt, locum ex libro Paral. producunt, ubi dicitur Hiramum Salomoni dedisse viginti oppida. Alij Salomonem excusantes, dicunt periculum nullum ab idololatria fuisse: quòd Hiramus pius & religiosus princeps extiterit. Verùm Josephus quendam Menandrum, & Divum adducit, qui annales Tyriorum confecerunt, à quibus Hiramus commendatur, quod templum Olympij, Jovis, Herculis, & Astarthe edificavit. Quare dici posset, illum quidem ab initio idololatriam fuisse: verùm postea quando fœdus inivit cum Davide & Salomone, ab idolis ita recessisse, ut tantum verum Deum Jehovah coluerit. Ceterùm fingimus ita esse: tamen posteri ad idololatriam tandem potuissent attrahere Israelitas, quibus dominabantur. Ad id isti respondent non esse verisimile hanc donationem factam fuisse in perpetuum, sed tantum Hiram dum viveret, ea planè lege, ut Judaei habitantes illis, religionem suam liberam haberent.*

Discursus
Petri Mar-
tyris de XX
urbibus da-
tis Hiramus,

Hiramus

ramo autem emptiones, & annui redditus cedarent. Sunt & alij, qui Salomonem, inquit, non rectè fecisse, has civitates ab hereditate alienando, ac deinde providentia divina factum ut Hiramo tradita oppida non placuerint, ne scilicet de possessione Israelitarum quicquam minueretur. Et sanè hâc ratione locus iste cum eo, quod habetur in Paralip. facile componitur: ut intelligamus, Salomonem prius Hiramo has viginti civitates dedisse, qua cum illi non satisfacerent, eas restituit Salomoni, atque ita verè dici eas ab Hiramo Salomoni fuisse datas.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Figmentum est donatio illa Ludovici Paschali facta, quam Author tangit.

Romam cum Provinciis suis Paschali Pontifici à Ludovico esse donatam fabula est.

IN hac thesi agit de Imperiis quæ populi voluntate deferuntur, & concedit non esse præsumendum, eam fuisse populi voluntatem, ut alienatio Imperii Regi permitteretur; circa finem autem thesios dicit, nihil facere ad rem, quod Ludovicus Pius urbem Romam Paschali Pontifici reddiderit, cum Franci Imperium in urbem Romam à populo Romano acceptum reddere eidem populo rectè potuerint, cujus populi quasi personam sustinuerit, qui primi ordinis Princeps fuerit. Nam (1) Pontifex Romanus, quem primi Ordini

Ordinis Principem dicit, non sustinet populi Romani personam, est enim Episcopus persona Ecclesiastica, cui ut imperare interdictum est à CHRISTO, ita populi alicujus personam in Politicis non repræsentat, (2) supponit Francos Imperium in urbem Romam à populo Romano accepisse, & reddere rectè eidem populo potuisse. (3) Respicit hîc Author ad donationem illam Ludovici cujus Instrumentum exhibet Cardinalis Cæsar Baronius Tomo annalium ecclesiasticorum nono, ad annum Christi 817. pag. mihi 652. cujus initialia sunt: *In Nomine Domini DEI Omnipotentis Patris & Filij & Spiritus S. Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro, Principi Apostolorum & pro te vicario ejus Domino Paschali summo pontifici & universali Papa & Successoribus ejus in perpetuū. Civitatem Romanam, cum Ducatu suo, territoriis, montibus, littoribus, & portibus: in Tuscia Centumcellas, Carræ, Bledam, Marturanum, Sutrinum, Nepes, Castellum Gallefi, Hortam, Palimartium, Ameriam, Tuderum, Perusinum, Nerviam, Otricoli. Et in partibus Campaniæ, Signinam, Anagninam, Ferentinum, Alatrium, Patricium, Frusinum, Tibur, &c. Exarchatum Ravennatensem, Ravennam, Æmiliam, Bobinam, Casenam, Forum Pompilij, Forum Livij, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabelam; & Pentapolim,*

Instrumentum donationis Paschali factæ.

Capolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Humanum, Esiun, Forum Sempronij, Montem Feretri, Urbinum, Territorium Valuense, Calles, Lucceolos, Eugubium, Territorium Sabinense, & Reatinum. In Tuscia Longobardorum, Castellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti Castrum, Viterbium, Martam, Tuscaniam, Populoniam, Soanam, Rosellas: & Insulas Corsicam, & Sardiniam, & Siciliam: & in Campania, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam: Patrimonium Beneventanum, Salernitanum, & Calabria, & Neapolitanum. Ut verò Fabularum fecundum est ingenium Pontificiorum, ita voluit & hunc foetum eniti subventaneum, & siliquas exhibere pro fructibus, putamina pro baccis. Si enim totus Orbis subjacet Imperio Pontificis ut Vicarii DEI in terris, quid opus fuit illâ donatione, cum quæ habeat quis jure divino, non debeat repetere ex titulo alio & quidem inferiore. Secundò, si Constantini donatio admittitur, in quâ Laurentius Valla egregiè declamavit, cur Ludovicianâ insinuatur, cum prior suffecisset. Tertiò manifestè falsa apparent in illa Constitutione & Historiæ adversa. Ludovicus enim à Romanis eo tempore juramentum fidelitatis exegit, teste Thegano Archiepiscopo Treverensi, qui scribit Stephanum statim, postquam pontificatum suscepit jussisse omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico, misit etiam Lotharium

tharium post sex annos Romam, ut statum populi componeret. Ipsum Instrumentum inter alia meminit Sicilia, quæ tamen non erat tum temporis in potestate Imperatorum occidentalium, sed orientalium. Expugnavit hoc Cosmentum non uno ariete admoto Plessiaci Dominus, cujus sunt sequentia: *Deſtio. ibi* multis de causis minus probata est illa donatio: Quia multa terra & ditiones tibi donantur, qua longo post tempore in donatione Comitisse Matildis comprehenduntur. Secundo: Quia successores ipsius Ludovici compluribus, tanquam propriis usi & potiti leguntur. Tertio: Quia si huic instrumento locus, multas provincias, insulas, ditiones, dominia, portus, oras donaverit Ludovicus, in quibus nihil ei juris, imò qua ex pacto cum Carolo & Ludovico factò, in Imperatorum Orientalium bonis aperte censentur. Quarto: Quia Italiam uni ex liberis in portionem hereditariam daturus, quod postea fecit, nihil se ei relinquebat, unde statum, & dignitatem suam sibi posses, maxime cum Orientis Imperator, partem Italia possideret, Venetis etiam libertas salva & incolumis maneret. Quinto: Quia Romam ipsam, præfecti ab Imperatoribus constituti, multis porro annis regunt & gubernant, & Bullis ipsis Romanorum Pontificum, quod Guicciardinus ipse agnoscit, nomen Imperatoris apponitur: Imperante. N. Domino nostro. Sexto: Quia in electionibus Pontificum deinceps consecutus, nulla hujus renunciationis ratio habetur: Quamdoquidem ab Imperatoribus ratas haberi &

Concessionem Ludovici Imperatoris efficitam esse vincit Mosagus.

confirmari & solenne & necesse: ipsique si quid
 secus fiat majestatem suam ledi serio quiritan-
 tur. Septimo: Quia authores coetanei Nitbar-
 dus, Aimoinus & alij Annalium conditores,
 nihil tale habent, non Anastasius ipse in Pa-
 schalis vitâ, qui pro suo in Pontifices studio,
 natus inter eos & educatus, ejus imprimis me-
 minisse debuit. Octavo: Quia aliquot demum
 post saeculis, collapsa nempe Carovingiorum fa-
 miliâ, ceperunt Pontifices, hujus concessionis
 autoritate sese tueri. Ut omittamus Ludo-
 vicum hic subscribi misericordiâ DEI Impe-
 ratorem, non quod volunt, Pontificis beneficio.
 Nonò, quod sit Palmarij loco: quia Otho ter-
 tius Imperator, in Donatione illa qua in Ar-
 chivis Romane Ecclesiae, in loco Afisii Fratrum
 Minorum servatur, praefatus, se dare D. Pe-
 tro, & Sylvestro secundo, magistro suo, qua sua
 sunt, octo eis Comitatus offert & donat: Pi-
 saurum, Fanum, Senogalliam, Anconam,
 Fossabrum, Callium, Hisium, & Ansimum,
 qui ibidem in hac Donatione Ludovici enume-
 rantur. Si haec pridem à Ludovico donata,
 quid nova hac Donatione opus fuit? & qua
 fronte Otho ille in Diplomate, Spretis com-
 mentitiis praeceptis & imaginariis scriptis ex
 nostra liberalitate S. Petro donamus qua no-
 stra sunt: non sibi qua sua sunt veluti nostra
 conferimus. Quibus verbis: quis non videt e-
 versi Donationem & caeterorum & Ludovici:
 & acceptante quidem probanteque Sylvestro 2.
 quo non alius Pontifex magis oculatus. Haec
 tamen seu vera seu falsa quàm graviter alie-
 nis

in rebus imminerent, minime dubium, quando hunc ipsum Paschalem legimus Theodoricum Ecclesia Romana Primicerium & Leonem Nomenclatorem ejus generum in Patriarchio Lateranensi, primo excecasse, deinde decollasse: Et hoc eis ob hoc contigisse, quod se in omnibus fideliter erga partes Lotharij juvenis Imperatoris agerent, quem Ludovicus socium Imperij sibi adsciverat. Quantos etiam superbia Pontificum progressus faceret, Anastasius Pontificus Historicus in Valentino Pontifice testis, cujus anno 827. electi & ad Lateranense Patriarchium deducti Ovanter ab omni Romanorum senatu sedes osculatos, ovabundus ipse predicat: quod sane hic primus passus esse legitur, sed Deus quadraginta tantum dies, hanc in eo superbiam tulit. Helmolcus sane insigne fastus Ecclesiastici incrementum sub Ludovico connotat: Fecit, inquit, liberalitate sua ut Episcopus, qui propter animarum Principes sunt cæli, ipse eisdem nihilominus Principes efficeret regi.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO I.

Promissio etiam Juramento firmata nihil detrahit summo Imperio.

Pergimus ad thesin decimam sextam, in qua Author noster statuit non desinere summum Imperium, etiamsi is qui imperaturus est, promittat aliqua subditis aut DEO, etiam talia, quæ ad Imperii rationem perti-

Promissio non tollit summum Imperium.

nent; arctius tamen vult reddi Imperium, & distinguit inter obligationem, quæ cadat in exercitium actus, & quæ cadat directè in ipsam facultatem. Priori specie actum fore injustum, posteriore nullum esse defectu facultatis, & quidem ipso jure. Subjicit inter exempla Regum Israeliticorum Fatum, qui si malè regnassent cadavera extra proprium Regibus locum sepulta. Concludit tandem, si adjiciatur conditio de fide non fallenda, ni velit Rex amittere Regnum, & dicit habendi modum imminui, non Imperium desinere. Addit exemplum Sabzorum Regis, illustrationem ex fundo qui fideicommissio tenetur, & concludit talem legem commissoriam non tantùm in Regni delatione adjici posse, sed & in aliis contractibus. At multa hîc sunt, quæ nondum liquida. Rectè quidem Grotius statuit (1) non desinere summum Imperium, etiamsi is, qui imperaturus est, promittat aliqua subditis aut DEO. Nam si promissio etiam fuit juramento firmata, non propterea minuit aut desinere facit summum Imperium, multò minus promissio simplex. Quod enim Rex promittit vel jurat, hoc facit ex indulgentia, neque propterea sceptrum capessit, quia promittit aut jurat, sed quia sceptrum accepit, idè jurat: prout Cicero dixit: *Non propterea coire apes ut favos faciant, sed postquam coierunt tum favos facere.* Frenum est Promissio & Juramentum Regi, ne licentia exundet, ne ultra modum ferociat, non Virga in manu populi, quo

Promissio
 quid operetur.

quo feriat exerrantem. (2) Quando Prin-

Promissio
facta vel
DEO, vel
subditis.

ceps promittit, promittit subditis aut DEO. Si subditis, propterea non desinit esse Rex, cum stante illa promissione, maneat relatio Regis ad subditos, summi Imperii ad subiectos; neque promittit aliquid superiori, nec cogi potest à subditis etiamsi illis juraverit, ut stet promissis, DEO in perjurium animadversuro; vinculum enim conscientiz tarpiter rumpitur, sive ab hoc, sive ab alio rumpatur. Si DEO, non nisi DEO subest, & consequenter etiam præmissio juramento Summus sub DEO esse potest. (1) Summum Imperium est à DEO immediate, promissio autem non est conditio Imperii summi, sed saltem electionis, & designationis ad summum Imperium. Quid quod Rex sit Rex etiam ante coronationem in qua jurat, promissiones & juramenta, quæ robur illis addunt etiam in hæreditariis Regnis obtineant, nec quicquam Majestatem Rectoris minuunt, & absurdissimum sit, quod Vasquius lib. 1. Controv. cap. 47. n. 12. urget, concedi à populo Imperium, concedi ad meram utilitatem populi, concedi ut in casu deficientis utilitatis illius sit revocabile, quæ omnia caduca, merique ex arenâ funiculi. Hactenus itaque huic principio inhærendum. Errat verò

Obligatio
cadens in
actum sum-
mum Im-
perium nõ
contrahitur

Grotius, cum dicit: Imperium arctius reddi sive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, sive etiam directè in ipsam facultatem.

Nam (1) Imperium non arctius redditur, si obligatio tantum cadat in exercitium actus.

Obligatio
non cadit
in facultatem.

Nam etiam limitatum erat exercitium actus apud Hebræos Reges, & tamen *παρβασιλλικῶς* juxta Doctores ibi obtinuit, neque limitatio exercitii derogat ipsi Imperio. (2) Non videtur esse ex vero, quod scilicet obligatio aliqua cadat in ipsam facultatem, ut sentit Grotius & peculiare membrum constituit distinctionis suæ: partim quia, si obligatio cadat in ipsam facultatem, ipsa facultas non erit integra, & consequenter non erit Majestas; partim, si in ipsam facultatem penetraret obligatio, penetraret in id, quod est immediatè à DEO: quomodo autem homo restringere potest id, quod non est in ejus manu, sed à solo DEO descendit? partim quia, si in ipsam facultatem cadit obligatio, populus non saltem eliget, sed & facultatem conferet, quod absurdum. (3) si ponamus aliquod jus ad Principes vel Seniores populi transferri, tunc quidem transfertur aliquod jus per communicationem, sed propterea in ipsam facultatem vis non exercetur.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO II.

De Regibus Persarum, quæ differit ex vero sunt, falsa verò, quæ de Regibus Ebræorum.

Persarum
Reges soluti legibus & sui juris erant.

CONFIRMAT VIR celeberrimus Sententiam suam exemplo Regum Persicorum, Æthio-

Æthiopicorum, Ægyptiorum, & dicit: si contra promissiones egerint, vivos non potuisse non accusari, memoriam tamen illorum fuisse in periculo & damnatis abjudicatam fuisse solennem sepulturam, ut & Ebræorum Regum, qui malè regnassent cadavera extra proprium Regibus locum sepulta 2. Paralip. 24. v. 25. cap. 28. v. 27. de Regibus Persarum certum est illos proximè accessisse ad Dominatum, de quibus videatur Plato libr. 3. de legibus, & Aristoteles 8. Eth. cap. 10. de lege etiam sive statuto Medorum & Persarum legatur ipse Grotius ad caput Danielis sextum. Interim Jacobus Capellus in historia sacra & exotica pag 370 non meminisse voluit, legisse se apud exoticos Persarum edicta prorsus fuisse inviolabilia, Ælianum autem referre aliud Persarum Institutum, illo non minus à ratione alienum. Si Rex scilicet semel sententiam dixisset, & regno vel Regi perniciosam quispiam putaret, tum licuisse illi laterem aureum conscendere & suam sententiam aperire: si vera dixisse censeretur præmio loco laterem accepisse, sed nihilominus flagris cæsum, quod Regi contradicere ausus esset. Certum est etiam Ægyptiis fuisse in more positum, ut Reges defuncto per Sacerdotem vitæ series recenseretur, antequam justa facta, & si malè rexerit, vitiis indulserit insepultum Cadaver fuisse abjectum Quod autem de Ebræorum Regibus addit liquidò demonstrari nequit, quamvis enim quorundam corpora non illata sint sepulchris Re-

Adversatus
Capellus.

Inter Hebræos Regum absolutorum Pœna, non fuit sepulchra negare.

gum, quæ erant in arce Sionza, ut quidam volunt, sed alibi vel in urbe Hierosolyma vel extra eam, an tamen hoc ipsum ad exemplum Ægyptiorum, & ex causâ illâ factum fuerit, nondum evidens est: fuisse etiam Regum sepulchra partim in Sion, partim propè portam Ephraim extra urbem Hierosolymorum, ostendit Johannes Zuallardus in hocæperico Hierosolymitano, & num credibile est Reges non habuisse potestatem constituendi sibi locû sepulturæ, pependisse hoc à Judicibus, ut voluit Samuel Petitus lib. I. variarum lectionum? num non plæriq; fuerunt partim non sine papulis, partim non sine ulceribus, impii in DEUM, iniqui in populum? num non Manassch Mausolæum regio cadavere dignum in horto vivus sanusque construxit, non procul ab urbe, cui nomen dedisse videtur Sacerdos Oza, ut docet Sanctius ad 4. Reg. 21. v. 18? num non similia leguntur de Amone ibidem, quod etiam Romanis in usu; de quo legatur Joannes Hieronymus Soprænes digressionem secundâ, capite quarto. Præterea loca allegata non probant intentum. quod enim Joas non fuit sepultus in sepulchris Regum, id ut volunt Interpretes non ex more populi, sed arcano instinctu divino factum, quod etiam de Achazo dici potest. DEUS sanè usque eo processit, ut domui Jerobœam comminatus fuerit ipsam ἀτιφίαν 1. Reg. 14. vers. 11. Regi Jojakimo asini sepulturam Jer. 22. v. 19. de quo videndus Josephus lib. 10, ὁρχαίουλ. cap. 8.

Causa non
sepulcorū
quorundā
debito in
loco.

cap. 8. & testatur Buxtorfius, quod Nabuchodonosor circumduxerit illum per omnes urbes Judææ insidens ei, in curru triumphali, & occidisse illum discifloque asino illum inclusisse, justo scilicet DEI judicio ex facto contra Prophetam Uriam.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO III.

Sabæorum Rex, si fuit liberrima potestate præditus, non potuit à subditis lapidari.

HAllucinatur Grotius, cum circa finem disputat de conditione additâ. Nam (1) posita illâ conditione, dicit imperium illud temporario non esse absimile. Verum temporarium tale esse Imperium, & Regno posse exire talem Regem absurdè dicitur, quia illud pactum non est collativum potestatis, sed saltem faciens ad promotionem personæ, quæ potestate divinitus in ipsam collata jam agnoscitur caput, contra quam proinde membrum insurgere nequit, aut folio dejicere evectam. (2) quod exemplum Regis Sabæorum concernit, illud non quadrat, quia si fuit *αὐτοκράτωρ* teste Grotio, habuit is summum imperium, liberrima fuit potestate præditus, nunquam potuit lapidari de jure, sed si hoc factum fuit, meri facti fuit, & quidem seditionis hominum. (3) quod concernit e-

Summa potestas non imminuitur conditione.

Exemplum Regis Sabæorum.

Exemplum de fundo.

xemplum de fundo, qui fidei commisso tene-
tur, non quadrat illud; non enim ad jus pri-
vatum hîc respiciendum in publicis: &
quamvis lex commissoria in contractibus lo-
cum habeat, ubi de suo se duo obstringunt
consentientes mutuò, tamen in Regni dela-
tione non adjici potest aut debet, quia ibi
non duo de suo sese obstringunt, Rex sc. &
subditus, cùm summum imperium non habeat
à populo Princeps, sed à DEO, neque illud ha-
beatur amissibiler. Constituto enim Re-
ge, populo nihil relictum est præter obsequii
gloriam.

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO.

Quæ de Imperii Romani sub duo-
rum aut etiam trium Regimine, nec
non populo imperante & eligen-
te prodit, non satis sana esse, me-
diocri diligentia adhibita, deprehen-
di potest.

Cumulat hîc Author quæ expendenda, &
dicit, fieri posse, ut dividatur interdû Im-
perium per partes potentiales sive subjectivas,
& illustrare hoc nititur exemplo Imperii Ro-
mani. (2) dicit populum, qui eligit Regem,
posse quosdam ætus sibi servare in casu, si
quidè populus adhuc liber futuro Regi impe-
ret per modum manentis præcepti, aut si quid
sit

fit additum, quo intelligatur Regem cogi aut puniri posse. (3) dicit ex coactione paritatem saltem sequi, & proinde summitatis divisionem. Circa (1) erratur, quia posito tali casu, ubi imperium dividitur per partes subjectivas sive potentiales, ita ut duo constituentur imperantes, in quorum unoquoque sit Majestas, & summum imperium, non amplius erit imperium unum & indivisum, sed divisum, adeoque duo. (2) Quod producit de Romano Imperio, ad id respondemus dici posse, non divisionem factam fuisse imperii, si aliquis alterum ad consortium Regni vocavit, prout divisio non facta fuit, si quis Regum in populo electo Filium ascivit & paulatim voluit assueferi Imperio eū, quia talis vocans semper retinebat supremam auctoritatem, alter autem ipsi cultum & observationem debebat, & ad redditionem rationis tenebatur administrationis commissæ, imò tales electi fuere quandoque tantum Imperatores & Duces Bellicissimi quia teste etiam Tacito Tiberius in partem curarum ab Augusto vocatus est, quis tamen dicet propter ea, Augustum non fuisse Monarcham, divisum fuisse sub eodem imperium; tum quia quando Imperator aliquem adoptabat, penes adoptantem erat potestas *ἰμπεριουσα*, supereminens: quod vel ex eo liquet, quia tales adoptati & adsciti in partem curarum, ne titulo quidem gaudebant Imperatoris, sed saltem Cæsares dicebantur, imò capitis obnoxius erat Supplicio Collega adscitus. Diocletianus enim Galerio nisi cladem,

Imperii
partitio nõ
fit per par-
tes [subje-
ctivas.

quam acceperat, Victoriæ de hostibus aucto-
ramento expiaret, comminatus est mortem,
Constantius Gallum Polæ jussit in Carcerem
ducere & Capite plecti, quod & factum est.
(3) si ponamus, alium Orientem, alium Occi-
dentem tenuisse, aut etiam tres Orbem rexisse,
non admitendum erit ulterius quod Gro-
tius dicit, unum fuisse imperium; positis e-
nim duobus Imperatoribus, cessavit Monar-
chia, duo etiam fuisse imperia, adeoque Dy-
archia ibi fuit, e. g. tempore Antonini & Ve-
ri, tempore Constantini, tempore Caroli
Magni, ubi vel maxime Orientale & Occi-
dentale Imperium obtinuit. Et exemplo hoc
ipsum ex Scriptura illustrari potest: Monar-
chia Judaica in Dyarchiam degenerante post
Salomonis mortem tempore Rechabeam, ubi
aliud fuit Imperium Regum Juda, aliud
imperium Regum Israel. Quod (2) con-
cernit, absurdè dicitur populum liberum fu-
turo Regi imperare per modum manentis
præcepti, tum quia populus nunquam impe-
rare potest, actus enim præsupponit faculta-
tem; tum quia populus non imperare potest
per modum manentis præcepti, quod ob-
stringat; nam Rege in solium erecto cessat
omne id, si quid habuit populus antea, quod
præcepti rationem dixerit; tum quia popu-
lus eligendi quidem facultatem habet Re-
gem, sed liberum adhuc per modum manen-
tis præcepti imperare Regi futuro, habere
potestatem, absurdè dicitur. Quod (3) con-
cernit, absurdum est dicere populum esse su-
perio-

Populus li-
ber futuro
Regi non
imperat
per modum
manentis
præcepti.

Abfurda a-
lia breviter
perstrin-
unt.

periores Rege eligendo; absurdum est quod Grotius hic interspergit, pendere constitutionem Principum ab hominibus; absurdum denique est parem à pari cogi posse, cum non nisi superior cogat inferiorem de jure & regulariter. De temperatura verò Imperiorum ita Contarenus libr. 1, Reip. Venetorum: *Præclarissimi Philosophi rempub. temperatam extollunt, & Lacedæmonicorū formam summo opere laudant, in qua Reges, Senatus, Ephori fecerunt mixtionem quandam, ut bene dignosci nequeat. sub quam gubernationis specie fuerit ea Respublica collocanda. Tradunt autem Politici statum hunc in Rebuspublicis oriri potissimum ex eo, quando subditi pertesi sunt pura & absoluta Monarchia, aut & pura Aristocratie, quod probari potest exemplo Rerumpublicarū quarundam. De Republica sanè Lacedæmoniorum obscurum non est eam primo Monarchicam fuisse, in quā Reges, qui ortum ab Hercule ducebant, imperabant, postea factam esse Aristocratiam, cum Senatus XXVIII. Virorum à Lycurgo institutus esset; tandem Theopompus populo partes Respublice administrande per Ephoros concessit.*

Ad Th. XX.

OBSERVATIO.

Multipliciter errat Grotius in discursu suo de Regno Ebræorum.

INter Regnum plenum, quod Aristoteles *παραβασιλείαν* vocat & Regnum Laconicum aliquot

Regna Bar-
barorum,
quorum
Grotius me-
minit non
sunt exem-
pla mixti
Imperii.

Imperii He-
braei in-
doles.

aliquot species Regni esse interjectas certum est: Occurrunt enim Reges barbarorū, Æsymnetæ, qui gaudebant plena potestate, sed extraordinariè, vel ad tempus, heroica Imperia, quæ ante & post Bellū Trojanum in usu. Num vero Regnum barbarorū magis ad rem pertineat & in Exemplum mixti possit adduci Imperii, jure dubitatur, non tantum quia potestas apud tales summa & tyrannicæ par, sed & in usu apud Syros, Medos, Persas & alios orientis populos; quàm absoluta autem fuerint illa Imperia, quàm immunia ab illis conditionibus quæ limitant, restringunt, temperant ex Historiâ notum est: Sed ad Exemplum progreditur illustræ & putat Regnum Ebraeorum facere ad *Andromachè*. Aliud tamè docetur ab illis, qui in Viscera hujus Regni penitus inspiciunt & deprehédunt illi, si *παιβασιλεία* non sit, tamen esse proximum, ubi sc. unus populum universè sumtum virtutæ Civili superat, & ad communè utilitatem imperat. Quod ipsum probat ipsum jus Regium ad quod respicit Grotius; probat illud ipsum quod allegat ex Ps. 51. ubi David dicit: *Tibi soli peccavi.* Ad quæ non male Simeon de Muis ex Nicolao Lyra: *Tibi soli peccavi, scilicet tanquam Judici punire potenti, peccaverat enim contra Uriam, & alios occasione hujus interfectos, tamen quia erat Rex non habebat judicem & superiorem, qui posset eum punire, nisi DEUM. Eodem ferme modo Cassiodorus de populo inquit, si quis erraverit, & DEO peccat & Regi. Nam quando Rex delin-*

delinquit, soli DEO reus est, quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet. Merito ergo Rex DEO tantum se dicit peccasse, quia solus erat, qui ejus potuisset admissa discutere. Et quia illum ubique esse noverat, jure coram ipso malum se fecisse deplorabat; arguens demeritiam suam, qui non expavit tanto iudice praesente peccare: Sic ille: in eandem sententiam accepit Arnobius Afer, qui sic habet; Tibi soli peccavi omnis qui sub iudicio vivit, cum deliquerit, peccat DEO, peccat & legibus mundi. Hic autem Rex sub nullo alio, nisi sub DEO solo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, DEO soli peccavit. Probat saniorum Rabbiorum quoque testimonium. Falsa autem prima hypothesis est Grotii, statuentis Regi Hebræo delinquenti inflicta fuisse verbera, tum quia hoc ipsum nullo Scripturae testimonio demonstrari potest, tum quia contrarium habetur in Exemplo Davidis, qui graviter deliquit & adulterio & homicidio, nec tamē verberibus fuit submissus: tum quia ipse Don Abarbanel Rabbiorū famigeratissimus commentario in lib. 2. Sam. c. 12. scribit: *Qui in proximo suo peccat quē ante mors, quam remissionē ab eo est indepius, is adscitis aliquot amicis ad tumultū ejus se confert, & ibi remissionem petit, at ut hæc faceret David non admisit Regia Majestas; Si itaque Regia Majestas obstitit, quo minus saltem remissionem peteret ad tumultum Uriæ, multo magis illa obstitisse credenda erit percussioni & verberum inflictioni. Notanter autem dicit Grotius,*

Nemo Regum Hebræorum verberibus consecutus est.

tius, Hebræos consentire Regi fuisse infli^{cta} verbera, quod etiã probavit noster Schickardus in tractatu de jure Regio; Isaacus autem Casaubonus in Baronio impugnavit, quem Schickardus notavit pag. 63. Et hoc quidem certum est, esse Rabbinos, qui hoc statuunt, sed num verum dicant hoc maximè controversum est. Neque hoc extra controversiam, à Rege sponte & in signum pœnitentiæ illa fuisse admessa, cùm potius Hebræi scriptores referant ad Synedrium, quod judicavit de illa infli^{ctione}, & quidem non tantum ob tria delicta, sed ob plura quoq; alia; quamvis autem Maimonides solet hic laudare Thalmudis Tractatus Sanhedrin & Josephus de Herode scribat, quod coram Synedrio comparere debuerit lib. 14. Antiq. cap. 17. quid tamen hæc probent ex dictis constare potest. Maimonides non semper nugari desit, ut ut primus fuerit, qui inter Rabbinos sanius senserit; Thalmudicis Commentis quantum tribuendum sit eruditi pridem ostenderunt; Herodis Exemplum non conducit, quia cùm vocaretur ad Synedrium adhuc fuit privatus & juvenis, de quo in sequentibus. Ipse Grotius asserit excalceationis legem in Rege cessasse, quia cum ignominia conjuncta fuerit, cur non itaq; ex eadem causa dicamus cessasse illam infli^{ctionem} Verberum, cùm hæc fuerit pœnalis, cum ignominia majori conjuncta, Præsidi Synedrii probrosa, quanto magis itaque Regi. Appositè Claudius Salmasius in Defensione Regia, Cap. 8. pag. 270.

Nec ipsum verberibus multari voluisse certum est.

cum Regibus Hebræis non est actum excalceationis lege.

pag. 270. *Non novi illi reges veteri Senatui subjecti fuere, nec ejus judiciis obnoxii facti sunt. Imò contra Rex supra Synedrium semper fuit, donec tandem Herodes quamvis precarius à Romanis Imperatoribus regnum Judææ obtinisset, totum illum confessum abrogavit & sustulit.* Secunda hypothesis Gro-
 ti est, quòd dicit aliqua judicia Regibus fu-
 ille adempta, & mansisse penes Synedrium

Natalis Sy-
 nedrii He-
 bræorum
 Gugo.

LXX. Virum, quod divino imperio à Mo-
 se institutum ad Herodis tempora perpe-
 tuâ cooptatione duraverit. Atqui hoc ip-
 sum adhuc controversum inter Doctores.
 Sunt quidem aliqui qui hoc Judiciû in ipsâ Æ-
 gypto jam cæpisse asserunt & postea cõtinua-
 tum; alii ex Cõsilio Jethronis illud ortû esse e-
 xistimât & prima fundamenta illius haberi Ex.
 18. vs. 22. sunt qui jussu DEI illud cepisse vo-
 lunt, & primum illius deprehendi Initium
 Num. XI. v. 16, 17. sunt denique qui funda-
 tum illud esse dicunt Deut. 17. v. 8. & seq. Pri-
 mam Sententiam ex Socio Religionis propo-
 nere non inconveniens ducimus esse: Ita
 verò ille. *Collegium sive Consistorium hoc
 in populo fuisse etiam multo ante legem la-
 tam, adeoque in ipsa Ægypto, non pau-
 ca fidem faciunt, & ex isto selectos fuisse ab Æ-
 gyptiis Regibus ἐγυδιάντες istos, qui quotidiani
 laboris rationem exigebant à populo valde veri-
 simile est. Deinde collegium hoc, sive ex colle-
 gio isto, etiam de consilio Jethronis socii Mo-
 sis, selectos à Mose fuisse qui minores lites diju-
 dicarent, & controversias leviores dirimerent,*

Kk

supre-

supremorum autem judiciorum & relationum cognitionem Mosi relinquerent, non est dubium. At quia tandem etiam Moses querebatur, se isti supremorum judiciorum ac relationum oneri non sufficere, certum quoque est tandem etiam in partem curarum istarum divino jussu 70 adscitos fuisse, nec alios quam qui doctrina, sanctimonia, & virtute ceteris praestabant. Nobilitatis enim ratio non habebatur, nec originis, tribus, functionive dignitas in censum veniebat: adeò ut ne Pontifex quidem Maximus in eum ordinem allegere-
 1) tur, nisi de sapientia atque idoneitate ejus probe constaret, uti Maimonides ait. Adscisceretur *היה ראוי בחכמה* si cordatus, & capiendis consiliis non ineptus esset. Non enim in Senatum ibat suo jure, sed suffragiis admittebatur.

Hinc *δουλοκρατία* instituta erat, quae *טמ'כה* id est *χειροθεσία* sive manuum impositione ob-
 signabatur, ad exemplum Mosi, qui Josua & septuaginta Senatoribus manum imposuerat.

Rationes
 contrariae.

Oppositam autem tuerentur sententiam alii, & ferius constitutum esse Senatum concludunt ex rationum sequentium turmâ: quia illius nullum Indicium tempore Judicum. Si enim tempore Judicum extitisset tale Synedriũ, quĩ factum fuisset, ut foemina quaedam, Debora sc. in judicem fuisset electa Jud. IV. vers. 5? quid enim opus fuisset foemina, ubi LXX Viri; nec tempore Samuelis tale fuit; si enim tale fuisset, cur penes Samuelem fuisset sum-
 1) ma

ma rerū? cur ille posuisset Judices filios suos, si LXX. præstò fuissent I. Sam VIII. 1? Nec tempore Regum: non potuit quippe Regia Majestas, jus illud à DEO concessum Regibus, consistere cum partitione potestatis & imperii, nullum vestigium talis Synedrii in tota Historia Regum: & sanè, si tale fuisset, Israelitis petentibus Regem obvertisset Samuel, annon habetis Synedrium, annon confessum Judicum tempore Mosis jam à DEO constitutum & hucusq; continuatum? Quod autem Grotius ad marginem ponit locum Exod. XXII. vers. 8. causam ejus juvare nequit: saltem ibi Elohim sive Judicum fit mentio, sed non Synedrii quale sibi imaginantur Ebræi; & illiquidum est, quando hoc Synedrium à DEO fuerit institutum: Piscator quippe vult illius fundamentum esse jactum à Jethrone Exod. XVIII. vs. 22. Alii putant illud constitutum esse Num. XI. alii Deut. XVII. vs. 8. Quæ loca omnia suas difficultates pariuntur, & talia potius sistunt Collegia, quæ ad tempus constituta oneris curarum levandi causa, & non nisi usque ad ingressum & possessionem terræ sanctæ durarunt. Quapropter probabile est potius, si non institutum demum, sed ut vult Seldenus lib. 2. de Synedriis cap. 4. pag. 109. tempore Mosis juxta locum Numer. XI. vs. 14. tamen eminere cepisse serius, inclinantibus jam rebus Ebræorum, vel ante captivitatem Babyonicam, juxta illa Verba 2. Paral. XIX. vs. 11.

Amarias autem sacerdos & pontifex vester, in

his, qua ad Deum pertinent, prasidebit: porro Zabadias, filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, qua ad Regis officium pertinent: habetis que magistros Levitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter: & erit Dominus vobiscum in bonis cum bono. Cum ipsi Judæi asserant Axiomate regio dejecto mansisset tamen Sanhedrim, & in Thalmude Tractatu Sanhedrin scribant fuisse Capita Exilii Babylonix, quæ regnarint supra Israelem sceptro suo, nec non in Targum Cantici Canticorum Cap 6 v. 1. asserant DEUM permisisse Sanhedrim in Babylonia manere, & si admittatur tempore Moylis cepisse, non tam sub regio statu floruisse, quàm ante illum, & in declinatione illius, cessasse etiam aliàs temporibus turbulentis, ut superiora illuc collimant. Post captivitatem Babylonicam tempore Esræ, ablata jam corona h. e. Regia Majestate, & superstitite tan ū Cidari h. e. principali dignitate, juxta vaticiniū Ezechielis XXI. Quanquàm nō negare velimus, si etiā illa sententia obtineat, prolusionem quandam factam esse tempore Mosis, Rudimenta fuisse præmissa & ad formam illorum confessuum hoc Synedrium fuisse adornatū. Tertia hypothesis est; quædam cognitionum genera Regi non fuisse permessa, utpote de Tribu, de Pontifice, de Propheeta, ejusque rei argumentum esse in Jeremix Historia, exemplum esse in Herode, cū Hyrcanus Judicium de illo arte eluserit, & proin potestate interposita nequiverit cum subducere judicio septuaginta virali, sive Synedrio.

Nulla judi-
cia Hebræis
Regibus
adempta
sunt;

nedrio. Nam (1) quod primum concernit, id ipsum nullo idoneo argumento probari potest. Rex enim ut habebat potestatem in Politicis, ita etiam habebat potestatem circa sacra, superior erat Pontifice; Hinc David circa cultum domini constituendum fuit occupatus 2. Sam. 6. v. 12. & Salomon summum Pontificem exauktoravit I. Reg. II. (2) quod ex Jeremia producit, id planè non concludit; tum quia non est consequens, Jeremias fuit conjectus à Synedrio in carcerem; ergo Synedrium habuit potestatem supra Regem. Nondum enim probatum est, fuisse tum temporis Synedrium, & si fuisset, potuisset hoc ipsum facere non vi supremæ potestatis, sed dependentis Jurisdictionis; tum quia quando Zedeckias Rex dixit: *Ecce in manibus vestris est propheta, nequeo contra vos agere*, non dixit, superiorem potestatem in Principibus populi agnoscendo, sed tempori cedendo, furori indulgendo, seditionem præcavendo; tum quia ipse Abarbenel verba Regis ita exponit: *Ecquid mecum verba commutatis, ecce in vestris manibus est, Regi nihil vobiscum rei esse potest, quia vos ei resistitis, & subinde potestatem ejus minuitis: in tam periculoso itaq; statu obsessæ Urbis, opinionis præconceptæ de Jeremia in Principibus, quasi conspiraret cum hostibus, Rex ad hæc verba fuit compulsus.* (3) quod concernit exemplum Herodis, idem illud nihil concludit; cum non solum tempore Hyrcani valde circumscripta potestas, sed etiam Herodes non-

dum affurrexerit ad dignitatem Principalem, Quapropter Isaacus Casaubonus contra Baronium, qui ex hac Historia collegit, consilium de capite Regis potuisse ferre sententiam, quia Josephus l. 16. c. 17. recenseat, Herodem ad causam dicendam iustum esse Synedrio se sistere, respondet: quantus hinc bone Deus error? Herodi dicta est dies, cum adhuc admodum juvenis & privatus esset, cum Pater illius Antipater viveret, cum Hyrcanus Principatum obtineret, cum Herodes servus Regis, ut Rabbini solent illum appellare, adhuc esset, cum ne spem quidem ullam adhuc animo concepisset de regno alieno unquam invadendo. Ut autem in hisce paulò confidentius pronuncavit Grotius, ita quoque quando ex II. Chron. XIX. vs. 11. produxit Judices Deos, & Res DEI intellexit judicia ex lege DEI exercenda, Res autem Regis judicia, quæ in libero erant Regis arbitrio, ubi non adstringebatur præcisè ad Legem divinam. Nam supponit res DEI ibi notare ea, quæ ex divinis legibus sunt judicanda; Res Regis autem notare illa, quæ permissa sint Regis arbitrio. (2) Commodius intelliguntur per Res Dei causæ Ecclesiasticæ, per Res Regis autem causæ civiles. Quod ipsum probatur tum ex eo, quia Amarias Sacerdos & Pontifex præsidebat his, quæ ad Deum pertinebant, Zabadias autem Politicus præsidebat illis, quæ ad Regis officium pertinebant. Res itaque DEI & Res Regis fuerunt causæ Ecclesiasticæ, & Civi-

Explicatur
locus ex
II. Chron.
XIX. v. 11.

Civiles, à Pontifice Vicario Regis in Ecclesiasticis, & à ProRege quasi in politicis expediendæ; tum, quia unus in hisce fuit totius Consilii Caput, quique dictus est Princeps in omni loco; alter paulò minor, quamvis proximus, dictus est Pater domus judicii secundùm Rabbinos Rabbinis, præprimis autè Maimonidem; tum quia ipse Cuzæus lib. 1. de Repub. Hebræorù c. 12. agnoscit unum fuisse judiciù, cõstans ex personis Ecclesiasticis & Politicis, & coram quo disceptatæ fuerint tum res Dei, h. e. Ecclesiastica negotia, tum res Regis, h. e. Politica, & ita exposuit hunc locum B. Proavus. cujus verba subjungimus. *Summus Sacerdos in negotiis Theologicis deliberationes & consilia diriget, sententias rogabit & quid sentiendum seu faciendum sit, cum Assessoribus suis, juxta legis præscriptum, concludet: quin & oraculum divinum, ubi opus fuerit, consulat. Zabadias verò, regis nomine, in causis politicis, una cum Assessoribus suis, juxta legem DEI, decernet, quid fieri conveniat: Quis scilicet justiorem causam defendat, quis & quomodo puniendus sit?*

Ad Th. XXI.

OBSERVATIO.

Inæqualitas Fœderis non tollit Summam Potestatem in Republicâ.

Disputat hîc Author an summum Imperium habere possit is, qui inæquali fœdere. Offenditne summam potestatem habere poss.

se, qui in-
æquali Fœ-
dere tene-
tur.

Clientum
diversa ge-
nera,

De Clie-
ntibus Roma-
norum,

re tenetur, atque monet posse hoc ipsum esse,
quia patrocinium non confestim subin-
fert subjectionem. Ipse tamen Author di-
stinctè progreditur. Nam qui inæquali fœ-
dere tenetur, ille tanquam inferior alterius
Majestati comiter conservare tenetur; comi-
ter autem conservare nihil est aliud, quàm in-
star Clientis reverenter habere potestatem
ejus, in cujus patrocinium te dedisti, atque e-
jus conservatione teneri. Duplex autem
conditio Clientum erat, prima Theſſalorum
& prisorum Atheniensium, ubi sanè clientes,
si æstimati sunt ex exercitio Patronorū in illos,
fuerunt subiecti; nā imposita fuerūt ipsis ope-
ra ingenuos hominēs parum decētia, & in casu
neglectus verbera fuerūt intētata: atq; tales cli-
ētes ut mancipia tractati fuerunt, prout refert
Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Sin verò de
Clientibus hoc ipsum intelligatur Romanorū,
quos Romulus ad Exemplum Græcorū voluit
esse amicos, & instituit ut potentiorum & hu-
miliorum animos quasi quodam benevolen-
tiæ mutæ vinculo conjungeret, certū est pa-
tronum & clientem ea ratione non habuisse
se se ut imperantem & subiectum: tum quia
habebantur parifloco cum liberis & pupillis;
tum quia sine summa infamia deserere non po-
terant; tum quia, qui clienti fraudem fecisset,
lege XII. Tab. sacer erat: Quæ benevolen-
tiæ & favoris indicia, non servitiū & subje-
ctionis sunt.

Ad

Ad Th. XXII.

OBSERVATIO.

Multum decessit dignitati illorum, qui post tempora Antonii præfuerunt Judææ.

In hac thesi procedit ad illos, qui non solum sunt clientes, sed etiam aliquid pensitant, aut ad redimendas injurias, aut ad tutelam comparandam. Et nec illos dicit summo carere Imperio, producitque in exemplum Reges Hebræorum. Potuisset tamen plenius hoc exponere, multum quippe de dignitate illorum delibatum fuit. Aristobulus enim secundus à Pompeio captivus Romam missus est cum Antigono & Alexandro liberis suis, & ex illo tempore Judæa unâ cum totâ Syriâ facta est vœtigalis, Hircanus statim Sacerdotio præfectus, elapsus Alexander Aristobuli filius Romanorum manibus, & Judæam invadens dedere coactus fuit se Gabinio & securi fuit percussus. Ipse Aristobulus cum altero filio Antigono profugus Romæ, Regnum quidem denuò invasit, sed tantùm per tres annos & sex menses præ fuit. Tandem Harmoniorû extinctâ familiâ caput efferre cepit Herodes, verùm non diu substitit illius Imperium Archelao Ethnarcha & ex Ethnarcha exule factò, Judæaque in numerum Provinciarum redactâ Præsidi Coponio, quem M. Ambivius & Annius Rufus secuti. Dicitur

Post Antonii tempora multum acta est dignitas Regum Judææ.

quidem etiam Herodes Antipas Rex Marc. 6. vers. 10. sed, ut volunt Belgæ in notis, per Metaphoram, quia ut Rex se gessit, & aliàs quandoque Regum nomen retinuerunt in Provinciis Romanis, qui tamen tales non erant vetere, ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut Tacitus loquitur in Agricola, ut haberent instrumenta servitutis & Reges.

Ad Th. XXIII.

OBSERVATIO.

Nexus Feudalis inter Germanos maximè fuit conspicuus.

Author hic de nexu Feudali differit, atque statuit proprium esse Germanicarum gentium, neque uspiam inveniri, nisi ubi Germani sedes posuerint. Est autem Feudum Gothicum vel Longobardicū, ut volunt vocabulum: forsan à Germanica voce *Feed*, quæ bellum notat; alii tamen deducunt à Fide sive Italorum *Fede*, alii à *foedere*, alii à *Vogthei*, præfectura. (2) Quòd apud Germanos obtinuerit, & semina in illis prima fuerint posita, & hoc ipsum Tacitus comprobat lib. de mor. Germ. dum scribit: *Germanorum Principes amplo comitatui studuisse, quem ex bello aluerint, & ad bellum conduxerint, quibus infame in omnem vitam ac probrosum, superstites Principi suo ex acie recessisse; illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloria ejus affi-*

Feudum,
quid ex no-
minis ra-
tione,

Contractus
feudalis
Germanis
Originem
debet.

assignare, præcipuum sacramentum erat. Principes pro victoria pugnabant, Comites pro Principe; atque his vel bellator equus vel cruenta victrixq; fronsa, vel epule, & quanquam incomiti, largi tamen apparatus pro stipendio cedebant, nondum enim oppida vel arces dare poterant. Dein auctis Imperiorum finibus, etiam præmia aucta sunt, & ex temporariis facta sunt perpetua: ut frustra sit, qui à tempore Noæ cum Niellio feudorum originem arcessere præsumit, aliis commodiùs ad Longobardos referentibus & ex Italiâ natales ducentibus. (3) Alterum est quod controversum, nempe tantùm Germanicarum gentium esse hunc contractum, cùm & ad minimum juxta prima rudimenta etiam apud Romanos fuerint in usu. Agri enim in finibus hostium, ut prædæ aliæ militibus adscribebantur, ut ita essent perpetua illorum bona, si eorum hæredes milites essent; quod juxta Lampriidum factum ab Alexandro Severo, & hodiè adhuc etiam obtinet apud Turcas teste Boddino, qui illud *Timar* appellant, & Vasallos five Beneficiarios *Timariotas*, *Timar* autem est honorarius prædiorum fructus à græco *ἱμαῖν*. Non unus autem est Feudorum ordo, sed triplex. *Summus ordo est principum ac procerum, qui lingua illorum Capitanei, regni Duces, Marchiones, & Comites appellati sunt: & à Rege tum illi honoribus afficiebantur, tum etiam Italia oppidis ac vicis, locupletum etiam victorum arcib. ac villis donaban-*

Germanicarum gentium non fuit proprius.

Feudorum Ordo.

nabantur. *Qua Feuda quia partem aliquam Regie dignitatis obtinebant (qui enim Duces & Marchiones nunc appellantur, Reguli olim fuerunt) idcirco Regalia dicta sunt. Itaque potestas eis data est eudenda pecunia, creandorum magistratuum, salinarum & fodinarum exercendarum, caducorum, confiscationum, earumque functionum qua Angaria & Paganaria appellantur: qua jura vulgo jura Regalia (corrupte, ut opinor, pro Regalia) nominantur. Medius ordo eorum fuit feudorum, qua principis illius ordinis proceres, regis concessu, ea lege aliis inferioris dignitatis hominibus dabat, ut Vasalli ipsos secundum regem ejus beneficii auctores ac patronos agnoscerent, & pro capite ac fortunis ipsorum, si usui ferret, pugnarent. Quo in numero ij qui vulgo illorum lingua Barones, ac Majores Vasalfores, sive Vasalli appellantur, fuerunt: qui patronos quidem illos agnoscebant, sed tamen, ut jam dixi, secundum Regem. Infimus ordo eorum fuit, qua à secundi ordinis Vasallis in privatos conferebantur: sive illi nobiles essent, quam nobilitatem armis pepererant: sive ignobiles: nam utriq; eadem qua superiores jurisjurandi formula obligabantur: qua ab Oberto nescio quo, in eo libro, qui vulgo usus Feudorum inscribitur, barbare & fœdè perscripta, solam hanc habet, quam antea dixi, sententiam: ut cliens patroni sui caput, existimationem, ac fortunas, quoquo modo poterit, contra quemcumque adversarium, solius Regis majestate excepta, ducatur. Hist. lib. 2. observ. Plura de origine & con-*

& conditionibus feudorum, vide apud Cujac. lib. 8. observ. cap. 14. & Conn. l. 2. c. 9. n. 6. Meminit etiam Fendi franci h. e. liberi, ita ut nihil pro ipso servitii præstetur, & ligii pro quo Vasallus fidelitatem debet contra omnes DEO & Imperatore exceptis, cui opponitur non ligium, in quo etiam alii, antiquior scilicet Dominus, Cognati & Amici excipiuntur.

CAPUT IV.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Bellum privatorum in Reges non solidè ex sacris stabilitur.

IN thesi hac Author noster de bello subditorum in superiores differit, atque affirmat posse bellum gerere privatos in privatos, summum Imperium habentes in consimiles, privatos in eos, qui Imperio summo, at non in se, utantur, & tandem qui summum Imperium habent in privatos sibi subditos aut non subditos. Privatorum in Reges probat exemplo Abrahami, summum Imperium habentium in privatos aut sibi subditos, probat exemplo Davidis in partem Isbosethi. Verum (1) Belli vocabulum debet hîc accipi *ἀναλόγως*; Secus à vero aberratur. Non enim bellum est accuratè loquendo, nisi illud, quod gerunt summum Imperium habentes in eos, qui itidem id habent, quale fuit Davidis

An Bellum privatorum in Reges stabilitur.

vidis in Regem Ammonitarum. (2) Privatorum in eos, qui in Imperio summo sunt, non probatur exemplo Abrahami, qui arma expedit in Regem Babyloniz & vicinos. nam

Abrahamus
in Regem
Babyloniz
Bellum nõ
gessit ut pri
vatus.

(1) Abrahamus non fuit persona privata, tum, quia gaudebat præfectura & Ecclesiastica & Politica: Sacris enim præfuit in sua familia, & civilem quoque habuit potestatem in tanto numero, qui ipsi subjectus: nam familia amplissima fuit, in qua tot vernæ, ut ferè dicere possimus ex patrefamiliâs profecisse Abrahamum in Principem; quid si quibusdam fides Abraham trecentos & decem & octo præfectos habuit, quorum singulis infinita multitudo parebat; tum, quia in fœdere erat cum tribus Principibus, & eorum consensu atque auxilio bellum illud suscepit; tum, quia in toto illo tractu non potest ostendi aliquis superior Abrahamo, qui potuerit de usurpata aliena potestate cum ipso expostulare, quod Cornelius à Lapide aperte docet. Habebat, inquit Jus Belli tanquam Princeps independens familiæ suæ numerosæ & ab aliis populis segregatæ à DEO constitutus: consulatur etiam Martyr in 2. Sam. 2 v. pag. mihi 191. (2) Posito Abrahamum fuisse privatum, non tamen hoc ipsum faciet pro Grotio, quia hoc ipsum non fecit motu ordinario, sed extraordinario, quales motus conspicui fuere deinde sequentibus temporibus in Judicibus: quod vel ex eo liquet, quia vix à temeritate posset excusari Abraham aliàs, quod tam exigua manu quatuor

Nec motu
etiam ordi-
nario.

tuor Reges Victores aggressus fuerit. (3) Si bellum illud Abrahami militat pro Grotio, facile alius pari ratione hoc ipsum torquet ad bellum etiam illud, quod infertur nulla accepta injuria, nulla facta indictione per feciales, nam & hoc non factum est, neque Abraham in se passus fuit injuriam, neque indixit, sed nihil suspicantes oppressit. //

Ad Th. I.

OBSERVATIO II.

Bellum illorum, qui summum habent Imperium in privatos vel subditos non dilucidè probatur exemplo Davidis in partem Isbosethi.

QUOD concernit exemplum Davidis in partem Isbosethi, & illud non videtur satis quadrare, & probare quòd bellum gerere possint, qui summum Imperium habent in privatos aut sibi subditos. Nam (1) Isbosethus non fuit subditus Davidis, sed ad hucdum pars adversa, cum qua bellum gerebatur; Si autem devictus fuisset Isboseth, tunc inter subditos censeretur potuisset, à qua enim quis devictus est teste Petro, *ejus servus factus est.* (2) Isboseth non erat privatus mere talis, sed Princeps populi, quem agnoverant tribus extra tribum Judam pro Capite, cui deferebant obsequium, pro quo pugnabant, Regnaverat enim duobus annis

Isbosethus Davidis subditus non fuit;

Nec privatus.

nis supra Israel, solâ domo Juda sequente Davidem, ut constat ex 2. Sam. 2. *vs* 10. & quidem ut vult Tostatus pacificè usque ad bellum, quod duravit dein annos quinque & dimidium circiter, ut, eo referuntur Verba initialia capitis tertii: *Facta est ergo longa concertatio inter domum David & inter domum Saulis. David proficiens & semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.* Quamquam quidam hanc concertationem nō tam velint fuissē bellicam, cūm pauca recensentur prælia quàm verbalem, animorum sc. & studiorum, aliis pro Isboetho stantibus Regis filio, aliis Mephibosetho filio Jonathæ cui pro patre cum fuerit primogenitus regnum hæreditario jure tribuentibus, aliis electioni Davidis faventibus. (3) Quamvis Davidi divinitus fuerit assignatum Imperium in totum populum, non tamen assignatum fuit nisi certo tempore adeundum, scil. extincto Saule, occiso Isboetho & debellata parte illa, quæ Abnerum præfecerat militiæ Ducem. Ut itaque Saule adhuc vivente nondum Imperium obtinuit David, licet candidatus Regni esset, ob divinam voluntatem, ita nondum potuit censeri subditus Isboethi, cūm bella gessit David adversus ipsum, eo ipso quo Imperium adiit demum juxta voluntatem divinam, interfecto Isboetho, quem ipse vivum agnovit Principem, non malum sed bonum.

Ad

Ad Th. I.

OBSERVATIO III.

Rectè statuitur, si quid imperent summæ potestates naturali Juri aut divinis præceptis contrarium non esse faciendum.

IN eadem thesi occurrunt hæc verba: Illud quidem apud omnes bonos extra controversiam est; siquidem imperent naturali jurꝰ aut divinis præceptis contrarium non esse faciendum quod jubent. Hic Author dicit, quod adversus summam potestatem non possint inferiores aliquid moliri; ita tamen limitat, non quidem esse obediendum, si aliquid DEO contrarium jubeant, interim tamen non esse resistendum, sed tolerandum, id quod quia in thesi 6. repetit ibi examinabimus cum argumentis Parei. Hic tantum expendimus illud ex Actorum capite quinto vs. 29. *Obedire oportet DEO magis quam hominibus*, quod utrumque stabilit nempe & hominibus esse obediendum cum non repugnant DEO, à quo imperandi potestatem acceperunt, neque enim potuisset institui comparatio, nisi hominibus competere quoque Imperii ratio; & DEO, si humana edicta repugnent voluntati revelatæ, vel impressis honestatis seminibus magis quam hominibus. Sic obstetrices non attendunt ad tyrannicum illud mandatum Regis

Obedire oportet Deo potius quam hominibus.

Ægyptii de necandis pueris Ebræorum Exodus. 2. sic abnuerunt satellites Saulis, neque ad Imperium Regis sanguine Sacerdotum manus cruentarunt 1. Sam. 22. sic socii Danielis mandato Nabuchodonosoris impio prætulērunt nexum cum DEO. Dan. 3. Huc collimat Euripides, in Phœnissis, & illud Periclis δὲ μὲ συμπαράτειν τοῖς φίλοις αἰδᾶ μέλει θεῶν. Antigoni responsum datum adulatori dicenti: Omnia Regibus honesta esse & justa, *sunt quidem sed barbarorum tantum Regibus, at nobis ea tantum honesta sunt & justa, quæ justa sunt* Optimè hîc Augustinus de verbis Domini secundum Matthæum sermone sexto: *Timendo potestatem, ipsos rerum humanarum gradus advertite. Si aliquid iusserit curator, nonne faciendum est? tamen si contra proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. - Nec debet huic minor irasci, si major prelatu est; rursum si aliquid Proconsul jubeat & aliquid jubeat ipse Imperator, nunquid dubitabitur, illo contempto illi esse serviendum? Ergò si aliud Imperator, aliud Deus, quid judicatu? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Rectè quidem, sed non in Idolio; In Idolio prohibet. Quis prohibet? Major potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc jam tibi assumenda est fides tua, tanquam scutum, in quo possis omnia ignita jacula inimici extinguere, sed insidiatur contra te potens? Accipit novaculam, unde capillos radat, non unde capus incidat.*

Ad Th. III.

OBSERVATIO I.

Locus ex Deuteronomio pro Pontifice summo non satis commodè ab Authore adducitur.

IN thesi hac Author noster (1) allegat locum Lex Deuteronomio 17. v. 12. ubi lex Hebræa obedientiam urget Summo Pontifici cum comminatione mortis in casu denegationis. Deinde (2) jus regum examinat, Sam. VIII. & tandem (3) suam sententiam fulcit quibusdam argumentis. Quod primum concernit, non videtur huc quadrare; nam summus Pontifex non fuit persona quædam Politica, sed Ecclesiastica, & consequenter adduci non potest locus ille, quasi lege Hebræa non concessum esset bellum in superiores: quamvis enim summus Pontifex fuerit superior auctoritate & aliquâ potestate, non tamen inter personas illas computandus venit, quæ hîc in controversiam veniunt. (2) Judicium hoc fuit non solius Pontificis, sed commissum etiam cæteris, ut constat ex v. 9. & antecedentibus, restrictumque est ad certas controversias, in quibus concessum fuit jus decidi, & populo negata potestas detrectandi sententiam illius judicii, quod non necessariò præsupponit aliquam potestatem, in Pontifice politicam vel æqualem illi, sed potuit esse ex sententiæ æquitate & veritate, quæ obti-

Summi a-
pud He-
bræos Pon-
tificis iudi-
cium liniti-
atum fuit.

Summus Pontifex e Iudicio Politico scilicet plus conclusus est. Sententia Iudiciorum de Pontifice capitis supplicium & lege committentis.

nuit istis temporibus, si scilicet ex DEI mandato omnia fuerunt instituta, (3) Pontifex Summus non potest adduci in hanc rem, quia Pontifex non necessario huic Concilio interfuit, sicut vult Cunaus, nec semper praefuit: imò constans est Iudiciorum sententia Pontificem potuisse occidi, si mortem ex lege mereretur. Insuper observandum censemus, quod mortis supplicio fuerit obnoxius inobediens, non praecise in quantum obstrepuit Pontifici Summo, sed toti Collegio, & Iudici politico; Verba enim ita se habent: *Vir, qui faciet per contumaciam, ut non audiat Sacerdotem stantem administrandum ibi Domino DEO tuo, aut Iudicem morietur vir iste & removebis malum ex Israele.* Conspirant Iudaei, qui locum accipiunt non de Pontifice solo, sed de toto Concilio; Docet rationum momentum: Sacerdos enim ille, Pontifex scilicet Summus habuit & habere debuit suos Assessores Levitas. *versiculo nono*, qui indicarunt sententiam rogati, & ad decisionem concurrerunt, majoribus concludentibus, ut observat Rambam, ad Sanhedrin cap. X. Milch. II. Iudex politicus fuit ab eodem distinctus, cum objecta fuerint hujus Concilii, tum causae ecclesiasticae, tum politicae & non tantum *versiculo nono* Sacerdotes & Iudex distinguantur, sed & in hoc versu aperte per disjunctivam ut duo diversi indidentur, quod confirmat locus Deuter. 19. *vs. 17.* ubi dicitur: *Tunc stabunt illi duo homines, quibus est lis coram Jehovah coram.*

Sacer-

Sacerdotibus & Judicibus, qui fuerint in diebus illis & inquirant Judices diligenter: Nec non Forma Judicii à Josaphato instituti 2.

Paral. 19. vers. 8. & seq. in quæ verba Episcopus hæc voluit commentari Instit. p. 241.

Distinctio iudicium & iudiciorum, qua in separatis cælibus aut collegiis seorsim ferantur, nulla hic fit, sed tantum distinctio personarum, que in eodem confessu erant, quatenus singula peculiari aliqua qualitate ad iudicia ritè formanda prædita erant, ut ceteris in dicenda sententia de rebus gravioribus præire, & facem quasi præferre possent; Amazias tanquam Senatus princeps, quod vir esset in iudiciis versatissimus, & idem Sacerdos; sive summus Pontifex is esset, sive alius ex Sacerdotali ordine:

(Ex textu enim id non liquet, quia non vocatur כהן הגדול Pontifex Maximus, sed ראש כהן Sacerdos caput sive Princeps, scilicet Senatus vestri, quicumque tandem is esset:) & Zebadiah tanquam אב בית דין quod is vir esset apprime versatus in iis rebus, que magis ad civilem prudentiam quàm ad juris cognitionem pertinebant, & dignus qui in eo deliberandi genere primas obtineret. Tantum autem abest, ut ex textu liqueat, eos vel in diversis distinctisque cælibus iudicia pronunciaffe, vel in eodem casu ac confessu infallibiliter iudicasse, ut contra ex textu manifestè appareat, eos & in eodem cætu ac Senatu sedisse atque agitaße causas utraque, tum DEL, tum Regias; & nos iudicasse nisi de sententia majoris partis in

Quid dijudicandum in Iudiciis Pontifici fuerit relictum

*Senatu, quia disertè in eodem isto Senatu ad-
fessores eorum fuisse dicuntur, tum Levita &
Sacerdotes, tum familiarum Principes, vers. 8.
multarum artium peritia excellentes; & qui-
dem eo fine, ut judicia Domini & lites judi-
carent, uti ibidem legere est, & ex praecepto
DEI manifestius patet, quo iis injungitur, ut
judicent in timore Domini, in fide, & in per-
fecto corde: vers. 9. quod & repetitur ab Ezech.
cap. XLIV. 24.*

Ad Th. III.

OBSERVATIO II.

Jus regium I. Sam. 8. descriptum
non est factum tantum, quod Effe-
ctum Juris aliquem habet.

Variantes
de regio
inter He-
braeos Iure
Sententis.

TRes sententiae principales de jure illo
circumferuntur; prima est jus illud re-
gium planè non esse jus, sed consuetudinem
aliquam vitiosam, quae nec effectum aliquem
juris habeat; secunda paulo mitior sententia
est nostri Grotii non nudum factum hinc in-
dicari, sed factum quod effectum aliquem
juris habeat, utut non facultas designetur ho-
nestè & justè aliquid agendi; tertia sententia
est verum jus hinc poni, quod DEUS indul-
ferit Regibus, & quo salva conscientia uti
potuerint positum ponendis. Quae sententia
nobis vero censetur esse consona, & quidem
ex rationibus quae satis validè concludunt;
tum,

Jus Regis
I Sam. 8.
de linea
tum de Ju-
re vero in-
telligen-
tiam.

tum, quia Israelitæ non petierunt tyrannum aliquem injustè dominantem, sed Regem & quidem talem, qui sit similis cæterarum gentium Regibus, quos legitimos agnoscit lib. 3. de Republ. Aristoteles; eum etiam in finem, ut jus dicat, non tyrannidem exerceat. Jus autem dicere est Regis genuini, & quidem talem volunt, qui jus dicat rectius & melius, quàm hætenus filii Samuelis illud exercuerant; eundem DEUS etiam ungi voluit & populo commendavit, & si poneremus Dominatui accessisse hoc Regimen, num propterea verum jus omne cessabit? tum, quia tale jus hîc describitur, quod est proprium Regum ex divino induktu; Si verò per jus intelligamus consuetudinem vitiosam, illa non propria erit Regibus, sed communis etiam cæteris Judicibus: tum, quia ipse populus sese submitit voluntariè, non facturus, si DEUS ipsis repræsenteret consuetudinem quandam vitiosam, cui futuri essent obnoxii; audito enim jure regio acquieverunt in illo, atque confirmatum fuit hoc ipsum jus, descriptum & repositum coram Domino, prout constat ex I. Sam. X. 25. & Chaldæus signanter vocem Mispath exponit de ordinaria lege Regis: subscribunt etiam Barclaius, Marcus Antonius de Dominis, Wilhelmus Barret, Salmasius, Bœclerus & Thomas Hobbes lib. de Cive cap. 11. Graviter itaque errant, qui meram consuetudinem hîc ponunt; errat & Grotius, qui quidem factum nudum non vult indicari, non tamen admit

Facultas
honestè &
justè ex ju-
re regio a-
gendi ad-
struitur
prolixius.

tere facultatem honestè agendi & justè , cum nihil inhonesti nihil injusti possit ostendi in omnibus & singulis speciebus ibi enumeratis, posita necessitate subveniendi Reipublicæ, per assumptionem filiorum & filiarum ad militiam, fundorum ad extemporaneam Ducum bellicorum solertiam accendendam, filiarum ad pharmaceuticam confectionem, quæ tempore belli non solum utilis, sed & necessaria. Huc faciunt, quæ in Dissertatione de jure regio quondam proposuimus. Dicit filios subjectorum assumpturum, & positurum in curribus suis, & in equitatu suo, & ut currant ante currum suum, dispositurum eos Chiliarchas, Pentecontarchas, nec non ad faciendum instrumenta bellica, instrumenta curruum suorum. Quis verò Regi non adscribat Imperium in caput subditi? Quis Principi neget potestatem armorum, sive ad fabricas publicas, sive ad armamentaria, in quibus publicæ custodiuntur, sive ad homines habiles, referas, ex quo jus armandiæ dicitur. Ordo enim ille naturalis juxta Augustinum libr. 22. contra Faustum. cap. 74. mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium, apud Principes sit: Quis summæ potestati non tribuat, milites sibi legere, qui vel peditum agmen, vel equitum turmas conficiant, atque in curribus pugnent, stent pro defensione Patriæ ac regni? Num Principi fas non erit, honorificum subdito, cui nihil præter obsequii gloriam relictum, in fatel-

satellitum regium adscisci, Tyrannis in peregrinos propensis? Num exiguum fuit densare illustrem comitatum Salomonis, cujus ministri Juvenes splendore vestium, crinibus auri ramentis respersis, pompa phaleratorum equorum plebejas animas superabant? Dicitur filios subditorum adhibiturum ad arandum arationem ejus, & ad metendum messem ejus. Quantum verò oneris hæc facere? tantumne non meretur oculus vigil Principis manus defendens Regis, ut ex lege gratitudinis præstet aliquid Rusticorum unus & alter illi, cui post DEUM debet Spiritum, cui universitas animam, quam tot millia hominum trahunt, sanguinem prodigere debet pro salute Principis subditus, quidni impendat aliquid laboris? qui se debet, cur non jumentum quoque vel asinum? Quid tyrannici si filias subditorum adhibeat in usum, vel aula, tempore pacis vel urbium tempore belli, constituat ex illas aliquas unguentarias, aliquas coquas, aliquas pistrices Num famellæ non umbra Principis fruuntur? Num capitis inclyti Spiritus & beneficia non ad illas quoque redundant? Num sordidum unguenta conficere, quæ vel ægris, vel vulneratis ex bello in restitutionem pristinae sanitatis, & corporis laxati redintegrationem applices? Num non necessarium est habere focarias, & coquas, quæ parent necessaria in Regis mensæ apparatus, quæ focum instruant, dapes parent, culinam curent? num pistrices sibi legere contra æquitatem? annon panis in

casa rustica etiam necessarius, quis Regi ne-
 get, quod vel Nabal inter suos habuit? Quis
 ministeria exhibenda interpretetur igno-
 miniosam servitutem? Dicitur agros quo-
 que vestros & vineas & vinearum redditus
 addecimabit, ut det Eunuchis & famulis
 suis, greges quoque vestros addecimabit
 vosque eritis servi. Quid verò? tantumne
 iniquitatis jus habere in vineas & oliveta, in
 segetes ad aliquam quotam, in greges ad
 aliquem numerum? annon Dominium e-
 minens superius est Dominio proprietatis
 in privato, dirigens potestatem gubernan-
 di vel disponendi de re aliqua Civium & sub-
 ditorum? Annon Vicarium DEI agit in ter-
 ris, & Majestatis divinæ eminentiam adum-
 brat, qui præest Universitati? Quàm inju-
 stum itaque fuerit, si Rex Ebræorum actum
 Domini in bona exercuit eorum qui deside-
 rarunt dominatum, Imperium compar cæteris
 quod ἀντιτύπον in eos, qui ad rigidius sceptrū
 apti, vilissima pars servientium dicti Tacito,
 similes Syris vicinis servituti natis, teste Li-
 vio: ita autem Seniores ad Samuelem intro-
 ducuntur loquentes: Filios illius, utpote, per
 ætatem, adhuc utcunque militiæ rudes & im-
 belles, castrorum molem non laturos; nec si
 ferrent, cum fide bellicum ærarium tractatu-
 ros, quippe qui nunc in toga quidem, mu-
 nerum ac rapinarum forensium intacti, nihil
 ex paterna morum integritate gerant & usur-
 pent; judicariæ potestatis collegio potientes.
 Cujus potestatis ipsi, cum adfessores nunc
 tantum

tantum, ac propemodum sociales umbræ, tam avaros se tamē & importunos exhibeant, quid eos tandem patris à funere, plenissimam ad-
 optos Præturam facturos? Daret igitur hoc, bonâ suâ veniâ precibus ac votis totius Israe-
 liticæ gentis: & vivens vidensque, redactis in ordinem Judicum tribunalibus, etiam He-
 bræis solium, sceptrum, ac diadema, conce-
 deret; unum quempiam ex universo nationis corpore designando, qui Regis jure tituloque præsideat. Si Tyrus, si Sidon, si cunctæ Syriæ, si tres Arabiæ, si gens Amonitica, Moabæa, Madianæ; si solitudines Idumæ, si denique palantes Ismaëliarum & Agarenorum manipuli, tamen Regem quique suum regiamque certo defixam loco sequantur, agnoscant & suscipiant, ecquam tandem invidiam esse, soli sanguinis Abrahamitici populi negari Rectorem coronatum? Quam à recta ratione alienum tollere cum aliud ex tempore medium non suppetit, vineas & oliveta & dare servis, vel consiliariis & ducibus bellicis, vertere illa in bonum totius rei-publicæ? quàm durum quædam etiam propriis usibus aptare hac vel illa etiam optima intentione; hac vel illa occasione, hoc vel illo tempore, rerumque statu? nonne aurum & argentum juxta Philonem ceteraque pretiosa, quæ reconduuntur apud subditos, Regum magis sunt, quàm eorum à quibus habentur, & si tantum jus habet in vineas & oliveta, bona immobilia & fundos quantò magis in fructus? quis decimas negabit è gregibus Duci Gre-
 L1 6 gis,

gis, è segete messis Domino, è vineis viti selectissimæ, sub cujus umbra quieti agunt subditi, de cujus fructuum dulcedine inebriatur? compendiò hæc complexus fuit, Samuel dicēs Sauli, 1. Sam. 10. Cujusnam erit quod optimum habetur in Israël, annon tuum erit tuæque familiæ. Rectè tamen Grotius statuit supposito, quod de jure usurpato hîc sit sermo, non de facultate justè aliquid agendi, nihilominus effectum aliquem juris consequi; ex intentione enim divina, posito quod hoc jus esset usurpativum, consequens esset effectus juris, nempe non resistendi obligatio, tum propter submissionem factam, tum propter obligationem etiam dura & iniqua petenti Regi, 1. Petr. II. vs. 18. tum propter conscientie securitatem; tutius enim est pati jacturam fortunarum, quam contumacie edere periculosum specimen.

Ad Th. III.

OBSERVATIO III.

Quæ Grotius Juri regio opponit non concludunt.

Quæ regio non officit ratio vivendi Regibus præscripta.

ARgumenta Grotii non stringunt. Non illud, quod Deut, XVII. vs. 14. alia ratio vivendi Regi præscribatur; nam aliud est Officium Regis, quod ipse agnoscit hîc describi Grotius, aliud est jus Regis; officium ibi describitur, non jus, non potestas. Hinc Regi monita dantur ibidem, hîc vero descri-

ptis

pta facultate agendi, subdito indicatur quòd ipsi nihil relictum præter obsequii gloriam. Quod dicitur ulterius populum pressum istis injuriis DEI opem imploraturum, hoc itidem non urget: partim quia illa imploratio prædicta potuit respicere abusum potestatis juris hujus Regii, qui in uno & altero in longa illa successione Regum erat metuendus: partim quia respexit immutabilitatem decreti Domini, quod etiam si clamaturi essent ad DEUM, & mutationem desideraturi status Regii in popularem vel Aristocraticum, vel in priorem Democratiã anhelaturi vel potius Theocratiam, non DEUS tamen ad preces ipsorum mutaturus sit statum, & novam formam Reipublicæ introdueturus: partim quia non est consequens, populus fastidiet statum Regium, E. exercitium juris Regii est injustum. Fastidire enim potuit non ex suppositione injustitiæ, sed ex conditione status adstrictioris, quatenus libertas illorum fuit circumscripta, magisq; arctata, quàm sub Theocratico Regimine.

Nec id, quod de populo opem DEI imploraturum refertur;

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Dictum Paulinum ex Epistola ad Romanos Author non dextrè exponit.

Non omne quod hinc micat Aurum est. Inter scorias deputandum, quod dicit de
NOVO

Christiani
non aliam
præfarc te-
nentur o-
bedienti-
am quam
Hebræi.

novo fœdere Christianis non minorem, si non majorem obedientiam fuisse injunctam exhibendam summis potestatibus, quàm ea quæ Hebræis debebatur Regib⁹ ab Hebræis; nam (1) supponit falsum Hebræis nō strictam fuisse obedientiam cum patientia injunctam Regibus Hebræis exhibendam: contrarium dispallescit tum ex jure hoc Regio antea vindicato, tum ex modo regiminis Orientis Regibus consueto, tum ex facto Davidis. cui Mephiboseth in actione cum Ziba exhibuit obsequium cum patientia, (2) falsum est majorem obedientiam deberi summis potestatibus in N. T. quàm in V. hoc enim Photinianismum redolet, Evangelicam perfectionem inducit superiorem Legali, & Christianos subjicit duriori jugo, quam veteres Hebræos. (3) Locum Apostoli malè interpretatur, quando dicit non posse resisti potestati supereminenti; primùm quòd DEUS ordinem illum parendi & imperandi approbaverit, & olim in Lege Hebræâ & nunc in Evangelio, ut proin potestates publicæ sint eo loco habendæ nobis, quasi ab ipso Deo essent constitutæ; secundo quòd hic ordo nostro bono inserviat. At (1) prima ratio non admittenda erit: non enim DEUS approbavit tantum ordinem illum imperandi & parendi, sed constituit. Dicitur enim Rom. XIII. vs. 1. *Non est potestas nisi à DEO*; quo ipso Origine potestatis exprimitur, non approbatio ex intervallo superveniens Origine ex hominum consilio descendente. Quemadmodum enim

enim

enim qui dicit nemo produxit Adamum nisi DEUS, DEUM dicit causam hujus creationis & quidem immediatam; ita quoque qui dicit non est potestas nisi à DEO, ut quidem Apostolus dicit, ille hoc vult DEUM esse causam potestatis, & quidem immediatam, ut consequenter origo sit à solo DEO. (2) Errare videtur Grotius, dum Ordinis imperandi & parendi meminit tantum, à DEO approbati. Sanè potestas in loco Paulino non abstractè accipitur, sed concretè pro potestate in subiecto existente; persona enim gerit gladium, persona imperat, personæ subijcitur, & vectigalia tribuimus. (3) Absurdè dicit eo loco nobis esse potestates habendas publicas, quasi essent à DEO constitutæ; non enim sunt eo loco habendæ quasi essent à DEO constitutæ, sed habendæ sunt ut à DEO constitutæ reverà, quia nulla potestas est nisi à DEO. In altero itidem cespitat, tum quia Apostolus non ex utilitate publica deducit summæ potestatis auctoritatem, sed describit illum à commo- etiam quod præstat singulis subditis, huic vel illi; tum quia hæc opinio & interpretatio facile subservire potest seditiosis ingeniis, qui si potestas summa videtur recedere à promotione boni publici, volunt ulterius non habere auctoritatem & potestatem regendi; tum quia quàmvis hic Ordo nostro bono inserviat, potest tamen locum habere hic Ordo etiam in Dominatu, ubi non tam attenditur utilitas subditi, quàm id quod condicit & placet Regenti. Obsignamus hunc locum

Ordinem
parendi &
imperandi
ex commo-
do metiri
periculo-
sum est.

Loco Pauli
hactenus
vindicato
additur ex-
plicatio

locum Verbis laudati Archiepiscopi lib. 6. cap. 2. §. 5. pag. 520. *Dicat Paulus divino illustratus lumine, clarè, & explicatè, quod ratio, & lumen naturale obscurius significarunt: exponat ille nobis, que sit illa natura, que hominem civilem esse voluit, & civitates instituit, jussitque aliquos imperare, alios parere. Non est, inquit, potestas, nisi à DEO: que autem sunt, à DEO ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Potestas igitur non est, si Paulo credimus, nisi à DEO: quasi dicat, Ubi cunque hominem videris, cum potestate rectoria, gubernativa, illum scias à DEO, & non ab alio suum accepisse potestatem. Sed hoc non fuit satis Paulo proloqui, adhuc explicatius voluit suam sententiam aperire: Quodcunque, inquit, adsunt potestates, ille sunt à DEO ordinatae. (Hec enim est vera lectio, non illa que dicit: que enim à DEO sunt, ordinatae sunt.) Ac ut omnis tolleretur cavillus, addit: Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit. Certè Pauli haec verba asserunt, humanas potestates, esse immediate à DEO: Sunt à DEO, inquit, & DEI ordinatione sunt instituta: Non ergo eas alius instituit, non alius ordinavit, nisi DEUS per se ipsum: juxta illud Sapientis: Audite ergo Reges, & intelligite, discite Judices finium terra, praebeate aures quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis.*

Deum

Deus igitur instituit Reges, & Praesides, qui ipsius nomine humanas, humano modo regant societates. Idem quoque Deus, qui autor est totius creaturae, autor etiam est ordinis necessarii in creatura: Ordo verò necessarius erat inter homines, quos natura voluit esse civiles ut essent qui imperarent ipsius nomine: & multitudo eis pareret, ut optime moxet Augustinus, sens quis alius: Nam natura, inquit, omnes aequales genuit: sed inaequalitas qua accessit ex vitio, est ordinata ex Dei iudicio unde nos oportet obedire hominibus. Et verus Augustinus ait. Aeterna lege juberi, ut ordo naturalis conservetur. Aeterna ergo lege, non humana, Principes dominantur: quia ita ordo naturalis deposit, & ita aeterna sapientia disposuit. Et Anselmus; Omnibus, inquit, notum sit nullum Principum, nullamque potestatum, & virtutum, sive caelestium, sive terrestrium, per se habuisse aliquid principatus, vel potestatis, aut virtutis; sed ab illo, à quo sunt omnia, non solum ut sint, sed etiam ut ordinata sint. Et cum idem Paulus subdat; Potestatem esse DEI ministrum; adhuc melius explicat ipsum immediate à DEO habere officium, & munus, quod exercet loco DEI, ut proximus, non multitudinis, sed DEI minister.

M m

Ad

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Subditi non possunt Armis insur-
gere aduersus Summam Potestatem.

Magistra-
tus inferior-
res summū
Imperium
habenti ju-
stè resistere
non pos-
sunt.

IN hac thesi Author tangit nobilem illam
quæstionem de Magistratibus inferioribus,
num sc. illi non habeant potestatem resistan-
di injuriis Summarum Potestatum? & rectè
respondet negativè, ducens argumentum
tum ex sub ordinatione Magistratum, tum
ex locis Scripturæ, tum denique ex remotio-
ne ejus, quod obstare videtur. Operosè
autem hæc quæstio tractata fuit à Davide
Pareo, postquam posuisset hunc Aphorism-
m: *Subditi non privati, sed in Magistra-
tu inferiori constituti, aduersus superiorem
Magistratum, & Rempublicam & Ecclesiam
seu veram Religionem defendere jure possunt,*
his positis conditionibus, (1) si degenerat
Magistratus superior in tyrannum; (2) aut ad
manifestam idololatriam atque blasphemias
ipsas vel subditos vel alios suæ fidei commif-
sos vult cogere; (3) cum ipsis atrox infertur
injuria; (4) si aliter incolumes fortunis, vi-
ta & conscientia esse non possint; (5) ne præ-
textu religionis aut justitiæ suæ quærant, (6)
servata super *Intentione* & moderamine incul-
patæ tutelæ juxta leges. Argumentis verò suâ
sententiam probare nititur sequentibus: (1)
quia etiã superior Magistratus sit subiectus
legi-

Rationes
hæc pro
Negativa
stantis.

legibus divinis & suæ Reipublicæ Deut. XVII. vers. 20. Jos. I. vers. 8. Lex autem DEI non modo tyrannidem prohibet, sed etiam jubet illam legitime coercere; *qui sanguinem hominis effuderit ejus sanguis per hominem effundetur.* Genes. IX. vs. 6. Item quia Imperator in Codice testatur se contra jus nolle ut sua Decreta in judiciis locum habeant, sed debere irrita fieri, si fortasse cognoscantur à justitia discedere, (2) quia inferioris Magistratus non minus officium sit defendere vitam & salutem subditorum contra injurias atroces & vim injustam latronum & tyrannorum sive externorum sive domesticorum. Nam etiam de illis dici Rom. XIII. *est minister DEI, tibi in bonum, non est terrori bonis operibus sed malis, gladium non frustra gerit, & ulior ad iram ei, qui quod malum est facit;* Si itaque superior malum facit, ulior debet esse, præprimis si addantur ut sint focii gubernationis, & ut horum moderentur immensam licentiam. Cùm itaque istam frenant, utuntur autoritate & gladio per legitimam vocationem sibi dato, (3) Si Magistratus furiosus rectè amoveatur auctoritate publica, quemadmodum Nabuchodonosor ab Hominum consortio fuit abjectus Dan IV. vs. 31. etiam rectè removetur talis Rex, qui furioso est similis, grassator & Tyrannus atrox. Addit insuper constitui summam potestatem vel per Senatum, vel per Electores, vel per alios Magistratus, rectè itaque tales facere, si coerceant aut tollant Ty-

rannos. Quorum enim est constituere, eorum quoque esse enormiter grassantes cohercere vel tollere. Subjungit exempla, ex Historia Judicum insurgentes adversus tyrannos, à quibus crudeliter tractabantur. Ex historia Regum Ezechiaë exemplum Regis pi-entissimi, qui ab Assyrio Tyranno defecerit II. Reg. XVIII. Saulis, cui tanquam Regi stolido & sævo Jonathanem filium interficere volenti restiterit populus; defensionem Ahicam contra Joacim Jerem. XXVI. *ps.* 24. Athaliaë sublataë II. Reg. XI. Machabæorum contra Tyrannos Macedonicos se & Republicam armis defendentes. Ex Historia profana Thrasibulum, Romanos, Electores contra Wenceslaum. Verum hæc argumenta non concludunt. Non (1) tum quia quidem summa potestas est subjecta etiam legibus divinis, sed non imperio Magistratum inferiorum; hinc delinquens contra leges divinas à DEO punitur, & in ordinem redigitur, cujus potestati & imperio subjectus est, non autem ab inferiori Magistratu, cujus nullum est in potestatem summam imperium; tum quia frustra allegatur Lex Deut. XVII. & Jos. I. præscribitur enim quid faciendum Regi vel Duci, non autem quid in casu negligentiaë & transgressionis liceat populo vel Magistratui inferiori in talem Ducem aut Regem, tum quia Lex divina Gen. IX. allegata jubet quidem coercere violentiam, sed non Regum, qui immediatè subsunt ipsi DEO, & eidem soli peccant: quando enim dicitur sanguinem

Iugulan-
tur Parci
argumenta
Primum;

illius

Illius fundēdum esse per hominem, qui aliquē occidit, intelligitur hōmo armatus authoritate publica, quæ in inferioribus Magistratibus respectu summarum potestatum nulla est.

Quod autem concernit allegata cætera ex corpore Juris, illorum sensum ostendet explicatio dicti illius prolata à Trajano in seqq. Ad

(2) Respondetur (1) utique etiam inferioris Magistratus esse defendere vitam & salutem subditorum, sed intra terminos suæ potestatis, adversus vel subditum rebellem, vel externum grassatorem, non autem contra vim Potestatis summæ, respectu cujus Magistratus inferior subditi conditionem subit, (2) quia dictum illud Pauli primò & principaliter agit de summis Potestatibus superemētibus, & quidem talibus, quales tum temporis erant, Imperatoribus Romanis absolutè agentibus. Non negamus tamen etiam hoc dictum extendi posse ad Magistratus inferiores, sed respectu illorum, quibus sunt præpositi atque præfecti; non autem sunt præpositi ipsis Regibus, sed suppositi; & quamvis concedi possit, etiam ipsorum potestatem esse immediatè à Deo, quod Christus quoque indicare voluit Joh. XIX. vs. 11. dicens Præsidi Judææ Pilato, qui superiorem agnoscebat Tiberium, non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper, tamē ut patria potestas, aut maritalis immediatè à DEO est, & tamē subest potestati summæ, ita hīc quoq; sese res habet. 3. Falsum est addi ut sint socii gubernationis; Monarchia quippe societatem

Tertium.

tatem omnem excludit, multo magis autem dependentem, quæ verè *σδιηρόξυλον*; falsissimum denique addi ut summarum potestatum moderentur immensam licentiam: hoc enim est summas potestates subjicere moderamini, inferiorum; imò cum unius cujusque sit defendere vitam, hæc æquè militabunt pro subditis, quàm pro Magistratibus. Ad (3) respondetur illud Argumentū non procedere; tum quia Rex Tyrannus & sævus similis quidem est furioso in quibusdam, non tamen furiosus, qui quasi ab Esse hominis deficit, & consequenter non videtur ulterius esse subjectum capax Regiminis, sævus enim ratione gaudet, licet in exercitio potestatis modum excedat; tum quia exemplum Nabuchodonosoris non quadrat: partim quia Nabuchodonosor non fuit ita remotus ab imperio ut axioma Regium ipsi fuerit ablatum, nam saltem cessavit officium Regium, actualis administratio, ita tamen ut adhuc stirps in terra remaneret, h. e. suo tempore restituenda eadem Majestas perseveraret; partim quia non ejecerunt ipsum Proceres Regni, neq; ex textu hoc probari potest satis solidè. nam ut Caspar Sanctius observavit, impersonaliter dicitur *ejicietur*, præciso principio ejiciente; potuit autem ejici à semetipso, ab imaginatione corrupta, quæ suggestit ipsi, quòd sit fera in sylvis nata, & propterea in beluinis latibulis etiam versari debeat, seu inter belluas suum hospitium quærere, partim si dicamus ejectum esse ab aliis, non tamen Proceres hoc ipsam

ipsum fecerunt ex conspiratione quadam hostili, sed hoc factum est ex Regina & filiorum Regionum, inter quos eminuit Evilmorodach, consilio, qui ipsum curarunt includi horto Regio ferrarum; tum quia, si hoc exemplum nimium urgeatur responderi potest, hic aliquid divinitus extraordinarii contigisse, Regem in quasibutum degenerasse, & impossibile fuisse ut regeret, aut praesset populo; & utut exercitium deserit, facultatem habuit tamen redeundi, prout actu etiam hoc ipsum contigit. Reliqua sua sponte corruunt, tum quia falsum est penes quem est constituere, penes ipsum etiam est coherere, tum quia posito quod Magistratus inferior possit coercere, nondum tamen consequens est, hac specie, nempe armata manu; tum quia sumitur illud pseudo principium, non probatur: Electores, Senatuum vel populum constituere Regem, cum potestas Regis sit non nisi à DEO. Ad exempla respondemus, partim illa esse Heroica & extraordinaria, ut in historia Judicum; partim arma fuisse sumpta contra extraneum, non contra Regem degenerantem, & quidem talem, qui pressit populum ad tempus, nondum invalescente jure summæ potestatis in ipsum; partim esse facti non juris, quale illud Ezechiae ac Electorum Wenceslaum deponentium juxta quosdam, qui etiam ex Dintero Scriptore coevo observant, quod magna pars Principum & Civitatum Germaniae destitutum etiam pro Imperatore agnoverit. Sauli

Exempla
satisfit.

Trajani dictum ad Præfectum in Prætorio exponitur.

Commentaria Parei manu carnificis combusta.

autem non restitit populus armis, sed verbis & intercessione, quod hodie quoque ut licitum probamus. Objicit autem sibi Grotius dictum Trajani pugionem tradentis Præfecto prætorio, & rectè respondet: cui responsioni hæc addimus, non militare hoc pro Magistratibus inferioribus; tum quia illa traditio fuit spontanea, fuit revocabilis, & ex libero arbitrio profecta; tum quia fuit traditio non Senatui, non populo, sed Præfecto prætorianis cohortibus, qui non erat pars Senatus vel populi, penes quos Pareus & ceteri volunt esse summam Potestatem; tum quia si quid potestatis habuisset in Trajanum præfectus prætorio, habuisset hoc ipsum dependenter ab ipso Cæsare. Quàmvis hæc verba non tam intelligenda sint secundum litteram, quàm secundum commodum sensum. Hinc etiam factum est, ut liber ille Commentariorum Parei propter hanc assertionem positam, Anno hujus seculi 22. die 6. Jul. ex decreto Regis Angliæ Jacobi VI. Oxoniæ per manum carnificis publicè combustus fuerit, post quàm hæc propositiones die 25. Jun. ejusdem anni publica censura ejusdem Universitatis condemnatæ, omnesque non solum Magistri & Doctores, sed & Baccalaurei, Facultatis Theologicæ, Juris & Medicinæ statuto perpetuo devincirentur, ut censuræ huic subscriberent, antequàm ad honores admitterentur, quod decretum videre est apud Hugonem Grotium in voto pro Pace ad artic. XVI. Augustanæ Confessionis.

Ad

Ad Th. VII.

OBSERVATIO I.

Non definitum fuit demum tempore Hasmonæorum limitatè legem de Sabbatho esse accipiendam.

IN hac thesi Author ipsam aggreditur materiam, & primò agit de lege Sabbathi, ex occasione Legis de non resistendo, & dicit quod de lege Sabbathi demum definitum sit temporibus Hasmonæorum, necessitatem induxisse, quia juxta dictum celebre periculum animæ impellat Sabbathum h. e. amoveat Sabbathi observandi obligationem, ut explicat in Comment. ad lib. 1. Maccab. cap. 2. Cæterùm observandum circa hoc enunciatum (1) illos, qui passi sunt in Sabbatho occidere, à defensione sese abstinerunt, & in antro interfecti sunt cum suis ante illam definitionem, non dextrè egisse; melius enim fecissent, si etiam in Sabbatho fortiter repugnassent hostibus, & malè illos defendit contra Lucam Osiandrum Jesuita Tiri- nus rationibus inductus infirmis: quia scilicet summæ laudi illis dandum, quod pro legum divinarum custodia voluerint gravissima quæque perpeti, quia à Lacedæmonibus aliisque gentilibus in simili casu factitatum Plutarchus testetur, quia deniq; recentia aliorum Judæorum exēpla extiterit prorsus huic similia, qui sub Ptolomæo Lagi & multis post annis imò

Hebræi
tempore
Maccabzo-
rum à de-
fensione
malè absti-
nuerunt.
Contraria-
tur Tiri-
nus.

Jesuitæ ra-
tiones e-
nervatur.

I.

II.

III.

seculis simili modo passi sint diebus festis sese jugulari à Mithridate, à Pompejo, à Cæsariensibus & aliis. Prima enim ratio non concludit, quia obligamur ad passionem pro divina gloria non simpliciter & absolutè, & si, prout ipse Tirinus fatetur, noverunt se tali occasione, loco & tempore non obligari, non debuerunt pati, sed resistere. Quid, quod hac ratione sternitur subsidium perfectioni supralekali & consilii? Secunda ratio non concludit, à gentilibus enim ratio debiti & pietatis, quoad hoc punctum peti nequit. Tertia ratio premit ipsum Jesuitam: nam, si intervenit à Matathia contrarium decretum, quod ille pium & prudens vocat, quomodo Judæi, qui multis post annis nihilominus sustinuerunt cædes, nec propullarunt injurias, non fecisse dicendi sunt contra prudens illud & pium decretum pugnandi contra hostes à Matathia exhibitum? (2) Hoc supposito sententia contraria erit propugnanda, nempe malè fecisse hos, quod Sabbatho noluerint pugnare; tum, quia vi juris naturalis potuissent vim vi repellere citra exceptionem temporis; tum, quia Sabbathum juxta ipsum Christum est propter hominem, non homo propter Sabbathum: Hinc ipse Christus voluit ut subveniatur proximo in Sabbatho citra violationem, qui itaque aliquis non posset à se propellere injurias in Sabbatho, qui proximus sibimetipsi? tum quia, qui hoc fecerunt, fecerunt ex superstitione, quæ tum temporis invaluerat. (3) Grotii hinc inde

Sabbathum
lex semper

de dispallefcit ſententiæ infirmitas, quaſi ſcil.
 tum temporis demum definitum eſſet, quod
 periculum animæ impellat Sabbathum; nam
 hoc ambiguè dictum eſt, ſi non falſò: tum,
 quia lex de Sabbatho, quamprimùm prolata
 erat, tacitam habuit exceptionem ſummæ ne-
 ceſſitatis: aliàs Chriſtus in N. T. non rectè
 illam legem fuiſſet interpretatus; tum, quia
 procul dubio etiam ab antecedentibus In-
 terpretibus legis Moſaicæ in populo DEI lex
 de Sabbatho ita fuit expoſita, ut caſum ne-
 ceſſitatis exceperint; tum, quia Eccleſia Ju-
 daica intellexit legem de Sabbatho cum illâ
 exceptione, niſi velimus aſſerere Eccleſiam
 DEI non intellexiſſe Decalogum dextrè, ſe-
 quioribus autem temporibus illa ſuperſti-
 tioſa abſtinentia invaluit; non ergò hoc ab-
 ſolutè poteſt accipi, quod dicit Grotius, niſi
 de definitione accipiatur comparatè ad a-
 ctum præcedentem & tempora illa, in qui-
 bus hæc ſuperſtitio invaluit. De quo videri
 poteſt cap. 2. lib. 1. Maccabæorum.

exceptio-
nem habet
it ſummæ
neceſſita-
tis.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO II.

Quæ Author de reſiſtentiâ prodit
 non ſua carent difficultate.

Observandum eſt, Authorem periculoſè
 diſſerere in principali. Statuit enim (1)
 legem ab hominibus cum ſenſu humanæ im-

becillitatis ferri solere, & consequenter legem de non resistendo pendere à voluntate eorum, qui se primùm in societatem civilem consociarunt, à quibus jus ad imperantes dimanet. (2) dicit homines non DEI præcepto, sed spontè adductos, experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, in societatem civilem coisse, unde ortum habeat potestas civilis, quam ideò humanam ordinationem Petrus vocet, subjicitque Barclaji sententiam. (3) licere resistere etiam Principi summam potestatem habenti vel Regi probare satagit exemplo Davidis & Maccabæorum. Sed hîc multis modis peccatur. (1) peccatur, quando lex de non resistendo dicitur pendere à voluntate eorum, qui se primùm in societatem civilem consociarunt. Nam pendet hæc lex de non resistendo non à voluntate coeuntium, sed à voluntate ipsius DEI, & antiquiore & superiore omni humana voluntate. Expressè enim Apostolus Rom. XIII. ait, *qui summæ potestati resistit, DEI ordinationi resistit.* (2) peccatur, quando dicitur ab illis, qui in societatem civilem conspirarunt Jus ad imperantem dimanare. Atqui jus imperandi non est jus pendens aut dimanans ex voluntate populi, sed immediatè ab ipso DEO, prout ex Scripturis, antiquitate & ratione egregiè demonstravit Marcus Antonius de Dominis. (3) Pariter posset concludi, subditi si interrogarentur, an velint leges ferre seu sustinere, quæ voluptates, lucra minuunt

Lex de non resistendo non pendet à voluntate coeuntium.

Jus imperandi imperans populo non debet.

pro-

procul dubio etiam responderent, nolle se, non tamen illa præsumpta voluntas operabitur, ut summa Potestas non possit tales leges ipsis imponere. In (2) pronunciato iterum errat Grotius; tum quia statuit, necessitatem & indigentiam sive experimentum infirmitatis fuisse causam cur in societatem civilem coierint homines: tum, quia non potest ostendi familias segreges fuisse primum, tum quia, utut huic sententiæ quoque subscribat Boxhornius, experimentum infirmitatis & intuitus utilitatis non causa fuit societatis, si de efficiente sit sermo, sed saltem habet rationem occasionis; tum quia falsissimum, inde ortum suum habere potestatem civilem: an enim ex hac imperfecta causa tam nobilis effectus, cum causa non sit deterior suo effectu? an potestas civilis non est immediata à DEO? nec Petrus illam vocat humanam ordinationem causaliter, sed subjective & objective, nec verum est quod Grotius dicit, divinam Ordinationem dici saltem respectu approbationis divinæ; cum talis sit ratione institutionis, ut clarè constat ex Rom. XIII. 1. & seqq. Barclajus utut Regii Imperii assertor fuerit fortissimus, sæpius tamen deliquitum passus est in hac materia, & in hoc ipso puncto; tum quia nunquam statui potest populo esse jus tuendi se adversus immanem sævitiam alicujus Regis, quia talis Rex semper manet Rex respectu populi & caput, utut phrenesi corripiatur, utut sæviat in corpus; tum quia populus nulla gaudet vocatio-

Non rectè
asseritur.
Necessita-
tem fami-
lias segre-
ges ad So-
cietatem
compulsi-
se.

ne &

ne & mandato divino insurgendi in tali casu contra Regem, est enim gladii acceptio Matth. XXVI. 52. tum quia, si bellum suscipiat contra Regem talem, vix potest illud concipi ut purè defensivum citra omnem aggressionem.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO III.

Exempla, quæ Grotius producit pro Confirmatione Sententiæ suæ sunt infirma.

Licere sum
mani te-
nentibus ?
potestatem
resistere ab
exemplo
Davidis nõ
probat.

Tertium punctum est de exemplis, quæ non militant pro Grotio. Nam quod (1) concernit Davidem, ille non potest produci: partim, quia ille tum temporis fuit id, quod quondam Rex Romanorum in Imperio Romano, Candidatus scil. Imperii jam unctus ab ipso Samuele, adeoque non privatus merè talis; partim, quia quos armatos habuit circa sese, non habuit per modum seditiosæ convocationis, sed per modum permissionis; permisit enim ut tales sub umbra sua delitescerent, qui aliàs obnoxii furori Saulis, nec istos circumduxit in oppressionem Regis & contra illum: partim quia, ut ipse deinde Grotius agnoscit, poenitentia confestim tactus est David, quod vestem saltem Regis violaret, multò minus itaque violasset ipsum Regem etiam cum potuisset. (2) Exemplum

Vti nec à
Maccabæo-
rum.

Macca-

Maccabzorum non quadrat, tum, quia adhucdum disputari potest, num Mathathias & Maccabæi resisterint legitimo Principi, & non injusto inuasori Regni Judaici: quod, quamvis Grotius amoliri velit, tamen Cuneus Episcopus Levardiensis integro libro hoc ipsum ostendere conatus fuit; tum, quia Mathathias non fuit persona aliqua privata, sed ut vocatur I. Maccab. II. & V. 17. Princeps & clarissimus & magnus in populo. & sanè sunt qui populo Judaico tum temporis nondum ablatam Majestatem statuerunt, scepro adhucdum existente, qui proinde è Maccabzis Duces quasi Dictatores sibi elegerunt, ut Poloni è Francis Henricum Valesium; tum, quia nihil proficitur hoc exemplo, non enim ex divinis libris hoc productum est, sed ex Apocryphis, ut egregiè demonstravit Reinoldus, & quamvis Albericus Gentilis illa solvere conatus fuerit, quæ autoritatem impediunt hujus libri, agnovit tamen non esse canonicum. Dissonum à vero quoque est, quando p. 89. n. 8 dicit graviolem esse quæstionem, an quantum Davidi & Maccabæis licuit, liceat & Christianis? tum, quia supponit exactiorem patientiam requiri in N. T. quàm in V. quod falsum: Nam Decalogus manet uniformis; tum quia, si Christus fugam suavit, ea quoque apprehendenda fuit in tali casu in V. T., ubi ob religionem mors fuit intentata, ut patet exemplo Eliæ; tum, quia loca à Petro producta nihil concludunt; nam solum hoc probatur, Christum

stum reliquisse exemplum patientiæ, lex autem de patientia jam erat ante hoc exemplum, prout quoque in præcepto, quod ex I. Pet. IV. v. 12. & seqq. ducit.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

De Principibus secundum quid talibus repellendis vel morte puniendis cautè differendum.

Hic Author statuit, Principes, qui sub populo sunt, si peccent in leges & vi repelli posse, & puniri morte, probatq; exemplo Regum Lacedæmoniorum. Indubia verò hæc non sunt, nec ita crudè possunt accipi. Nam (1) supponit Author Principes ex populi conditione tales, qui scil. per conventionem potestatem aliquam assecuti sint, at si verè Reges sunt, si verè Principes non erunt sub populo, nec potestas illorum in populum erit referenda, (2) supponit talibus posse resisti, imò posse ipsos occidi in casu delicti contra legem & Rempublicam. Sed, quod postremum concernit, non videtur concedendum esse, quia talis Princeps nihilominus habet superioritatem aliquam, cujus intuitu turpe erit populo ipsum aggredi, & qui caput est occidere, adeoque niti contra Principem Reipublicæ tam ferali modo. (3) de Regibus Lacedæmoniorum quod addu-

Populi liberi Princeps non datur. Nec enim à populo illo Princeps licitè occiditur.

Reges Lacedæmo-

adducitur, de eo non potest liquidò pronun-
ciari, nisi prius constet, istos Reges fuisse
titulo saltem tales, non autem potestate. At
in utramque partem sunt argumenta. Pro
Regibus potestate talibus militare videtur,
tum quod omnes Historici tales Spartano-
rum Principes Reges appellant, & regius ho-
nor ipsis fuerit exhibitus, de quo videri po-
test Montecatinus; tum, quia Regibus La-
cedæmoniorum comparantur à Giphanio
Imperatores Romanorum, à Montecatio
Polonici Reges, à Pauermeistero Reges
Hungariæ, Daniæ, Sueciæ. At tales non
sunt titulo tantùm Reges, sed potestate tales;
tum, quia non videtur ipsis deneganda po-
testas, quam nec negat Aristoteles ipsis, li-
cet fuerit valdè restrictà & limitata; neque
obstat, quod Grotius exemplum ponit pu-
niti morte; Hoc enim facti est, quemadmo-
dum facti fuit, quod Demaratus coactus est
experiri, qui propterea ad Persas fugit, re-
spondens: se idè solum vertisse, quia apud
Lacedæmonios plus valeant leges quàm Re-
ges. Altera autem sententia, quæ non tan-
tùm Bodino sed & aliis placet, hisce fulcris
nititur, (1) quia ipse Aristoteles hoc Regnum
vocat Præturam militarem tantùm 3. Pol. 10.
(2) quia domi tales Reges non habebant
Imperium, nisi in ea quæ pertinebant ad
Deos, sacrificia, & Jovis magni Sacerdo-
tium. (3) quia ipsimet Reges agnoverunt
se subesse Ephorum potestati, & conse-
quenter non nisi ad nutum ipsorum impera-

niorum an
fuerint Re-
ges tantum
titulota-
nus.

Nn

bant,

bant, prout etiam singulis mensibus juramentum repetere cogebantur, se imperaturos secundum leges, teste Xenophonte de Republica Lacedæmoniorum.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Rex qui se abdicavit Regno similis est quidem privato quoad potestatem, sed non auctoritatem.

Cum eo, qui Imperio se abdicavit ex privatorum Jure absolute agendum non est.

Hic Author statuit in Regem vel alium, qui Imperium abdicavit, vel pro derelicto habeat manifestè, postea omnia licere, quæ in privatum. Quæ nos itidem putamus non esse absolute probanda: partim, quia Rex etiam qui Imperium abdicat, nihilominus adhuc retinet veteris vestigia splendoris, utut potestate sit exutus, splendoris tamen intuitu non potest simpliciter ut privatus haberi, partim, quia Rex qui abdicavit sese Imperio, ipso regimine antecedaneo sibi devinxit populum, ut intuitu eorum bonorum, quæ acceperunt tempore regiminis, gratitudinis & reverentiæ nexu maneat illigati; partim quia utut potestas cesset, manet tamen adhuc aliqua auctoritas & Patri, etiamsi filius sit emancipatus vel egressus domo; adeoque non amplius sub patria potestate, nihilominus ob auctoritatem adhuc debetur reverentia: ita quamvis subditi non sint ulterius obstricti

ejus.

ejusmodi Regi ex præsentia potestatis in illo, tamen reverenter nec ut merè privatum debent ipsum habere, per & propter superstitem auctoritatem.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Alienationis actus in Regno electione aut successoria lege delato nullus est, nec erit sanè ex illâ, quam ponit Grotius, causa.

Disserithic Author de alienatione Regni, adducendo sententiam Barclaji; (2) dicendo talem actum, si Regnum electione aut successoria lege deferatur nullum esse, & hac ratione esse usufructuario similem; (3) in tali casu, si Rex reipsa tradere Regnum aut subicere molitur, affirmat ei posse resisti. Quod (1) concernit, nempe Barclajum, videtur ille non disputare de Regni alienatione & translatione in alium, sed de Regni submissione in protectionem alterius per modum Feudi; verba enim apud Barclajum ita se habent: *Si Rex in alicujus clientelam se contulerit, ac regnum quod liberum à Majoribus & populo traditum accepit, aliena ditioni mandaverit.* In tali autem casu falsum est arnitti propterea Regnum ab eo, quod in alterius clientelam se tradit, etiam ex Sententia Grotii; quanquam nolimus præfractè

vindicatus
Barclajus.

N n 2

negare

Actus Re-
gis Regnū
electione
aut succes-
soria lege
declaratum a-
lienantis
non est nul-
lus.

negare posteriora verba Barclai ulterius se porrigere (2) Quando Autor disputat de ipsa alienatione & translatione, adeoque progreditur ultra terminos à Barclajo præfixos, statuitque talem actum esse nullum, errare videtur: tum, quia talis Rex verè Rex est, quì itaque quod privato licet, nempe renunciare juri suo, non etiam liceret Regi majori potestate instructo? tum quia, sicut potestatem & regnum non habet à populo, ita quoque populus non potest prohibere, quominus ille in alium transferat Imperium, & extraneo jus suum cedat; tum, quia supponitur semper à Grotio Regem, qui per electionem aut etiam successionem in folium ascendit esse usufructuario similem; quod falsum, non tantum quia usufructuarius talis est, qui alteri proprietatem relinquit, proprietates itaque erit penes populum, usufructus saltem penes Regem; nec tantum, quia hoc perpetuz rebellionis materies erit proprietate adscripta populo, sed & quia hæc ad privatos spectant, penes quos ita proprietates & usufructus distinguuntur, malè autem applicantur ad Reges. (3) Quod dicit Grotius nempe resisti posse, & quidem si resistantiam accipiat de resistantia per arma, non videtur posse concedi: partim quia quod facit Rex in tali casu facit, facit jure suo, partim, quia resistere nunquam licet summæ potestati, subditus enim legitimum titulum non potest producere, ex quo constet talis facultas resistendi; partim quia si ex ipsa Grotii sen-

Regi num
in tali casu
resisti pos-
sit?

sententia talis actus abalienationis ipso jure nullus est, Rex vi istius abalienationis non dejiciet se à potestate sive majestate, quia abalienatio illa nulla est; manebit itaque in pristino statu, erit Rex, gaudebit majestate: qui autem Rex & caput est, nec non majestate gaudet, illi nunquam à subdito resisti potest, sc. eo resistendi genere, quod est per arma.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Rex in Exitium populi intendens nondum tamen Regno potest dejici, sed omnia adhuc sunt tentanda, ut ad saniozem & meliorem mentem reducat.

Author hic probat sententiam Barclaji, quod scil. Rex, si verè hostili animo in totius populi exitium feratur, amittat Regnū. Disputari verò potest, num hæc assertio non sit satis periculosa. Nam (1) hostili animo ferebatur in exitium populi Cajus Caligula, unam cervicem populo Romano optans, quo uno ictu possit amputari, ut constat ex Suetonio in Caligula: nec multum absuit Nero, ut ex eodem constat, & talia fecit cum hisce Vitellius, qui dixit: suavius olere nihil, quàm civem occisum; at quid hoc est nisi interitum populi & Reipublicæ exitium po-

Rex qui in perniciem quoq; populi fert ut nō semper & simpliciter est privandus Majestate,

scere, & à cura Patris deflectere ad Tyrannicum excidium totius populi. Et tamen Paulus circa hæc tempora vivens & scribens disertè enunciavit, qui resistat istiusmodi potestati, DEI potestati resistere; (2) Qui hostili animo ita fertur in exitium totius populi, ille est Tyrannus juxta Politicos. At quam difficile hoc est cognoscere, quam anceps, cui judicium committendum sit de Tyranno, & de Regis intentione? (3) Tyrannus, utut sit talis, qui Monarchæ opponitur, & juxta Aristotelem ad salutem privatam non publicam respiciat, quod tamen non potest ut definitio accipi, prout à quibusdam accipitur, utut in fortunas & corpora sæviat, dissidia inter cives alat, subditos depauperet, quæ ferè præcipuè notæ Tyranni sunt inter illas, quas attulit Bartolus in tractatu de Tyrannis; nihilominus tamen manet Rex, utut sævus sit, nec Tyrannis abolet potestatem à DEO semel acceptam, utut crudeliter exercitam. Si autem manet Rex, si gaudet majestate, utut sæviat in membra, non tamen amittit rationem capitis, & consequenter etiam Regnum non amittit. Pater sanè non dejicitur ab ἐξουχῆ & eminentia potestateque in filios, si sæviat in illos, sed coercendus est à superiore, ita Princeps quanquam exerret, quanquam in Corpus sæviat, phrenesi corripiatur Politicâ, nondum tamen dejiciendus censetur, sed Superior adeundus, DEUS rogandus à subditis & suspiriis seriis, calidis gemitibus, ejulatibus & lachrymis poenitentiz faci-

fatigandus, ut apte mutet mentem, aut tollat vitam. aliud tamen est quod Grotius observat, si se hostem populi totius profiteatur publicè, & consequenter ita eo ipso abdicet Regnum. Quæ autem Grotius ponit in th. 12. 13. & 14. illa partim ex superioribus possunt dignosci, partim ita sunt comparata, ut non absolutè possint accipi, partim de istis ita sentiendum, ut tutior pars in conscientia sit eligenda, tutior autem pars est illa, in qua non pecco; non pecco autem non resistendo, quidvis potius patiendo, quàm in Regem etiam sub conditionibus receptum aliquid moliendo.

Ad Th. XV.

OBSERVATIO.

Invasor Regni graviter peccat, actus Imperii efficaces durante Contradictione non exercet, sensim tamen proficere potestas in talem, quem Respublica agnoscat pro Principe.

AUthor hic agit de invasore imperii seu Tyranno titulo tali, & removet (1) à statu quæstionis talem invasorem, qui longa possessione aut pacto jus nactus est. (2) disputat de tali tyranno, qui adhucdum grassatur ad regium axioma, durante injustè possidendi causa, & pronunciat, quod actus imperii

Præscriptio
Imperii in-
vasorem
non legit-
imat.

vim habeant obligandi non ex jure imperantis, sed ratihabitione populi; & tandem (3) ad latus laudat Svaresium de legibus pro sua sententia. Quod (1) concernit, sanè non potest pronunciari theologicè pro invasore, postquam longa possessione jus aliquod nactus est, quasi talis in conscientia sua præscriptione possit legitimare Usurpationem imperii: tum quia præscriptio est metus titulus juris humani positivi, & quidem Romani ferè tantùm; tum quia illa continuatio imperii invasione tyrannica acquisiti, nihil aliud est quàm continuatio quædam peccati; tum quia sicut longa possessio apud privatos conscientiam non tranquillat, si titulus prævius sit injustus, ita quoque sese res habet cum invasore: imò si pactum etiam accesserit, videtur dubitandum adhucdum esse; præprimis si illud ipsum sit ex metu profectum, fieri tamen posse ut convalescat Imperium etiam male quæsitum, nolumus negare, populo consentiente paulatim, Invasore dextrè administrante & officii rationem probè expendente, ut Cypselus & Periander Corinthius, Successore ex priore familiâ Regis nullo ulterius existente, quo referimus dictum Augustini, in Psalmum 124. ita pronunciantibus: *Aliquando in justè perveniunt ad honores seculi, cum pervenerint & facti fuerint vel Judices vel Reges, quia hoc facit DEUS propter disciplinam populi suo non potest fieri, nisi ut exhibeatur illis honos debitus potestati.* Audiamus hæc Robertum Sanderson, qui sequentia reliquit

Assentit
Sanderson.
aue.

pag. 176. Theſ. 16. 17. 18. 19. Ubi quis pulſo vi & armis legitima principe rignique herede, vel ita oppreſſo, ut jus ſuum perſequi non poſſit, eo tamen adhuc ſuperſtite, imperii habenas arripit, & ſe pro Rege gerit, quum ſit verius regni invaſor quam Rex; ita ut jam non ſit ultra jus dubium, ſed aperta injuria: ſi quaerit quid in hoc caſu bono civi faciendum eſſe cenſeam, qui fidelitatem legitimo principi fortaſſe juravit; aut ſi non juravit, non minus tamen ei debet, quam ſi juratus eſſet: Dico mihi videri, non ſolum licere bono civi, legibus ab eo qui ſummum imperium de facto ſed non de jure poſſidet laſis parere, aliisque ab eo imperata (modo non ſit factu turpe aut injuſtum quod imperatur) facere: verum etiam, poſtulante humanarum rerum conditione, eà neceſſitatis deveniri poſſe, adeoque ſepiſſimè deveniri, ut ni ſic fecerit, deſuiſſe officio ſuo exiſtimandus ſit. Atqui dictum eſt modo, Leges à non habente legitimam poteſtatem laſas non obligare in conſcientiâ. Dicitur ſane, & quidem verè dictum; nec, ut opinor, iſta pugnant. Obligetur licet ſubditus ad faciendum quod lege caveatur, non tamen legi obligatur, ſed ſibi & Patriæ. Legi, qua verè Lex eſt, ſe & quatenus lex eſt, annexa eſt Obligatio; eamque ſequitur neceſſariò, ut effectum ſuam cauſam. At legem à jure non habentem laſam diximus non eſſe verè ſed aequivoce legem; proinde nec obligandi vim habere. Quacunq; ergo ſubdito hac in re incumbit obligatio, aliunde exurgit, & non ab ipſa Lege: cui extrin-

fecus advenit ut obliget, & merè per accidens; ut si musicus adificet. *Quæris*: Si non ex Legge, unde tandem oritur ista subditi obligatio? *Respondeo*, Cùm sit pii & prudentis viri, non solum quid licet attendere, sed & quid ipsius deceat, videre, & quid aliis expediat: posse bonum civem obligari ad id faciendum in sui & concivium suorum commodum, ad quod faciendum alias & de jure non tenetur. Oritur ergo ista obligatio ex duplici illa parte officii, quã sibi quisque debitor est, & quã Patria. Se quid attinet imprimis viri & prudentis est, sibi rebusque suis in futurum prospicere; & honesti, quã sit presentis conditione cogitare. Dandam esse unicuique operam (omnibus viis & modis licitis & honestis) se vitamque suam tueri; atque ita se gerere ut possit tuto & in pace vivere, agros, ades, possessiones suas sibi habere, eorumque qui ipsi & vitam & facultates cum libuerit eripere possunt, offensam evitare, nemo est (nimirum naturã id distante,) qui non fateatur. Et hinc prima parendi necessitas; quam propterea non tam urget noster Apostolus quã supponit, velut cujus unicuique à naturã insitus est sensus, ἡ μὲν οὖν διὰ τὴν ὀργὴν: Quasi hominis esset parùm sana mentis, ejus qui gladii potestatem habet iram temerè provocare, & ejus offensam contumaciã suã, nullã postulante necessitate, incurrore. Ipsius igitur inter est, in salutis suæ compendium, iniqua nonnulla pati, legibus obtemperare, & (quoad sine peccato fieri potest) τὰς νόμους ἑξουσιαστικῶν ὑπακούειν: Sicque jugam, quã extirare non potest,

rest, bene ferendo levius aliquantò, vitium & tolerabilius efficere. Sed & altera insuper, eaque fortiore, quaque ad conscientiam propius pertingit obligatione, ad hoc idem, faciendum semet obstrictum sentiet, quisquis qua ex politico regimine civibus proveniunt bona attentè cum animo suo cogitaverit. Et ita sanè Chrysostomus illa Apostoli verba διὰ τὴν ουειδνησιν hoc loco interpretatur, ut ad illius protectionis beneficium quam prastat, subditis civilis dominatio, potissimum respexisse putet Apostolum, Quasi diceret, Conscius enim sit quilibet civis, quam multis beneficiis fruatur sub principatu politico, sciat se, in tot & tantorum beneficiorum compensationem, ad deferendam vicissim ei qui principatum tenet debitam obedientiam, quadam quasi gratitudinis lege teneri: ἵνα μὴ ἀγνώμων διέξῃ καὶ τὸν ἑνεργῆται, ut ibi loquitur Chrysostomus, à mente Apostoli alieno, (ut mox videbimus,) est sensu aliàs haud multum incommodo. Fateor equidem, (quod est à Tactico observatum) raro fieri, ut quis imperium flagitio questum bonis artibus exerceat: pleraque enim quibus artibus parantur iisdem & conservanda esse videntur, & scelere tuendum est scelus. Possè tamen id fieri, Hieronis Siculo, Edgari Anglorum Regis, & aliorum nonnullorum exempla, qui principatum non optimè acquisitum modeste tamen administrarunt, satis testantur. Sed utcumque rem gerat qui principatum tenet, non poterit unquam sic abuti suâ potestate, ut non interim sit deus dionor & ἵς τὸ π' ἰαδὲν, ut loquitur Apostolus isti-

us capitis commate quarto. *Nec enim ulla*
) *tam vera tyrannis esse potest, qua non speciem*
aliquam iusta dominationis retineat; & non
aliquam saltem ex parte subsidio sit ad tuendam
hominum societatem, ut etiam recte ad hunc
admonuit Calvinus. Cum itaque, quod rerum
nostrarum domini sumus, quod tuti à cadibus
& rapinâ vivimus, imò & id ipsum quod vivi-
mus summis potestatibus debeamus; absque
quibus, nullum nobis adversus scelerato-
rum hominum libidines, furoras, injurias, aut
perfidiam esset aut remedium;) aquisima res
est, ut pro eor tantisque beneficiis aliquid saltem
ipsis vicissim rependamus. Exigit hoc à nobis
(optima equi boni lex) vetus illa commutatio-
num formula, Δός π, καὶ λάβη π. Et profe-
ctò perverissima mentis est, sub illius dominatio-
nis patrocinio velle vivere, cui parere nolis; &
cujus protectione gaudeas, ejus imperium detro-
ctare. Porro cum nemo sibi solum natus sit sed
humano generi & publica utilitati: hinc ori-
tur tertia parendi necessitas presenti potestati,
quocumque jure ipsam adepti sunt qui rerum
potiuntur. Unde etiam aliquo modo constare
poterit, quis modus sit statuendus, & qui fines,
illi obedientia, qua imperium injuste possidenti,
ex conscientia debito, civi praestanda est. Quic-
quid enim finis alicujus gratiâ faciendum
est earens fieri oportet, in quantum ei fini
consequendo necessarium vel utile videbitur.
Civilis autem regiminis, ejusque, qua ipsi debita
est obedientia, finis est, humana societatis salus
& tranquillitas. In quantum igitur illius so-
cietatis

cietatis, cujus ipse membrum, & pars est, salus & tranquillitas exigit, eatenus civis unusquisque imperii ejus, qui defacto in illa societate summa rerum præest, obtemperare tenetur. Sunt autem conservandis humanis societatibus tria hæc imprimis necessaria: I. Defensio patriæ, adversus externam vim & hostium conatum. II. Administratio juris, ut sua bonis civibus præmia, improbis supplicia, prout legibus constituta sunt, reddantur; quod Justitia distributiva munus est. III. Quod ad Justitiam commutativam spectat, Commerciis, rura & mercatura; de rebus emendis, vendendis, permutandis, & omni generum contractibus. His tribus rebus ita continetur incolumitas humani generis, ut nisi ista adsint, fieri non potest, quin protinus pessimum eant universa, omnia rapinis, cadibus, fraudibus, injuriis replentur; innocentissimorum civium vita, conjugum, fortuna potentiorum libidini præda sint & ludibrio. Quibus malis ut obviam eatur, malorumque petulantia mature coerceatur; unicum remedium erit, si boni cives suum esse meminerint, earum legibus & imperiis, quorum gladio & auctoritate a sceleratorum injuriis defenduntur, in omnibus quæ ad publicam salutem faciunt, obtemperare. Quod (2) concernit, si nullum jus est in imperante juxta Auctoritatem, vim non possunt habere obligandi actus Imperii, quos exercet; præsumptio autem illa voluntatis potius erit in oppositum, nunquam enim Rex ab invasore dejectus probabit istiusmodi actus, utpote tales, quibus re-

boratur

Invasor Imperii præceptis suis quatenus obliget.

Mens Sua-
rezii rectè
exponitur.

boratur in vasor, & sibi jus pedetentim acquirere laborat: potius itaque diceremus hinc intervenire non vim aliquam obligandi, sed tolerantiam intuitu boni publici aliàs in discrimen adducendi. (3) Quod concernit Franc. Suarezium non disputat ille præcisè de tyranno titulo tali, sed de Principe etiam vero & legitimo, & quærit num potestas ferendi leges civiles dependeat ex fide vel moribus Principis, oppositumque rectè definit contra Armachanum. Dubium autem movet thes. 8. an in eo casu possint subditi licè obedire Principi in vasori sc. si alioquin ex ex parte materiæ justas leges ferat; nam non teneri per se loquendo manifestum utpote quia illæ non sint leges, cum non procedant à legitima potestate. Quod autem possint ex eo colligi, quia possint facere quicquid bonum est, licet teneantur, cedendo juri, & patienter vim alterius sustinendo. Movet autem in contrarium, quod obedire ejusmodi Regi etiam in his, quæ aliàs honesta sint, videatur esse cooperatio ad mala & pavor in justitiæ seu tyrannidis ejus, atque respondet distinguendo & dicendo, quasdam esse actiones ita honestas, ut in nullius nocumentum cedant, neque indigeant potestate publica ut rectè fiant, ut sunt deferre hæc vel illa arma vel aliquid simile, alias verò actiones esse quæ involvant nocumentum tertii, utque justè fiant requirant potestatem publicam, ut occidere maleficum. In prioribus non esse malum per se servare leges in vasoris, quia non sit

fit cooperatio sed tolerantia quædã violentiæ, quæ nulli afferat nocumentum. In posterioribus autem actionibus contrarium videri, quia honestas illarum omninò pendet ex vera potestate publica, sine qua nullus potest exequi vel condemnare alium, nisi habeat publicam potestatem, quam tyrannus dare non potest. Interim tamen utut etiam non in rigore verum sit, quantum ex parte Tyranni, contingere tamen ut Respublica, quia non potest illum tollere, & tacitè consentiat in gubernationem, velitque justitiam per eum administrari, quia minus malum est, per illum gubernari, quàm omninò carere justa directione & coactione, atque ita non esse peccatum obedire etiam in dictis actibus, quia Reipublicæ consensus suppleat potestatis tyranni defectum.

Ad Th. XVIII.

OBSERVATIO.

Invasor Regni potest interfici Auctoritate illius, qui Jus verum imperandi habet.

IN hac thesi postquàm Author disputasset in antecedentibus de invasore occidendo statuit si diserta auctoritas accedat ejus, qui jus verum imperandi habet, licitè posse talem occidi, atque confirmat hoc ipsum exemplo Joasi Athaliam regno depellentis, extendit

Invasor Imperii interfici potest ex auctoritate jus imperandi habentis.

ditque etiam ad tutores. Non autem (1) determinat, cui liceat invasorem imperii interficere, num cuilibet privato, prout in th. 16. num personæ alicui publicæ, subsistitque in Auctoritate Causæ principalis. Sanè in Scripturis etiam habentur exempla occisorum tyrannorum titulo talium, utpote Eglonis, Jabinis &c. Jud. III. & IV. sed qui hoc fecerunt, personam publicam aliquo modo sustinuerunt quod etiam de illis dici potest qui utut privato nomine, tamen illius, qui jus verum imperandi habent, hoc agunt. (2) Quod concernit auctoritatem ejus, qui Rex est verus, vel Senatus vel populus, dubitari potest, num ea auctoritas eo usque valeat, v. g. ut si etiam pactum intercesserit inter talem invasorem & populum, atque Regis voluntas præsumatur in Rempublicam ita esse affecta, ut præferat bonum publicum quàm excidium invasoris & suum proprium commodum, prout talem voluntatem statuit in th. 15. (3) Joadath Athaliam regno dejecit non tam ratione tutelæ, quàm ratione Legis divinæ expressæ, quia successio apud Hebræos solis filiis debebatur post Davidem, idque ideo quia Deus XVII. vs. 15. Israelitæ debebant habere Reges fratres, non so-

fores.

Ad Th. XIX.

OBSERVATIO

Rectè Thomas seditiosam dicit esse interdum quamvis tyrannici Regiminis Destructionem.

Disseritur adhuc de Invasore & asseritur extra directi Mandati à publicâ Auctoritate illius, qui jus imperandi habet Conditionem non licere privato talem dejicere vel interficere; colligiturque hoc ex conjectura illius, qui jus habet Imperii, ubi dubium movet non nemo quod ingratiſſimum procul dubio, quod Regni invasori gratum, & nemo in talu casu duobus dominis servire possit. Matth. 6. v. 24. & respondet pag. 183. *Ritè subductis rationibus, non esse cur putemus, legitimo principi, sed extorri, ingratum omninò fore, injusto imperii possessori præbitum à cive, eo quo dictum est modo, & intra dictos fines, obsequium: quin potius ipso consciente sic fieri oportuisse præsumendum est. Si quidem ejusmodi obsequio, non tam injustè dominantis, quàm toti communitati, hoc est Republicæ, servisse existimandus est: quam salvam esse, justis heredis nihilominus interest, quàm illius qui de facto in eâ dominatur. Fortasse an & multo etiam magis, quò sincerius patriam diligere censendus est, & ei bona omnia velle, qui genuinus patriæ pater est, quàm qui eo excluso in ipsius ædas se ingressus, & in familiam*
 Qo . ipsius

ipsius jus & imperium exerceat ; & quo periculosius & vehementiores in liberos matris effectus sunt, quàm noverca. Ut in celebri illa duarum muliercularum coram Rege Salomone altercatione qua verè mater erat , puerulum quem suum esse sciret, saluum utcumque cupit, maluitque alterius esse, imò adversaria, quàm perire : Sic civium salutem, quos etsi sub alieno iugo, suos tamen interim agnoscit, & sibi olim utiles fore confidit, legitimo heredi majori esse cura & verisimile est & merito presumitur, quàm ei, qui quum imperium injustè usurpaverit, de stabilienda recens quaesitâ dominatione suâ quàm de salute civium procurandâ, par est esse magis sollicitum ; adeoque male ipsum, ut presentibus rebus, quò salvissint, se qua licet modestè accommodent, quàm ut potentiori in certam suam perniciem semet intempestivè opponant. Atque ita habetis meam de gravissimâ hac & arduâ admodum quaestione sententiam ; nihil interim temerè statuentis, sed eam, ubi quis certiora docuerit, mutare parati, & in ipsius castra transire. Laudat autem Grotius Thomam, qui seditiosam esse dicat interdum quamvis tyrannici regiminis destructionem (2) exemplum Aodis in contrarium producit, & tandem (3) adducit exemplum Jehu. Quod (1) concernit, disputat eo in loco Thomas, utrum seditio semper sit peccatum mortale, & in tertio argumento, quod non sit mortale, ita procedit : laudantur qui multitudinem à potestate tyrannica liberant, sed hoc non de facili potest fieri, sine aliqua

Tyrannicū
regimen
demoliri
materiam
seditionis
submini-
strant.

aliqua discessione multitudinis, dum aliqua pars multitudinis nititur retinere tyrannum, alia verò nititur eum abjicere, E. seditio potest fieri sine peccato, & respondet quod Regimen tyrannicum non sit justum, quia non ordinetur ad bonum commune, sed privatam. Atq; ideo perturbationem hujus regiminis non habere rationem seditionis, nisi forte quando sic inordinatè perturbetur Tyranni regimen, ut multitudo subjecta majus detrimentum patiatur ex perturbatione consequente, quam ex tyranni regimine.

(2) Rectè dicit factum Aodis non quadra-
re, utur Lucas de Penna, Bailius & alii ac-
commodarint ad tyrannum & tyrannidas
quosunque: tum quia aperte dicitur Jud. III.
v. 15. Aodem à DEO suscitatum fuisse in
Salvatore, & Sulpitius Severus: instinctu
divino fuisse actum; tum quia hic Ehud fuit
juxta quosdam familiaris Regi Egloni & pe-
culiariter à DEO quantum ad hoc factum in-
structus; tum quia sunt qui disputant Grotio
adhucdum, quod Eglon jus imperandi ex pa-
tione habuerit, & eundè Eglonem reputant
pro tyranno titulo tali, qui ad tempus fuerit
instrumentum vindictæ divinæ, nullam autem
justam causam habuerit cogendi populum in
servitutum. Quod (3) exemplum concernit.
Jehu non solùm instinctu divino ferebatur in
Joramum, sed & unctus erat in Regem, a-
deoq; nil aliud quàm executor divinæ volun-
tatis, cùm addit cautè Author in thesi 19. ex-
tra hæc privato dejicere licere aut interficere

Ex Aodis
facto Ty-
rannicidæ
nullum jus
accedit.

Nec exem-
plum Re-
gis Ichu ad
eorum cau-
sam facit.

summi Imperii Invasorem se probare non posse præstruit illi Opinioni quam ex Pontificiis fovent Cajetanus Salonijs Sotus Covarruvias, Malderus, Luffius, Molina, qui hinc fibulam laxant, & cuiq; privato talem occidendi licentiam faciunt.

Ad Th. XX.

OBSERVATIO

Non præcisè possessionem Imperii respexit Christus Matth. 22. sed potius subjectionem Ebræi populi.

Exponitur
Matth. 22.
Numus
non est in-
dicium pos-
sessionis;

IN hac thesi Author adducit mandatum Christi de tributo solvendo Cæsari, quia ejus imaginem nummus prætulit, id est quia in possessione fuerit Imperii. At primò hæc ratio non videtur concludere, numus præfert alicujus imaginem, Ergo illi tributum est solvendum: nam & Abraham usus est moneta Hethæorum, nec tamen ipsis erat subiectus Gen. 23. v. 16. (2) Judæi pecunia Græca & Romana probabiliter ante subjectionem propter commercii commoditatem fuere usi, (3) non est consequens; utimur aliqua moneta sc. Gallica vel Hispanica, qui sumus Germani, E. agnoscimus tributum esse solvendum, & vel Gallum vel Hispanum esse in possessione imperii. Moverunt hæc argumenta quosdam, ut dixerint, non tam Christum ad propositam quæstionem respondisse, quàm ambi-
dextrè

dextrè eluisse, quod nullo modo admitti potest & quamvis argumenta concludant contra Grotium, id non ex eo, quia Cæseris simpliciter imagine insignitus erat nummus, possessionem imperii fuisse agnitam, ipse quoque erraverit, quòd ex eo deduxerit exhibitionem denarii debitam, quia Tiberius in possessione Imperii fuerit, indice ipsâ Imagine in Nummo, quæ sola rem non conficit Ratio, tamen argumentum Christi firmiter concludit: tum quia tributum erat Cæsari pendendum; unde requirit non Numisma qualecunque, sed Numisma Censuum, & quidem hoc numismatis genus, adeo ut alius non esset ejusdem usus præter ipsam tributi præstationem, ut vult Baronius; qui autem tributum præstat alicui, & quidem determinatè tali nummo, cujus imaginem aliàs detestatur, exhibetque pro præstita defensione, is agnoscit talem pro Imperatore; tum quia etiam in ipso nummo ut quidam volunt inscriptum erat: Victor Asiaticus Germanicus, Dominus Asiæ, Syriæ, & Judææ; quo ipso agnoscere coacti sunt sese servos & subditos, à quo enim quis devictus est. juxta Petrum, illius servus factus est; tum quia juxta Ulpianum l. 3. ff. de Censibus in Syriis à 14. Anno masculi, à 12. fæminæ usque ad 65. annum tributo capitis obligabantur, & quidem ita, ut propter superioritatem tributa præstiterint, quo ipso subjectionem suam, & vectigalium debitores Judæi coacti sunt sese agnoscere. Addamus quæ Marquardus Freherus scite proposuit de hoc Argumento

Laudamus
in hanc
Sententiâ
Sententia Fræd.

pag 86. 87. 88. *Pharisai*, (ut ad hos redeam) Christo petente sibi exhiberi numisma censu, vel ut paulo brevius *Marcus & Lucas* rem memorant, petente afferri sibi denarium, ut eum videret, obtulerunt ei denarium: non siculum Hebraeum, non didrachmum aut staterem Graecum (non enim hos *Casar* volebat) sed denarium Romanum. Ac ne hunc quidem paullo antiquiorem, consularem nimirum (quamvis & hic Consulium Romanorum atque adeo Pratorum & Imperatorum exercitus nomina praelulisset, quique tam cum imperio fuissent, quam postea ipsi *Casares* consulatum gesserunt) sed sui aevi, *Tiberiani imperii*. Quare enim Dominus nummo conspecto, quasi parum agnosceret ejusmodi literas atque imagines, qui tractabat caelestia, cujus sit imago & superscriptio? his duobus nummus censetur, nec ipse aliud est quam

Concisum argentum in titulos faciosq; minutas. Venerant ipsi Jesum illaqueare verbis ipsius: at eos potius ille capis, captosque eorum ipsorum responsis. Respondent enim ei quod res est, *Casaris*. Quid audio, *Casaris*? Ita est, & ut *Juvenius Presbyter* hunc locum vertit:

Aspicite en nummū sculptiq; numismatis era,
Casaris expressum facile est ibi cernere vultū.
 Et hinc aptissime Dominus infert, quasi causa bene cognita, re ipsa oculis subiecta, confessione partim audita: Ergo, etiam lege vestra jubente, cujus servanda studio me consulere simulastis, qua vos iconibus & idolis idolostytisque abstinere jubet; reddite *Casari* qua ejus sunt. Et

huma

hunc nummum igitur. Denarius enim hic est
 Caesaris, siue formam spectetis, Caesar nummo
 formam atque adeo essentiam dedit. Ut J.
 C. dicit definiens monetam, esse materiam ele-
 ctam forma publica percussam, qua usum do-
 miniumque non tam ex substantia praebeat,
 quam ex quantitate. Forma autem est effigi-
 es & titulus, quem ille non renuente Senatu, &
 sicut magistratus non tantum pro tempore re-
 rum potens, sed etiam legitime vocatus impres-
 fit. Sive materiam spectetis (qua forte non
 abs re forma cederet) & ipsa verè Caesaris est,
 ut è metallis Caesarianis effossa, in moneta Pala-
 tina procusa, & ab eo publicata, ut subditi hoc
 medio ulro citroque inter se mercari & contra-
 here possint, quod omnium rerum promercali-
 um precium certum constituit, sine quo nec vi-
 etus comparandi facultas est expedita, ut ele-
 ganter Athlasius rex Gothorum ait, Principis
 imaginem subditos videri pascere per commer-
 cium, cujus consilio invigilare non desinant pro
 salute cunctorum. Ipsum denique reddite Ce-
 sareni Casari. Nam & hi nummi Caesarum,
 ipsorum quorum imagines ferrent, nominibus
 solebant indigitari, ut Philippi, Traiani, Domi-
 tiani dicerentur. Martialis: Et centum
 Dominos nova moneta. Juvenalis VIII. Da-
 cticus aut scripto radiat Germanicus auro. At-
 que ita haec verba Christi accepit Karolus Ma-
 gnus Francorum Rex (cujus autoritate liben-
 ter utimur) in libro de imaginibus: Dominus
 & Salvator noster & per paginam veteris testa-
 menti imaginis adorare inhibuit, & per corpe-
 ralem

valem presentiam imaginem Caesaris Cesari potius reddendam quam adorandum censuit. Et iterum: si crucem tollere & Dominum sequi jubemur, & rursus imaginem Caesaris Cesari debemus: non sunt imagines cruci equiparanda, non adoranda, non colenda, sed huic mundo tum ceteris que mundi sunt relinquenda.

CAPUT V.

Ad Th. I.

OBSERVATIO

Manus homini datas esse in Vindictam contra Adversarium non admittitur.

Disputat hic Author de effectibus causis Belli, & concludit naturaliter quemque sui juris esse vindicari, ideò manus nobis datas esse. Sed manus hic cohibendae potius fuissent, quam laxandae. Nam (1) cur nobis manus datae sint aestimandum est vel maxime ex creatione primi hominis: primo homini autem manus datae non sunt, ut sese vindicaret, sed in alios usus, apprehensionem scilicet necessariorum & utilium. Quapropter si ad primam intentionem naturae respiciamus à scopo ejus hic Grotius aberrat; (2) cum praeter facultatem apprehendendi etiam ab ipso Deo robor concessum sit manibus, ut non solum sint instrumentum bonum apprehendendi, sed & malum pro-

In quem finem homo manus accepit.

propellendi, ideoque ex hypothefi invasionis tum in ftatu naturæ primæ, tum in ftatu lapfus manus datas effe concedimus fecondariò ad depulfionem mali, & confequenter defenfionem fui. (3) illud autem nullo modo concedendum eft, tum in ftatu naturæ integræ, tum lapfæ, quod fcil. manus datæ fint, ut fui juris naturaliter fit vindex; cum enim privata; vindicta femper fit in vitio, non potefit dici ab Authore naturæ datas effe manus in hunc finem, nifi illum velimus authorem peccati conftituere, adeoque in illum refundere, quod nunc inter homines quidem obtinet quandoque, fed citra rationem virtutis, imò non nifi fub ratione peccati. Sanè fi non de vindicta, fed de defenfione effet fermo, profundius potuiffet Grotius hoc ipfum expendere, & accerfere non tam ex inftrumento fc. manibus, quàm ex appetitu hominis contreato, qui & concupifcibilis eft, ad bonum amplectendum propendens, & irafcibilis, ad malum imminens avertendum.

Ad Th. II. & III.

OBSERVATIO.

Rectè docet Author non licitum fed & honeftum effe, alteri prædeffe & ex sociali hominum natura concludit, licet confundat in fequentibus filios & fervos.

Quàmvis Author bene difputet in thefi
 H. hominem debere juvare alterum, & Injuriam ferenti fub venire con-
 Oo 5 & opem effumet.

& opem ferre presso, & arma sumere, si injuriam acceperit pro cognatis, pro benefactoribus & sociis injuria affectis teneri auxilia ferre, quod ipsum quidam confirmant dicto Ambrosii l. 1. Officiorum c. 36. cujus verba sunt quoq; in Decretum relata, & ita se habent, qui socium non defendit ab injuria, cum potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit; Unde etiam de Ægyptiis scribunt majestatis reum fuisse, qui injuriam patienti non subvenerit, quod alii Exemplo Moysis confirmare fatagunt occidentis Ægyptium quod in medio relinquimus, de Gallis quod obligati fuerint lites sopire, & Solonem dixisse beatam illam esse Rempublicam in qua quis alterius injuriam suam faciat. laudat in suam sententiam Latantium, ex quo ubere idem lac ἀδολορ & sincerum haurire licet si adeamus librum septimū de vita beata c. 4. p. 660. ubi scribit: *Nam ceteris animalibus quia sapientia non data est; & munita indumentis naturalibus, & armata sunt. Homini autem pro his omnibus, quod erat precipuum, rationem solam dedit. Itaque nudum formavit, & inermem, ut eum sapientia & muniret, & tegetet. Munimenta, & armatum ejus non foris, sed intus; non in corpore, sed in corde constituit.* Et lib. de officio DEI cap. 2, pag. 837. quæ obverti possunt supra dictis de Manibus. Quamvis autem videantur obesse huic sententiæ, quod nemo vitam periculo exponere teneatur & proximum plus diligere quàm seipsum, subveniens etiam non sit offensus, nec urgeat arcendæ Injuriam à pro-

proprio corpore periculum, tamen hæc tantæ non sunt ut à sententiæ veritate nos dimovere possint, tenetur enim quandoque ut proximum eripiat periculo aliquis exponere proprium corpus, nec ita plus illum quàm se diligit, & quamvis ipse non offensus sit, offensus tamen est in fratre, præterea non semper Assistentia cum illo periculo est conjuncta, urget verò propulsationem Injuriz Lex charitatis, proximi periculum & Auxilii indigentia. Indistinctè verò loquitur in th. 3. cum de ratione instrumenti agit & exempli loco producit & filios & servos; Maxima enim disparitas est inter filios & servos: neque potest dici, quod in tali casu par sit ratio liberorum & servorum, cum partem faciant familiæ filii, nec pro meris instrumentis habendi, ut servi.

Propulsandæ injuriæ instrumentum non ut filius ita servus dicitur.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Clerici arcentur à Bello à Pontificiis ex causis nullius momenti.

IN hac thesi Author disputat de servis & Clericis, atque dicit omnes subditos naturaliter bello adhiberi posse, specialiter autem olim Romæ servos, nunc passim Clericos arceri. Verùm quamvis Clerici hodiè non adhibeantur bello, non tamen hoc est ex defectu liciti, sed ex concessione privilegii; Hinc omnes ire possunt ad bellum jure nature,

Nemo nature jure à bello prohibetur.

Pontificii
à belli jure
Clericos
arcendos
sefellun-
tur.

turæ, si sint apti; jure autem civili arcentur mancipia, & Ecclesiastici omnes in sacris constituti, pariter jure humano, ut docet Ludovicus Molina Tomo 1. tract. 2. disp. 108, qui propterea asserit Pontificem quoque posse dispensare laudatque in sententiam suam Covarruviam & Doctores communiter sic sentientes. (2) Ratio prohibitionis à Bena assignantur, quia non decet, ut illi, qui tradiderunt militiæ spirituali tractent arma vel negotia secularia, juxta illud 2. Tim. 2. v. 4. Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus. Sed hæc ratio infirma est; unusquisque enim Christianus militat DEO, consequens itaque foret omnem Christianum debere abstinere bello, (2) pariter ex hoc dicto Pontificii arcent Clericos à conjugio, (3) non usus in secularibus interdicitur, & moderamen actus in illis, sed rã implicare, quod etiam vitiosum est in Laicis. 2. Rodericus ab Arriaga ideo vult Clericos esse arcendos à bello, quod illi qui consecrati sunt ad sacrificium incruentum celebrandum, in memoriam Christi innocentis pro aliis nocentibus non debeant alieno sanguine manus suas defœdare, sive per se immediate, sive consilio & directione id fiat. Athoc est somnia vigilantibus vendere. Tale enim sacrificium incruentum blasphemè statuitur, & Pontificiis sacrificiis impiè assignatur. 3. Thomas, quem ad marginem allegat, hanc quæstionem disputat, & producit argumenta, quod Clericis liceat pugnare atque Episcopis

scopis: tum ex eo, quia sint Pastores, Pastorum autem sit lupo invadenti resistere; tum ex eo, quia Leo Pontifex decreverit populum suum congregare, & maritimum ad litus descendere contra Saracenos; tum ex eo, quia si Clerici possint instigare ad bellum & alios inducere ut pugnent, nec non honestum sit pro defensione Patriæ & Christianorum mori, etiam Clericis illud licitum esse videntur. Sed quod (1) concernit, lupis resistere debent utique Episcopi & Clerici, verum non ore gladii, sed gladio oris, non armis materialibus, sed spiritualibus, ut ipse Thomas agnoscit, (2) concessum fuit Episcopis ut ad bellum procedant contra Saracenos à Leone, non tam ut pugnent propria manu, quam ut hortentur alios, atque instar Sacerdotum se gerant, qui buccinis suis sacris adhibiti sunt in bello adversus Hierochuntinos Jos. 6. Denique ad ultimum respondetur non esse ejusdem rationis inducere ad bellum & bellare; bellare enim est inconveniens personæ Clericali, hortari autem ad bellum non ab officio dissonat. Si enim Clericorum est hortari ut unusquisque gnave officium suum expleat, etiam officium erit determinatè respectu militum, & quamvis honestum sit pro Patria mori, non tamen hoc omnibus convenit, nisi leges municipales intervenerint, qua quidem ratione excusant Calviniani Zwinglium in prælio occumbentem, quia jussus est à Magistratu in Democratia tranquato civis progredi in bellum, stare in acie,

acie. Quapropter, si vel summa nēcessitas exigat progredi in bellum, licitum id esse intelligitur ex mente Grotii, vel si lex Reipublicæ urgeat, cui resistere non convenit, nisi velit quis turbare publicum, censendum erit posse quoque Clericos in tali necessitatis casu vel Reipublicæ statu ad bellum adhiberi. Annectit pro Confirmatione sententiæ suæ Grotius, quod Levitæ olim extra bellumunia, & laudat Josephum pro suâ sententiâ oppositum tamen doceri potest ex Scripturâ, nam primo Levitæ laudantur ob interfectos à se adoratores vituli Exod. 32. v. 29. Phineas occiso palam fornicatore perpetuum Sacerdotium est consecutus, Hophni & Phinees profecti sunt in bellum & in illo occubuerunt 1. Sam. 4. v. 11. tandem Maccabæi, qui summum gesserunt Sacerdotium unâ multa bella gesserunt, ut docet tota illorum historia. Secundò dicitur Josue undecimo ex vers. 14. *Omniem prædam istarum urbium ac jumenta dividerunt sibi filij Israel cunctis hominibus interfectis.* At si Tostato fides accessit aliquid ex præda etiam Levitis, qui in præliis hisce unâ pugnarunt cum cæteris. Tertio adhibiti fuerunt ad officia bellica Levitæ & Sacerdotes, portabant Arcam, clangebant tubis, quæ itaque etiam non manus censeruerint, præsertim tot hostibus arma opponentibus, ipsi sanè Pontificii Levitas fuisse bellicosissimos & arma tractasse asserunt, atque discrimen constituunt inter Levitas & Sacerdotes V. T. atq; N. quod illi alia sacra & quidem

dem minora tractarint, quam hi sc. ex falsâ hypothesi de sacrificio missatico quidem, interim ex hoc ipso discrimine dispallefcit huic sententiæ illos accedere. Locum Josephi non adducit, forsân respexit ad illum lib. 3. Antiq. cap. II. ubi affirmat laudatus Author, quod *ἱεροὶ ἦσαν καὶ πάντων ἀτελεῖς*, sacri erant & ab omnibus immunes, quod de militiâ exponunt. Scriptura etiam videtur favere; nam Numerorum primo capite, ubi numerantur turmæ ex tribubus dicitur versiculo quadragesimo septimo: *Levita in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis*, tamen hæc tantum probant non fuisse destinatos bello Levitas, ordinariè non fuisse obligatos, non tamen concludi potest interdicitum illis fuisse bellum, fuisse illicitum illis, prohibitos fuisse à cæde & sanguinis effusione, cum aliâs peccassent graviter illi, quos supra recensuimus. Sunt etiam, qui locum allegatum ex Num. cap. i. v. 47. intelligant de castrorum metatione, quod scil. Levitæ in illâ non collocati sint cum aliis tribubus, sed secreti, ut essent circa tabernaculum, cujus ministerio erant deputati, ut docet versiculus capitis quinquagesimus. Utinam verò nostri temporis Ecclesiastici in Papatu non proniores essent quandoque ad arma, quam ad sacra, non essent, qui baculum Aaronis & gladium Nimrodi unâ manu regerent, altero pugno Codicem, altero ensẽ gestarent, unâq; parte Clerici, alterâ parte belli duces salutari vellent, ut loquitur B. noster Thummius.

CMM

*Cum hac thefis fuerit omiffa hic illam
addere voluimus.*

Ad Th. VIII. Lib. I. Cap. III.

OBSERVATIO.

De Inachidis, quæ prodit Author & in notis illustrare satagit nec satis certa, nec satis vero consona esse deprehenduntur.

RECTÈ Author disputat contra illos, qui summam potestatem esse volunt populi, ita ut Reges quoties Imperio suo malè utuntur liceat illi coercere & punire quod periculosum & seditione plenum dogma. Dubitamus tamen de argumento primo, quod subnectit de servitute ex Exod. 21. v. 6. de quo alio die; nec non de lege Regia ad quam respicit scribendo populum in Romanos Principes omne suum Imperiû & Potestatem contulisse, quam Connanus, Clapmarius, Paurmeister & alii suspectam reddunt, quorum tamen argumenta tanti non sunt, ut omnem præstent securitatem, sed hîc Plato jubet quiescere. Sine censura autem, nequit illud transmitti de Inachidis, de quibus p. 55. & in notis. ubi asserit Enakim Deut. 2. v. 10. fuisse Inachidas & Lacedæmonios producit in theatrum cognatos Abrahami juxta historiam Maccabaicam. Non tamen possumus calculum addere viro Magno; Nam Enakim esse Inachidas mera divinatio est ex nominum af-
fni-

Inachidas
fuisse Ena-
kaos Criti-
corum est
Divinatio.

finitate & literarum cognatione, quæ non-
 dum sanguinis nexum docet. Notum est, quàm
 graviter lapsus sit Tacitus ex Nominum simi-
 litudine scribens lib. 5. *Judaos Creta Insula*
profugos novissima Lybia insidisse memorant,
argumentum à Nomine petitur: Inclytum in
Creta Idam montem accolat Ideos autem in
barbarum cognomento Judæos vocitur; Secun-
 do nemo, quod sciam, Interpretum Enakim in-
 tellexit de Argivis populis Græciæ, sed vel
 Anakim acceperunt de populo terræ Chanaã,
 vel appellativè pro insignitis Torque, Virorù
 illustrium Ornamento, videatur Scheræus;
 Neque hîc vestigium aliquod vel in Chaldæa
 vel Græca Interpretum versione Tertid Argi-
 vorum Regnum cœpit tempore nati Jacobi
 juxta Eusebium, regnavitq; tum temporis pri-
 mus Inachus, & desiit circa tempora Deboræ,
 ut constare potest ex Scaligero: quanquam in
 animadversionibus adducat aliquos, qui Ina-
 chi Regnum cum exitu Israelitarum ex Ægy-
 pto conjungunt; quicquid autem sit non cõ-
 venire hæc cum origine Enakim, & interitu
 illorum facilè ostendi potest; & quamvis vox
אַנַח Græcis Regem significarit, incertum
 tamen hanc vocem ex ebræa esse deductam,
 Illud verò absque fundamento est, quod ex
 I. Maccab. cap. 12. v. 7. producit. Nam primò
 tota illa Epistola est supposititia. Refertur e-
 nim illam scripsisse Darius; at talem fuisse Re-
 gem Spartiatarum nullo testimonio demon-
 strari potest. Quamvis autè Grotius in Com-
 mentario ad hunc locum pro Dario substituat

Lacedæ-
 monios He-
 bræorum
 cognatos
 fuisse, si-
 citium est.

Arium ex Josepho, non tamen temporis ratio convenit. Arius enim de quo Paulanias cum Pyrrho confligit Olympiade 123. ad minimum annis octoginta antequam hæc literæ scriptæ, & Nabis Tyrannus Olymp. 144. circa quod tempus hæc Epistola scripta dominatus est Spartæ. Secundò quis credat Judæos Spartiatis pro fratribus agnovisse, qui voluerunt esse discreti ab omnibus exteris, meminisse illorum in diebus festis, in sacrificiis & precibus suis omni tempore, quos ab Ecclesiâ alienos esse censuerunt. Tertiò meræ divinationis est, quod dicit illos ortos esse ex Abrahamo & fuisse ex Cethuræ posteris, quod non probat vel sedes illa in Arabiæ & Syriæ confiniis, nec sermonis reliquæ, quæ tantæ moli sustinendæ & firmandæ non sunt pares.



LIBER



LIBER SECUNDUS

In

LIBRUM II, GROTII,

De

JURE BELLI ET
PACIS.

CAPUT I.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Injuria causa est justa Belli susci-
piendi.



Non malè distinguuntur causæ
belli, quod aliæ sint utiles sub
ratione utilis, aliæ justæ sub ra-
tione justæ moventes. Causam
verò justam belli suscipiendi nullam esse a-
liam posse nisi injuriam conformiter Augu-
stino asserit, quam Franciscus Victoria quo-
que & cæteri probant. Dubitari autem for-
san posset, num hæc causa esset adæquata: di-
cit enim Paulus citra exceptionem ullius u-
niversaliter, μή ἑαυτὸς ἐνδικῶντες ἀγαπητοί,
non vosmetipsos vindicantes dilecti. Roman.
12. vers. 19. Secundò, si consideretur bellum

Injuria nõ
est adæqua-
ta belli su-
sceptiendi
causa.

Israelitarum adversus Cananzos illud non fundatum fuit in hâc causâ justifica, nullam enim injuriam fecerunt Israelitis Chananzii terras domosque suas pacatè incoluerunt, potius beneficia & humanitatis officia exhibuerunt Majoribus Israelitarum Satoribus, Abrahamo, Isaaco & Jacobo peregrinis in hâc terrâ; potius itaque causa erat injuria illata ab Israelitis Chananzis arma expediendi adversus illos, & si injuria proritari debuisset bellum, vertenda erant arma potius contra Ægyptios, quàm Chananzos; cum inter illos fuerint contemptim & malè habiti, pressi, afflicti. Tertiò, si injuria causa est belli justifica & quidem sola, idem erit offensus & judex, quod juri naturali contrariatur. Princeps enim offensus aggrediendo offendentem judicis officium exequitur, & si privatis negatur vindicta ob periculum excessus ex affectu, etiam neganda videtur Principi. Denique pariter, si privatus non posset per Judicem se vindicare, posset sua autoritate id facere, idè enim Principi conceditur, quia non est modus alius justæ vindictæ. Tanti autem non sunt hæc ut dimovere possint veritatis studiosum à sententia Grotii de injuria in Solium causæ justificæ posita. Nam quamvis Paulus generaliter loquatur & vindictam velit remotam ab omnibus fratribus, ab omnibus Christianis, non tamen nisi de vindictâ privatâ loquitur. Bellum autem quod Princeps gerit ex causa injuriæ geritur ab eo, ut persona publica, ut Vicario DEI in his terris

ut

ut ministro superioris ad vindictam malefactorum Rom. 13. geritur animo compescendi hostes, geritur denique boni publici causa & in salutem illorum, quibus ex officio subveniendum. Secundo disputat Tostatus de bello Israelitarum & Chananzorum, atque existimat illud ex utraque parte fuisse justum, ex parte quidem filiorum Israel materialiter & formaliter; ex parte verò Chananzorum formaliter solum, quatenus invincibiliter ignorantem donationem & voluntatem DEI absque peccato se resque suas fuerunt tuiti. Unde Molina & alii opinantur sufficere ad Bellum justum interdum injuriam materialiter, hoc est, absque peccato; quod tamen concedi nequit Abulensi, aliud edocente nos Rachabâ Josuz secundo versiculo 9. Interim & hic militavit pro Israelitis causa illa belli justifica: considerandi enim veniunt ut Executores voluntatis divinæ, Deum verò atrocij injuria Chananzæ affecerunt, scelerum mensuram compleverunt, & propterea Deus immisit Israelitas, ut scelerum Vindices tanquam supremus judex, dedit & assignavit illis istam terram tot sceditibus inquinatam, nec hoc tantum, sed & excisionem populi demandavit, de quo in primo actum est libro. Tertio absurdum non est eundem esse offensum & Judicem, si gaudeat potestate publica: si enim DEUS & offenditur & nihilominus justè judicat, idem obtinere poterit in Vicario DEI gladio vindice non frustra armato. Præterea dispar ratio est privati & Principis; longè e-

Bellum Israelitarum Chananzorum ex utraque parte justum.

Injuria materialis non est sufficiens causa belli justificæ.

Idem & offensus & Judex esse potest.

Cessante
etiam vin-
dicativæ
potestatis
subsidio,
vindicare
injuriam
nequit pri-
vatus.

nim ille facilius modum excedit vindictæ, quam hic: uno enim tantum mentis oculo regitur, quem facile Affectus obnubilat, at Princeps pluribus videt oculis, Consiliarios habet prudentes, qui negotium probè expendunt & perspicere faciunt Principem, ne modus excedatur, & contra jus atque fas in tam arduo negotio aliquid agatur. Accedit, quòd vindicativa potestas publicæ personæ divinitus data & commissa ad Bonum commune & publicum, quale quid de privato ad privatum Bonum referente actum vindicativum demonstrari nequeat. Tandem, si de delicti punitione sit sermo, falsissimum est si persona privata vindictam non possit obtinere à iudice, quod ipsa possit illius supplere vices: obstat enim semper defectus potestatis vindicativæ, reparare bona ablata deficiente iudice posse privatum tolerabilius dicitur, at vindicare injuriam nulli privatæ concedimus. Injuria autem, quam Grotius causam belli constituit, procul dubio non est levis aliqua, sed atrox & belli damnis proportionata, de cuius gradu vel intensione & proportionem iudicabunt prudentes. Non malè Ludovicus Molina Tom. I. tract. II. disp. 102. §. 7. pag. 418. *Illud est animadvertendum cum Victoria loco citato num. 14. & aliis, non quamcunque injuriam vel materiam, vel simul etiam formalem, esse sufficientem, ut bellum justè inferatur, sed oportere esse prudentis arbitrio gravem & dignam, ut propter eam tantum malum, quantum est bellum, inferatur. Ratio est,*

est, quoniam sicut non licet pro quacunque culpa exequi graves pœnas, ut mortis, abscissionis membri, & flagellorum, in internos malefactores: ita non licet pro quacunque injuria ab externis illata bellum adversus eos movere, quo tot caedes, direptiones, incendia, vastationes, & similia alia gravissima mala inferuntur. Etenim juxta delicti quantitatem esse debet plagarum modus. Unde pro levioribus injuriis, & causis concedi solent represalia, quæ vocant, de quibus infra erit sermo.

Ad Th. II.

OBSERVATIO I.

Defensio rectè inter causas belli Principem obtinet locum.

IN hac thesi Author agit de causis justis belli, & statuit tres ex aliorum sententia, defensionem scil. recuperationem rerum & punitionem, quibus jungit persecutionem ejus, quod nobis debetur. At (1) disputari potest, num omne bellum ut sit justum debeat esse defensivum, & consequenter defensio utramque faciat quasi paginam. Advertendum tamen injuriam aut damnum aliquod dupliciter homini posse inferri, vel quasi inferri. Quot modis damnum inferri dicitur. Physicè & actu, ut quum quis violenter rapit mea, aut si quis infami nomine adspersat, aut verberet, vel habitualiter, cum illatum vera damnum non vult compensare, aut honorem

Defensio
belli causa
est omniū
justissima.

norem ablatum restituere, quæ perseverentia injusta in damni illatione aut non restitutione moraliter identificatur actui præcedenti, ac si illud damnum tunc primo inferretur Physicè. Hoc autem supposito videtur bellum debere esse merè defensivum, si dicendum sit justum, seu ea defensio sit contra damnum inferentem primo seu secundo modo; differentia tamen est inter modos hosce defendendi, quod primus contra actu inferentem positivè injuriam, aut invadentem bona vel vitam, dicatur absolutè defensivus, alter verò modus propulsando injuriam contra eum, qui olim intulit, aut non vult satisfacere, dicatur absolutè offensivus. Ex quo dispalescit bellum purè defensivum manifestius esse licitum, quàm offensivum. Ut enim inter privatas personas, cum quis actu infert vim alteri, licitum est illi eam repellere vi, si tamen transit illa vis, utut duret adhuc moralis ejus effectus, non licitum est amplius privato eam vim refarcire, sed per Magistratum obtinere debet; Ita clarè constat in bello propriè sic dicto facilius licere pugnare cum his, qui actu inferunt vim, quam cum his qui antea intulerant, nolunt tamen satisfacere. Et huc referri possunt illa B. Thummii Th. 8. pag. 18, 19. *Bellum aliud est defensivum, quod defensionis gratia suscipitur; aliud offensivum quod non suscipitur defensionis causa, sed vel ad vindicandam injuriam, vel ad recuperanda amissa vel ad extinguendam crudelitatem vel acquirendam prædam*

dam vel denique ad parandam gloriam: Illud vocatur primum; Hoc secundarium quia, sicut fortitudinis vis & perfectio magis posita est in sufferendo quàm suscipiendo ita virtus & perfectio belli magis sita est in defendendo, quàm inferendo omneque bellum perfectius est ratione defensionis quam offensivis; cum magis juris natura sit & politici officii defendere, quàm offendere. Notandum hic unum idemque bellum diverso respectu esse defensivum & offensivum. Bellum enim quod defensivum est respectu partis illud ad se suosque defendendum suscipiens, respectu illius, contra quem bellum defensivum suscipitur, offensivum sit necesse est. Potest etiam bellum respectu utriusque partis offensivum, non autem propriè defensivum esse & dici.

Ad Th. II.

OBSERVATIO II.

Tres causæ belli ab Authore notatæ admitti possunt, nec necessarium est reducere ad duas tantum.

Multiplicare videtur citra necessitatem causas justæ belli, defensionem, recuperationem, punitionem & persecutionem ejus, quod nobis debetur, producendo. In quo etiam operosus est Ludovicus Molina cum Franc. Victoria, qui justam causam belli vult esse injuriam vel impediendam, vel repar-

De distinctione causarum belli.

farcendam, vel vindicandam, quæ cum Grotianis coincidunt, ex quibus Author probabiliter hæc hausit. At prima causa reducitur ad bellum purè defensivum, duæ autem ultimæ ad unam videntur posse reduci, nempe ad refarciendam injuriam seu damnum illatum; Interim negari nequit, si punitio consideratur formaliter, esse distinctam à recuperatione, neque coincidere cum refarcienda injuria sive damno illato. Possumus itaque tres illas causas admittere, quas etiam Chrysostomus posuit, primò defensionem, secundò vindicationem, tertiò recuperationem recensens; dextras, inquit, habemus à DEO, ut & nobis ipsis & aliis injuriâ affectis opera feramus, ut scelera de medio tollamus, ut his quibus vis & damnum affertur simus portus & refugium.

Ad Th. II.

OBSERVATIO III.

Non expungenda est è numero causarum Belli Vindicta Injurix.

Illud maximè controversum est quod Grotius ponit, punctionem esse causam justam belli in quantum contradistinguitur defensionem & recuperationem, adeoque quærit. An si quis restituat honorem seu rem ablatam cessetque causa illa belli, quam Grotius vocat recuperationem, possim tamen aggredi eum, ut ejus culpas puniam? Quæ quæstio dupliciter
qui

quidem capi potest, aut ut intelligatur de Superiori, qui jus habet puniendi; & sanè ita præter restitutionem licitum erit tali punire, cui juri dum nolunt acquiescere subditi, eo ipso jam rebellant, potestque illos talis superior compescere vi & armis: vel potest intelligi quæstio de non subditis, de alio rege, Principe vel Republicâ an sc. facta restitutione damni aliquis Princeps possit bello aggredi illos vel illam, saltem ut puniat culpam sc. commissam? Dominicus Bannès, Lorca & alii in affirmativam propendent, quo Grotius quoque respicit, dum punitionem inter causas belli ponit. Argumenta illorum præcipua, hæc sunt: (1) quia Princeps injuriam inferens eo ipso sit subjectus ei cui infert, (2) quia etiam nocens, qui nullum habet superiorem meretur aliquam pœnam, E. debet esse aliquis qui illam possit infligere illi. Nullus autem melius id facere potest quam Princeps ille, qui læsus est & bellum gerit adversus alterum; (3) quia scriptura id ipsum affirmat; David enim intulit bellum Ammonitis, quod raserint barbam suis Legatis, ubi causa belli non fuit defensio, nec recuperatio rerum, damnum enim nullum fuit illatum, E. punitio, II. Sam. X. Sic filii Israel Benjamins deleverunt armis, non ex causa defensionis, nec rerum recuperationis, nihil enim erat ablatum, sed ex eo tantum, quod noluerint exhibere viros illos, qui uxorem Levitæ violando occiderunt, Jud. XX. Sic Nabuchodonosor justè videtur judicasse Zedekiam, ea

An restituito damno puniendæ culpæ gratia bellum inferri queat?

Argumenta partis affirmantis.

Referun-
tur argu-
menta par-
tis negan-
tis.

saltem ratione, quod per bellum esset factus
 ipsis superior, nam bellum est supremus a-
 ctus justitiæ, E. illud justè indicens est judex
 ejus, cui indicitur Jerem. 39. Quo respicit
 illud juris Canonici, ubi capite ultimo de
 foro competenti dicitur, quemlibet ratione
 delicti sortiri forum, h. e. fieri subditum ejus,
 quem læsit. In contrarium tamen militant
 solidiora Argumenta, quorum (1) est peti-
 tum ex eo, quia Rex, utut lædat alterum, ex
 offensione & culpa, non propterea sit subdi-
 tus Regis læsi, neque ratio recta patitur, ut
 præcisè ex capite offensionis læsus fiat judex,
 quia nimium semet ipsum æstimat, ut pro-
 pterea magis in judiciis civilibus hoc ipsum
 obtineat, quibus cessantibus bellum tanquam
 altera tabula arripitur & succedit, (2) illa sub-
 jectio ex puncto offensionis & culpæ nullo
 ex jure potest demonstrari, (3) non potest
 locum obtinere ex eo, quia supponendum
 esse caput quoddam virtute supra omnes tales
 Reges & Principes independentes, à quibus
 talis lex constitueretur: in temporalibus au-
 tem hodie nullum est tale caput; imò si tale
 esset, illud deberet judicare de ea causa, & pu-
 nire eum Regem exorbitantem, quo jam de-
 strueretur status quæstionis nostræ, quia pu-
 nirentur isti Reges sub Jurisdictione alterius,
 adeoque multo minus posset unus fieri Judex
 alterius, cum haberent unum commune sum-
 mum Caput. Ad argumenta itaque respon-
 dētur & quidem ad (1) supponi falsum, nempe
 Principem injuriam inferentem eo ipso fieri
 sub.

Manvan-
tur argu-
menta par-
tis contra-
rie.
Scimus.

subjectum ejus, cui infert, pariter enim se-
 queretur Regem inferendo subdito injuriam
 fieri subditi subjectum. Vis enim argumen-
 ti consistit in vi offensionis, quid illa ex se
 moraliter operetur. Ad (2) respondetur; **Secundum**
 quamvis mereantur pœnam delicta eorum,
 qui nullum habent superiorem, non tamen
 propterea confestim Judicem esse Regem al-
 terum offensus, à quo offendens est inde-
 pendens. Ut enim si talis Princeps alia
 committat pœna digna, Sodomiam, perjuri-
 um, ebrietatem &c. non potest puniri ab al-
 tero Rege, qui nullam Jurisdictionis in ip-
 sum habet, sed relinquendus est DEO justo
 judici, cui soli subest: Ita etiam in culpa ali-
 qua, quæ commissa est adversus Regem alte-
 rum vel Principem. Ad (3) respondetur, & **Tertium;**
 (1) quidam ad exemplum Davidis, bellum illud
 Ammonitis illatum, non fuisse illatum præci-
 sè, ad puniendum sed ad honorem læsum com-
 pensandum. Cum enim Legatis quæ fit in-
 juria in ipsum redundet Principem, ideoque
 David meritò honoris restitutionem bello il-
 lo intendit. (2) respondetur ad exemplum
 Benjamitarum, illud non concludere, tum
 quia Benjamitæ ob connexionem fuerunt
 subjecti toti communitati Judæorum; Si e-
 nim sit aliqua Respublica constans 12. parti-
 bus, procul dubio ex consensu præsumitur
 unam partem debere esse paratam majori parti
 sese submittere, & reliquis XI. partibus; tum
 quia facinus illud etiam erat læsio honoris;
 tum quia DEO jubente, & supremo rerum
 Domi-

Domino dante licentiam istiusmodi bellum fuit susceptum. Ad (3) respondetur, illud de Zedekia nō procedere, partim quia Jeremias saltem narrat factum citra qualitatem; nec dicit utrum jure an inique Nabuchodonosor usurparit illam auctoritatem judicandi Zedekiam: partim quia non refertur, qualia fuerint ista judicia seu in ordine ad quam materiam, partim quia, si jus hic obtinet, DEUS dedit Nabuchodonosori illud in Zedekiam, hinc etiam nomine DEI mandavit Propheta, ut se traderet cum suis Nabuchodonosori, & inobedientes graviter puniendos esse Propheta prædixit. Utut autem hæc ita disputari possint, non tamen propterea Vindicatio Injuriz ut injusta ex Albo causarum Belli erit expungenda, cum illam indicet Scriptura Numeror. cap. XXXI. vs. 3. ubi DEUS dicit: *Armato ex vobis viros ad pugnam, qui possint Ultionem Domini expetere de Midianitis*, ubi & textus Ebræus & Chaldæus Paraphrastes & LXX. Interpretes in Vindictæ voce conspirant. hinc etiam Mathathias morti proximus sequentia præscribit. *Judas Maccabeus, qui viribus a Juventute valuit Dux militia vestra sit, iste Bellum pro populo gerat. Omnes legis cultores vobis adjungite, Causamque populi atque injuriam vindicete* I. Maccab. II. vs. 66. 67. probet Augustinus loco ab Authore nostro allegato, stabiliat etiam recta ratio: neque omnia sunt solida quæ in responsionibus ad Argumenta superius adducta proponuntur. *Quamvis enim principium illud quod*

quod de subjectione promunt ex injuria illata non militet, atq; illa puniatio, quæ aliâs adversus subditos exercetur non admittenda sit, nihilominus vindicta illa publica non erit proscribenda & vel maximè locum habet, ubi talis adversarius Rex occurrit; qui compar Zedekiz, non enim in Jeremia est saltem narratio facti, sed approbatio sententiæ: constitutus enim fuerat Rex à Nabuchodonosore pro Joachimo, fœdus initum turpiter violaverat, juramentum juxta Lyranum fidelitatis impiè ruperat; quî itaque non potuerit jure in ipsum animadvertere Nabuchodonosor, & quamvis durum videatur quod exercitum fuit in filios Judicium, obtinuisse tamen contra rebelles hanc legem, ut liberi cum parentibus plecterentur, Petrus Faber docet lib. 3. cap. 8. oculos eruere Zedekiz indignum luce ratus eum, qui DEUM & Homines perjurio suo offendisset, ut loquitur B. Osiander, cui succenturiamus D. Hülsemannum graviter pronunciantem in Aphorismis practicis Aph. 5. pag. 788. *Typum æquissimi Judicis gessit Nebucadnezar quod Zedekiam in presentissimo rebellionis flagitio deprehensum judicialiter tamen convincere & condemnare voluit: ad imitationem supremi illius judicis, qui quanquam novisset Protoplastos nostros lapsos fuisse, primum tamen citavit eos: Adam ubi es? Gen. 3. v. 9. Deinde inquisivit quis indicavit tibi &c. v. 11. 3. convicit per propriam Confessionem v. 12. demique condemnavit v. 14. seqq. Eundem processum cum Sodomitù quanquam in pra-*

in presenti flagitio deprehensis servavit Gen. 18. 1. seqq. processum eundem servabit in novissimo iudicio Matth. 25. v. 31. 32. seqq. esset autem indecorum & indecens Majestati suae quempiam non convictum condemnare inquit Sapiens. Sap. 12. v. 15.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Invasorem observatis observandis non tantum vulnerat licitè & justè invasus, sed etiam occidit.

An licita sit Defensio contra Invasorem, quæ cum vulneratione sit vel interfectione.

Rationes dubitantiæ.

Author hîc ex prima causa belli disquirit, num si corpus impetatur vi præsentè cum periculo vitæ non aliter vitabili, bellum sit licitum etiam cum interfectione periculum inferentis, & affirmativè pronunciat. Insuper unde hoc jus defensionis sit definit, nempe primario non ex injustitia aut peccato alterius, qui periculum intentat, sed ex natura, quæ unum quemque sibi commendat. Sed circa hanc quæstionē (1) quidam dubitarunt & distinxerunt inter forum poli & soli, atque negarunt licere in foro poli etiam aggressorem occidere, licet injustum, ut in foro soli hoc ipsum concessum, quoad impunitatem. In qua sententia fuit Augustinus de Ancona, Richardus de S. Victore, & Bassolis. Grotius autem cum agat de jure naturæ & gentium non respicit ad forū externum, sed inter-

num

num conscientia sc. & poli; ubi dubia quædam occurrunt. Nam (1) Augustinus aperte improbat hoc ipsum dicendo de occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis accepta legitima potestate (2) nemo potest alium occidere nisi publica authoritate, invasus autem non occidit publica authoritate, (3) salus æterna proximi præferenda est vitæ temporali propriæ, cum itaque invasor sit in statu peccati aggressionis actualis injustæ, charitas invasum obligabit, mortem injustam potius tolerare, quàm æternæ damnationi exponere invadentem. Accedit quod homicidium gravius quàm simplex fornicatio. Nemini autem ad conservandam vitam licita est fornicatio, E. nec homicidium erit ad defensionem licitum. Ut verò illi in defectu peccant, ita quidam excessivè locuti sunt & putarunt, etsi invasor sit Pater Dominus vel princeps, posse eundem licitè & justè occidi, positus scil. ponendis, extremâ scil. necessitate, si omnis via evadendi sit præclusa & certo constet Mortem in valo imminere præsentissimam, de quo alibi; nunc ad argumenta prioris sententiæ. Ad primum igitur (1) respōdetur Augustinum loqui de tali casu, ubi ex intentione per viam aggressionis & præventionis aliquis se defendit privata authoritate adeoque directè intendit mortem; cum alium occidere ex intentione non

Prima.

Secunda.

Tertia.

Respondetur ad 1.

Q 9

fit

fit nisi publicæ potestatis ad conservandum bonum commune: quanquam negari nequeat Augustinum hic hæsitasse; dicit enim lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. *Legem quidem non reprehendo, qua tales (invasores scil.) permittit interfici, sed quomodo istos, qui interficiunt, defendas non invenio.* Secundum Argumentum variè à variis tractatur. Gabriel Vasquez putat, in casu invasionis invasum non agere auctoritate privata, sed publica; quia qui occidit ad defensionem ut publica persona ad id jure naturæ destinata occidit. Ad stipulatur Guilielmus Estius lib. 3. dist. 37. §. 21. scribens: *& legem naturæ & legem positivam eum qui invaditur, & ejus socium, si aliter evadere non possit, facere Ministrum publicæ justitiæ.* Melius respondetur, neminem posse occidere privatâ auctoritate judiciis vigentibus, posse autem judiciis cessantibus, adeoque regulam hanc esse intelligendam cum exceptione necessitatis ad propriam defensionem. Valquezii enim responsio ex eo videtur rejicienda, quia quamvis licitum sit de jure naturæ in tali casu occidere, longè tamen aliud est illam occisionem fieri propterea auctoritate publica; prout qui sibi ob necessitatem manum abscindit, jure naturæ id facit, non tamè auctoritate publicâ ut minister publicus. Unde etiam Lessius privatâ vult fieri cædem talem auctoritate, quia talis defendens non faciat hoc ut Judex vel Princeps repræsentans Rempublicam vel publico nomine, vel ut Custos boni publi-

publici, sed eo jure, quod quisque habet, ut est custos rei suæ, quo jure noxia retundere & vim vi repellere potest. quo etiam omnia animantia utuntur. Si enim publica auctoritate faceret, posset illum occidere animo vindictæ ut facit judex. eousq; tamen progredi non censemus esse necessarium. (3) Argumentum itidem non concludit, quia obligatio charitatis ad procuracionem salutis æternæ proximi supponit proximum ut indigentem nostri concursus ad salutem. Invasor autem injustus non indiget ope nostrâ ad salutem, cum sibimet ipsi consulere possit, cessando ab actu peccaminoso invasionis, hinc etiam cessat obligatio subveniendi, quæ indigentem prærequirit. Quia præterea manet ordo charitatis, ut in tali casu sim proximus mihi metipsum, præprimis cum & ego possim esse constitutus in peccato mortali. Quia denique hæc obligatio charitatis fundatur in hoc principio: *Dilige proximum tuum ut te metipsum, & quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*; nemo autem rationabiliter vult, ut quando sibi potest cavere ab occisione illius qui defendit, non caveat; E. etiam talis invasor cessare potius debet ab actu invasionis. Quod autem additur de fornicatione respondetur, actum fornicationis vel adulterii non ordinari ad conservationem vitæ propriæ ex necessitate, prout actus defensionis, ex quo quandoque sequitur homicidium invadentis. Usus autem Grotius rectè pronunciet quoad determinationem thesæos, an

Ad III.

Qq

tamen

De licito
defensio-
nis funda-
mento.

An interfi-
cere aggre-
sorem de
jure natu-
ræ quis te-
neatur?

tamen causa & ratio quam ponit hujus asser-
tionis sit solida, meritò dubitatur: tum quia
nimis lata est; ex eo enim, quòd natura u-
numquemque sibi commendat, non omnis
defensio deduci potest, aliàs enim etiam de-
fensio excedens modum & injusta hac ratio-
ne colorari posset; tum quia potius hîc respi-
ciendum est ad ipsum Ordinem Charitatis, &
semina Juris naturalis insita, nec non repetitio-
nem Juris divini; tum quia, si ad alias causas
boni publici respiciamus ex fine possunt peti:
quia negata defensione sui cessantibus judici-
is, & quivis pessimi justos invaderent, & ini-
quissimis aperiretur licentia grassandi in inno-
centes, & bella etiam omnia defensiva essent
illicita, invasi enim deberent cedere, ne coge-
rètur invasores injustos occidere. De furioso
quæ addit in tantum probari possunt quòd vis
omnis injusta ex parte non tantum principii
agentis, sed & subjecti patientis, quæ hîc ob-
tinet, justè ac debitè repelli possit. (3) Gro-
tius non ex toto expendit hanc controversi-
am, sed saltem affirmat licitam esse defensionē
cum interfectione invaloris; cum tamen plus
possit quæri, num non solùm liceat, sed utrum
aliquis etiam debeat interficere aggressorem
de jure naturæ in casu defensionis & extremâ
necessitate, ita ut defensio intenta habeat
sub se actum substratum Interfectionis. Et
sanè probabile est etiam obligari aliquem:
partim quia charitatis jordo hoc ipsum vult
in Decalogo, qui vult ut præferam meam vi-
tam vitæ proximi: hinc Judæi in Talmud San-
hedria

hedrin cap. 8. ita pronunciant. *Si veniat quis ad occidendum te, matura tu, ut occidas illum;* partim quia juris naturæ est conservare vitam suam, ad quod quisque obligatur, sc. per media licita, licitum autem esse medium ipse Grotius concedit, partim quia in dubio id semper eligendum, in quo non pecco; pecco autem in extrema necessitate, si me non defendam, atque ad propriam mortem ita cooperer: Hinc etiam ipsi Pontificii non satisfaciunt, quando ordinem charitatis negant esse quoad totum sub præcepto, sed quoad aliqua etiam sub consilio, & quoad aliqua nec sub consilio quidem, sed solum sub permissione. Hoc enim pontificiam Theologiam redolet. Animus autem defendentis primum intentus sit in defensionem sui non occisionem directam proximi, ex ira vel alio affectu proximi & si potest vulneratione etiam sufflaminari impetus Invasoris ulterius nõ progrediatur, neque læsionem nisi sub ratione Medii impeditivi Homicidium, vel activum vel passivum eligat.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Veniã dignos esse qui innocentes aliquando occidunt admittimus, de Lege tamen Evangelicã nihil nobis constat.

IN hac thesi Author ulterius progreditur de Innocentibus quærens, num si interpositi

Q 3

defen-

An innocens qui interpositus fugam aut defensionem impedit, possit obteri.

Societatis respectus major est quam propriæ incolumitatis cura.

defensionem aut fugam impediant transfodi aut obteri possint? & respondet; esse quosdam qui id licere putent, certumque esse, si naturam solam respiciamus, multo minorem esse societatis respectum, quàm propriæ salutis curam; verùm legem dilectionis præsertim Evangelicam, quæ alterum nobis æquat, plane id non permittere. Ubi rectè quidem Grotius statuit non posse in foro conscientie affirmativam defendi, quia longè aliud est, factum aliquod venia dignum, aliud factum sine labe & macula peccati. Hoc quidem certum est, si aliquis innocentem interpositum qui impediatur fugam aut defensionem nullo suo vitio aut intentione impediendi transfodiat & obterat in extremo necessitatis casu, ubi mors aliter declinari nequit, venia dignum esse, non enim intentio sed necessitas hoc ipsum extorsit; interim tamentalis actus non est actus sine peccato, potius enim debuisset mortem pati, in quo non peccasset, quàm innocenti mortem inferre. Loquitur autem Grotius de illatione mortis non directæ sed indirectæ. Nam in directæ illatione Lex divina evidens est, prohibens hoc ipsum Exod. XXIII. *Innocentem & justum non occides.* (2) Quando dicit, si naturam solam respiciamus, multo minorem esse societatis respectum quàm propriæ salutis curam, non admittit simpliciter hoc ipsum potest. Nam si de natura rationali sit sermo, cum homo sit conditus animal sociale, & ipsa ratio dicet majorem esse rationem habendam boni publici quàm

quàm privati, potius pronuntiandum videtur majorem esse Societatis respectum quàm propriæ salutis; nisi velimus latissimè naturam accipere, prout homo naturam habet communem cum animantibus ratione destitutis, & secundum prima illa naturæ consideratam, quæ videntur favere Pontificiis & statui purorum naturalium, de quo supra. (3) Quod Lex Evangelica nulla de lege dilectionis Evangelica differit, non admittendum. Nam (1) si lex dilectionis planè id non permittit, ut innocens occidatur, consequens erit etiam non permisisse illud in V. T. cùm Lex divina sit immutabilis, uniformis & semper sibi constans, (2) fingitur à Grotius Lex quædam Evangelica, quæ nulla datur, nec quicquàm perfectius est lege morali, quæ sanctitatis divinæ summæ speculum, (3) lex dilectionis sive dicatur moralis sive Evangelica, non æquat nobis nostrum proximum. Dicitur quidem; diliges proximum ut te ipsum; verum illud *sicis semetipsum*, non de æqualitate omnimoda est accipiendum, ut sentit Grotius, sed de paritate affectus sinceri, qui cum ordinis 22 21 11 ratione consistere potest.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Circa punctum licitæ defensionis cautè agendum; nunquam autem si periculum non est præsentissimum, ad interfectionem est progrediendum.

Periculum propter quod Invasori resistitur debet esse in iuncto.

Pasus dicitur de puncto de defensionis licitæ.

IN hac thesi Author noster agit de periculo præsentis & circa finem disputat: Num, si quis vim non præsentem intentet, sed conjurasse aut insidiari compertus sit, possit jure interfici, si aut aliter evadi periculum non possit, aut non certum sit satis, aliter evadi posse? & pronunciat negativè. Et quidem quoad primum requirit ut illud sit quasi in puncto; quod tamen non arctat ad physicum, sed latitudinem aliquam indulget & neq; in naturalibus, neque in moralibus sine illa inveniri aliquod existimat; cum Mathematicæ proprium tale sit: non autem illam latitudinem explicat, quousque sese porrigat, quam diu intra terminos liciti subsistat, quod etiam non facile ab alio præstabitur. Tenetur autem invasus hic accurate attendere, ne conscientia lædatur, & non sibi aliquam latitudinem fingat, atq; si affulget alius evadendi modus, adhuc nondum ad periculosum illud occisionis suæ defendendi causa Remedium delabi. Laxat hoc punctum Lessius Dubio octavo capite 9. lib.

lib. 2. dum scribit; *Quid si periculum adhuc longinquum, ut si conjuraveris in meam necem jamque cum sicariis egeris, ut opportunitatem quarant exequendi, Respondeo: si nulla supersit alia via evadendi, potero occidere, quia ita vite mea insidiatur, ut alia ratione non possim elabi; non enim teneor perpetuo me domi continere, vel in exterarum Regiones concedere: quasi non præstet hanc devorare molestiam, quam sanguine humano commaculare manus, aut nulla alia sit obviando huic malo ratio.* Circa alterum occurrit aliqua dubitatio. Licita enim videtur esse tunc defensio ex eo, quia bellum privatum æmulatur bellum publicum: si autem Rex aliquis scit alium regem decretum habere firmum eum injustè debellandi, illud communicasse cum Consiliariis, ut ut nondum actu invadat, vel maximè nihil adhuc dum inceperit in præparatione ad bellum, licitum est prævenire, debilitare, ne possit exequi, quod decrevit; E. pariter videtur in casu, quo aliquis decreverit per venenum, vel accusationem falsam quempiam tollere. Sanè Moralistæ Pontificii eousque progrediuntur, ut etiam ad minarum præsentiam suadeant oppositionem armatam; & videtur ipsa ratio dictare homini in conservationem sui prono naturaliter, ut tempestivè malum futurum declinet. Dispar tamen est ratio, tum quia multa licent Regibus & Principibus, quæ non concessa sunt privatis; tum quia bellum privatum non per omnia sese habet, ut bellum

Periculum
opinabile
defensio-
nem cum
interfectio-
ne justam
non facit.

Censetur
Pontific.
Moralistæ

publicum publici boni causa suscipiendum; tum quia maximè ipsa mora suppeditat partim consilia declinandi insidias; partim, cum voluntas hominis in omne punctum temporis sit mutabilis, fieri potest ut, qui decrevit facinus non compleat, sed decreti ipsum pœniteat, partim, quia talis actus est internus, qui non dat homini jus adversus hominem. Si itaque iudex in tali casu non potest pœnam imponere, cum cogitationis pœnam nemo luat, cessante iudicio non poterit talis prævenire. Præterea amolitio mali quidem fieri potest, verùm cum malum præsens illud adhuc intra minarum ambitum consistat, nondum extrema arripienda erit defensionis adversus illas tabula; nec enim proportio doceri potest inter minas quas sæpè jaetabundus fundit animus & inter armatam vim; præprimis cum aliter ad huc sit declinabile hoc malum. II. Observandū Scholasticos Theologos rectè hic carpi, qui putant licere hoc ipsum, si sc. alia via non possis te expedire, ut qui falsis calumniis & testibus contendit te per iudicem interficere, à te præveniatur. Probant hanc sententiam Bannes, Tanner, Reginaldus, Navarra, Vega & alii imò Bannes & Petrus Hurtadus de Mendoza extendunt etiam ad illum casum, si in iudicio falsus testis vel accusator non vitam, sed bona tantum temporalia alicujus impeteret. At hæc nimis cruda sunt, neque in foro conscientiae admitti possunt: tum quia defensio armata non licet nisi in invadentes armis: qui

autem

An qui calumniis per Iudicem interficere conatur, præveniri debeat?

Rejicitur pars affirmans.

13

antem per calumniam agit & falsum testimonium, non invadit armis; tum quia hic est nulla vis corporalis, sed fraudulenta machinatio; tum quia ille non est propriè invalor, qui non & contra jus facit & contra ordinem juris, ut rectè concludunt Corduba & Vasquez. Neque obstat, quod reponitur, parum referre, si propria manu vel aliena me occidas. Si enim possum occidere, quando quis me propria manu vult occidere, possum maximè si linguæ gladio me occidere velit, & per alium mortem intentet vitæ meæ. Nam multa possunt intervenire, quæ executionem sufflamant, DEO providentia sua advigilante, accusatore animum mutante, judice accuratè inquirente, ut propterea temerarium sit ita occupare. Hinc etiam quod Sanchez docet, & Petrus Navarrus ut maximè probabile defendit in hac materia, nunquam defendi potest. Nam, si calumniam passus innocentiam suam ostendere potest, non deerunt alia media à calumniatore se liberandi, sin verò innocentiam demonstrare non potest, res plena scandali & pessimi exempli erit, si innotescat hominem de calumnia non convictum per insidias occisum esse. Et sanè stante sententia hac aperietur janua iracundis & suspicionis morbo laborantibus, ad quam plurimos è medio tollendos cum maximo Reipublicæ damno.

III. Occurrit observanda ampliatio. Non enim tantum illicita est præventio, quando

Objectioni
satisfit.

Præventio
nec ante
tollendi
propositis

Qq 6

scis,

nec post il-
lud locum
habet.

scis, quod cras decreturus sit tuus adversarius
te vel per venenum vel calumniam tollere,
quia ferè adhucdum innocens pro præsentem,
nec adhucdum cœpit cogitare de isto malo:
quemadmodum Principes iniquè fecerunt
tollendo infantes, quos ex oraculis vel no-
verunt, vel putarunt regnum usurpaturos,
quod Moralistæ admittunt; Sed illicita
etiam est præventio, si decretum jam factum
est, & conclusio in mente de tollendo con-
cepta. Quod ipsum patet ex ante dictis.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Ob pudicitiam conservandam,
aggressorem interficere non consul-
tum dicimus.

Pudor oculi-
dendo non
rectè de-
scenditur.

Hic de pudicitia disputat Author, atque
definit posse pro pudicitia aliquem in-
vasorem interfici, cum non tantum commu-
nis æstimatio, sed & lex divina pudicitiam
vitæ adæquet. Cæterum hoc vel maximè
controversum est, neque liquidum quod po-
nit Author. Nam (1) pudicitia non potest
corrumpi nec ab invasore tolli, potest cor-
pore corrupta esse virgo & manere animo.
(2) Si pro honore & existimatione, non li-
cet interficere invasorem, utut Sylvester, Na-
varrus, Gregor. de Valentia hoc ipsum pro-
beat, etiam pro tali specie honoris non lice-
bit

bit interficere. Si enim talis vincit & occidit, tum quantum in se est spoliat inuadentem non solum bono hujus vite sed & alterius, quod crudelissimum. (3) Quia, si comparemus pudicitiam, ut dicit negationem commixtionis atque mortem inuadentis, nulla est comparatio, & si patiaris vim inferri corpori non peccas, sin verò occidas alterum, peccas, & ad minimum dubitante conscientia hoc facis, quod enim fit etiam ex dubitante conscientia peccaminosum est. II. Augustinus jam pridem disputavit de hoc puncto, atque in negativam inclinavit Lib. 1. de lib. arbitrio cap. 5. existimans, nefas esse pro tuenda pudicitia interficere injustum oppressorem, etiam si in virgine claustrum virginitatis aperiat, quia, inquit, *virtus pudicitia amitti non potest sine proprio consensu ejus, qui oppressionem patitur, in potestate verò cuiusque est non consentire.* Nec malè Molina censet mulierem reluctando ac se continendo à consensu in culpam lethalem laudabilius facere, quàm si interficiat oppressorem, licet in ipso argumento hoc nimium conscientie indulgeat. III. Rationes Grotii non concludunt. Nam (1) quod communis aestimatio adæquet pudicitiam vite, id ipsum non tam crudè est accipiendum, sed saltem quantum ad defensionem aliàs licitam, & conservationem illius moraliter possibilem, tuitionem per exclusionem proprii consensus aut concursus in illius jacturam; (2) quod urget legem divinam, Author nullam allegat, neque in universa

Retegitur
mens Au-
gustini.

& Molina:

Debilitan-
tur ratio-
nes Grotii.

versa Scriptura occurrit lex, quæ pudicitiam vitæ adæquet, & quidem ita ut occisione invaloris veniat defendenda. Aliis argumentis agunt, qui in Affirmativam concedunt cum Grotio atque ex injuriæ atrocitate & in re irreparabili illata, ex Rescriptis Principum & ex Sententiis Philosophorum pugnant, quæ tamen ita comparata sunt, ut non difficulter possint elidi ex dictis. Nolumus tamen negare scæminam in tali casu gravissimo exponi periculo consentiendi in culpam & veniã dignam esse, si in defensione hîc excedat.

Ad Th. VIII.

O B S E R V A T I O.

Non simpliciter dici potest laudabilius illum facere, qui occidi quàm occidere malit.

IN hac thesi Author disputat quousque se se porrigere debeat illa defensio, & dicit laudabilius eum facere, qui occidi quàm occidere malit. (2) dicit id nonnullos ita concedere, ut excipiant personam multis utilem. (3) dicit hanc patientiæ legem contrariam omnibus illis imponere, quos vivere aliorum interest parum tutum videri. Sed (1) si, ut supra demonstravimus, lex naturæ non solum licitum ostendit occidere invalorem positis ponendis, & debitè se habentibus omnibus circumstantiis, sed etiam obligat hominem

Quo in casu laudabilius sit occidi malit quam occidere.

minem ad tutelam sui, ut sit sibi proximus, laudabilius facere non dicendus est. qui occidi quàm occidere mavult, excepto casu martyrii, in & pro causa DEI, etiam cum sanguinis profusione exhibiti. (2) Personam utilem multis nos posse melius occidere quàm pati ut occidatur, certum quidem est, sed hoc non solùm de persona multis utili, aut ex eo puncto contingit, sed quia charitas unumquemque sibi maximè commendat, & consequenter universaliter est accipiendum; quamvis intuitu boni publici persona multis utilis felicius occidat, quàm sustineat. (3) Lex hæc malè dicitur contraria patientiæ, cum patientia virtus sit, nec illi contraria lex poni possit, & quod de militibus aut sociis itineris differit, non potest subsistere: neque enim illi pugnando pro sociis & occidendo contrariam aliquam legem patientiæ amplectuntur; cum defensio patientiæ non opponatur, sed cum illa consistat, & aliter sese exerere possit patientia in ipsa defensione vel post illam sustinendo adversa, quæ accidunt aut accidere possunt.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Non solo utilitatis intuitu, sed ex altiori principio non occidendus est Invasor Principis.

IN thesi IX. sicut non malè progreditur Auctor in principali, ita tamen aliquo modo Defensio adversus Principem non est il- celsi-

licita tantum ex utilitatis in-
tuitu.

cessitat, quando ex utilitatis respectu & charitatis obligatione vult deducere, hanc defensionis abstinentiam, quod e. g. Rex aut Princeps etiam inuasor non possit occidi sine peccato. Non enim hoc pendet præcisè vel ex utilitatis Bono vel ex charitatis debito, quod impendere DEUS jubet omni proximo, quam ex speciali præcepto divino de non resistendo, quatenus ipse præcepit, ne summæ potestati subditus obluçtetur; partim hoc ipsum est ex Majestate, quam violare nulli privato licet, quia Reges & Principes soli subsunt DEO. Neque potest, nisi summa *ἀναξία* admittatur, admitti ut subditus sese opponat illi, qui Vicarius DEI est in his terris. Non itaque limitandam censem assertionem Dominici à Soto, qui quidem in causa etiam errat, ut Lessius fecit lib. 2. cap. 9. Dub. 8. § 42. scribens, quod Sotus ait, si Inuasor sit Princeps vel persona admodum utilis Reipublicæ, ego verò parum utilis teneri me perpeti mortem, tantum verum est eo eventu, quo ex interitu alterius sequeretur magnum Reipublicæ damnum, vel bella civilia ob successionem: non tantum enim Dominicus hic nimis exiliter sensit de Principe Reipublicæ, sed gravius erravit Lessius etiam dum à damno Reipublicæ ingenti suspendit hanc cædis abstinentiam, quæ profundiore gaudet fundamento paulo antea-
tacto.

Ad

Ad Th. X.

OBSERVATIO I.

Periculum alapæ non est declinan-
dum interfectione Adversarii.

Hic Author aliquoties errat. (1) statuen-
do, si cui periculum immineat accipien-
dæ alapæ, jus esse id arcendi cum cæde ini-
mici, si mera justitia expletrix respiciatur;
Atqui hoc nullo modo admitti potest. Nam
expletrix justitia proportionem requirit, quæ
hîc nulla est. (2) Quando dicit, quamvis
inæqualia sint mors & alapa, tamen qui inju-
ria me parat afficere, is mihi eo ipso dat jus
sive facultatem quandam moralem adversus
se in infinitum. Atqui hoc iterum est fal-
sissimum principium: quomodo enim in in-
finitum dari possit jus ex eo, quod aliquis se-
se parat saltem adversus me & quidem non
interficiendum, sed saltem injuria afficien-
dum; an non ita maximè excedit illud jus,
quod fingit Grotius, sive facultas moralis illâ
injuriam adhuc in potentia existentem, nec
infinite læsionis? (3) Errat, dicendo charitatē
hîc non stringere nos in gratiam nocentis, le-
gem autem Evangelicam tale factum illicitum
reddidisse. At hoc itidem est falsissimū & So-
cinianum. Nam (1) charitas proximi ob-
stringit nos ne sæviamus ultra modum, man-
suetudinem commendat & ad illam nos ob-
ligat, proximi salutem respicit maximè æter-
nam,

R. r

nam,

nam, quam ex levi injuria mihi intentata in discrimen adduco. (2) Si Lex Evangelica tale factum illicitum reddidit, Lex Evangelica plus commendavit, & ad plus obligavit, quàm ad charitatem, quæ est legis impletio, quàm ad dilectionem DEI & proximi, ultra quam nihil dari potest. (3) Non datur talis Lex Evangelica, quam semper fingit. Ut enim in V. T. lex moralis sive charitas imperata obstrinxit nos ad patientiam, ad vindictæ neglectum Lev. XIX. 18 ita eadem lex moralis, eadem charitas per illam imperata in N. T. ad hoc nos obstringit, nec opus est lege aliqua Evangelica. Hausit autem hanc sententiam ex Scholasticis Dd. Grotius. Sunt enim, qui disputant licere occidere eum, si quis alapam alicui impingat, vel minetur saltem mortem, quam sententiam tamen saniores ex ipsis rejiciunt. Hinc Tannerus: non licitum est putandum contumelias verbales morte aut atrocibus verberibus repellere, nec placet, quod absolutè dixit Lessius, Sotus, Navarrus, Sylvester, Lopez, Gomez, & Julius Clarus, fas esse viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc injuria declinari nequit; tum, quia fieri potest, ut, si res in occulto agatur ea re honorum parum lædatur; tum, quia etiam læsus ita honor viâ juris aut aliis modis recuperari potest.

Ad

Ad cand. Th.

OBSERVATIO II.

Rectè Author reprehendit illos,
qui statuunt, accepta jam alapa posse
occidi illum, qui eam impegit.

Sanius sentit Author de alapa accepta di-
sputando contra Scholasticos non ob il-
lam interfectionem esse licitam illius, qui im-
pegit illam; non puduit verò hæc incrustare
P. Laymannum l 3. Theol moral. c. 3 tract. 3.
part. 3. assert. 2. scribendo, partim de infe-
rendâ: *Vir nobilis etsi fuga declinare possit im-
pectum aggressoris, plerunque tamen non te-
netur*: laudat in suam sententiam Majorem,
Clarum, Arragonium, Sotum, Sayrum in
clave regia, Vasquezium, Lessium argumen-
to nixus, quod Author refutat, partim de
injuria jam illata. Licet, inquit, post ac-
ceptum vulnus alapam aliamve contumeliam
cessante periculo alterius plagæ vel ignomi-
niæ accipiendæ adversarium percutere ple-
runque nefas sit; tamen si vir strenuus, seu
militaris illatum sibi dedecus ex alapa, nulla
alia ratione à se removeere possit, qua in con-
tinenti repercutiendo non prohibetur id a-
gere. Allegat autem pro suâ sententiâ Navar-
rum, Victoriam, Petrum Navarram, quibus
addi possunt Fernandez & Diana. Ipse autem
agnoscit talem actum non esse defensionem,
sed ultionem; at omnis vindicta privata est

Occisio ob
acceptam
alapam im-
probè asse-
ritur.

Argumen-
ta contra-
stantium.

in vitio. (2) Observandum argumenta produ-
ci à Lessio & aliis, quæ moverunt quosdam ut
adstipularentur & assererent, quod in casu
jam percussi vel contumelia affecti, possit
læsus in continenti repercutere ad tuendum
honorem: quorum primum petitur ex com-
paratione, quia possum occidere furem fu-
gientem cum re mea, quando aliter illam re-
cuperare non possum: ita & Invasorem, qui
fugit cum honore meo, quem aliter tueri non
possum. Alterum ex damno quia, si damnû ab
aliquo rebus meis illatum non possit aliter sar-
ciri quàm percussione damnum inferentis,
posset statim talis percuti, ut illo modo fiat re-
paratio damni; Ergò, si violato honore nō po-
ssit aliter fieri reparatio, quàm si feriat is, qui
cum læsit, poterit feriri. Tertiû ex in cōmodo
aliâs dabitur licentia improbis, quod vis genus
quia cōtumeliæ in quēvis ingerendi, solâ enim
fugâ vel cessatione tuti erunt, præsertim quâ-
do desunt testes, qui eos norint, vel quando
non morantur in eodem loco; addunt alii fa-
mam & vitam pari passu ambulare, & crude-
lem esse in seipsum, qui negligat honoris lu-
men. At argumenta non concludunt.
Non (1); tum quia furem fugientem cum
re mea non possum occidere; tum quia,
si possem, consequentia nihilominus va-
cillaret; aliud enim est occisio furis talis, quæ
dicit defensionem rei meæ ne auferatur, pen-
dente adhuc quasi illa inter me & illum, qui
etiam subducere laborat; & aliud est occisio,
quæ non dicit defensionem honoris, eo ipso
quo

Diffipatur
primum.

quo jam est ablatum, & non recuperatur per
 occisionem, si verò alium acquiram diversum
 e. g. fortitudinis, generositatis, videndum
 quâ conscientiam illum acquiram; sanè non
 rectâ, sed erroneâ, quem acquiram, certè non
 verum, sed umbraticum, vitrum pro gemma,
 nubem pro Junone, à quo acquiram, sanè non
 ab offendente, sed ab aliis, qui opinantur ali-
 quid virtutis in actu illo peccaminoso splen-
 dere omnis autem ille honor non est honor
 in rei veritate, sed mera opinio hominum;
 tum, quia etiamsi aliter recuperare me hono-
 rem meum non posse dicatur, tamen hoc
 frustra dicitur, adiri possunt enim tribuna-
 lia; imò facilius dicitur honorem inju-
 ria alicujus nebulonis non esse ablatum,
 quam hâc viâ esse recuperandum. Replicat
 quidem Lessius, nec licere dicere res adhuc
 extat & manet mea, sed contumeliâ illatâ ho-
 nor jam periit, non itaque hâc esse defensio-
 nem. In eo enim paritatem esse, quod sicut
 res non possit recuperari, ita neque honor
 qui in signis Excellentiz & hominum
 estimatione consistat: hoc enim est lutum lu-
 to addere; non tantum enim talis fugiens
 honorem meum non aufert, sed etiam, quia
 occisio furis est utilis, occiso enim ipso fem
 meam repeto; occisio autem alicujus hono-
 rem invadentis, non est utilis, neque enim
 talis restituit mihi honorem, sed si restitutio
 obtinet, erit illa à Judice præterea, quid fiet
 in casu occisionis, ubi ulterius non est in po-
 testate auferentis honorem restitutio ex ob-

Impugna-
 tur Lessius

R r 3

lacione

latione satisfactionis? extendunt autem Moralista etiam ad interfectionem usque illum actum, neque par est ratio in ullo quod fingit Lessius. Honor enim non reparatur percussione vel occisione injuriantis, sed conscientia vulneratur, & si quis honor in signis Excellentia consistens & hominum aestimatione exsurgit, non est honor ab aggressore recuperatus, sed ab hominum opinione alius

Secundum noviter delatus & exhibitus. Ad (2) respondetur illud non esse validum: tum, quia supponit posse, aliquem percuti ex damni reparatione; tum quia, ut Socius contra illos concludit: *Ita etiam posset occidi adulter in flagranti delicto, cum honor mariti gravissime laesus non possit aliter recuperari, etiam venia petitione & oblata quacumque, satisfactione*; tum quia vix datur casus, ubi honor non possit reparari nisi occisione illius, qui ex estimationem tuam læsit. Ad (3) respondetur nullam licentiam dari ita improbis, obex enim positus est in judiciorum autoritate, in constitutionum severitate, poenarum asperitate; posito autem tutos illos esse quandoq; fugâ vel cessatione, num propterea satius erit malum malo rependere, quam vindictam DEO committere? De proportione autem famæ & vitæ quod additur nimis extenditur, cum comparatio in quamplurimis non obtineat, ut etiam ipsi Jurisconsulti docent. Sed ipse Lessius agnoscere coactus fuit suam sententiam esse quidem speculative probabilem, sed in praxi non facile permittendam ob periculum odii vindictæ

licet & Excessus, atq; ob periculum pugnarum & cædium, quibus cedere utique debet periculum licentiæ improbi factæ in tertia ratione productum, neq; distinctio hæc, utut frequens aliàs in materia morali commode adhibetur.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Fur vel raptor rerum nostrarum interfici nequit.

Hic disputat Author de injuriis, quibus res nostræ impetuntur, & dicit furem vel raptorem juxta impletricem justitiæ interfici posse: Cui consentit Cajetanus, Johannes Medina, Sotus & Laymannus lib. 3. tract. 3. cap. 3, assertionem III, qui præter hos laudat Petrum Navarrum Covarruviam, Clarum, Molinam. Calculum vero nos eidem addere non possumus. Nam (1) si Jus Divinum consulamus, apertè contrariū definiit Christus Matth. V. vs. II. quod non quidem de exhibitione operis, sed præparatione cordis juxta Augustinum est intelligendum, nec absolute sed comparatè hoc modo: adeo scilicet privatam ultionem non debes intendere, ut potius relinquant tuum, quàm ut inferas vulnera vel mortem, non præcluso ad judicium aditu; & num non teneor diligere proximum ut memetipsum? ut igitur meæ vitæ postpono bona temporalia, ita quoque vitæ proximi.

An fur sub impletrici justitiæ intuitu ad conservandas res possit interfici?

Argumenta.

mi. (2) Si de jure naturali ex sana ratione fit pronuntiandum, inæqualitas illa erit urgenda rei ereptæ & vitæ; nam talis interficiens duplici furem vita privat, naturali & æterna, quæ autem hîc proportio? nec obstat quod Author urget, illam distantiam ex favore innocentis & odio raptoris compensari: tum quia hoc ipsam est ex mera opinione & constitutione hominum; tum quia distantia inter rem ablatam & vitam æternam nullo favore & odio potest compleri; tum quia omnis compensatio talis debet fieri non ad affectus, sed ad rectam rationem vel regulam verbi divini nec ita intendendus favor innocentis ut publicis judiciis derogat penes quæ pœnarum ad delicta attemperatio. (3) Aut ob furtum simpliciter tale hoc fieri potest, aut ob furtum intensivè tale, quod scilicet est magnæ alicujus summæ. Si primum; consequens erit posse etiam ob minimæ rei furtum aliquem occidi, quod est contra omnem rectam rationem: quis enim propter aliquot obolos vita possit privare aliquem? contra Scripturam, quæ etiam in majoribus furtis restitutionem tantum urget, contra ipsos pontificios, qui ad venialia peccata referunt illam speciẽ, quæ est ex materiæ parvitate, & furtum unius oboli. Videatur Bellarminus, Toletus, Stapletonus & alii Criminipendæ. Si autẽ possimus tum primò quantitas erit definienda, quæ æqualis sit vitæ alicuj⁹ hominis, quod difficilimũ, præterea non potest hîc quantitas definirî simpliciter, quia habendus est respectus personæ;

sonæ; quod enim diviti est imperialis, id pauperi potest esse obolus; nec facile fieri potest, ut non via juris aliquis possit recuperare ablata, & si de præsentis non fieri potest, nescit tamen de futuro quid providentia divina sit operatura: hinc etiam Augustinus hanc sententiam probavit libro 1. de libero arbitrio cap. 1. ibi: *Quomodo apud divinam providentiam a peccato liberi sunt, qui his rebus quas contemni oportet humana cade polluti sunt.* Neque obstant quæ in contrarium producuntur ab adversariis & (1) quidem, quia plus excedit vita spiritualis aggressoris vitam temporalem tuam, quam ejus vita temporalis bona externa tua. Si ergo potes defendere vitam corporalem propriam cum dispendio æternæ salutis injusti aggressoris, à fortiori poteris defendere facultates tuas cum dispendio saltem vitæ corporalis ejusdem aggressoris. (2) Si licita sunt bella tum offensiva tum defensiva, pro bonis externis, prout constat ex usu omnium gentium, etiam licitum erit in casu cessantis judicii bellum privatū pro bonis scilicet occisio illius qui bona nostra abstulit. (3) Si vim vi repellere licet, consequens est, cum facultas hæc de jure naturali competat, & talis fur vim inferat nostris bonis, licitum esse repellere istam vim. Cui addunt quidam legem illam divinam in thesi sequenti allegatam de fure nocturno; Rationem ex præsidio necessario petitam, quod vita humana absque bonis non possit conservari & si vitæ licita defensio usque ad interfectionem Aggressoris, fore quoque licitam

Argumenta eorum, qui privatam furis interfectionem licitam esse contendunt.

I.

II.

III.

Labefactan
tur propo-
sita Argu-
menta.
Primum.

in illis quæ vitæ necessario ministrant; Demonstrationem ex furum suspendio publico: si itaque militaret illa inæqualitas, quam supra produximus eandem supplicio furum publico posse obverti. Sed respondetur ad argumenta hæc, & quidem ad (1) illud non concludere: tum quia vita temporalis defenditur cum discrimine vitæ æternæ in vaforis, quia hoc non tantum permittit lex divina, verum etiam quibusdam positis circumstantiis obligat, ut me meamque vitam defendam etiam cum jactura vitæ æternæ in invasore, quæ per accidens sese hîc habet: hinc etiam jure divino furis nocturni occisio non imputatur occisori Exod. XXII. juxta quosdam in foro quoque conscientiæ præprimis si non tantum fur sed & vitæ insidiator; quia de tali est præsumptio, quod etiam vitæ meæ intendat periculum; tum quia si furem occidam non solum vita illum privo naturali, verum quia in peccato mortali est constitutus etiam in discrimen æternæ vitæ adduco; tum qui illa argumenta ex proportionibus desumpta, non sunt valida semper & ubique.

Secundum

Ad (2) respondetur illud non concludere: tum quia bellum offensivum pro bonis magna circumspetione debet geri prævia deliberatione indicentis & moram interponit. Unde Varro: *priusquam bellum indicerent majores nostri in à quibus injurias factas sciebant feciales legatos res repetitum mittebant quos oratores vocabant*: hic verò affectus prævalet & immani gradu gradus omnes transvolat; tum quia, si hoc

hoc argumentum procederet, liceret etiam privatis occidere, non pro retinendis bonis externis, ut vult Molina, sed etiam pro recuperandis illis; tum quia ut supra notatum non in omnibus procedit comparatio juris in bello publico atque privato. Ad (3) respondetur vim quidem vi repellere licere, sed extremam, vis autem bonis illata nondum est extrema; major enim potest esse illa, intentata, scil. ipsi corpori nostro & vitæ; tum quia si concedamus, etiam in tali casu licere vim vi repellere, nondum tamen ad usque illum gradum occisionis scilicet licitum erit progredi; denique non urget lex illa ex Exodo, quia non agit de fure qua tali, sed qua aggressore nocturno & insidiatore vitæ: Nec ratio adjecta, quia vita non est recuperabilis tantum autem quantum facit ad sustentationem illius facile recuperari potest; nec ratio illa militaret, si admittenda foret, nisi in casu omnium bonorum subductorum, tandem demonstratio illa nubeculæ flocculo resignatur; quia furum suspensio non univ ersaliter ubiq; obtinet, nititur Potestatis Summæ constitutione, respicit publicæ tranquillitatis firmamentum, adeoq; non rei ablatae & supplicii proportionem. Manet itaque fixum, furem si non sit aggressor vitæ nostræ non posse occidi, neque nocturnum, nisi ex præsumptione valida interfectionis intentatæ citra discrimen personarum, Clericorum scilicet & Laicorum & rerum magni momenti vel minoris, quæ Lessii sunt Malagmata. *compl. a. m. b. i. e. n. t.*

Tertium.

Rr 6

Ad

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Rationem quam quidam adduxerunt de Fure nocturno non putamus esse contemnendam.

In hac thesi repetit legem de nocturno fure, & (1) in rationem legis inquit, (2) explicat legem & (3) confert cum lege aliqua ex legibus XII. tabularum. Quod (1) spectat, rejicit rationem illam, quod noctu discerni nequeat is, qui venit, fur sit an sicarius, & ideo tanquam sicarium posse interfici. At (1) hæc ratio non est contemnenda, urfit enim illam Augustinus quæst. 84. & hinc concusit, quia discerni non possit, an talis ad occidendum an ad furandum venerit, nec auxilium tam facile invocari possit, ideoque licet talem effractorem occidi. (2) Ex opposito dispalescit, quod hæc ratio sit firma; cur enim de die non licet talem occidere, nisi quia de die etiã discerni potest & præsentius haberi auxilium. (3) ipse Grotius videtur hanc rationem probasse in fine thesios scribens, accedit, quod maxime si cætera esset paria, tamẽ quæ nocte accidunt minus explorari, & qualia quantaque sint, cognosci possunt. Rejicit alteram quoque quæ tamen ex æquitate aliquid etiam habere videtur, ne scilicet nimium animadvertatur in illum, qui ob irrecuperabilitatem modum excessit & Judicio se fecit obnoxium. Rectè tamen tertiã præfert, quod directè rerum causa in nemo terfici debeat,

Difficultas discernendi impunitatem facit furis nocturni eadem.

An fur nocturnus sit interficiendus.

beat, quanquam subjungendo quòd discrimen diurni & nocturni furis in hoc positum, quòd noctu vix sit copia testium adhibendorum, nimium tribuere videatur Rabbi Salomoni, qui ad testes in textu maxime voluit respici. Quod alterum concernit, Legem Hebræam ita exponit: si inventus fuerit effringens cum instrumento per fossorio: atqui non necessum est, ut ita exponatur, textus enim in originali ita se habet: *si inventus fuerit Hammach Teret* quòd verti potest, in ipsa perfossione, ut verterunt LXX. Interpretes & alii; nec opus est quorundam Interpretum judicio, ut vertatur cum instrumento per fossorio, adeoque actus notetur non instrumentum, idemque sit, quod nos dicimus *ἐν αὐτῷ φόρῳ*, in ipso furto. Tertium denique nondum est liquidum, aliqualem convenientiam libenter concedimus sed non omnimodam; neque enim lex illa XII. Tab. pariter sese habet, ut Lex Hebræa, tum quia Lex XII. Tab. simpliciter pronunciat furem nocturnum posse occidi, diurnum verò si se telo defenderit: tum quia hæc lex XII. Tab. procul dubio petita ex Lege Solonis, quæ in has Tabulas fuit relata: Lex autem Solonis permittebat furem simpliciter licere occidere, & inter persequendum vulnerare, si quis vellet, tum quia ipsa explicatio & allegatio hujus legis apud Ciceronem, Senecam & Augustinum evincit non simpliciter esse eandem cum Lege Hebræa, adeoque falsum est requisitum fuisse, ex illa lege XII. Tab. ut is qui

dus ideo
duntaxat
quia rem
furatur.

Legis Hebrææ de Nocturno Fure expofitio.

Lex XII. Tab. de Fure nocturno & Lex Hebræa de eodem difcrepant.

qui furem deprehendisset maximè noctu cum clamore id testificare debuerit; Rectè autem dicit legem illam Hebræam de puella cui vis illata in agro Deut. XXII. esse huic similem aliqua ratione, & cum illa Lege allegata Deut. XXII. *vs.* 25. convenit lex illa, quæ legitur apud Diodorum Siculum l. 1. Bibliothecz, quam Ægyptiis tribuit.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Lex Evangelica, quam hic denuò Author obtrudit plus non exigit Mo-
saica in præsentì Argumento.

Legem E-
vangelicã
si qua sit
perfectio-
rem non
esse Mosai-
ca rursus
adstruitur.

Hic Author item graviter hallucinatur (1) legem Evangelicam ingerendo, atq; dicendo illam esse perfectiorem lege Mosis, & plus exigere quàm illam. Ut enim nõ datur lex Evangelica, ita illa non perfectior dici potest illa perfectissima morali neq; plus exigere, cum nihil perfectius possit dari typo sanctitatis divinæ. (2) Malè sententiam suam probando, confirmare enim illam nititur ex Christo Paulo respiciendo ad locum Matth. V. & I. Cor. V. *vs.* 5. prior enim locus nil facit pro Grotio, quia Christus non simpliciter vult nos deserere tunicam & pallium, sed saltim secundum quid, in quantum concurret affectus ultionis, qui ut in vitio, ita à Christo prohibitus est. **Locus autem Pauli non fa-
Grotio:**

Grotio: tum quia non reprehenditur illa incruenta contentio, ut vocat Grotius in judicio simpliciter, sed saltem positis quibusdam circumstantiis illam viciantibus; tum quia istæ contentiones erant cum contemptu virorum Christianorū, qui vel arbitri vel judicis partes potuissent sustinere; tū quia ista contentio facta fuit inter fratres, adeoq; cum defectu Christianæ charitatis fuit conjuncta; tum quia facta fuit coram infidelibus in scandalū eorum, fratre tanquam actore trahente in jus alterum, & ob vilia etiam quandoque in quorum comparatione satius erat abstinere à judicio quam in illo contendere. (3) Confusè differendo. Nam 1. dicit, si res servari potest, ut non videatur periculum faciendæ cædis, posse aliquem contra invalorem agere defensione: si verò periculum sit, omittendam esse rem. At hoc ipsum non est juris peculiaris Evangelici, sed communis supra tacti in thes. 12. 2. Putat etiam cum periculo faciendæ cædis juxta legem Evangelicam posse aliquam rem recuperari, si sit magna & in judicio non reparabilis. At si in lege Evangelica simpliciter prohibitum est cædem facere, ut recuperetur aliquid, etiam in tali casu prohibitum erit. Deniq; 3. absurdum est, quod dicit interpretationem Evangelicā paulatim cœpisse ad seculi mores accommodari, quasi scilicet interpretatio quam ipse sibi fingit, esset vera, & cū hodiè statuitur licere furem nocturnum, qui aggressor est interficere, recessum sit à lege Evangelica & ejus sensu ac interpretatione, cum

cum probandum prius fuisset Grotio istam interpretationem quam probat subsistere, sensum talem esse locorum adductorum.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Lex quidem civilis permittens aliquid non omnem statim culpæ rationem tollit, interim tamen latius se porrigit, quam Grotius existimat, nec suspendium furum invidiosè videtur exagitandum.

Hic occurrunt quædam probè expendenda. Disquirat Author num lex civilis, si permittat furem interfici à privato, simul etiam præstet, ut id ab omni culpa sit liberum, & minimè concedendum esse existimat: Rectè quidè tum quia lex civilis nondū præstat securitatem conscientiæ, & proinde optandum esset, ut cum lege divina semper componeretur, & ad illam prius examinaretur; tum quia lex civilis saltem fori est externi atque respicit impunitatem, quam plurima autem quæ levia æstimantur in societate civili delicta permittit: tum, quia eo ipso quo Author dicit legem civilem permittere, agnoscit non propterea illum cui permittitur aliquid esse ab omni culpa liberum in foro conscientiæ, non solùm quia permissio suos habet gradus, sed etiam, quia plerunque, quod permittitur

tur lege civili in se quidem dejectionem quandam habet à lege divinâ, sed permittitur lege Civili quoad impunitatem tantum; vivitur enim in Romuli fæce, nō in ideali Republica Platonis. Sicut autem eâ ratione rectè disputat, ita deinde hoc ipsum principium malè applicat, dicendo legem jus necis non habere ex quovis delicto in omnes Cives, sed demum ex delicto tam gravi, ut mortem mereatur, & probabilem esse Scoti sententiam, fas non esse quenquam ad mortem damnare, nisi ob delicta, quæ lex per Mosen data morte punivit, aut quæ his paria rectâ æstimatione. Verùm lex utique jus necis habet in omnes Cives ex quovis delicto, si scilicet attendatur ad utilitatem publicam; neque enim semper puni-
 tio debet fundari in atrocitate delicti, ut morti proportionetur, sed quandoque non attenditur intensio vel remissio illius ex intuitu boni publici jus illud necis exerceri potest; possunt etiam Circumstantiæ ita vestire aliquod peccatum, ut severius in illud advertendum sit, quam aliàs si spectaretur extra illas nudè, sic fuste cædebatur ad necem qui aliquid surripuerat ex castris, teste Polybio, requirente hoc disciplina militari, quæ strictissima esse debet. Secundò falsum est non nisi ob delicta, quæ lex per Mosen data morte punivit, & paria posse aliquem occidi: supponitur enim hic unum atque alterum quod non concedi potest. Nempe I. cum Piscatore, Zeppero, Maccovio, & aliis quibusdam Calvinianis, quod quàmvis in quibus-

Leges jus necis habent ex quovis delicto.

Supplicia non sunt prohibita in iis delictis, quæ Mose non capitalia.

dam non obtineat lex forensis Mosaica in hodiernis Rebus publicis & Regnis, tamē ad minimum obtineat, aut perpetuò obtinere debeat in judiciis criminalibus, aut saltem in pœnis capitalibus, quod non consistit cum statu

Legum civilium à Summa Potestate hodiè sancitarum, & Legis Forensis Mosaicæ qualis est Auctoritas. Lex Mosaica pro omni statu animam non tranquillat.

populi in N T. & libertate christiana. Supponit secundo jus aliquod constitutum à summa potestate, non esse paris hodie auctoritatis cum lege Forensi Mosaica, si aliqua contrarietas inter illa appareat; quamvis enim materialiter in genere sc. exempli & doctrinæ Lex forensis præferenda sit omni Juri extraneo, cum sit divinæ perfectionis & auctoritatis; in genere tamen legis qua talis, seu formaliter ita dictæ, non est præferenda juri Civili, cum DEUS non præscripserit magis Imperio

Germanico jus Mosaicum, quam Anglicanum vel Suecicum. Denique supponit legem Mosaicam solam animam tranquillare, & determinare rationem pœnæ & supplicii pro omni loco & tempore, cum tamen hoc ipsum fecerit saltem pro determinato tempore, loco & statu. Hinc rectè contra Jura Forensia aliquid constituitur, si salus populi suprema & utilitas publica hoc ipsum requirat. Quod autem Author sollicitat legem illam pœnalem de suspendio furum, hoc quidem à nobis probari nequit, quamvis non negandum ipsum Lutherum in Epistola ad Spalatinum huc inclinasse. Nam notitiam divinæ voluntatis, quæ sola animum tranquillat, posse haberi ex illa lege, quæ mortis pœnam in furem non constituit, falsum est. Lex enim illa

Capitalia furum supplicia, nō tante in contrariū Grotio approbantur.

illa de non occidendo fure, est lex aliqua forensis pro certo tempore, loco & statu, ex qua non potest haberi perpetua voluntatis divinæ notitia, ut proin arbitrio Magistratus hoc ipsum hodie censeatur esse relictum. (2) Notitia divina voluntatis de suppliciis furum ex Scriptura an solide à quibusdā concludatur?

quàmvis quædam loca adducantur etiam ex V. T. à nostris, quæ videntur militare contra Grotiū & notitiam divinæ voluntatis pandere in hoc casu, quod sc. fures possint suspendi vel capitaliter puniri; an tamen ad demonstrationis vim usque pertingant & non intra probabilitatis terminos subsistant disputari posse censemus. Sic urgetur quidem lex illa Exod. XXII. verum illa loquitur de perfossore, de eo, qui habetur pro aggressore. Sic adducitur judicium Davidis II. Sam. XII. vs. 5. verum & illud non invictè constringit; tum quia potest accipi de extraordinaria quadam pœna ex singulari severitate à publica potestate decreta, à qua ad ordinariam non legitimè concluditur: maximè si consideretur in populo Judaico ordinarie non supplicium capitale, sed Restitutionem tantum sub majori Quantitate obtinuisse; tum quia illud ipsum factum, cui decreta fuit mors, non habuit rationem simplicis & meri furti, sed rapinæ; tum quia, si de ordinaria pœna accipiatur, nondum concluditur quod concludendum: quia talis mors intelligitur, quæ conjuncta erat cum restitutione quadrupli; mors autem propriè sic dicta non potest stare cum restitutione quadrupli, cum disjunctivè aut mors aut restitutio quadrupli seorsim sufficienter

adæquetur delicti atrocitati, postquam enim David dixit: *Vivit Dominus, quoniam filius Mortis est, Vir qui fecit hoc*, confestim addit, *ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit Verbum istud & non pepercerit*: ubi observant Interpretes, quod vox Arbagthaim sit dualis, & reddunt bis quatuor, hoc est, pro unâ reddet octo, quatuor ex præscripto legis Exod. XXII. *vs. 1.* & alias quatuor ob indignitatem facti majorem, quòd pauperi abstulerit Agnam quæ delictum Viri illius, quod dives abstulerit, cui tot greges & armenta erant. Non videtur autem tam ampla restitutio & Mortis supplicium junctum respondere subductioni illi, imò si *τὸ* Arbagthaim exponamus cum Rabbini de Restitutione Quadrupli conformiter legi Exod. XXII. *vs. 1.* excedere tamen adhuc sententiam dici posset, potiusque pronuntiando Davidem non intendisse ultimum Capitis supplicium, quàm phrasi *filius Mortis Vir faciens istud* intendisse versari talem in gravi periculo, severè esse puniendum & affligendum; prout aliàs filii Mortis in scripturâ dicuntur expositi magnis periculis & afflictionibus Psalm. LXXIX. *vs. XI.* & Ps. CII. *vs. 21.* neque furtum unius agnæ capitali dignum esse Supplicio dici potest, cum nec hodie tantus Rigor observetur; potius itaque intelligenda est juxta phrasin Hebræam, gravissima aliqua non tamen capitalis poena, prout vocabulum mors eo in sensu occurrit Jud. XVI. *vs. 16.* & aliàs non tam capitale, quam aliud aliquod grave supplicium nomi-

ne

ne mortis in Scripturâ designatum, ut docent
loca Baruch. II. vers. 7. & cap. III. vers. 4.

Quapropter commodius forsan urgeretur ex
Scriptura juxta Grotium pro notitia divinæ
voluntatis in capitali furum supplicio locus
Gen. XXXI. vs. 32. ubi Jacobus dicit: *furti
reum necandam esse coram fratribus suis.*

Ex quo colligitur, furtum etiam simplex pu-
niri supplicio Capitis justè & ad voluntatem
divinam. Non enim Jacob præjudicio suo
aliquem suorum in discrimen mortis vocasset,
nisi rigore justitiæ tale supplicium exigere po-
tuisset. Illustratur hoc ex eo, quia hæc ju-
stitiæ severitas etiam apud Gentiles maximè
in servos fuit exercita, hinc illud Horatii:

Non furtum feci, non pasces in cruce corvos.

Opinatur quidem Grotius Pœnam Mortis in-
dixisse Jacobum, ut in sacrilegio secundum O-
pinionem Labanis. Sed quis credat virum pi-
entissimum se voluisse attemperare super-
stitioni Labanis, voluisse confirmare eundem
in Idololatria, voluisse hominis vitam æsti-
mare non ex peccati merito, sed falsæ opinio-
nis labanicæ Monstro. Requirentibus ita-
que Circumstantiis & Boni publici Conditio-
ne furto posse pœnam capitalem dictari non
absurdum ducimus; prout Tiberius mili-

tem prætorianum ob pavonem sur-
reptum Capite punivit, teste
Suetonio.

Ad Th. XV.

OBSERVATIO.

Duellum illicitum est in illis casibus, quæ Author recenset.

Non licitum est certamen singulare concedente etiam in vasore dimicandi licentiam,

IN hac thesi Author disputat de duellis, & duos casus proponit, in quibus putat à privatis sine peccato suscipi singularem istiusmodi dimicationem. Primum, si in vasore concedat alteri licentiam dimicandi, alioquin cum occisurus sine dimicatione; Secundò, si Rex duos mortem meritos inter se committat: quod si fiat, illis quidem licere existimat arripere spem salutis, licet Rex jubens minus rectè officio functus illi videatur, qui debuisset potius adhibere sortem; Verùm errat hîc Author. Nam in primo non putamus licitum esse tale duellum: tum quia non est in potestate invadentis concedere alteri licentiam dimicandi: cum duellum prærequirat authoritatem publicam, & nisi jubeat Rex cæteris paribus, nullius aliàs sit hoc imperare vel licentiam concedere; tum quia in vasore non habet potestatem accipiendi istam conditionem, neque debet peccato cooperari; tum quia talis dimicatio non est defensio, quæ sola in foro conscientiæ locum habet, sed est susceptio rei illicitæ, periculosæ: tunc autem rationem defensionis demum induit, si quis expectet in vasoris aggressiorem, & illam dein occupet. Alter casus itidem

dem talis est, ut in illo peccet & Rex sive Magistratus, & ille, qui illa imperata accipit, & denique ille Magistratus qui sortem eligit, adeoque negativa planè hîc eligenda.

Peccat (1) in tali casu Magistratus, sive Rex; tum quia prostituit modum judiciorum divinitus consecratum; tum quia ille non potestatem habet quocunque modo punire reum, sed eo modo ut justitiæ vindictivæ satisfiat; tum quia ita quandoque duos nocentes, quorum alter vel minus deliquit vel imbecillior est inter se committit, ut quandoque à fortiore & magis pœna digno opprimatur ille, qui est infirmior, atque minus nocens. (2)

Falsum est, quod Author dicit, si Magistratus hoc ipsum imponat, illis licere spem salutis ita arripere: Nam nec hoc concedendum, quod sc. talibus sit licitum privatim dimicare, nunquam enim (1) licitum est ad propriam mortem cooperari, (2) qui reus est mortis, ille mortem debet pati, non autem adversus alium, qui ipsum non læsit, sese tueri, ipsum occidere, atque ita cum morte alterius cæde peccaminosâ impunitatē sibi acquirere.

(3) Talis dimicans cum altero aut facit hoc ipsum tanquam minister publicus, aut privat^{us}. Prius nō potest esse, Magistratus enim iniqua non potest imperare, & sicut in iniquis patiendis & tolerandis agnoscendum est Imperium, ita in agendis non potest admitti, cum DEO magis obediendum quàm hominibus, & nunquam aliquid faciendum in quo pecces. Si posterius multò magis peccabit occi-

Rex committens duellatores inter se valdè delinquit.

Vti nec is à peccato immunis est, qui singularem dimicationem iussu Magistratus accipit.

Sortitio à
vindicati-
va Iustitia
est semo-
venda.

dendo alterum, & ita consequendo impu-
nitatem. Tertium punctum quod pe-
ctat de sorte, illud itidem non tranquillat
conscientiam. Si enim duo meruerunt sup-
plicium, consultissimum est, ut uterque affi-
ciatur eor: partim quia satisfieri debet iustitiæ
vindicativæ, quæ respectu utriusque exigit
pœnam; partim, quia talis sortitio dicit ten-
tationem aliquam Numinis, & providentiæ
divinæ abusum; partim, quia experientia do-
cuit sceleratissimos quandoque per sortitio-
nem evasisse, minus sceleratis ad mortem
condemnatis, quale exemplum planè sin-
gulare Barclajus recenset in Euphormione.
Parce itaque accipiendum illud Ciceronis pro
Cluentio: *Statuerunt ita majores nostri, ut si
à multis esset flagitium rei militaris admissum,
sortitione in quodam animadverteretur, ut
metus ad omnes, pœna ad paucos perveniat.*
Dispar enim ratio est talis sortitionis in sta-
tu civili, ubi judicia vigent, & juxta illa ne-
gotium potest expediri, & in statu militari,
ubi leges sunt rigidiores, & quandoque ad
hoc medium acceditur. Nec obstat, si se-
cundo membro reponas (1) licere utique ad
propriam mortem cooperari interveniente
authoritate publica. Si enim hoc non lice-
ret, non liceret ire in carcerem, non scande-
re scalam ad patibulum, (2) minus malum
utique eligendum esse præ majori; dimica-
tionem autem quæ adhucdum sit cum spe e-
vadendi præferendam esse morti certæ: &
tandem (3) ut Lipsius colligit: Si licet Regi
vcl

Exceptio-
ad mem-
brū secun-
dum;

vel Magistratui occidere, licere etiam tali vel tali modo & manu. Et si hoc liceat, etiam licere reo acceptare, quod Magistratus imperavit. Primum enim non concludit, quia ^{Dirimitur prima.} quando ad mortem propriam cooperari negatur, non simpliciter de omni pœna quaeritur, aut de præparatoriis ante mortem auxiliis, sed de cooperatione proxima ad mortem ipsam, quæ à nobis censetur esse peccaminosa. Non secundum, Mors quidem certa est magis malum, quàm spes illa salutis, verùm est majus malum pœnale, hoc autem participans ex malo aliquo peccaminoso morali, adeoque comparatio instituitur in diverso genere mali, in quo non procedit canon. Non tertium, falsum enim est, si Magistratui licet occidere, E. licet omni modo & manu. Si enim liceret omni modo, liceret etiam crudelissimo modo. Deinde licet occidere tali manu, quæ non peccat, qualis est manus carnificis aut ministri, non autem manu rei, ubi semper intercurrit peccatum. Denique posito judici hoc licitum esse, quod nunquam concedi potest, non tamen poterit hoc ipsum reus vel ob conscientiam ratiocinantem in oppositum, vel ad minimum ob conscientiam dubitantem; quicquid autem fit ex dubitante aliqua conscientia, id quia est peccatum, non suscipiendum est.

CAPUT II.

IN hoc capite agit Author de eo, quod nostrum est, & illud dividit; & deinde de initiis proprietatis, quomodo illud quod ab initio commune fuerit factum fuerit proprium differit, modosque occupationis ratione objectorum definit, ubi aliquoties graviter impingit contra prima Theologiæ vel Historiæ sacre principia.

Ad Th. II.

OBSERVATIO I.

De Collatione Juris generi humano primitus & Noachi tempore facta, quasi omnia communia fuissent, differit Author citra assensum Doctorum.

Proprietatis Exordium.

Hic Author planè monstrosè disputat. (1) Errat dicendo, Deum humano generi generaliter contulisse jus in res hujus inferioris naturæ, statim à mundo condito, & iterum eodem reparato. Nam primò supponit omnia fuisse primitus communia, Dominio & proprietate exclusâ, & DEUM homini generaliter contulisse jus in res inferiores, quod cum Historia sacra non exactè convenire videtur; non enim contulit homini generi jus, sed Adamo, quamvis autem in Adamo extiterit totum genus humanum, & ille acceperit benefici ailla

non

non pro setantum, sed etiam pro posteritate sua, nihilominus primò fuit ipsi collatum jus in res, quod deinde derivandum erat per modos transferendi ad posteros; etsi Dominium cõmune admittatur respectu totius Generis humani, non tamen illud privato fuit simpliciter oppositum, nec si Hominem DEUS indefinitè constituit Dominum, adhuc consequens erit, quod necit Grotius.

(2) quod de mundo reparato dicit, itidem admitti nequit; nam Noachò contulit Deus jus in res hujus inferioris naturæ, qui deinde totum hunc orbem hæreditatis instar divisione facta reliquit suis filiis, teste Epiphaniò in Anchorato, Eusebio in Chronicis, cujus hæc sunt. *Noverunt omnes justum Noë, reliquias mundi factam post diluvium. Cum igitur relictus esset, ipse & tres filij ipsius, ut qui justus esset, & filios suos pios efficere cõnaretur, ut ne in eadem mala inciderent, sicut ij qui in diluvio perierant, non solam per doctrinam illis pietatem proposuit, sed etiam per jusjurandum ab uno quoq; ipsorum benevolentiam erga fratrem exegit. Et dividit quidem, velut hæres mundi à Deo constitutus, tribus filiis suis universum mundum sub sortem missum, & unamquamq; partem juxta sortem singulis distribuit.* Philastrio in Recensione hæreseon, qui scribit. *Sunt quidam hæretici, qui de divisione Orbis terra & portione habitationis non rectè sentiunt: disputantes quòd Græci caperint aut Egyptii, aut Persæ describere Orbem terra universum,*

Et Progres-
sus.

Iure natu-
ræ non o-
mnia fac-
runt com-
munia,

non beatus Noe filiis suis tribus post diluuium
diviserit, dederit ac definiert & partierit Or-
dine, de quo plura in Collegio nostro Hi-
storico Tertio quemvis confestim arripere
potuisse quod vellet ad usus, & talem usum sui
se vice proprietatis absurde dicitur, si de con-
sumtibilibus sit sermo, nam in consumtibi-
libus usus rei præsupponit proprietatem: quo-
modo enim rem possum consumere aut de-
struere nisi supposita antecedanea proprie-
tate? cessante quippe Dominio cessat eti-
am jus consumendi. Sed hausit hæc Gro-
tius non ex Scripturis, verum Dd. Scholasti-
cis, & communi illo falso principio *de jure
natura omnia fuisse communia.* quod ip-
sum ipsi Scholastici coacti sunt agnoscere
non esse satis solidum, quia si de jure natu-
ræ omnia essent communia, proprietates repu-
gnaret juri naturæ, adeoque esset illicita:
hinc ipsimet distinguunt atque emolliunt, di-
cendo, fuisse communia negativè tantum, qua-
tenus natura ipsa nulli privato alicujus rei do-
minium applicuit. Molina etiam existimat
lumen naturæ dictare quidem potuisse, ne-
cessariam esse divisionem post lapsum, & ob-
ligationem ad illam faciendam, non tamen
potuisse fieri ab ipsa natura, sed debuisse in-
venire vel consensum communitatis, vel Prin-
cipis, ut autoritate ejus divisio & modus
illius decerneretur. Imò ex modernis sunt
qui hoc rejiciunt & ulterius progrediuntur,
dicendo, illud axioma *de jure natura omnia
esse communia* ita esse accipiendum, ut in-
telligi-

telligatur de jure illo naturali, quod Justinianus describit, quatenus dicit jus commune hominibus & bestiis; quo sensu divisio rerum & dominiorum non est de jure naturæ, quia est propria hominis, prout differt à bruto. sunt, qui ab Abelis & Caini temporibus privata dominia deducunt, illi enim fuerunt sua pecora & compascua, huic verò agri & sua sata; & de Caino refertur, quod primus agris terminos posuerit, legatur Seldeni Mare clausum lib. 1. cap. 4.

Ad Th. II.

OBSERVATIO II.

Status, quem Grotius pingit, non fuit durabilis.

ERrat Author longè gravius dicendo illum statum durare non potuisse, sc. communitatis, nisi homines in magna simplicitate perstitissent, aut vixissent inter se in mutua quadam animi charitate. Et vult primum probare exemplo Americanorum, alterum Essenorum & deinde Christianorum. Verùm hæc planè sunt absurda. Nam (1) putat statum talem fuisse durabilem etiam post lapsum posita simplicitate & eximia charitate. Atqui hoc merè dicitur, non probatur, neque concludit 1. exemplum Americanorum, tum quia non potest ex Historia demonstrari, ibi obtinere istiusmodi communitatem quam propugnat Grotius: Hoc quidem

Status communitatis ut nunquàm fuit, ita nec durabilis dici potuit.

In adductis etiam exemplis non deprehenditur.

dem certum est, quod major obtineat communitas, quàm penes nos, non tamen ibi omnis rerum & dominiorum divisio locum non habet; tum quia absurdissimum est argumentari ab Americanis, qui instar brutorum vivunt, ad Civitatem & ordinem illi debitum: quia ipse Aristoteles jam pridem præstruxit huic argumento, istiusmodi exempla removens tamen impertinentia, & natura tales homines bestiales appellans. (2) secundum exemplum non quadrat nempe Essenorum; de quibus Scaliger, Drusius, Junius, Scultetus & alii, non enim hoc laudabile fuit in Essenis, sed vituperio dignum: tum quia Divinum jus vult, ut aliquis non sua querat, *sed etiam quæ aliorum sunt spectet*, ad Philipp. II. quod neglexerunt Esseni; tum quia jus naturæ ostendit non nos nobis natos esse, sed nostri partem Patriam vindicare, partem parentes, partem amicos teste Cic. 1. Off. tum quia hoc otiosum vitæ genus accedit voluptario, quod Epicurus præscripsit, observante Plutarcho. Sanè sectam hanc Essenorum, quæ veste utebatur alba, nec prius mutata donec penitus consumpta, quæ ita aversabatur communionem, noster Chemnitius reprehendi statuit à Paulo Coloss. II. 8. Judæos fuisse, Philo & Josephus docent, superstitionibus deditos pingit Historia. (3) Tertium exemplum non quadrat, nempe Christianorum, qui Hierosolymis habitabant, tum quia non omnia habebant ita communia ut vult Grotius, fuerunt enim ipsis distin-

ctæ

Et ades, cum per singulas cibum sumserint Act. II. 46. tum quia commodè hoc ipsum potest accipi, quod omnia habuerint communia quantum ad usum, manente aliqua proprietate. Hinc Maria Marci mater retinuit domum suam, ut constat ex Act. XII. 12. tum quia & horum status non fuit durabilis, quamvis enim hoc susceperint idè ut vendiderint omnia, quia instabat excidium urbis, & in commune contulerint, non tamen hoc ipsum faciebat ad durationem & constantiam, undè egestas anticipavit apud plures, ut etiam Eleemosynæ fuerint propterea Hierosolymitanis colligendæ.

Ad Th. II.

OBSERVATIO III.

De primo homine extra terminos revelationis periculose philosophatur.

Gravissimè errat Grotius differendo de primis nostris parentibus, quasi nullam unquam inspexisset Scripturam. (1) Dicit, simplicitatis argumentum præbere nuditatem, & fuisse in primis hominibus magis Ignorantissimæ vitiorum, quàm cognitionem virtutis, hanc simplicitatem dici *ἀφροσύνη* Philoni, *ἀπλοσύνη* Paulo. (2) differit de arbore vitæ & arbore scientiæ boni & mali, (3) adducit dictum Ecclesiastæ VII. de primo

Dominium
cum pro-
prietate in
statu etiam
integritatis
perennasset.

mo homine condito, atque ex hoc vult colligere statum communitatis omnium esse durabilem posita simplicitate, locumque habuisse vel maximè in statu integritatis. At (1) etiam hoc falsum est: nam non solum in statu destituto, sed etiam innocentiae obtinuit divisio rerum & distinctio dominiis: quod probat tum fundamentum distinctionis, lex scil. de non furando Adamo data, & cordi inscripta: Quomodo enim potest juberi, ut aliquis non furetur, si non supponatur rerum proprietas? tum exercitium virtutum vel maximè in primo homine locum habens, inter quas & justitia & liberalitas, quæ nõ possunt nõ supponere divisionem rerum, hinc Martinus de Esparza Artieda lib. 8. quæstione 42. art. 8. scribit; sublatâ rerum divisione nullum aut vix ullum superesse locum liberalitati, beneficentiæ, gratitudini & similibus virtutibus, quarum opus sit aliis erogare de proprio, defuturum itaque maximum humani generis decus & ornamentum & mutuæ beneficentiæ ac charitatis vinculum. quis ergò hoc decus negabit statui decentissimo? tum denique ipse ordo, cujus DEUS author est, debuit enim esse familiarum distinctio in statu integritatis, si perseverasset Adamus in illo, & consequenter etiam bonorum; Advocemus Caramuellem qui aliquid, sed non totum dicit & sequentia prodit lib. 2. Theol. moralis pag. 206. *Alij credunt Deum fecisse homines directos & proprietarios dominos totius orbis terrarum, & jure*

& jure natura constantis & integra omnia
 fuisse in pœnam culpæ revocata. Huic sen-
 tentia videtur subscribere Scotus in 4. dist.
 15. quest. 2. art. 1. concl. 1. & 2. unde jure
 natura lapsa non sũnt omnia communia. Sed
 hoc assertum subsistere non potest, in opinio-
 ne eorum, qui dicunt jus natura esse irrevoca-
 bile & perpetuum; quoniam si tale est, ab-
 rogari non potuit. Ceterũm, cũ in mea jus
 natura sit actus liber DE I eod. modo de
 illo ac de reliquis liberis DE I actibus philo-
 sophabor. Nota que dixi Commentary in Reg.
 Bened. num. 19. Dissplicet tamen hac opi-
 nio, quia universaliter affirmat omnia futu-
 ra fuisse communia, si Adamus non peccasset,
 quod demonstratur esse falsum. Primo quia))
 etiam in statu innocentia, imò & natura pu-
 ra, Petrus esset suarum actionum particula-
 ris dominus, ita ut illis dominaretur solus ex-
 clusis quibuscumque aliis. Secundo, esset etiam
 particularis dominus substantiarum, quas de
 novo produceret; puta, filiorum, quos gigne-
 ret, animalium, & metallorum que de no-
 vo produceret industriã artificiali. Tertio,
 quia nullã lege tenerentur homines in statu
 innocentia agere vitam communem, possent-
 que dominia dividere majoris commoditatis
 gratia: & fortè erant facturi, si culpa non pro-
 stravisset naturam rationalem. Erroneum au-
 tem est, quod putat simplicitatis indicium in
 Adamo fuisse nuditatem illam: cũ fuerit
 argumentum puritatis in affectibus, optimi
 temperamenti in corpore, non indigente o-

Nuditatis
 non fuit
 simplicitatis
 argumentum.

T t

peti-

perimento. Erroneum est quod fingit Adamum simplicem infantili simplicitate, quæ mentis est inopia, & redundat in ipsum DEUM; quod dicit hanc simplicitatem vocari ἀφθαρσίαν, ἀφθαρσία enim non est simplicitas sed immortalitas, hinc Budæus verba illa vertit Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem ad naturam non interituram*; vocari ἀπλότητα ab Apostolo: nam si concedamus ad illam respici, non simplicitas infantilis notabitur voce ἀπλότης, sed simplicitas æquivalens integritati, candori, & ut ipse dicit opposita vafre calliditati, puritas fidei non permixta Judæorum vel Philosophorū erroribus. Unde etiam Arabs, Ambrosius & Augustinus pro simplicitate legunt castitatem & puritatem; percurrantur omnes Epistolæ Paulinæ in quibus aliquoties hæc vox occurrit, nunquam tamen illa significatio, quam Grotius comminiscitur comparebit, quinques usurpatur in laudatâ Epistolâ secundâ ad Corinthios, at nè semel illâ probare poterit intentum sensum, quem ipse hîc fingit.

Erroneum est, quod arborem vitæ putat fuisse symbolum tantum cultus divini: non enim dicta est arbor vitæ tantum symbolicè per modum significationis, sed effectivè, quia verè virtute naturali prædita erat conservandi vitam primi hominis: Et loci ex Proverbiorum capite tertio versiculo 18. nec non ex Apoc. 22. vs. 2. non conducunt: non primus; quia quamvis cum Ebræis Drusius accipiat illum de sapientia divinitus dispensata, & al-

ludi

Arbor vitæ
cujus rei
symbolū.

ludi à Salomone ad Paradyfiacam arborem opinetur, nondum tamen evictum, illam arborem vitæ fuisse unicè unici cultus divini symbolum, commodiusque intelligi posset de sapientiâ hypostaticâ, ut quidam Patres acceperunt, quo sensu non poterit dici lignum vitæ sub ratione symbolicâ cultus, sed radice & principii omnis illius vigoris, qui in ramis, hoc est fidelibus conspicitur. Alter non quadrat, quia pariter de Christo ab Orthodoxis accipitur. Sic absurdum & erroneum est, quod dicit de arbore scientiæ boni & mali, quasi fuerit symbolum artium variarum, ad quas homines applicuerint animum; longè enim aliter senserunt de hac arbore Augustinus in Genesi ad litteram D. cap. 15., aliter Theologi, qui putant ipsam appellatam ita fuisse, partim ratione finis à DEO intenti, ut esset quasi ara DEI & templum, in quo experiretur homo, quàm bonum esset DEO obedire & quàm malum rebellare; partim ratione eventus, qui fuit consecutus; Erroneum denique est, quod dicit Salomonem respicere ad illam simplicitatem, quando dicit: *DEUS creavit hominem rectum* Eccles. VII. At (1) longè aliud est *rectitudo*, aliud *bruta simplicitas*, (2) Grotius planè hîc insistit vestigiis Photinianorum, qui hanc *rectitudinē* ita explicant, ut dicant fuisse Adamum simplicem & expertem omnis mali; cum tamen in Hebræo sit vox *Jaschar* quæ *rectitudinem*, positivam virtutum præsentiam notat, ut constat ex Deuter. IX. 5. (3)

Simplicitas primorum hominum positiva erat virtutum omnium excellentia.

Quæ rectitudo hîc intelligatur ex eo patet, quod opponitur huic rectitudini; ipsos nempe Adamum & Evam quæsiuisse non contentos inventiones magnas, h. e. tantam notitiam appetiisse, quæ exæquaret notitiam ipsius Creatoris. Hæc autem perversitas opponitur rectitudini in intellectu & voluntate & affectu, quæ proinde in primo homine fuit, non simplicitas illa, quam adscribit cum Josepho & Photinianis primo homini Grotius.

Ad Th. II.

OBSERVATIO IV.

Studiorum Diversitas non fuit causa cædis.

Ex studiorum diversitate nec simulatio nec cædes oriebatur.

Disserit Grotius de antiquissimis artibus agricultura & pastu, & dicit, primum vitæ genus fuisse violentum, alterum fuisse cupidum voluptatis, cui inservi erit vinum, & concordiam ruptam fuisse per ambitionem, unde alii alias terras, partitò possederint. Verùm si antiquissimæ artes fuerunt agricultura & pastura in primis fratribus, patet, quod divisio obtinuerit in primo mundi quasi exordio. Nam ita Abelus habuit dominium in oves, Cainus in agros, monstrante ipsa natura, Adamoque diversa diversis tribuente. Non demonstrari autem potest ex studiorum diversitate æmulationem & cædem esse secutam, ut iterum securè supponit

ponit Grotius. Non enim studiorum diversitas, sed malus animus Caini eadem illam procuravit, neque verum est quod talis fuerit vitiorum successio, ut in primo mundo regnaret tyrannis, in mundo per diluvium purgato Cupido voluptatis; tum quia hoc nulla auctoritate aut testimonio demonstrari potest; tum quia Scriptura voluptatis cupidinem & luxuriam etiam tribuit primo mundo, ut disertè constat ex Matth. XXIV. 38. tum quia supponere videtur vinum non fuisse primi mundi hominibus. Quis verò neget vites extitisse ante diluvium ex primâ rerum Creatione? quis credat si concedamus pios abstinuisse ab Ufu quidem vini, sed; non uvarum, Cainitas non potu hoc usos, ebrietatem ex illo prætulisse sobriæ menti & spumantes haussisse pateras in Veneris incendium?

Ad Th. II.

OBSERVATIO V.

Quæ de concordia rupta & hominum societate differit, sine fundamento prodit.

Dicit ambitionem rupisse concordiam, cujus signum turris babilonica, quod probari nequit; nam dicunt illi ædificatores; *Agite laterificemus lateres &c. Et faciamus vobis nomen ne fortè dispergamur super facies quænis terra: non itaque ambitio rupit*

Per dilu-
um repar-
geti mun-
di concor-
diam non
rupit am-
bitio.

concordiam, sed concordia potius vitiosa
 opposuit se divino Consilio de dispersione
 populorum: unde Interpretes hæc verba qui-
 dem dupliciter accipiunt vel *antequam di-*
spersamur, vel *nè dispersamur*, quæ posterior
 versio magis placet quibusdam, ut intenderint
 se munire adversus dissipationem, quàm me-
 tuebant, vel pugnare voluerint ex hæc turri
 communibus viribus nè dissipentur: non
 tantum, quia Ebræo textui & Chaldæo In-
 terpreti conformis, sed etiam cum antecede-
 ntibus & consequentibus probè cohæret.
 Dicit postea inter homines vicinos mansisse
 non pecorum sed terrarum communionem,
 quia tanta in exiguo hominum numero lati-
 tudo terrarum, ut ad multorum usus suffice-
 ret. Verùm & hoc sine solida probatione
 dicitur. Dicit, tum demum in familias di-
 visos esse homines, quod itidem non probat,
 & contraria patent ex Collegio nostro Hi-
 storico. Absurdissimum autem est, quod
 dicit hæc petita esse ex sacra historia, & con-
 venire cum his quæ Philosophi & Poetæ
 de primo statu prodiderint, qui ne-
 que fuerunt in hoc
 puncto.

Ad Th. II.

OBSERVATIO VI.

Non admittitur quod primi homines non etiam terram coluerint, & citra artium inventionem & usum vitam exegissent.

Denique erroneum est, quod in hac thesi dicit, homines non contentos vesci spontè natis, vitæ genus exquisitius delegisse, atque ita in proprietatem ivisse. Falsum quippe est, homines saltem comedisse ea quæ spontè ferebat tellus, antra habitasse, incessisse ut Faunos. Sanè Adamus debuit hortum Paradyfi non solùm inhabitare, sed & colere, ut ex cultura viveret Genes. II. 15. & sicut sine labore fastidioso hoc ipsum executus fuisset, si mansisset in statu integritatis, ita post lapsum non spontè natis fuit nutritus, sed debuit terram colere, & multo sudore sua parare, ut constat ex Genes. III. 13. & 18. Illiquidum est præterea vitæ genus exquisitius industria opus habuisse, ita ut illa planè non opus fuerit etiam in statu integritatis. Sanè nemo facilè dubitat, etiam in illo habituras locum fuisse artes, opificia, & quidem longè faciliore & feliciore modo & gradu. Denique controversum est res in proprietatem ivisse pacto quodam aut expresso, ut per divisionem, aut tacito, ut per occupationem: tum quia supponitur commu-

Primi homines otiosam vitam non tractarunt.

22

01

Quomodo res in proprietatem iverint.

nionem primùm obtinuisse omnium, quæ deinde displicuerit, cùm tamen illa repugnet Scripturæ, quæ Adamo dominium à DEO concessum assignat. Et sanè nisi constitutus fuisset Dominus ab ipso DEO, ne minimum quidem licuisset ipsi attingere aut consumere, involasset enim dominium DEI, qui orbem condidit, cujus terra & quæ sunt in illa; tum quia pactum illud vel expressum vel tacitum disputatur; tum quia, quæ de occupatione proponit à quibusdam improbantur, nec omnibus placent, quæ grata fuerunt Grouo.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Mare sub ratione etiam præcipuarum partiū non posse abire in jus proprium ex rationibus ab Authore adductis non concluditur.

Hic Author de mari disputat, & existimat illud sumtum sub ratione integri, aut etiam ratione præcipuarum partium non posse in proprium jus abire. Idque vult duabus rationibus obtinere, quarum una petita est à maris magnitudine; altera à natura liquidi. Verùm supponit (1) hinc falsum, nempe pactum illud, quod hic cesset, & consequenter subsequenter habeat cessationem dominii (2) ratio ipsius prima non concludit, tam quia potius

Pleri potest mare proprium.

tius oppositum potest demonstrari ex illa; Si enim tanta maris magnitudo, ut ad quemvis usum omnibus populis sufficiat, consequens est, secundum hanc vel illam partem potuisse occupari, ita ut alteri non facta sit injuria, quia & alteri adhucdum restat, quod ejus usibus cedat. Potius itaque concludendum, quia tam amplissima gaudet sufficientia pro omnibus populis, non communionem sed divisionem exinde concludendam; quia etiam divisum huic vel illi sufficit: tum quia instantiâ potest retundi ab ipsa terra desumpta, quæ eximiâ quoque gaudet magnitudine, & nihilominus ob istam non indivisim debuit possideri; tum quia sicut terra constat diversis partibus, quarum quædam sunt desertæ, quædam frugiferæ, ita etiam mare diversas habet partes, quarum quædam abundant piscibus vel margaritis vel aliis istiusmodi, quædam autem carent istis. Sicut ergo occupari possint terræ partes frugiferæ, ita mare secundum illas partes, quæ cedunt alicui populo in usum.

(3) Altera ratio non concludit, quod sc. occupatio non procedat nisi in re terminata, aqua autem cum sit liquida per se non terminetur, & consequenter occupari nequeat, partim quia in hoc argumento committitur *μεταβασις εις αλλο γένος*, & ex principio Physico concluditur aliquid quod controversum in Politicis. Non enim mare hic consideratur respectu suæ naturæ & qualitatum naturaliter consequentium, sed ut habile ad dominium vel non habile: tum quia falsum est, li-

quida per se non terminari ; liquidum enim illud est, quod facile alienis terminis continetur, suis autem difficulter, si itaque potest dari terminus aliquis extraneus in liquido, cessat ratio ducta à natura liquidi, & si obstat esse liquidum proprietati & dominio, obstabit quoque in quavis re liquida, quod absurdum : tum quia mare revera utut liquidum tamen terminis est circumscriptum, ut aperte constat ex Jobi XXXVIII. vs. 8. & seq. ad quem locum consulatur ipse Grotius. An autem mare sit pars terræ aut majus, de eo videri potest Michael Zanardus Bergomas ex Urgnano, qui prolixè hanc quæst. disputat. Denique quod dicit non fingendam esse divisionem in mari, nam cum primùm terræ divisæ sunt incognitum fuisse mare sui maxima parte. hoc ipsum an cum veritate congruat merito dubitari potest: tum quia non potest concedi Adamo incognitum fuisse mare sui maxima parte; tum quia si de Noacho sit sermo etiam dici nequit illi mare fuisse incognitum, & sane uti orbem divisit inter filios, ita etiam mare juxta partes, & secundum littora ; tum quia non necessaria fuit divisio, quam forsitan sibi imaginatus fuit Grotius, sufficit divisio Mathematica, per lineas mentales, quemadmodum terra sancta per funiculos mensorios fuit divisæ, non materiatis sed Geometricos, seu mathematicas lineas, mente conceptas. Posito autem commune & indivisum fuisse mare, & primitus non divisum, admittit tamen Author quæ talia sunt non divisione,

Mare an fuerit divisum.

visione, sed occupatione transire in jus proprium: si itaque occupatio intervenit, ut intervenisse planum est in mari respectu hujus & illius partis, transit illud etiam secundum hanc vel illam partem in jus proprium. Audiamus hic Satrianensem & Campaniensem Episcopum qui sequentes ponit Conclusiones pag. 209, 210. *Dico primò, non constare authentice esse nunc Principem aut populum, qui alicujus sit maris dominus titulo donationis divine. Scio vix ullam esse Monarchiam, qua non supponat revelationes, miracula, & electionem divinam; sed quia haec omnia leviter solent adstrui, prudentissime debent refelli. Ubi, ut verum fatear miraculicuffores fastidio, & existimo eos qui nugas reducant ad miracula, esse in periculo ut miracula reducant ad nugas. Dico secundò, dari in aliquibus parvis maris tractibus non solum morales, sed physicos aut virtuales dominos: nempe in illis, qui olim erant detecti, & hodie auctoritate & industria publica submersi aquis, juxta ea quae dixi supra. Dico tertio, Non posse negari Principibus dominium indirectum in maria, in quantum ipsa servare possunt ut defendantur terra quae habeat. Cum dominium indirectum concedo, vocem expono. Indirecti dominii nomine non intelligo usufructuarium, quia de hoc statim agemus, sed illud quod nascitur ex directo: habes jus directum defendendi tuam vitam, & indirectum facienda omnia illa, sine quibus vita tua stare non posset: & simpliciter Anglorum Monarchia ha-*

de Maris
Dominio
morali.

hoc directum defendendi illam Insulam, & indirectum faciendi omnia sine quibus Insula defendi non potest: cumque ipsa in periculo sit, si mare sit liberum, negari non potest habere jus claudendi maria littoribus propriis finitima & quoscumque peregrinos arcendi, admittendo solum amicos sub justis articulis & conditionibus. Dico quartò, ex hoc indirecto & per accidens, nasci usumfructuarium semper, & etiam aliquando usufructuarium. Usufructuarium quidem: quia, cum possint Insulani arcere à suis maribus omnes peregrinos, majus dicendi sunt habere jus in illius maris spolia, quam peregrini haberent: ergo & posse piscari, lapidas pretiosos & gemmas eruere, & uti quibuscumque rebus in Oceano natis. Sed & indirectum usufructuarium nemo negare poterit, qui sciat illud formaliter in destruendi potestate consistere, posseque quemcumque cum moderamine inculpata tutela occidere invasorem, & monumenta erigere qua utilia judicaverit: unde sequitur posse Insulanos aut quoscumque mari proximis populos aggeribus ductis tractum marinos in prata & campos convertere; & tamen non potest campus incipere quin mare desinat. Dico quintò, Reges, qui habent regionum remotarum dominium posse cavere & claudere maria intermedia aliis nationibus propter securitatem. Periclitantur enim India, exempli gratià, si quibuscumque gentibus liceret maria nostra sulcare, nam expedit nullam classem permitti in intermedio pelago, qua littora invadere posses, si adpelleret.

Ad

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Qui Imperium habet in terras & Aquas ut loquitur Grotius lege impedire potest aliquos à captura ferarum, piscium & Avium.

IN hac thesi disputat Author de Feris, Piscibus & Avibus, & statuit illum qui imperium habet in terras & aquas lege impedire posse aliquos, ne ista animantia capiant, & lege hac etiam teneri exteros. (2) rationem adjungit, quia ad gubernationem populi moraliter necessarium sit, ut qui ei vel ad tempus se admiscet, conformem se reddat ejus populi institutis. admiscere autem sese illum, qui intret territorium. (3) objectionem removet, quod in jure Romano legatur jure naturæ aut gentium liberum esse talia animalia venari: hoc enim verum esse quamdiu lex nulla civilis intercedat eam observari debere, juxta ductum juris naturæ, Legem enim civilem posse libertatem naturalem circumscribere. Quod primum punctum concernit, oppositam sententiam defenderunt ex Scholasticis quidam, dicendo Principem non posse prohibere Venationem, quia non habeat potestatem supra jus naturæ aut gentium quo venatio omnibus permessa est ad capiendas feras. Atque progressi sunt quidam cum Hostiensi, Joh. Andrea

Verum Princeps Legibus impedire possit venationem

drea Cardinali, Decio & aliis quos adducit Vasquez, ut statuerint Principem non posse licitè venationem in aliquo loco communi etiam subditis suis prohibere, eamque facultatem sibi soli usurpare. Idque ex eadem ratione, quia de jure naturæ hæc animalia sint communia, & fiant primò apprehendentis, cui juri naturæ nullus Princeps possit derogare. Sed rectè observatur, multa esse jure naturæ permessa, quæ jure humano certis & justis de causis possint prohiberi, e. g. permissus est vini usus de jure naturæ, potest tamen febricitanti aut cuidam, qui per ebrietatem furit, prohiberi lege humana. (2) prohibitio potest fieri conformiter naturæ, si sc. respiciatur communis utilitas, e. g. quando feræ procreationi inserviunt. (3) Princeps ex multis causis subditis potest hoc ipsum prohibere, non solum ex consensu illorum, si sc. cesserunt juri suo, nec solum si necessarium hoc sit ad sustentationem Principis splendidam vel necessitates communes, prout tributa eo fine imponit, nec tantum ex meritorum intuitu in Rempublicam; sed vel maximè Princeps hoc jure potest uti & prohibere ex eo, quia est Dominus, & sicut habet potestatem in bona subditorum, quæ singuli possident, ita multo magis in ea, quæ adhuc communia sunt, & per occupationem nondum transierunt in alterius dominium. Secundo quod concernit rationem & subjunctam difficultatem, merito disputari potest, num jure naturæ & gentium liberum sit talia animalia

Quare ferarum captura iure Gentium concessa dici nequeat?

malia venari, quamdiù lex nulla civilis hoc ipsum prohibet. Non enim præsumendum est Legem naturæ inducere confusionem quandam, & tam laxam concedere licentiam, ut non terminum ponat, quantum unicuique liberum sit venari & sibi acquirere, Tertium quod concernit, quando dicit Author etiam exteros teneri, certum quidem est ex ratione subjuncta, certum etiam est ex eo quod Lex civilis possit libertatem aliquam circumscribere. Verum ita (1) Grotius contraria statuit illis, quæ scripsit in tractatu de Mari libero, ubi piscationem vult subditos tantum prohibentis stringere, non autem exteros, cum tamen sit jus reale, ex quo Princeps habet potestatem prohibendi; præterea si potest aliquis prohibere lege Civili ne feras, bestias & aves capere liceat, atque hac lege etiam tenentur exteri, de piscatione erit pariter pronunciandum, quod prohiberi possit, de quo prolixè disputat Grotius contra Seldenum ex ratione hinc ab ipso allegata & discursu sequenti. Alia ratio est num privatus aliquis possit prohibere venationem in suo agro vel etiam piscationem in stagno, de quo disputat Franciscus Victoria, & negat exteris posse prohiberi jus venandi & piscandi in aliorum terris, & stagnis, ex quo consequens est, quod etiam privatus homo idem non possit in proprio agro. Quamvis hinc probè distinguendum sit inter agrum munitum & communem; agrum cui hæc ratione damnatum infertur, & cui non infertur, ablatio-

Grotius à
seipso abia.

An subdi-
tus possit
venatio-
nem prohi-
bere in suo
agro.

lationem rei captæ, & quidem in pœnam
& compensationem aliquam aliam petitam.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Necessitas non aperit Jus ad res extraneas ex fundamento Communitatis primævæ.

AUthor hîc non dextro procedit pede. Nam (1) dicit in gravissima necessitate reviviscere jus illud pristinum rebus utendi tanquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii summa necessitas videatur excepta. Illustrat illud duobus exemplis altero petito ex navigatione, altero ex incendio. Verum supponit (1) reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansisset ali quâ ratione, cum tamē nulla fuerit cōmunitas & consequenter jus tale reviviscere nō possit (2) supponit legem dominii esse computandam inter legis humanas, cum sit juris divini, naturalis & moralis: qui enim cordi hominis inscripsit non esse furandum, ille eo ipso supposuit dominia distincta, & consequenter jus dominii fundavit. (3) Necessitas illa gravissima non propterea facit, ut dominia non sint distincta, non itaque eo usque operari potest, ut aliquis apprehendat rem alienam; Hinc non admittendum est pro-

NUR-

Necessitas non permittit res alterius occupare ex jure pristino status communis.

nunciatum Scholasticorum, in extrema necessitate constitutum posse accipere rem alienam, quæ extremè indiget aliquis ad vitæ suæ conservationem; nec posse à Dominio illius rei prohiberi, quia jure suo utatur, & quod plus est, probabile esse non solum in extrema sed etiam in gravi saltem Necessitate, morbi, famis, nuditatis, posse clanculum aliquem surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeat, juxta Angelum de Clavasio, Sylvestrum, Navarrum, Medicum, Covarruviam. Exempla autem non quadrant: tenetur enim in navigatione aliquis conferre in commune, si defecerint cibaria, non ex reviviscentia juris illius primævi communis, sed ex pacto societatis & charitate, ad quam obstringitur in tali casu necessitatis: nec exemplum quadrat de domo defendenda orto incendio; tum quia aliàs illud ædificium flamma correptum conflagraret; tum quia Magistratus autoritas hîc intervenire potest, aut ad minimum præsumitur voluntas ipsius; tum quia non hoc est ex reviviscentia juris alicujus super communitatem fundati, sed ex jure peculiari defensionis, quatenus ut me, ita mea quoque licite defendere possum in casu violentiæ externæ. (II) Dicit Author inter Theologos receptam esse sententiam in tali necessitate, si quis, quod ad vitam necessarium est, sumat aliunde, furtum non committere. Atqui hoc ipsum admitti nequit. Falsum autem est (1) hanc sententiam esse inter Theologos receptam; non enim inter Orthodoxos

An furtum
faciat, si
quis quod
ad vitam
necessarium
est, capiat
ex alieno.

Uu

unquam

unquàm recepta est hæc sententia, sed inter Pontificios, Thomam, quem allegat, Dominicum à Soto, quibus accensemus Maldonatum, Lessium & alios conscientiam laxantes. (2) Utique talis furtum committit. Si enim Lex de non furando, fundata in Dominiorum divisione, naturalis est & moralis, consequens est, ex quacunque intentione & in quemcunque finem aliquis aliquid subducatur, illum committere furtum. Aufert enim alienam rem invito Domino. (3) Si supponeremus cum Grotio res omnes primitus fuisse communes, divisionem autem bonorum ex solo gentium jure vel consensu pendere, nondum tamen consequens esset talem non peccare aut furtum committere, quia manet adhuc dum Lex & jus gentium in quo fundatur illa dominiorum distinctio. Non interveniente autem dispensatione, quæ in privati talis potestate non est, peccat quicumque legi seu juri etiam gentium contravenit. Aliud itaque est peccare & furari talem, aliud talem peccantem & furantem ex intentione necessitatis & appetitus veniæ dignum esse, prius respicit forum conscientiarum, posterius forum exterius, in quo utique mitius cum tali agi debet. III Rationem assignat suæ assertionis, & dicit: hujus definitionis non hæc est causa, quòd rei Dominus egenti dare teneatur ex charitatis regula, sed quòd res omnes in Dominos distinctæ cum benigna quadam receptione primitivi juris videantur, quod confirmat dictis Senecæ, Ciceronis &c. Verùm ponamus primam

Causæ Juris in res proprias factas expenduntur.

nam rationem non quadrare, altera tamen non melior est, quam Grotius ponit. Pari enim ratione possem colligere: subjectio subditorum alicui Regi cum benigna quadam ratione erit intelligenda, & habebit conditionem quandam tacitam, si sc. Rex debite imperet, non verò tyrannicè: subjecerunt enim sese subditi ea de causa ut communitas conservetur. (2) prima ratio sanè placuit quondam Basilio & aliis quibusdam: quanquam certū sit, aliud esse obligationem Domini ex regula charitatis, & aliud esse, si deficiat regula charitatis apud Dominum, in tali casu jus egentis; non si prius deficiat, propterea confestim jus habet egens auferendi quod ex charitatis regula ipsi deberetur, sed hoc jus habet, charitatem illam urgendi, postulandi, petendi, quod ipsum fateri cogitur Grotius in th. 7. (3) Quod de primis divisores dicit, id ipsum itidem non subsistit: tum quia supponit communitatem quandam fuisse, quod falsum; tum quia non furtum probassent primi divisores, sed ex necessitate præscripsissent, ut Dominus subveniret in tali casu egenti, & ita respondissent contra Dominum, non autem pro affectatione alienæ rei ex parte egentis. denique quod urget ex Seneca, Cicerone & Curtio, illud ipsam intelligendum est non de eo, quod necessitas facit justum, sed de eo quod facit veniam dignum in foro exteriori. Quanquam autem pro Grotio videatur militare inter alia vel maximè hoc, quod Prov. III. vs. 27. dicatur:

ne cohibeto bonum tuum à dominis ejus, sc.
 ab egentibus, tum quia eleemosyna apud He-
 bræos dicitur justitia, tum quia nos bonorum
 quæ à DEO accipimus non tam Domini su-
 mus quàm dispensatores: tamen non jus il-
 lud reviviscens propterea admittendum erit,
 & omnia hæc tantum concludunt. Posseri-
 gorem & avaritiam alicujus Dardanarii
 vel Euclionis castigari, (2) posse à pote-
 estate publica, si necessitas ferat summa, extra-
 ordinariè aliquam bonorum temporariam
 communionem introduci. (3) stante proprie-
 tate posse urgeri aliquè, ut distribuatur eleemo-
 synas, cum non tantum habeant rationè libe-
 ralitatis, sed etià aliquatenus justitiæ, quatenus
 quis debet hæc suo proximo in casu extremæ
 necessitatis. Longe autem aliud est quid in ta-
 li casu licitum sit Magistratui, quæ relatio bo-
 norum ad egenum, quantum ad rem ipsam,
 & quid liceat ipsi egenti ex reviviscencia cu-
 jusdam juris, in quo status controversiæ ver-
 titur.

Ad Th, XI.

OBSERVATIO.

Utilitati innoxia quædam inutilia
 & noxia veritati admiscet.

Commu-
 nio utilita-
 tis inno-
 xia solidis
 rationibus
 non asseri-
 tur.

Hic sgit de utilitate innoxia, & existimat
 illam locum habere, & quidem in socie-
 tate humana. Verum (1) illa communitio
 sive communicabilitas, quæ est utilitatis in-
 noxia,

noxia, non est ex reviviscentia juris communis, quale non datur, ut supra ostensum est, sed potius ex ipsa talium rerum conditione, quæ in plures usus sese diffundunt, & quidem citra detrimentum alterius. (2) non potest dici jus communionis reviviscere; illud enim reviviscit, quod per oppositum aliquod fuit obliteratum, e. g. in hoc casu per dominium & proprietatem. Atqui talium rerum, quæ Grotio dicuntur esse innoxia utilitatis communitas nunquam fuit mortificata & sepulta. Mansit enim illa communitas ex ipsa prima intentione Dei & natura illarum rerum. Non itaque potest reviviscentiæ adscribi. (3) Ipsa dicta ex Cicerone, Seneca & Plutarcho ita sunt comparata, ut non tam stabiliant jus reviviscentiæ, quam ipsam rem sc. communionem. Ut imprimis patet ex ultimo, quod legitur apud Plutarchum, & hoc ipsum etiam dispalescit ex th. seq. 12. ubi dicit flumen, quæ aqua perfluens vocatur, commune mansisse, nimirum ut bibi hauririq. possit.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Quæ de transitu per alias terras producantur & Exemplis ex Scriptura petitis confirmantur non tam firma sunt ut Author opinatur.

Disputat hic Author de terris & fluminibus, & asserit (1) si qua pars maris

Uu 3 in

in proprietatem alicujus populi venerit, patere debere his, qui transitu opus habent ad ad causas justas. (2) Exempla producit sacra & profana, præprimis ex Historia Mo-
 sis de Idumæo & Emoræo. tandem (3) con-
 cludit, si prius transitus postuletur & nege-
 tur, vindicari posse bello, quia jus meum
 metu tuo non tollatur. Ampliat deinde ad
 transitum quoque mercium. Verum (1) i-
 pla decisio non caret omni dubio; Nam si
 aliquis obtinet imperium maris secundum a-
 liquam sui partem, si in proprietatem venit,
 non videtur simpliciter posse affirmari, pa-
 tere hisce debere, qui transitu opus habent.
 Imperium enim & proprietatem arcere possunt
 aliquem alium ab ingressu illius, in quod est
 imperium. (2) Si tantum licet privato, ut
 prohibere, possit aliquem ab ingressu fundi
 sui, multò magis licebit Principi aut Rei-
 publicæ, utpote quæ majori jure gaudet. (3)
 Si possunt incommoda sequi quæ Rempubli-
 cam turbant, jure arcet Princeps ingredi co-
 nantes, puta si tales vel morbum aliquem
 inferant, vel vitiorum scabiem affricent, vel
 hostem aliquem pelliciant & deinde in so-
 lum illud attrahant; Nec ratio Grotii sub-
 juncta concludit, quia dominium introdu-
 ci potuerit cum receptione talis usus, qui
 profit transeuntibus, non noceat Domi-
 nis, hæc enim si multum concluderet, sal-
 tem hoc evinceret, posito, quòd nullum peri-
 culum Reipublicæ accrescat ex permissione
 istius transitus, tunc patere debere terram
 vel

Necessitas
 non largi-
 tur Ius
 transeundi
 terræ & ma-
 ribus quæ in
 proprietate
 alterius ve-
 niunt.

vel partem aquæ sub Dominio alterius. Verùm non solum hoc non facile præsumitur, sed si etiam quis certus sit, nihilominus ad huc dum obstant rationes ex natura Domini & comparatione cum bonis privatis petitiæ, & ita Carthaginienses olim Romanis terminum posuerunt, neque voluerunt amplissimè patere id, quod in eorum erat proprietate. Quod (2) concernit (1) Au-
 thor exempla confundit. Nam aliud est exemplum Mosis petentis ab Idumæo transitum, & aliud petentis transitum ab Emoræo. Prius exemplum non videtur quadrare: tum quia poterat postulare Moses transitum ab Idumæo, ex jure quodam proximiori, nempe fraternitatis, quia Esavus & Jacob capita Idumæorum & Israëlitarum fratres erant, quod etiam allegat in petitione sua Moses, cui Rationi addidit etiam alias quæ urgerent, ærumnas scilicet in Ægypto diuturnas, peregrinationem XL. annorum molestam in deserto, quæ compassionem etiam in saxo excitare potuissent, & quod maximum voluntatem divinam, cui submittere sese debeant Idumæi, obsequium exhibere, hanc enim Angeli increati ductu & admirandis operibus esse demonstratam, ut non possint nisi ut DEO acceptus populus haberi, cui promovendo ad præfixum Scopum debeant conferre conferenda fratres, præprimis si æquissimæ illæ transitus condiciones spectentur; tum quia non denegavit simpliciter transitum Rex Edom, sed concessit viam obliquam, & or-

Contraria
 opinionem
 exempla
 ex historia
 Mosis non
 roborant.

dinariam solùm atque publicam denegavit, ut constat ex Jud. XI. 18. & sunt Interpretes qui volunt primum per negasse, sed paulo post mentem in melius mutasse; tum quia bello non aggressus est Moses Idumæos, interveniente etiam ipsa prohibitione divina: & sanè non fuit metus periculi irrationabilis apud Idumæum, ut excluderet primum Israëlitas. Erat enim populus ingens, vagus & armis instructus. consulatur hîc Franciscus Pamgarola in Speculo bellico loco 22. Quod secundum exemplum concernit, illud ipsum non videtur quadrare, quanquam proximius scopum tangat: tum quia bellum adversus Emoræos non ideò fuit justum præcisè, quòd denegavit transitum, sed ideò quia aggressus erat Emoræus Sihon Israëlitas, excefferat è finibus suis cum exercitu, obviarat Israëlitis iisque injuriam intulerat, ut patet ex Judicium XI. 20. tum quia alia ratio hîc est privatorum hominum, alia totius exercitus; via publica ut quis privatus utatur nemo potest facillè prohibere, sed ut exercitus totus transeat, hoc ipsum quia cum periculo Reipublicæ conjunctum, non semper tutum & perinde non concedendum: adeoque non in hoc peccavit Sihon juxta quosdam, sed in altero supra notato: tum quia singularis hîc providentia divina intervenit ex qua etiam dicitur in duratus Emoræus, ex qua ad regulam aliquam ordinariam nulli consequentia. Quod III. concernit; non simpliciter admittendum, si postuletur.

Vtrum, si ad postulatum nem transitus accusetur,

stuletur prius transitus & negetur, vindicari posse, sed si negetur ex nulla ratione probabili & causa justa. (2) Utrique metus potest alterius alicujus jus sufflaminare. quis enim tantum juris habet, ut si metuam de securitate publica & sollicitus sim, me urgeat ut metum istum deponam. (3) Illa transmissionis ratio dicit aliquam servitutem quam debeo alteri, cur itaque in id quod liberati meæ inimicum est ita pronus esse debeo? Interim non negamus, posse quandoque transitum concedi, si omnia sese rectè habeant, hoc autem nimis rigidum, bellum posse propterea inferri, si transitus alicui de negetur.

vindicari
id manu
queat?

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Quæ de vectigalibus disputat ex Scriptura non simpliciter à nobis probari possunt.

Disputat hîc, an mercibus vectigalia imponi possint, si detur transitus ab eo, qui Imperium habet? & respondet, si onera nullum habeant respectum ad illas merces, nullum vectigal posse imponi; si verò habeant, & aut ad præstandam securitatem mercibus, aut inter cætera etiam ob hoc onera sustineantur ad ea compensanda, vectigal aliquod imponi mercibus posse, dummodo modus causæ non excedatur. Probare satagit hoc ipsum ex vectigali equorum &

Indagatur
mens Gro-
tiii.

Locus I.
Reg. X. pro-
bandz ve-
ctigalium
exactioni
non suffi-
cit;

Neti, quæ Isthmum Syriacum transibant, quod acceperit Rex Salomo, & allegat eum in finem locum I. Reg. X. 28. & XII. 14. Ut autem constet de hoc concisore dicto (1) mens Grotii erit investiganda, (2) ipse locus examinandus, & (3) quid Wigeliani sentiant addendum. Quod (I) concernit, verba allegata ita habent: *Educebantur equi Salomoni de Ægypto & de Coa: negotiatores enim emebant de Coa, & statuto precio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto 600 siclis argenti & equus 150 atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum & Syriæ equos venundabant.* Hic Grotius existimat, Salomonem equos & fila, qualia erant Coa Græcis & Latinis notissima, subiecisse vectigalibus & equos ex Ægypto venientes, cum transferint per Judæam in Syriam aut ad Hethæos, debuisse vectigal magnum pro transitu pendere Salomoni, sicut pro thuris transitu pendebatur vectigal, & sic etiam Reges Hethæorum & Syriæ. Verum quod (II) punctum est, nondum obtinuit Grotius, quod voluit hac allegatione. Nam (1) locus non est liquidus sed valdè obscurus, ut ita Grotius in suum sensum non potuerit illum allegare, nisi prius evincat ita hæc verba esse accipienda. (2) Probabilius est, hæc verba non ita esse accipienda de vectigali imposito, tum quia non probabile est Salomonem tam abjecto fuisse animo & sordido, ut tale negotiationis genus institueret, aut Ægyptiorum Regem tam facilem fuisse in isto monopolio

polio concedendo, ut magno se & suos quæ-
 situ privaret, & finitimorum Regum in se
 provocaret odium; neque alii Reges tam a-
 massent & observassent Salomonem, illum-
 que quotidie prosecuti essent muneribus, si
 vel vilis lucri captatorem vel tanti vectigalis
 impositorem agnovissent; tum, quia sensus
 hujus loci commodè potest ita haberi: Salo-
 monem ex Ægypto & Coa emisse sibi equos
 & Netum, ut sibi & Republicæ de re ad
 militares & plures alios usus necessaria pro-
 spiceret, adeoque indicatur saltem unde ha-
 buerit Salomon equos in tanto numero, cum
 pauci fuerint equi in terra Israelis, nempe
 habuisse ex Ægypto, & quia vicina illa Ju-
 dææ, potius inde deduxisse quàm ex Hispa-
 nia, aut aliis Regionibus transmarinis. ne-
 que quod dicitur de quadrigis & equis, quòd
 scil. penderint sexcentos siclos & centum
 quinquaginta necessario est intelligendum
 de vectigali imposito, sed de pretio quod pro
 singulis equis pendebat Salomon, & quod im-
 pendebatur in currum; quia quod de Regi-
 bus Hethæorum & Syriæ apponitur, illud ip-
 sum non intelligendum est de vectigali im-
 posito illis, qui transibant Judæam & defere-
 bant equos ad Reges Hethæorum & Syriæ,
 sed de venditione equorum quam institue-
 bant Reges Hethæorum & Syriæ similiter
 Ægyptiorum Regi, quod sc. eodem pretio
 vendiderint Equos Salomoni Syriæ & He-
 thæorum Reges, quod ipsum clarius proba-
 tur II. Paral. I. v. 17. ubi apertè dicitur simi-

Neque tributorum
Iustitiæ fa-
vet. Locus l.
Reg. XII.

liter de universis regnis Hethzorum, & à Regibus Syriæ emtio celebrabatur (3) Author vult obtinere ex hoc exemplo justitiam tributivæ & vectigalis, & allegat nihilominus ad hunc locum quoque locum ex l. Reg. XII. v. 14. ubi dicit Rechabeam: *Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego verò addam jugo vestro: Pater meus cecidit vos flagellis, ego verò vos cadam scorpionibus.* Ut autem non dicamus non posse probari à Grotio respici præcisè ad hoc vectigal in hisce verbis, cum maximè de tributis agat, quæ Civibus & incolis fuerant imposita non quadrat hic locus ipsius scopo, cum non justum vectigal in illo vel qualecunque tributum exprimat, sed potius dirum, excedens, injustum, quod scorpionum ictus retulit. Quod (III) concernit, Wigeliani planè negant justum esse accipere vectigal. Hoc quidem concedunt, subditum debere solvere vectigal & tributum, sed Magistratum non posse accipere. Proinde posito quòd de vectigali ageret hic locus improbarent hoc in Salomone, prout etiam objiciunt, Magistratum debere potius Davidem imitari, qui tanquam peregrinus in terra non acceperit tributum aut vectigal. Verùm (1) aliud ostendit Christus Matth. XXII. v. 21. & Paulus Rom. XIII. v. 6. & 7. (2) quàmvis David se agnoverit peregrinum in hac terra, ut tamen huic qualitati vel statui non obfuit possessio fundorum, ita nec acceptio tributivæ Regii vel vectigalis, nec minus indiget alimoniam peregrinus, quàm qui est domi. (3) quàm-

Wigelianorum error proponitur.

Et sepudiamur.

quàmvis non constet, quòd David transeuntibus imposuerit vectigal aut mercibus trans-euntium, ex analogia tamen jus imponendi colligitur. Si enim publicas debuit facere impensas pacis & belli tempore, si dignitatem debuit tueri Regiam, nec tamen tam lautum habuit patrimonium à Parentibus ut sufficeret, sanè à subditis debuit accipere tributum hunc in finem, & si ab illis accepit & accipere potuit, cur non etiam à transeuntibus & mercibus eorum si præstitit securitatem, si propter illas onera sustinuit?

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO.

Non simpliciter admittitur Assertio de expulsorum habitatione perpetua.

Author hîc disputat de externis qui sedibus suis expulsi receptum quærunt, an illis perpetua habitatio concedenda sit? & affirmat, prout affirmavit de prætervehentibus aut prætereuntibus transitoriam in thesi antecedente. Cæterum (1) num etiam prætervehenti vel prætereunti concedi debeat mora in litore vel solo à populo occupato, videtur disceptari posse, posito quod ad tempus tantùm petatur: tum quia si accessus potest prohiberi ad littus, multo magis mora in litore; tum quia potest fieri ut talis

Exulibus sede sua pulsus habitatio nõ deneganda sub certa condicione.

talis qui appellit periculum aliquod creet illis, à quibus littus est occupatum; tum quia aliqua qualitas potest existere, quæ faciat ut prudenter inhabitans littus istiusmodi hospitem adventantem arceat. Interim tamen si adveniat jactatus mari & pulsus ad has oras, si indigeat mora aliqua ad reparationem navis aut valetudinis restitutionem, si forte fortuna eo sit delatus, non videtur ipsi denegari posse hoc officium humanitatis, ut etiam tugurium momentaneum ponat in littore, nec si morari aliquantisper tantum desideret, de quo in thesi præcedente, deneganda illi erit hæc Benevolentia. Laudantur Barbari in Insula Melita quòd receperint uvidos, ignem accenderint & cætera præstiterint, quæ naufragis conducebant Actor. XXVIII. v. 1. & seq. moti, ut loquitur Chrysostomus, Calamitate. (2) quod dicit de perpetua habitatione id ipsum difficilius est; tû quia adpellere potest ingens aliqua multitudo, cui sedes perpetuas concedere conjunctum esse potest cum ipsorum incolarum excidio & oppressione; tum quia appellere possunt ratione qualitatis dissentientes in Religione, tales autem recipere nunquam debemus in Rempublicam, quemadmodum nunquam pestem aliquam quis domui suæ vult inferre aut admittere ubi prohiberi potest; tum quia possent tales peregrini esse vitiis quibusdam vel naturalibus vel moralibus infecti, ex quo periculum Reipublicæ & felicitati illius imminet. Sin verò nulla causa sit rationabilis denegandæ perpetuæ sedis, & im-

An concedenda sit iis qui sedibus suis expelluntur habitatio perpetua?

imperium subeant, nec non alia quæ ad vetandas seditiones sunt necessaria, non videtur denegari posse perpetua habitatio, nisi alia obstant. (3) Quod Grotius dicit barbarorum esse hospites pellere, hoc ipsum non absolutè est accipiendum, nam etiam prudentum est pellere hospites, ne sc. Erenaceus receptus noceat pristinis incolis.

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO.

Quæ de parte territorii deserta pronunciat limitatè quoque sunt accipienda.

Author hîc de parte territorii deserta differit & putat, id advenis postulanti-
 bus quoque concedendum, ratione adjunctâ
 quia occupatum censei non debeat quod non
 excolitur. Verùm si priores ipsius positiones
 non sunt absolutè sed saltem cum limitatio-
 ne veræ, multo minus hæc assertio simp-
 pliciter erit admittenda. (2) sterile aut de-
 sertum solum, si planè sit sterile & nec spe-
 rari possit aliqua subactio sterilitatis, etiam
 non expugnari poterit à talibus advenis; imò
 si recipiantur intra illud solum sterile,
 illudque sit intra viscera alicujus Regni, po-
 test hostis hac ratione adductus esse in Re-
 gni exitium. Si verò solum illud non sit
 absolutè sterile, cedit ejus usus incolis, ne-
 que jus aliquod habet adveniens hospes in
 tale solum sive sit absolutè sive sit compara-
 tè ste-

Quomodo
 Territoriū
 desertum
 alienari
 queat?

tè sterile. (3) Ratio adjecta non est firma, quasi occupatum censeretur non debeat, quod non excolatur: potest enim aliquod Solum non coli vel ex defectu hominum, vel ex prælatione partis melioris, vel ex infortunio belli aut calamitatum, nec tamen propterea censendum erit non occupatum, quia non excolitur.

Ad Th. XXI. & seqq.

OBSERVATIO I.

De Libertate contrahendi Matrimonia apud vicinas gentes laxior est Grotius cæteris.

POSTquam Author in th. 18. de jure ad actus, quos vita humana desiderat, egit, atque in th. 19. de jure ad emenda naturalia, in th. autem XX. disparitatem quoad venditionem declaravit, de jure quærendorum matrimoniorum disputat, nec non de jure externorum, quantum ad venationem, piscationem &c. & dicit hæc negari non posse uni populo, nisi delictum præcesserit confirmatque illud ex Jud. XX. Verum (1) quod concernit libertatem matrimonia ambiendi & contrahendi, jusque peregrinorum, non subscribendum esse existimamus Grotio: partim quia ita libertas Parentum nimium restringeretur, & jus quod habent superiores in suos, in discrimen adduceretur; partim,

An Necessitas
tas us faciat
at contra
hendi Ma-
trimonia
cum exte-
ria?

rim quia ex parte peregrinorum qualitas aliqua potest ob stare, quo minus ipsis subveniatur, nempe vel diversitas religionis, vel morum inæqualitas, vel alia quæ attendentur in connubiis: partim quia si privatus non potest urgeri, ut huic vel illi tradat filiam suam, multo minus Respublica poterit premi aut censenda est obligata ad extraditionem feminarum, & dispensationem erga illos, de quorum vita ante acta, ingenio & moribus non constat. Ut ut itaque habeant Viri tales facultatem comparandi ugores, non tamen determinatè habent respectualis vel talis Reipublicæ,

Ad Th. XXII.

OBSERVATIO II.

Disputatio ex Francisco Victoriâ
mota cautè est tractanda.

TAngit Author disputationem illam quæ est inter Franciscum Victoriâ part. 2. relectionam de Indis insularis & Ludovic. Molinam, quorum prior statuit jure gentium fas esse cuique peregrinari in alienas provincias & ibi degere, sine aliquo incolarum detrimento, ita jus cuique esse eò navibus appellendi, utendi portibus & fluminibus, quia hæc omnia sunt omnibus communia, fas esse præterea cuique negotiari in alienis provinciis importando merces, quibus ibi carent, & exportando aurum & argentum.

Xx

mer-

mercesque alias quibus illi abundant, imò si aliis peregrinis aut hospitibus aliqua liceant in ea provincia, ut effodere aurum vel argentum ex communi agro, vel extrahere de fluminibus aut piscari margaritas in mari, non prohiberi posse iis qui de novo eò accesserint, ne id similiter faciant; & hoc esse de jure gentium ut si barbari novi orbis quicquam eorum Hispanis eò accedentibus prohibuissent, inde Hispani justam belli causam adversus illos haberent. Hic autem oppositum statuit, & quamvis Grotius se arbitrum interponat, & distinctione velit expedire negotium, prævalent tamen rationes Molinæ. Nam (1) quamvis lex charitatis id videatur postulare, ut unusquisque etiam invito Domino ea re utatur, quâ extremè indiget, quod supra tamen excussum, nihilominus cum post rerum & provinciarum divisionem, non minus propria sint Reipublicæ, quæ ab ea possidentur in commune, & quorum dominium tota Respublica habet, quàm sunt uniuscujusque de Republica, quæ ab eò tanquam propria possidentur, sive ut quivis privatus interdicerè licitè potest iis omnibus rebus, ne aliquis alius illis utatur, & potest respuere commercium cum aliis, sic etiam Respublica aut Rex licitè poterit prohibere omnibus extraneis, ne rebus propriis Reipublicæ, quæ communes sunt civibus utantur. (2) licitè poterit nullum cum extraneis velle habere commercium, neque injuriam iisdem faciet propterea, ut bellum possit

Licitè interdicitur extraneis quibus communitè cives utuntur.

possit moveri, idque idè, quia si extranei sint potentes, timere juste poterit, ne successive Cives subjiciant sibi, incommodum aliquid ex commercio eorum & habitatione experiatur, & proinde prudenter præcudere occasiones omnes, sibi que consulere, ne quicquam tale contingat, ea quæ propria sunt illis denegando. (3) posito quod provincia quædam usum suarum rerum communicet quibusdam extraneis, non consequens est etiam debere hoc aliis: ratio est, quia hac propensione & beneficentia non sibi propterea adiicit libertatem, quo minus similem usum aliis peregrinis denegare possit, cum integrum cuique sit concedere cui libuerit rerum suarum usum, & eo aliis interdiceret. Et sanè Portus, flumina, fodinæ auri & argenti, margaritæ ad eorum dominium pertinent, quorum est provincia. Sicut autem in tantum subscribimus Molinæ, ita non possumus simpliciter probare, quod annectit de Gentilibus, sc. posse concionatores ad quoscunque infideles mitti, ut Ic. Evangelium prædicent, cum Christiani jus habeant denunciandi illud ubique terrarum, adeoque non quidem ut Evangelium suscipiant, sed ne impedimento sint annunciantibus, & illud non prohibeant, posse jure defendi. Nam (1) falsum est Christianos habere jus annunciandi & prædicandi Evangelium pro omni tempore, sufficit jus illud obtinuisse in quibusdam, quodam tempore, certis quibusdam periodis, in Adamo, No-

An quibus-
cunq; ter-
ritoriis im-
mitti pos-
sint Con-
cionatores
ut prædi-
cent in illis
Evangelium

acho, & tempore Apostolorum. (2) Si jura Majestatis sunt penes tales Reges barbaros & gentiles, etiam habebunt potestatem disponendi de sacris, & consequenter arcendi & impediendi illos & eorum prædicationem, qui ex Christianis eo mittuntur: quanquam enim malè agant, non tamen hîc quæritur, quid rectè vel malè agatur, sed ad quid teneatur tanquam ad effectum aliquem juris, ille extraneus Christianus, nempe arcendi & impediendi debet cedere. (3) falsum est quoque quod dicit invitis infidelibus posse Christianos cum navibus eo fine accedere, & tamdiu in portibus & terris eorum commorari, eaque ratione commercium aliquod vel ipsis invitis cum iisdem exercere, quamdiu & quando necessarium erit, ut hæc tuto fiant (prædicatio nempe verbi &c.) non enim invitis Evangelium est obrudendum, neque religio cogi potest, neq; margaritæ sunt poris projiciendæ ex testimonio ipsius Christi. Matthæi 7.

Ad Th. XXII.

OBSERVATIO III.

Delictum illud à quibusdam Benjaminitis commissum non debuit operari denegationem Connubii in totâ aliquâ tribu.

Allegat Author exemplum Benjaminitarum ex Jud. XX. ut confirmet communionem

nionem vel uxorum vel etiam aliarum rerum posse negari populo cuidam, si delictum quoddam præcesserit, quia hoc ipsum factum fuerit à tribubus filiorum Israel in Mizpa, qui ex scelere concluderint, nullum daturum esse filiis Benjamin de filiabus suis uxorem, & juramento hoc ipsum confirmarunt. An autem hoc exemplum in confirmationem adduci possit, merito ex sententia Tostati disputatur: tum quia illa resolutio & juramentum confirmans fuit de re illicita: contra charitatem enim fuit velle quantum in se procurare extinctionem alicujus tribus, cum DEI voluntas fuerit ut illæ perennarent; tum quia negarunt illis uxores ex aliis tribubus, posito quod omnes de Benjamin mulieres periissent, at hoc ipsum erat manifesto scortationis periculo exponere superstites Benjaminitas, vel urgere ut contra legem facerent ducendo gentiles & alienigenas uxores, ex quo & idololatriæ periculum sequebatur; tum quia deprehenderunt ipso eventu temerariam fuisse hanc resolutionem & juramentum, v. enim 6. dicitur: *Ducti poenitentia Israel super fratre suo Benjamin, coeperunt dicere ablatæ est tribus una de Israel, unde uxores accipient, omnes enim in commune juravimus, non duros nos hisce filias nostras.* Quapropter hoc exemplum non quadrat intento Grotii: partim ex causis dictis juxta Tostatium Abulensem; partim, quia hoc non pendeat ex jure gentium, neque potest ostendere, quid gens alteri debeat vel non

An Benjaminitarum scelus reliquis Israeliticis tribubus matrimonio prohibendi jus dederit?

debeat in casu delicti præcedentis, cum ætior fuerit unio tribuum inter se, quæ unam Rempublicam constituebant, quàm gentium.

CAPUT III.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Imperii Objectum sunt personæ, Dominii verò Res.

Imperii ac
Dominii
distinctio
proponitur
& explica-
tur.

Hic Author differit de imperio & dominio, atque imperii objectum constituit personas & locum, distinguit autem à Dominio, quàmvis plerunquè uno actu quæri soleant. Commodè autem dominium atque imperium ita distinguntur, ut in locum sive territorium potius sit dominium quàm imperium; adeoque distinguntur dominium & imperium (1) objectivè, quia imperium pro objecto habet aliquod ens rationale, personam subjectam, capacem obligationis ad obsequium; tale quid autem non est locus vel territorium. cum itaq; dominium, ut communiter definitur vel potius describitur, sit potestas de re corporali disponenda, potius sub dominio erit territorium, quàm sub Imperio. (2) distinguntur formaliter, quia qui subijcitur imperio ille mandata imperantis intelligit & sese illis conformat, in dominio autem hoc non contingit. Cum itaque locus sive territorium non capiat mandantis imperata, propriè

priè non potest dici territorium esse sub imperio, sed potius sub dominio. Unde etiam moralium Doctores Obedientiam, quæ correlatû Imperii volunt dici quasi audientiam. quod vox & præceptum Superioris audiatur & admittatur. Græcè ὑπακοή dicunt, quasi subauditionem. Tandem (3) distinguuntur consecutivè ratione ordinis: cum dominium in aliquod territorium præsupponat imperium & censeatur esse consequens imperii. Qui enim potestatem habet in caput & vitam alicujus, ille etiam potestatem domini habere demum intelligitur in bona illius, adeoque in res privatas & publicas. derivant verò Jus sive potestatem imperandi Doctores primo ex ratione Causæ & effectus, cum Causa naturaliter potestatem habeat in Effectum, qua ratione DEUS potest imperare omni Creaturæ rationali; Secundò ex ratione totius & partis cum pars naturaliter subsit toti, quomodo Respublica auctoritatem habet in singula membra, & tertio ex ratione agentis & patientis vel instrumenti; agentis enim est movere patiens & causæ principalis suum Instrumentû: Sic Marito competit potestas in Uxorem Domino in servum. nolumus tamen negare Vocabula Imperii & Domini promiscuè ab Authoribus usurpari, & Imperium etiam extendi ad alia quæ propriè exaudire nequeunt, Dominium verò quoque ad illa, quæ aliàs strictè loquendo subsunt imperio unde ipse Author secundo Imperium dixit esse loci.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Dominium quoque Infanti & furioso competit, licet actus secundus aliquatenus cohibeat ur.

Dicit Author si jus solùm naturale spectatetur dominium non dari nisi in eo qui ratione utitur, jus autem gentium ob utilitatē communem introduxiffe, ut & infantes & furiosi dominia recipere & retinere possint. (2) Dominium illud quod favore infantium & his similibus consensu gentium introductum, sive quod juris gentiū stare intra actum primū, nec ad secundum posse pertingere, quia alienatio & similia in infantibus & furiosis talibus existere non possint. (3) Allegat locū Apostoli ex Epistola ad Galatas. Supponit verò Auth. noster dominium infantium & furiosorum niti tantū jure gentiū, nā posito dari dominiū in actu primo, quod Grotius quidē transcribit infantibus & furiosis, sanè concedendum erit dominiū taliū niti ipso jure naturæ, quia illud etiam est juris naturæ quod alicui competit positis ponendis, remotis removendis, quantum ad exercitium, usum & actum secundum citra alium aliunde accedentem. titulum. Sic c. g. juris naturalis est justè & honestè vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere, ut in infantibus & furiosis non sese exerat, nisi remoto impedimento: sufficit enim hīc actus primus, neque suspensio actus secundi per aliquod tempus propterea facit, ut non sit

Dominium
furiosis etiam
& infantibus
competit.

fit juris naturæ. (2) quod alterum spectat, pro Grotio quidem militat Scholasticorum turba distinguendum inter dominium in actu primo & actu secundo, & quidem videtur pro illis stare, quod manendo intra rigorem juris naturalis, non appareat, quomodo ille, qui nunquam habuit rationis usum possit habere proprium & verum dominium circa bona fortunæ: cum non videatur illud ipsum posse acquiri sine acceptatione & actu aliquo voluntatis; neque enim sufficit, si aliquis mihi det librum, ut ego sim Dominus libri, nisi etiam acceptem. (2) quia ipse Grotius urget hoc, infantes & furiosos non posse ab alienare sua. (3) furiosus æquiparatur bruto, prout de Nabuchodonosore constat ex Daniele, ubi autem deficiunt ea quæ hominis sunt propria, ibi dominium quoque cessare colligitur. Verum nec rationes Scholasticorum, nec Grotii concludunt. Non (1) quia potest absque acceptatione aliquis esse Dominus, & ei obtingere dominium aliquarum rerum, cum jure ipso transferatur dominium legati vel hæreditatis in ignorantem, & nondum acceptantem, lege ita statuente. (2) alienatio non est ipsa forma dominii & essentia, sed effectus, non autem est consequens effectus quidam dominii non locum habet in infante vel furioso, E. ipsum dominium cessat in ipso. Sanè si alienatio essentiam dominii ingrederetur vel tam necessaria esset ad dominium, posset ipsi Deo dominium creaturarum forsan disputari, qui nihil à se alienare potest, nec abdicare à se do-

Num in infantibus aut mente captis tantum actu primus dominii sit admitte-
ndus?

Ostenditur
Actum se-
cundum
dominii
dari in in-
fantibus &
furiosis.

Inuclea-
sur Gal. IV.
2.

miniū alicujus creaturæ, esset enim hoc contra providentiā, contra concursum, contra dignitatē causæ primæ. (3) Furiosus æquiparatur bestię non simpliciter & absolutè, aliàs deberet carere anima rationali, atque inter irrationalia animalia computari, quod absurdum, nec Nabuchodonosor caruit dominio, ut in superioribus ostensum est. Quapropter potius oppositum colligimus, etiam actum secundum dominiū, si ita liceat loqui, esse penes infantes & furiosos: tum quia penes Regiam infantem, vel furiosum Regem est dominium in territorium, E. etiam penes privatum dominium in sua; tum quia si dominium dicit facultatem quandam, vel jus aliquod vel proprietatem in re aliqua corporali, sanè cui competit proprietates rei corporalis, ei etiam competet dominium in illam rem; tum quia pari ratione posset colligi, quia non perfectè disponere potest de suis, lecto affixus, ebrius, qui bruto similis, etiam ebrius, & morbo detentus non erunt Domini suarum rerum. (3) Quod locum concernit Apostoli non ille pro Grotio, sed pro nobis militat: tum quia apertè dicitur *quanto tempore heres parvulus est nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium.* agnoscit itaque Apostolus talem esse Dominum; tum quia quando dicit à servo nihil differre: non hoc absolutè intelligendum quantum ad effectum actus secundi usus & exercitii, sed tantum secundum quid, quatenus potestatem non habet agendi coram iudice, aut pro arbitratu suo de

bonis

bonis disponendi, sed tenetur in iudicio & dispensatione tutoris vel actoris sui pro illo tempore acquiescere, manet tamen Dominus ratione actus primi & secundi; num enim actus secundus domini est penes tutorem? absit; cum aliud sit dominium in actu secundo, aliud modus exercendi illud dominium, qui est per vicariam operam alicujus tutoris; tum quia ipse Ludovicus Molina cum ceteris dominium vult fundari in sola potentia quanquam falsò, quæ licet in pueris vel furiosis ligata, verè tamen in iis, prout homo dum dormit, licet non possit liberè operari, nihilominus habet dominium suarum rerum, quia retinet potentia. Ut verò de natura Domini mentem nostram exponamus, plenius notamus primò, absurdissimos fuisse ex Veteribus illos, qui Dominium posuerunt in re, quæ est sub Domino. quis enim non primo conceptu abhorreat ab hac sententiâ, & intelligat esse aliquam potius habitudinem ad rem illam, quam ipsam in naturâ suâ? quis Dominium Equi dicat ipsum Equum? Secundò à vero quoque aberrasse, qui Dominium cum jure in re confuderunt, quasi æquè latè paterent; cum hoc quidem concedatur Dominium esse jus in re, reciprocari autem hæc invicem nunquam admitti possit, cum etiam qui usum rei habeat jus habeat in re, nec tamen Dominium. tertio communiter definiri ex Bartolo, quod sit jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur, quæ tamen non

In Re non
residet Do-
minium.

Definitio
Domini
ex Bartolo.

Non solum
procuratur
dominium
&c. Jus in

probatur quibusdam, aliis pro jure loco generis posito facultatem ponentibus, aliis Obje-ctum rem scil. corporalem ex nimia arcta-tione accusantibus, cum etiam rerum incor-poralium tum juridicè tum physicè talium detur Dominium, quod tamen Bartolus qua-si Dominium sive diminutè tale appellavit; aliis denique scrupulum circa postrema ver-ba moventibus. Quapropter melius videtur definiri posse, quod sit jus disponendi de re aliqua tanquã suã. Nos existimamus, si Domi-nium consideretur pressius non esse forma-liter jus disponendi, sed potius dicere ali-quam habitudinem ad rem tanquam pro-priam & subjectam. liquere id potest ex na-tura hujus termini, qui essentialiter dicit ha-bitudinem quandã inter illum, qui est Do-minus alicujus rei & rem ipsam: unde etiam à Philosophis citrà controversiam Domini-um relatio dicitur: secundò, si comparemus Dominium cum aliis consimilibus idem de-prehendemus: Paternitas e.g. dicit quandã habitudinem generantis ad genitum forma-liter. Maritus essentialiter relationem ad cor-relatum uxorem scil. suam, qui itaque Do-minium non illam quoque dicat habitudi-nem vel ad rem nostram nobis subjectam, vel si velimus terminum ampliare etiam ad personam subditam. Ipsa Scriptura ubi Do-minii fit mentio explicat illam à correlato Subjectione scil. vel re subjecta. Tertio per-currantur omnes species vel Analogata Do-minii. Dominium physicum & morale, quod

Rectius do-minium per habitu-dinem de-finiri pata-tur.

qui-

quidam statuunt Dominium jurisdictionis & proprietatis, Dominium directum & utile in singulis emicabit illa habitudo tanquam id, quod ipsam essentiam in luce ponit, quorum tamen postremum controversum. quapropter jus disponendi de re aliquâ tanquam sua consequi videtur Dominium intimè illi adherere, & ex eo efflorescere, cum ideo facultatem vel jus habent disponendi hic vel ille de hac vel illa re, quia est Dominus illius, quod Dominium fundat hoc jus, hanc facultatem disponendi de re omni modo vel distrahendo vel consumendo, vel reservando, prius res aliqua debet esse mea, dein de illa demû possum disponere, pro arbitrio uti, ni aliquid aliud interveniat, quanquam hos actus ex suppositione habilis Objecti velimus intellectos, posito quod sit Objectum alienabile vel consumptibile &c. Si itaque à priori consideretur Dominium, dicit illam habitudinem ad rem aliquam tanquam meam & subjctâ, si verò à posteriori & in usu suo, tunc tale jus & facultatē disponendi dicit, quo respicientes quamplurimi Bartolum sunt secuti Filliucius, Laymannus, Sayrus, Sylvester, Valentia. Malletus Escobar & alii, quos numerus defendit & junctæ Umbone Phalanges. Neque reprehendimus posteriorem illam descriptionem, quia dilucidius exhibet illa, quæ in Dominio apparent, etsi prior profundius naturam Domini ex pendat & examinet. Addere juvat in confirmationem sententiarum, quæ occurrunt apud Eboensis Academiæ

An Domi-
nium for-
maliter &
essentiali-
ter sit Jus ?

miæ primarium Theologiæ Professore pag.
m. 35. disp. 3. tract. 2. de cujus consensu mihi
gratulor, scribentem: *Dubium est hoc loco, an
dominium formaliter & essentialiter sit jus, ita
ut jus sit genus comparatione dominii; an verò
relatio dominii sit quippiam antecedens facul-
tatem, jure perfecte disponendi de re, cujus su-
mus domini quasi dominij definitio descriptiva
sit, tradita per effectum proprium dominii. Et
quamvis metaphysica hac non multum ad rem
moralem conferat, communiterq; dici consueve-
rit, jus esse verum genus dominii: contrarium
mihi videtur verius. Primo, quoniam rectè di-
cimus, quia Petrus est dominus hujus rei, ha-
bet facultatem perfecte de illa disponendi: è
contrario verò non rectè dicimus, quia ha-
bet facultatem perfecte disponendi de hac re,
est dominus illius, sicut etiam non rectè di-
cimus, quia habet facultatem ridendi est ho-
mo: ergò facultas seu jus perfecte disponendi
est effectus dominij non secus ac facultas riden-
di est effectus hominis. Secundo, quoniam esse
suum seu proprium alicujus, videtur corre-
lativum domini: dominus enim est, qui ha-
bet aliquid suum simpliciter: quod si id sit a-
lius homo, appellatur servus, qui relative di-
citur ad servi dominum; suum autem sim-
pliciter sive id sit alius homo, sive quacun-
que alia res, est correlativum adequatum do-
mini in commune: cum ergò esse suum, quod
correlativum est domini, & objectum juris,
facultatisve ad utendum re, sive sua ea sit,
sive aliena (quod correlativum est juris) sint
longe*

longe diversa, efficitur, ut jus & dominium non sint idem formaliter, sed relatio juris relationem dominii ea ratione consequatur, quod idcirco unusquisq; facultatem habeat non solum utendi, sed etiam disponendi perfecte de re aliqua, quod illa sit sua, ipseq; dominus sit illius. Tertio, potest quis conferre procuratori suo, aut amico in bonum amici jus, tum ad utendum re sua, omnibus modis, quibus ipse uti potest, tum etiam ad illam alienandum, & consumendum, retento sibi dominio, interim dum rem non consumit aut alienat: ergo jus ad utendum re aliqua, & ad illam alienandum, & consumendum, distinctum quid est à dominio, quod in eo precise est positum, quod res sit sua simpliciter. Confirmatur: quoniam jus ad utendum re aliqua, & jus ad eam alienandum sunt jura distincta, potestque unus & idem habere multa jura circa unam & eandem rem pro diversitate objectorum, ad quae sunt ea jura: sed ratio dominii circa unam rem est unica & simplicissima: ergo ratio juris ad perfecte utendum, & disponendum de re aliqua diversa est à ratione dominii. Quarto eo ipso quod res aliqua simpliciter est alicujus, illeq; proinde est dominus illius, ex natura rei habet hic plenum & integrum jus circa illam, nisi forte res illa devincta ad eum accederet jure aliquo in re, juxta ea quae disputatione precedente dicta sunt: sed (ut ex emphyteutico contractu est manifestum) potest is abdicare à se totum jus ea utendi, & fruendi, eamq; administrandi, & conferre il-

lud

ad alteri retenta proprietate, hoc est, retinendo rem illam esse suam simpliciter, ut antea eras, quod juris interpretes appellant dominium directum: ergo dominium & jura ad utendum & disponendum de re, qua sublati impedimenti ex natura rei dominium consequuntur, distincta inter se sunt.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Ex eo quod terras populus occupavit etiam vicinum mare occupatum colligi potest.

IN hac thesi dicit Author, si quibus in locis
 * Ius illud gentium receptum non esset aut sublatum, tamen ex eo solo, quod terras populus occupavit, mare occupatum colligi non posse, nec animi actum sufficere, sed actu externo esse opus, unde occupatio possit intelligi. Sed & hoc non videtur esse ex veritate, quia ipsa accessio maris ad terram & fundum facit, ut mare pertineat ad fundum, & proinde non opus est actu externo peculiari ad occupationem accessorii: quæ enim adjacent, præsumuntur ipsa primarii occupatione esse occupata; tum, quia etiam ipsi Moralistæ existimant dominum vicinæ continentis, habere quoque maris alluentis Imperium, & de hoc saltem disceptatur inter illos, ad quam distantiam habeat maris alluentis dominium; tum quia, quemadmodum ex occupatio

Occupata
 terram occupa-
 tum etiam allu-
 ens mare
 intelligi-
 tur.

patione terræ sanctæ etiam præsumtio fuit pro occupata aliqua parte maris mediterraneis; prout huc respiciunt benedictiones, licet peculiaris actus occupatorius non accesserit, ita in genere videtur sese res habere. Occupare autem posse partem etiam Oceani Dominum terræ, quam ille attingit, tum historia docet Minois, Rhodiorum, Cypriorum, Tyrriorum, Romanorum, præprimis verò Ebræorum Gen. 49. v. 13. tum ipsa quoque maris conditio. videantur Polybius & Plutarchus in vitâ Cimonis sed de hoc supra.

CAPUT IV.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Usucapio non est Juris naturalis.

Author hîc agit de jure usucapiendi, quod legi civili tribuit Vasquius, quem castigat Author, dicendo, sequi maximum incommodum, ut controversiæ de regnis, & regnorum finibus nullo unquam tempore extinguantur. Verùm, si jus usucapionis ex eo censendum est juris naturalis, & non tantum civilis, vix videtur illud subsistere: tum quia non est consequens sublato jure usucapionis lites in infinitum extenduntur, E. jus illud est fundatum in ipso dictamine juris naturalis. non enim ex fine tantum potest colligi aliquid esse juris naturæ, sed vel maximè ex

Usucapionem Ius Naturale non fundat.

Yy

forma,

forma, neque id quod bonum finem habet vel malum præscindit, confestim censendum est juris naturalis esse: multa constituuntur in aliquâ civitate, quæ finem bonum habent præfixum, quis tamen illa dixerit esse Juris naturalis strictè sic dicti, utut illa suggerat sana ratio? tum, quia adhucdum dubium est, num, si jus usucapionis cesset, lites in infinitum extendantur, cum sublato illo alia remedia possint fatigari, ne scil. lites in infinitum protrahantur; tum, quia hoc ipsum per accidens sese habere videtur, quod lites in infinitum extendantur præciso jure usucapionis. Et num non leges quæ denegant actiones in foro exteriori decepto intra dimidium justî precii in rei venditione non propterea conferunt in conscientiæ foro Jus & Dominium, quæ æquè ut illæ de præscriptione ex fine minuendarum litium sunt positæ. (2) Concesso quod aliqua causa sit & ratio, cur si non ad jus naturæ revocemus usucapionem, tamen ad jus gentium, illa quam ponit Grotius, non erit una & sola. Sed præter præcisionem litium, etiam ea de causa invaluit usucapio, ne semper Dominia rerum ferè essent incerta, & tandem ne possessores prope immortalî timore tenerentur. Quamvis etiam præter utilitatem illam publicam justitia usucapionis videatur peti posse tum ex consensu domini, tum ex natura bonorum terrenorum, quæ nolunt negligi, & neglecta censentur transire ad alium, qui curam gerit; tum denique ex ratione possessionis conti-

nuatæ,

Quibus rationibus
queat ad
Gentium
Ius referre
usucapio.

uatæ, quæ hîc supponitur. Definitur au-
 tem Usucapio adjectio Domini per conti-
 nuationem possessionis tempore & modo le-
 gibus definito, cujus objectum omnia bona
 exceptis iis, quæ contrario jure sunt munita.
 distinguitur à quibusdam à præscriptione,
 quod illa sit mobilium, hæc verò immobili-
 um, sed citra fundamentum in Jure, ut docet
 Covarruvias. Omnes autem fines quorum
 intuitu præscriptio & usucapio sunt introdu-
 ctæ non sine specie impugnantur. primus, ne
 dominia rerum sint incerta ex eo, quia etiam
 post elapsum tempus præfinitum haberi po-
 test certitudo dominiorum; secundus ut lites
 terminentur, ex eo, quia minus malum est
 esse lites, quam proprium Dominum spolia-
 ri suo dominio; tertius ut puniatur negligenti-
 a Domini à procurandis & repetendis bo-
 nis suis ex eo, quia non tantâ pœnâ debet
 negligentia illa affici & quandoque citra ne-
 gligentiam Domini in repetendis & procu-
 randis propriis bonis tale quid contingit,
 imò militaret hæc ratio etiam in possessore
 malæ fidei. (3) Abutitur Grotius hac ipsâ
 materia de usucapione & præscriptione in
 tractatu de Anti Christo, ubi ex eo quod
 dominia semper essent incerta nisi hoc reme-
 dium locum haberet, probat Papam revera
 Romæ Regem esse à tempore longissimo,
 qualem possessionem convellere sit omnia
 Imperia turbare; quamvis nihil concludat
 propter defectum bonæ fidei; pessimis enim
 artibus in Principum jura involavit Papa,

Usucapio-
 nis definitio.

Usucapio-
 nis & præ-
 scriptionis
 fines con-
 velluntur.

Usucapio
 regnū Pa-
 pro - Ro-
 manum nõ
 tuctur.

prout latè diducit Mornæus hoc ipsum in My-
 sterio iniquitatis, εὐδὲν ὑγιὲς verò esse in toto
 discursu Grotii liquet, si attendamus ad per-
 sonam, quæ Papa; ille autem Episcopus est
 non Rex, persona ecclesiastica non politica,
 cui interdictum κατὰ κυριότητα sive dominari
 Luc 22, si respiciamus naturam præscriptio-
 nis, quæ requirit titulum, bonam fidem quâ
 quis saltem ab initio existimat rem ad se per-
 tinere, & tandem possessionem certo tempo-
 re à jure determinato continuatam, nec in-
 17 **terruptam**: at omnia hîc deficiunt; nullus hic
 titulus, non bona fides ab initio, nec possio
 quieti, toties ab Imperatoribus interpellata.
 si denique attendamus Originem Juris hu-
 jus, quod longè altioris est ordinis juxta
 Pontificios, quam ut in usucapionis vel præ-
 scriptionis titulo subsistat. Putamus itaque
 usucapionem & præscriptionem, quorum pri-
 mum dicit acquisitionem domini per con-
 tinuationem temporis, posterius autem exce-
 ptionem peremptoriam ex tempore legibus
 definito substantiam capiens, quodque est
 quasi fructus ipsius usucapionis, juxta
 quosdam; quanquam promiscuè ab aliis
 usurpentur, in foro externo maximè lo-
 cum habere ad lites sopiendas & salubre
 esse remedium, à Jure civili con-
 stitutum.

Ad

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Discursus Jephthæ non sufficienter stabilit usucapionem inter diversos populos.

Author hinc adducit pro jure usucapionis exemplum & discursum Jephthæ, qui allegavit hoc ipsum adversus Regem Ammonitarum ex Jud. XI. Verum an hoc exemplum faciat pro usucapione vel præscriptione meritò dubitatur. Nam (1) Jephtha potuit rationes adhibere quascunque & probabiles miscere urgentibus & peremptoriis. cujus indici- Contentio Jephthæ cū Rege Ammonitarū usucapionem inter diversos populos nō stabilit. um habetur versiculo decimo tertio; ubi Jephthes negat causam belli ab Ammonitico Rege esse veram ex eo, quia Israelitæ ex Ægypto venientes nihil Moabitis vel Ammonitis eripuerint, cum tunc temporis id quod nunc possideant, fuerit Sihonis, atque ita jam mutarit dominium, transieritque in altera jura: quæ sanè responsio Regi Ammonitarum data elidi potuisset, si dictum fuisset non habuisse quidem illo tempore Ammonitas & Moabitas illam terram de facto; jus tamen retinuisse Sihone paulò ante per injuriam illam eripiente vetustioribus & veris possessoribus adeoque Israelitas non plus juris habuisse in illam, quam Sihonem. (2) Principalis ipsius ratio fuit petita à titulo, quòd sc. DEUS ipse terrarum & regnorum

omnium Dominus terras Amozorum, quas Judæis Rex Ammonitarum volebat eripere, dono dederit: Supposita autem tali transcriptione à summo rerum domino, non mera usucapio locum habet, quod Argumentum confirmat dein disputando ad hominem (3) potuit tum temporis juxta Testatum Abulensem præscriptio per longum tempus etiam cum mala fide jure aliquarum gentium valuisse, & rem tamdiu possessam confirmasse possidenti, quod consequenter urserit Jephtha contra Regem Ammonitarum. Verùm concedamus Grotio, peculiarem esse rationem & causam, quam Jephtha ducat à trecentis annis jam effluxis, nondum tamen usucapionis jus ex illo erit evictum: partim, quia longum illud silentium potuit allegari non tam in confirmationem usucapionis, quam in defectum omnis juris: Qui enim nullum jus habet in aliquam rem, ille nec movet nec movere debet controversiam de illa; partim, quia hæc ratio ex possessione per trecentos annos allegata fuit non pro usucapione stabilitâ tempore, sed contra irrationabilem refrigerationem odii post tot annos, quod scilicet rectæ rationi non sit consonum odium inter mortuum per tot annos revocare, & per bellum indictum resuscitare, amore proximi contrarium imperante.

Ad

Ad Th. V.

OBSERVATIO I.

Silentium quandoque indicium
est Consensus.

In hac th. disputat Author de non factis
consideratis cum debitis circumstantiis, &
assertit sub factis moraliter fingi. Allegat
exemplum ex lege Hebræa Num. XXX. 5.
& 12. atque concludit, si silentium interve-
niat, consensum ex illo esse colligendum;
Ubi (1) observandum, quis sit sensus legis
Hebrææ, quæ ita se habet: *mulier si vove-
rit in ætate puellari, quæ est in domo Patris,
si cognoverit Pater & tacuerit voti rea h. e.
illud implere tenetur.* Silentium enim Pa-
tris habetur pro consensu. Verùm regu-
la illa, qui tacet videtur consentire, maxi-
mè locum habet tunc, cum agitur de præjudi-
cio ejus & imminutione juris, à quo consensus
petitur, hic nisi expressè dissentiat, con-
sensus præsumitur. Solet enim in talibus, qui
præjudicium patitur, requisitus illico aperte
dissentire & repugnare, cum non consentit.
Unde observat Cajetanus dici notanter tum
ebraicè tum Chaldaicè *tacuerit illi*, adeoq; non
notari silentium simplex sed silentium illi, ut
intelligatur, quod non de silentio Patris quo-
cunque sed de silentio Patris requisiti à puellâ
de facultate exequendi votum loquatur, hoc e-
nim silentiû est virtualis consensus, etiâ in fore

Dilueida-
tur Locus
Num. XXX.

Silentium
quando
consensum
probet?

Consensus
non quali-
tercunque
indicans
vim habet
transferen-
di Juris.

conscientiæ nec malè hic Cornelius à Lapide scribit: Nota primò: Si taceret pater, hoc ipso votum filia confirmabatur: quia consentire videtur is, qui tacet in eo, quo præjudicatur, vel subtrahitur aliquid suo juri & potestati; uti faciebat hîc puella, quæ per votum hoc patriæ potestate & libertate ex parte se subtraherat; silentium tamen hoc patris, non tam ex lege nature, quàm ex hac lege DE I positiva, votum filia confirmabat, uti plenius dicam v. ult. Nota Secundò. Votum, in quod semel tacitè consenserat pater, absolutè fiebat ratum; unde non licebat patri illud postea irritare: si tamen puella quæ voverat, postea nuberet, licebat marito statim post contractum matrimonium, votum ejus irritare, aequè ac si votum factum fuisset in matrimonio: alioqui enim marito, etiam invito & ignoranti, per hæc vota præcedentia, gravia onera potuissent injici, quæ ipse amplecti & subire non tenebatur. (2) Quando Author dicit, qui sciens & præsens tacet consentire videtur, nondum consensus ex tali silentio infallibiliter colligitur; consensus enim plus dicit quàm repugnantiam dissensus: est enim positivum quid, hinc silentium ut sic non est indicium consentientis, sed inter consensum. & dissensum hærentis, remorantis judiciumque suum suspendentis. Silens enim neque negat neque affirmat ut talis, & consequenter neque consentit neque dissentit. (3) consensus itaque ex silentio colligitur accessu aliorum indiciorum & qualitate materiæ sub consensum cadentis, pro-

ut

ut hoc ipsum supra explicatum est in lege
illa ex Num. XXX. petita.

Ad Th. V.

OBSERVATIO II.

Non amissum simpliciter censetur,
quod in Mare projectum.

IN eadem th. Author dicit amissum cen-
seri id cujus recuperandi spes projicitur,
& illustrat exemplo porcorum à lupo raptorum,
& eorum, quæ naufragio amittimus.
Verùm quamvis spes recuperandi deficiat, pe-
nes aliquem, non tamen potest concludi a-
missum censeri illud ipsum, cum possit cum spe
projecta adhuc subsistere animus illi rei per
dominium inhærendi vel vindicandi. Spes
enim pro objecto habet arduum quiddam &
potest ex illa qualitate objecti concidere; a-
nimus autem dominandi rei, quæ fuit sub do-
minio nostro, non tam facile censendus
est defuisse, utut spes nutet vel collapsa fue-
rit. (2) quod concernit ipsas res in mare pro-
jectas, non ille actus dominii amissionem de-
signat, neque eam qui projicit in mare
merces vult amittere dominium propterea,
non enim hîc libertas est, quæ si adesset re-
tineret, sed hoc intendit, ut periculum im-
minens avertatur. (3) quod exemplum con-
cernit porcorum à lupo raptorum, non ex
eo censetur id amissum quod recuperandi
spes projecta sit, sed ex eo quia talis non

An quod in
mare pro-
jectum est
puteatur a-
missum?

videtur posse animum domini retinere ob-
jecto penitus destructo.

Ad Th. Y.

OBSERVATIO. III.

Consuetudo à populo introduci
potest.

An vim le-
gis obtine-
at consue-
tudo?

Rationes
negantes.

Author in hac thesi disputat de consue-
tutine & asserit, quod illa consimili-
ter à populo subdito introduci possit ex eo,
quod ab imperium habente toleratur; secun-
dò tempus quo effectum juris accipiat non
esse definitum, sed arbitrarium, & allegat
etiam Thomam pro se in margine. Verùm
videntur (1) secundum discursum Thomæ
argumenta quædam concludere, quod con-
suetudo non possit obtinere vim legis, tum
quia lex humana derivatur à Lege divina &
naturæ, consuetudo autem non potest mu-
tare vel legem naturæ vel etiam legem divi-
nam: tum quia ex multis malis non potest
fieri bonum, qui autem primò contra legem
agit, malè agit, ergò multiplicatis similibus
actibus tanquam malis non efficietur aliquid
boni, & consequenter non habebit ratio-
nem legis, quia Lex dicit bonum quid, re-
gulam actuum humanorum, non itaque
per consuetudinem potest removeri lex, ut
illa vim legis obtineat; tum quia ferre leges
pertinet ad publicas personas, ad quas per-
tinet regere communitatem, ut ergò priva-

tæ personæ legem facere non possunt, sic consuetudo, quæ invalescit per actus privatorum, ex eadē causa vim legis habere nequit. **Quam** autem hæc militare videantur contra assertum Grotii, nihilominus responderi potest; ad (1) argumentum quidem illud non concludere: tum quia hoc saltem obtinetur contra legem divinam & naturalem non posse introduci consuetudinem, & illas LL. de rebus quæ vel ex illa, vel ex hac directè fluunt: cum autem dentur LL. de rebus mediis, leges non tam tendentes ad conformitatem cum lege divina aut naturali, vel ab illa procedentes, quàm à Principis auctoritate & voluntate, sicut verbo potest fieri mutatio circa illas, ita quoq; facto, ut tamen propterea Legi divinæ & naturali nihil decedat. Ad (2) R. itidem non concludere, quia LL. humanæ in quibusdam casibus deficiunt, hinc possibile quandoque præter legem agere, ut tamen non peccetur, sc. in eo casu, quo deficit lex, nec tamen actus ille erit malus: si itaque tales actus multiplicentur propter aliquam mutationem hominum per consuetudinem manifestatur, quod Lex ulterius non sit utilis, quemadmodum si ipso verbo promulgaretur lex contraria priori: manente autem adhuc eadem ratione, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem fecit. Ad (3) respondetur: multitudinem in qua consuetudo introducitur duplicis esse conditionis, aut enim est libera multitudo, & sic consensus

Enervatus
 Prima.

Secunda.

Tertia.

totius multitudinis prævalet ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, auctoritati Principis sc. illius, qui saltem splendorem non autem Majestatem habet; aut multitudo non habet liberam potestatem condendi vel removendi legem, & ita nihilominus prævalet consuetudo in tali multitudine, obtinetque vim legis, in quantum toleratur ab illis, ad quos pertinet multitudini legem imponere; hoc enim ipso videtur Princeps approbare quod consuetudo introduxit, prout Grotius quoque hoc ipsum hinc probè observat. (2) Quod de tolerantia Grotius dicit, id ipsum ita sese habet, ut non sit qualiscunque tolerantia, sed talis, quæ consensum aliquem Principis dicat: ratio est, quia non minorem potestatem requirit consuetudo, ut vim legis habeat, quàm ipsa lex: Lex autem requirit consensum Principis. Ergò. Interim tamen triplex notatur esse consensus. Primus dicitur personalis & expressus, quo expressè Princeps consentit ad introducendam consuetudinem, aut illam approbat. Secundus est tacitus, & hic contingit, quando Princeps scit & dissimulat consuetudinem sive non contradicit, dum commodè potest. Tertius dicitur legalis sive juridicus, & hic datur per legem, sive jus, quatenus Princeps statuit aut scit talem consuetudinem, conditiones suas habentem, à jure approbari, & ita dicitur consentire juridicè sive aliqua ratione tacitè in consuetudinem affectam suis conditionibus. Primus

Tolerantia
Consuetudinis nihil
confert ad
vim legis.

Consensus
triplex D.
Sindrio.

consensus non requiritur, sed sufficit saltem juridicus & tacitus, observante Vasquezio, Rebello, Covarruvia, Azorio & ceteris. (3) Quod concernit tempus, Grotius dicit non esse definitum; Verum quamvis sufficiat ut consuetudo sit longæva, tamen spatium X. annorum in jure censetur esse longævum & sufficere ad abrogandas LL. civiles. Nam de Canonicis LL. non ita sentiunt Pontificii, sed requirunt spatium XL. annorum, ut constat ex Reginaldo, Rebello, & Salasare Disp. 19. sect. 4. num. 42. quamvis Lessius, & Azorius putent sufficere quoque decennium in Lege Canonica; Et quod ipsam longævitatem actuumque multipliciter concernit, Azorius eousque progressus est ut statuerit unum actum continuum sufficere ad introducendam consuetudinem, quando unus actus vicem gerit plurium. Verum hæc sententia non potest subsistere, non solum quia omnes fere LL. sic facillimè abrogantur, verum etiam quia ad introducendam consuetudinem e. g. festivè agendi talem diem tot actus videntur necessarii, quot sunt anni necessarii ad introducendam consuetudinem.

Ad

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Quæ Grotius proponit in Solutione Objectionis motæ non possunt simpliciter admitti.

Hic Author movet objectionem, & Respondet (1) bene sperandum de hominibus, quod nolint rei caducæ causa hominem alterum in perpetuo peccato versari. (2) de imperiis etiam præsumendum esse, quia sint onerosa, non tam facile captari illa, quod illustrat exemplo Tutorum. Denique in notis adducit Jonathanem Saulis filium, & asserit illum fuisse istius animi. Verum quod cernit primam rationem, & responsionem, non illa subsistit: tum quia ut Grotius dicit bene sperandum de hominibus, & non propterea putandum, eos esse hoc animo, ut rei caducæ causa hominem alterum velint in perpetuo peccato versari, ita ex opposito dici potest, potius ex amore rerum, opum, fundorum, qui quasi nobis naturalis est, præprimis post lapsum, præsumendum esse homines eo esse animo, ut nolint sua in alterius potestate relinquere, & jacturam pati, tum quia aut de bonæ fidei possessore loquitur Author, aut de malæ fidei possessore. Si primum censeretur talis esse absque peccato, & consequenter dominus talem possessorem non potest velle esse in perpetuo peccato; quia si juxta quosdam non est

Quod de aliis Author bene sperare jubet contraria præsumptione refellitur.

est in peccato, revera non velle potest illum esse in peccato rei, quam alter possidet, dominus. Si verò de malæ fidei possessore sit fermo, tunc utut aliquis Dominus taceat, non tamen hoc ipso ille desinit esse in peccato, sed manet in perpetuo, quemadmodum fur, nec conscientia talis unquam tranquillatur, nisi interveniat actus positivus, per quem dominiū transferatur ad talem malæ fidei possessorem, tum quia etiam de jure divino non tenetur quis rem suam, utut caducam velle habere pro derelicta, nulla enim obligatio est ad istiusmodi jacturam, & si alter persistit in peccato, suo vitio persistit. Secundario de imperiis non concludit: tum quia quàmvis imperia sint onera, tamen etiam sunt axiomata, & sicut ex mole negotiorum participant de labore, ita ex authoritate multum de splendore, quem ipsa Scriptura tribuit imperantibus, Deos & clypeos terræ tales vocando; tum quia inveniuntur, qui cum Jafone esurire malunt, quàm non imperare, cumque homo sit animal excellentissimum, valdè post lapsum superbum, naturali quodam appetitu ad summa fertur, & etiam ad illa, quæ ardua sunt, si cum splendore conjuncta sunt, rapitur; tum quia simile de tutoribus valde est dissimile, in tutela enim labor susceptus non cedit in usum tutoris, sed pupilli; at in Regnis sive imperiis præter utilitatem publicam, utilitas quoque accedit imperantibus, & quod maximū est Splendor; & quomodo hæc ratio concludet in imperiis despoticis, *πυμ- βασι-*

Impero-
rum Ho-
nos.

Jonathan
Regni o-
pus non
subterfu-
git.

Βασιλεία vel Dominatu. Quod (3) con-
cernit; Exemplum Jonathanis in comòdè ad-
ducitur: tum quia Jonathan ita arguitur cu-
jusdam negligentia, quã sitam projecti fuerit
animi, ut scepro renunciarit oneris annexi in-
tuitu; tum quia Scriptura disertè contrarium
testatur, ideo habuisse quasi pro derelicto reg-
num Israelis, quia DEUS trantulerit hoc axio-
ma in Davidem, cui voluntati divinæ non re-
sistendum, ut patet ex I. Sam. XX. vs. 15. &
XXIII. vs. 17. aperte enim dixit: *Tu regna-
bis super Israel & ego ero tibi secundus;*
noverat oraculum Samuelis; videbat omnia
feliciter succedere Davidi & quod maximum
animadvertibat DEUM oculo vigili & Affe-
ctu singulari esse intentum in Davidem; tum
quia ipse Hieronymus, in cap. I. Sam. XX.
dicit Jonathanem Davidi regnum vaticinatum
fuisse, atque ita *ἡ δὲ φωνή: sit Dominus te-
cum, sicut fuit cum Patre meo i. e. sublime faciat
at regnū tuū, sicut sublime facit Patris mei &c.*

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Populus mutans Voluntatem non
jus quæsitum nascituris tollere po-
test.

Hic Author cespitat, quando statuit si po-
pulus à cujus voluntate jus regnandi pro-
ficiscitur voluntatem mutet, iis qui nondum
nati sunt, ut quibus jus quæsitum nondum est,
nullam

nullam facere injuriam. Hæc periculosè dicuntur, & supponitur nondum natis non posse fieri injuriam: quamvis enim non entis nullæ sint affectiones, ipsis tamen nascituris potest etiam fieri aliqua injuria: longe enim alia ratio est accidentium physicorum & moralium; tum quia supponit Author in voluntate populi esse fixum jus regnandi, & ab illo proficisci; & propterea si immutet voluntatem, etiam posse mutari imperium, nam si ponamus imperiû alicui accrevisse jure belli, quomodo potest dici populi placitum quia quæ differit de origine juris regnandi planè sint verò dissimilia & Scripturæ, stante enim ipsius hypothese, in tali etiam regno, quod non invitis acquiritur, nihilominus non potest subsistere ipsius sententia, de voluntate populi, nisi grandia velimus admittere absurda; partim quia populus nunquam confert in Principem jus regnandi vel Majestatem, quam non habet, sed eligit saltem aliquem, aliud autem est modus, ex quo fit applicatio & aliud causa Majestatis, quæ non est nisi solus DEUS: partim quia hæc sententia debet necessario supponere Majestatem aliquam realè in populo antea hærentem; partim quia si moriatur Rex & eligatur novus, tunc Majestas non redit ad populum ex Rege demortuo, sed ad DEUM, qui dedit illam; in populo autem reviviscit tantùm potestas denuo eligendi aliquem, quæ electio dicit productionem alicujus subjecti idonei, cui ipse DEUS confert Majestatem immediatè.

Nondum natis fieri posse injuriam.

Non deferretur Imperium populi consensu.

11

11

11

CAPUT V.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Quanquam controversiæ obnoxium sit num Generatio sit Basis acquisitionis Grotius tamen non videtur abluere à recta ratione.

Num Generatio pariat ius in Liberos?

Argumenta negativa.

Argumenta approbantia.

Hic Author de jure in personas differit, & primum modum acquisitionis ponit generationem; verum dubium est quod Author ponit. Nam (1) si generatio esset causa juris & fundamentum in natos, sequeretur quoque Bruta generando acquirere jus, e. g. canem in catulos, quod absurdum. (2) Si generatio est actus animæ vegetantis, consequens erit, non posse ipsam fundare imperium, quod est in solo λογικῶν. (3) Si generatio esset causa, tum majus jus haberet mater in natum, quam Pater, plus enim confert mater, quemadmodum tellus plus confert fructui quam cultor terræ. hinc etiam Hobbesius imperium in liberos tribuit Matri originaliter, Viro saltem derivativè, sicque caderet, quod subjungit Author si contendant inter se imperia, præferri Patris ob sexus præstantiam. E contrario autem videntur militare pro Grotio quoque argumenta. Nam (1) si ideo Deus jus & imperium habet in hominem, quia creavit sive produxit ipsum, etiam ex causa productio-

ductionis, & generationis jus erit Patri in filium. (2) Si artifex in imaginem à se fabricatam habet dominium ex fabricatione, itidem videtur habiturum hominem parentem in filium. (3) si causa naturaliter habet potestatem in Effectum, consequens etiam est, quia Pater causa est generando, posse ipsum venerationis imperare filio, adeoque sententiam Grotii subsistere. Viderunt forsan quidam hasce difficultates, quapropter ad alia sese receperunt, & putarunt ideò esse Patri & Matri jus in natos, quia sint pars familiæ & ipsorum parentum. Alii autem hoc ipsum derivarunt ex imperio mariti in uxorem, quia enim partus ventrem sequitur, & imperium marito est in uxorem, consequens erit per & propter illud imperium in uxorem consequenter filios esse obnoxios. Verùm ut etiam nostram addamus sententiam, existimamus. (1) argumenta quæ proposita sunt ex utraque parte esse solubilia. Nam ad (1) primæ sententiæ respondetur generationem esse fundamentum juris, cæteris paribus, positis ponendis, omne jus autem & imperium præsupponit rationem, quæ in brutis deficit. (2) quamvis generatio sit actus animæ vegetativæ, accedentibus tamen aliis potest fundare jus aliquod, & quidem juxta ductum rectæ rationis magis est consonum, ut à quo vitam post DEUM accipi, quod sit generatione, eidem supposito, quod sit rationalis, teneat ad obsequium & reverentiam? Ad (3) respondetur generationem posse dupliciter

Conficiuntur argumenta partis negativæ.

Destruuntur argumenta patris affirmantis.

considerari aut in se aut cum connexis: Juxta prius non potest dici quod Matri plus tribuendum sit in generatione quàm Patri. Stant enim pro unica aliqua persona, in & sub ordine divino nunquàm divisim considerandi. Posteriori autem modo mater plus confert gerendo, alendo, fovendo conceptum usque ad tēpus partus & in sequentibus. Alterius partus argumenta quoque non videntur satis solida: tum quia DEO etiam juxta quosdam, si homo non esset creatus, sed ut quidam volunt ex materia emerisset, nihilominus subiectus esset ob majestatem naturæ & essentialitatis, quam DEUS habet, illumque transcendit; tum quia creatio longe plus dicit quàm generatio, est enim actio infinitæ potentis & ex pure nihilo; tum quia actio creatoria semper connexa est cum conservatione, quæ est perpetua quædam & continuata Creatio; Pater autem postquàm genuit relinquit matri foetū fovendum & alendum, imò quandoque ipsum omni Curâ destituit. Ad (2) respondetur non concludere, tum quia homo generans & artifex non habent sese pariter; tum quia artifex non nisi formam aliquam accidentalem communicat; tum quia non habet etiam vi fabricationis semper potestatem in imaginem à se fabricatam, si scilicet illam fabricet jussu & sumptibus alterius, & materiâ à Principali subministrata. (3) quoque argumentum non colligit: falsum enim est omnem causam habere potestatem naturaliter in effectum suum, & si intelligatur

tur potestas talis, quæ juri æquivalet, absurdè hoc ipsum dicitur à Lessio, quia hac ratione nō habet potestatem in effectum nisi causa aliqua rationalis. Quapropter nos existimamus ita esse sentiendum nempe fundamentum dari juris Parentum in liberos vel primarium vel secundarium. Primarium est mandatum divinum, authoritas & potestas à DEO ipsis Parentibus divinitus collata & quasi impressa, utpote, qui ut Magistratus in publico, sic in privato & domo sua referunt ipsum DEUM, qui jus & potestatem habet in suas Creaturas. Ut ergo Pater Patriæ in se jus habet ideo, quia est DEI Vicarius in his terris, penes quem est omnium creaturarum summa potestas, ita Pater in domo sua jus & imperium habet ideo, quia est vicarius DEI ejusque loco præest, quod manifestat & jus divinum & jus naturale dicitans Parentes esse honorandos, ubi in Hebræo quidem est vox *Cabed*, quæ notat magni æstimare, quemadmodum metallis ex pondere pretium est, ut ex pondere istius vicariatus obligatos nos intelligamus esse parentibus. Secundarium autem fundamentum juris acquirendi & continuandi in liberos dicimus esse, primum quidem generationem, tum etiam educationē, & cætera officia, quod ipsum satis indicat Syracides c. VII. v. 29. Tobias c. III. v. 3. & 4. Notatu dignus maxime vero loco pro nostra sententiā, Syracidis capite III. v. 3. *Deus honoravit patrem in filiis & Judicium Matris exquirens firmavit in filios; in quæ*

Epicrisi
cum Distin
ctione.

verba non male non nemo pag. 43. Recentiores omnes interpretes *Jans. Palac. Sa*, quibus ego subscribo, & rem latius evolvo, sic exponunt: *DEUS* gloriam magnam Patri contulit, dum illum quasi suum in terris vicarium constituens dedit illi auctoritatem & naturale imperium in filios, quod per *Mosen* promulgavit scriptum in confinio duarum tabularum ut *Philo* in vita *Mosis*, vel à tergo prima tabula, ut volunt quidam *Rabbini*. Similiter dum exactè vult servari à filiis decretum & iudicium maternum, hoc ipso matris auctoritatem in filios firmavit, & ratam fecit, consentiunt *Dion*, & *Hugo*, nisi quod ajunt *DEUM* firmasse sententiam parentum in filios, dum illos dicto ipsorum audientes multis & amplis premiis remunerat, & contra preceptorum maternorum transgressores pro merito plectitur: & rectè quidem: siquidem supplicia & premia vel maximè leges firmant & sanciant. Deinde *Deus* honorem suam vicem parentibus impensum sibi attribuit, ut eorundem contemptum. Ipse enim est à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Unde *Valerius Maximus* l. 1. *Iustissime*, ait, pari quadam vindicta parentum ac Deorum Violatio expianda est. Et *Nazian.* in lib. sent.

Ille *DEUM* facile abjurabit, qui
parentem suum ne-
gat.

Ad

Ad Th, V.

OBSERVATIO.

Non est ἐξαγώνιον posse patrem Filium vel Filiam vendere.

IN hac thesi Author disputat num Pater possit filium oppignorare, & si necesse sit etiam vendere? & affirmat, ex jure gentium quædam adducens & ex jure naturæ hoc ipsum concessum esse asserens, putatque etiam inter Hebræos obtinuisse. Verùm hîc argumenta quædam occurrunt in contrarium. Nam (1) si parentes non habent potestatem occidendi liberos, etiam non habebant potestatem vendendi: ratio est, quia libertas quæ venditione tollitur, est quasi vita & servitus morti æquiparatur; si itaque unum non potest tollere nempe vitam naturalem Pater, etiam non potest alterum, nempe vitam civilem sive libertatem. (2) Si Parentes liberis debent alimenta jure naturæ, sequitur non posse vendere liberos, nam alienando liberos suos, aliorum alimoniz relinquunt, & ipsis id quod jure naturæ debitum est subtrahunt, cumque naturæ intentio sit, ut Parentes etiam educatione sibi similes reddant liberos, contra intentionem naturæ agunt, peregrinæ potestati illos submitiendo. (3) si homo liber tantum est propter DEUM, propter ipsum autem ceteræ creaturæ, & excepto DEO propter seipsum, nulla erit liberi hominis

An Parentes liberos possint vendere?

Rationum adversantium, Prima.

Secunda.

Tertia.

Emascula-
tur prima.

Secunda.

Tertia.

æstimatione, nullum pretium, & consequenter vendi non poterit à Parentibus. Verum ut hæc argumenta sint speciosa, non tamen recedimus à Grotii sententia quoad ipsum punctum principale. Nam primum argumentum non concludit, quia falsum est libertatem & vitam pari passu ambulare: Dominus habet potestatem, in servum, nec tamen potestatem in vitam, & potest sane aliquis statum servitutis subire, qui tamen non potest sibi metipsum vitam eripere. Secundum argumentum non concludit, quia Parentes utique jure naturæ debent liberis alimenta, si scilicet illis sint alimenta, deficientibus autem ipsis alimentis, cur non liceat hoc ipsum Parentibus, ut aliis submittant? Tertio, quàmvis, de quo tamen disputari potest liberum corpus non recipiat æstimationem, tamen labores alicujus & operæ, quas exhibet, rationem æstimationis subire possunt. Si itaque filius tenetur Patrem alere in casu necessitatis summæ & inopiæ, cur non patri liceret filium vendere, ut ex laboribus filii Domino suo impensis vel ex pretio venditionis vivat Pater, quàmvis melius sit abstinere ab illa Venditione non tantum quia videtur adversari Affectui naturali parentis in Sobolem & non *soeriv* sapere paternam, sed neglectum corvinum, verum etiam, quia si ratio militaret Lessii, quod proles sit pars vel fructus parētis, semper obnoxia esset venditioni, unde etiam jure Attico prohibitum erat vendere Filium & quamvis jure Romano fuerit concessum, tamen & postea fuit hæc

hæc Libertas restricta suis conditionibus tandemque Constantinus Magnus rectè illam sustulit. (II.) quod concernit exemplum Hebræorum, hoc non est tam liquidum ut Grotius existimat, nam apud Hebræos obtinuit quidem ab alienatio filiorum, verùm hoc non potest hîc adduci: tum quia fuit juris municipalis, forsan, non nisi permissivi, quod disposuit supposito casu venditionis recte & justo nec nè non explicato vel determinato, at si ponamus hoc ipsum, ad jus naturæ vel gentium non dextrè colligitur: tum quia non fuit tam venditio, quàm locatio, nam post septennium manebant liberi; tum quia ut aliâs peculiaris multa in hoc populo, ita & illud quoque censendum erit, neque potest demonstrari legem Thebanam à Phœnicibus ac porrò ab Hebræis venisse, adde quod Lex illa Exodi 21. vs. 7. agat non de Venditione Filix simpliciter ad famulatum domesticum, sed de illa, quæ est ad Concubinatum, ita ut Emptor desponsarit sibi vel filio illam in Uxorem secundariam, cum notante Fugio eâ Conditione fuerint venditæ, ut Emptores vel sibi copularent vel Filiorum alicui darent, adeoque onerosa, ut occurreretur Emptioni, & sufflaminaretur Venditio. (III.) causæ quoque sunt ponderandæ & modus in tali venditione, causæ autem tres enumerantur à Moralistis, (1) si filius à Patre vendatur ob nimiam egestatem, (2) pro solvendis debitis, cui fini allegant legem Hebræorum Lev. XXV. de qua tamen jam diximus. (3) pro tuenda

Hebræi paternum Insuperium nō transtulerunt.

Ab alienationis Liberos causa.

vita, vel etiam alio redimendo, ut de S. Paulino constat, ita Garzias, Molina, Azorius, Carolus Malletus & alii. Ut autem venditio sit justa præter causas justificantes requiritur, ut venditio non sit absoluta, sed cum pacto, ut quotiescunque emtori justum pretium offeratur pro filio vel filia, vel æqualis alius servus, is cui facta fuit venditio, teneatur illum restituere. Quamvis talis venditio inter Christianos non sit usu recepta, cum Parentibus in extrema necessitate positus filius aliis modis possit succurrere, corpus sc. suum locando mercede. Si tamen homo liber potest se ipsum vendere, cum sit Dominus libertatis suæ, sicut famæ & pecuniæ juxta Moralistas, poterit quoque se libertate abdicare, & si hoc, illa quæ de libertate differuntur, non poterunt obstare juri five potestati parentum, quantum ad hoc punctum.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Potestas patria ad jus necis sese non extendit.

An Jus necis competat Patriæ Potestati.

Probat. F. ex Scripturæ Dicto.

Hic Author agit de potestate Patriæ, num sese extendat eousque etiam ut liceat Patri necare filium, & videtur contra Grotium militare (I) Scriptura: nam Lev. XXVII. 28. aperte dicitur: *omne quod Domino consecratur five homo fuerit five animal & q. sanctum erit Dominio, & omnis consecratio que offertur*

offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur. Si itaque licuit parentibus Domino consecrare filios, sequitur etiam licuisse ipsis occidere, quia ita potuerunt devovere ad occisionem, & consequenter habuerunt jus vitæ atque necis etiam Hebræi jure divino. Confirmat hoc ipsum ante legem latam exemplum Abrahami, qui filium suum voluit occidere Gen. XXII. 9. & seqq. quod exemplum valde urget Petrus ~~Ærodius~~ *Quæsit* Antegavensis in Dissert. sua de Patria potestate ad filium, quem Jesuitæ ipsi subdlexerunt in Hispaniam, & ejusdem quoque sententiæ est Simon Episcopus Arminianorum primipilus in institutionibus lib. 2. c. 8. Nam, inquit *Ærodius*, jussissetne DEUS aut fecisset Pater aut tolerassent proximi alienive, quod nullo casu, nullo tempore, nullo jure licuisset Patri? Addunt exemplum Jephthæ filiam suam ex hoc ipso jure immolantis post legem; accidit Exemplum Christi quem Pater in Mortem tradidit. Bodinus etiam urget locum Deut. XXI. 20. (II.) probant esse juris naturalis, partim quia recta ratio dicat, id quod maximè conducit ad filios in officio continendos, & ad bonum familiæ procurandum esse juris naturalis, partim quod tantus sit amor Parentum in filios ut non credibile sit parentes quicquàm tentaturos esse quod modum excedat, crudelitati affine, (III.) juris quoque gentium esse evincunt, quia hoc ipsum penes Romanos fuerit in usu, Le-

Ab exemplis Abrahami.

Jephthæ, & Christi.

II. Confirmatur ex jure naturali.

III. Ex Jure Gentium.

ge Curiata à Romulo lata, quæ in Leges. XII. Tabb. fuit transfumta, penes Gallos teste Jul. Cæsar. lib. 6. belli Gall. & alios. Verùm quicquid sit de statu, ubi non vigent judicia publica, stantibus judiciis publicis non potest hoc jus tribui parentibus, neque obstant objecta. non (1) tum quia locus ille accipi potest de Bestia, ut sensus sit secundum aliquos omnis Bestia quæ devovetur non ex hominibus, sed ab hominibus, non redimetur, & si de homine de eo qui publicè condemnatus à Judice, ut scilicet non parcatur illi acceptâ pecunia, vel si privato hîc quid tribuere velis de morte non naturali sed civili, quatenus qui DEO devovetur moritur negotiis secularibus, & deputatur cultui divino, prout Samuel DEO ita consecratus fuit; tum quia hac ratione non solum Parentibus, sed etiam Heris fuisset jus vitæ & necis in servos, nam etiam servi vel maximè fuerunt in potestate Domini, ergo potuerunt consecrari, tum quia locus accuratè loquendo non agit de quibuscunque hominibus, quasi possint DEO devoveri, aut de illis qui fuerunt in potestate patris, sed captivos ex bello spectat & hoc vult: si esset animal Domino consecratum vel etiam homo, tunc debebat ille mori si hoc votum fuerit emissum adversus hostes Israël, prout fecerunt Num. XXI. 2. 3. & 4. Jos. VI. 17. Atque sic accepit R. Bechai & Don Isaac Abanael, qui duplicem constituit speciem 1^o Cherem & de altera dicit, illam fuisse de hominibus

Responde-
tur: ad di-
ctum Scri-
pturæ, cu-
jus genui-
tus sensus
exponitur.

Norm de-
votarum
distinctio.

minibus & pecudibus vel ex Mandato speciali DEI, vel ex voto, vel ex Regis aut Synedrii sententia perdendis, excindendis & internecioni dandis, per homines autem intelligi non servos & ancillas vel filios & filias sed hostes tum DEI, tum populi juxta mandatum Deut. VII. vs. 2. posito autem concessum esse Jus vitæ & necis nondum tamen esset probatum Legem hanc fuisse positivam, cum posset dici permisisse tantum, idque cum in finem ut parentes deterrerentur magis ab imprecationibus & ut servi magis in officii terminis arctarentur.

Exemplum Abrahami non quadrat, tum quia illud fuit mandatum extraordinarium, non fundatum in jure ordinario necis & vitæ, quod habere Parentes præsumuntur, sed in jure DEI absoluto, quatenus ut Dominus creaturarum etiam destruere potest illas; tum quia pariter posset concludi jus occidendi fratres, quia tale fuit commendatum Exod. XXXII. tum quia illa immolatio suscepta non erat homicidium quoddam, & consequenter reduci non potest ad jus vitæ & necis, sed erat sacrificium pertinens ad primam tabulam, de quo solo Deus disponere potest. Audiamus hinc Episcopum Sarranensium & Campanensium Ærodio respondentem hoc modo. *Authoritatem patriam vitæ & necis non colligit hic Author ex Abrahami resignatione; sciebat enim cum non potuisse non obedire DEO; sed instat, si filii in lege natura non licerent, providisset DEVS.*

Ab exemplo Abrahami non colligitur Potestas Patria vitæ & necis.

DEVS, ut & omnes alij scivissent Abrahama-
 mum ex prescripto divino filium immolasse;
 cavisset Abrahamus, ne scandalizaret proximo-
 mos, nec honorem denigraret, ne à consanguini-
 sis & amicis reus sceleris impii ageretur. At-
 qui nec DEVS, nec Abrahamus cavet incon-
 venientia hujusmodi, qua si essent, omninò ca-
 veri debuissent: ergò non erant. Ergò occi-
 dere filios in lege nature parentibus permitte-
 batur. Erodius timebat scandala, & di-
 cunt Abrahamum potuisse dicere amicis & co-
 gnatis se quidem filium occidisse, sed ex DEI
 precepto, & hoc sufficere ut scandalum non pa-
 terentur; hanc autem circumstantiam, tamen si
 illam subtriceat sacra pagina, colligi tamen ne-
 cessariò ex contextu, quia hic Patriarcha lau-
 datur ab angelo DEI nomine, non autem di-
 ceretur DEVM timens, qui proximos scanda-
 lizaret. Respondet secundo (& hac exposi-
 tio videtur congruentior & aptior) Patriar-
 cham dolore saucium totum fuisse absorptum,
 & uni filicidio intentum, & non animadver-
 tisse ex eo scandalum oriri posse, ac propterea
 illud ex inadvertentia non cavisse. Hoc possi-
 bile fuisse, sciunt qui experti sunt amorem pa-
 trum: filii enim dicuntur ἀπὸ τῆς Φιλίας,
 quam erga eos habent patres. Addunt tertio,
 DEVM qui dispensavit in precepto quinto,
 potuisse etiam in nono (ad hoc pertinent scan-
 dala, ut puto) dispensare. Vnde, sicut de
 Samsone Bernardus lib. de precepto, cap. 7.
 sic etiam de Abrahamo philosophabor dicens,
 non solum quoad substantiam actus, sed etiam
 quoad

quoad circumstantias singulas Divinum habuisse consilium indubitanter credendum esse, etiam si ex Scriptura id non habeamus. qui tamen cespitat & absurdè asserit in sequentibus. Si homo animam filii produceret esset dominus vitæ ejusdem filii. Exemplum Jephthæ non quadrat, tum quia si fuit occisus filia Jephthæ, non hoc profectum est ex jure ordinario vitæ & necis parentibus debito, sed ex voto extraordinario temerè emisso; tum quia iterum non fuit homicidium sed sacrificium licet displicens DEO, & consequenter in exemplum non trahendum, tum quia juxta insignes Theologos potius verba hæc: *fecit ei sicut voverat*, de consecratione quadam ad cultum divinum, quàm immolatione sunt accipienda, hinc virginitatem dicitur deplorasse & post votum vixisse, circa finem capitis. Sanè in holocaustum si fuisset offerenda Filia Jephthæ & Sacerdos & Altare fuissent necessaria, de quibus nihil in Historiâ, & contra Jus ebræorum erat illa interfectio, adè ut Rabbini doceant eadem pœnâ quàm alius homicida tenetur, patrem quoque fuisse obnoxium, Exemplum verò Christi planè huc non quadrat, utpote mortui ex decreto speciali; cui ipse sponte se submitit pro nobis, locus autem ille quem urget Bodinus non concludit: tum quia nihil habetur in textu quod sententiam illius stabiliat; tum quia potius oppositum concluditur, nempe parentibus non fuisse jus condemnandi filium sed solum accusandi, tum quia locus ille e-

Quid sentiendum sit de Iephthæ?

Quid item de Christo?

vi.

vincit, si delictum fuisset grande, excessisse patriam potestatem, & filium fuisse puniendum à Magistratu. Quod (2) spectat jus naturæ, illud non militat pro hoc, partim quia non quicquid conducit quocumque modo ad filios in officio continendos confestim est juris naturæ, jus vitæ & necis conduceret etiam hoc modò ad uxores in officio continendas, nec tamen juris naturalis esse hoc ipsum planissimum est, partim quia potest fieri, ut ira superet amorem paternum, cum plerunquæ affectus quo tenerior læsus in asperiores degeneret. (3) Tertium denique nempe jus gentium non potest ostendi, quia quamvis apud Romanos Persas & Gallos obtinuerit, non tamen hoc fuit universale. hinc etiam abrogata est hæc potestas jure Civili, & bene quidem. Potius itaque oppositum cocludimus, tum ex jure divino, Proverb. XIX. 18. tum ex jure naturæ, quod prohibet vindictam privatam ex eo quia quisque nimis æstimator sui; tum ex jure gentium, quia præter Romanos & barbaros moratiores gentes abhorruerunt à jure hoc tyrannico. digna sunt Verba Taciti ut adscribentur: *numquam liberorum finire, aut quenquam ex Agnatis necare apud antiquos flagitium habebatur Germanos, bonis moribus penes eos plus valentibus, quam alibi bonis legibus vide*
 librum de Moribus Germanorum
 cap. XIX.

Ius natura-
 lenon per-
 mittit Pa-
 rentibus
 Ius necis

Nec Ius
 Gentium.

Ad

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

De Consociatione Author non satis commodè loquitur, neque conjugium exactè describit.

Author hinc disputat de consociatione maximè naturali in conjugio, interim tamen ob sexus differentiam Imperium marito transcribit, & tandem conjugium delineat, quod sit cohabitatio maris cum foemina. Desideramus autem (1) hinc in Authore quod ex consociatione deducat jus mariti in foeminam contradistinctè ad illud jus, quod ex subjectione oritur. Nam posito jus mariti esse ex consociatione, nihilominus etiam procedere poterit ex subjectione foeminae ad maritum, eo ipso quo maritus statuitur caput, ut autem membra subjiciunt sese capiti, ita & consociatio & subjectio locum hinc habebunt, & ut subjectio in familia e. g. servi ad dominum, non opponitur consociationi, ita consociatio non opponenda erit subjectioni, sed gradus tantum subjectionis erunt agnoscendi in familia pro diversitate partium illius. (2) Disputari potest num sententia illa, quam ex Aristotele hausit, sit vero consociatione, num scilicet ex consociatione maritus jus in foeminam acquirat, sanè profundius illud ipsum jus repetendum est, nec merè ex natura vel consociatione petendum, est enim

Subjectio uxoris cum consociatione non pugnat.

Fundamentum juris mariti in foemina.

juris divini, & expressæ dispositionis. Nam, si de muliere sit sermo ante lapsum, vir habuit potestatem in foeminam ex ipsa dependentia foeminæ ad virum naturali, ut constat ex I. Cor. XI. 18. Si de uxore sermo sit post lapsum, expressè de Imperio & quidem oneroso dispositum est Gen. III. 16. non itaque tam consensus quàm dispositio divina jus illud fundat mariti in uxorem. (3) Conjugium malè describit Author & insidiosè. Nam (1) talem definitionem Author proposuit, ut possit cum illa stare divortium atque polygamia, quo respexit, quando sub finem dixit, accedere fidem, qua se foemina mari obstringit, quasi scilicet vinculum non esset mutuum, contra sententiam Apostoli I. Cor. VII. ubi statuit neque virum neque foeminam habere potestatem corporis sui, sed reciprocam esse obligationem. (2) Omittit in hac definitione consensum, qui tamen principaliter ad conjugium requiritur. (3) Conjugium ita describit, ut etiam subsumi possit sub illa descriptione id, quod conjugium non attingit. Nam, si conjugium formaliter consistit in hoc, quod aliquid constitutum sub oculis & custodia maris, consequens erit etiam inter Dominam & ancillam, Patrem & filiam esse conjugium, nam & hæ sunt sub maris sive Patris vel Heri oculis & custodia. Et absurdum est tale consortium tribuere homini conjugale, quale etiam est in mutis animalibus. Absurdum est ad conjugium in homine, qua animal est rationale, nihil requiri

Censetur
Conjugii
subdola de
finitio.

quiri præter hoc, ut fœmina fide mari sese obstringat. Absurdum denique est ita differere de conjugio, quasi non plus vel lumen naturæ vel etiam lumen Scripturæ pandat. Si itaque velimus consumatam definitionem conjugii, potius ita describendum erit, quòd sit; legitima, solennis & per totam vitam ligans conjunctio unius maris & fœminæ, in unam carnem, instituta à DEO ad procreationem sobolis, mutuam adiutorium, & evitacionem libidinis. Nam requiritur, ut conjugium sit legitima conjunctio, ut excludantur impedimenta cognationis & affinitatis, quæ si non observentur non est conjugium sed incestus, quæ vox insuper intimat consensum Parentum, qui de jure naturali requiritur, justam ætatem contrahentium qui possunt deliberate. Solennis (2) est conjunctio ob notoricitatem, ad evitandam suspicionem & scandalum inhonestæ consuetudinis. Perpetua denique est conjunctio quoad vinculum ob naturam contractus, educationem sobolis, & honestam familiarum discretionem, ut docent nostri Theologi.

Reponitur
probanior.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO I.

Conjugium plura requirit, quàm Author opinatur.

Hic infelix lolium & steriles dominantur
Havensæ. Dicit (1) ut conjugium subsistat,

Conjugio
feminam
tenendo
non suffi-
cit cohabi-
tatio.

//

sistat, naturam nihil aliud videri requirere præter ea, quæ sunt in thesi antecedente notata. At falsum hoc esse liquet non solum ex antecedentibus, sed etiam partim ex eo, quia conjugium esset, si quis duceret uxorem, ita tamen ut ambo corporis sui copiam non facerent alter alteri, qualia in Papatu quædam laudantur; partim, quia Apostolus I. Cor. VII. 4. requirit, ut præter potestatem uxoris in corpus mariti consequenter nõ tantum fidem uxoris verum etiam fidem mariti; dicit enim mulier conjugata non habet sui corporis potestatem, vel jus ut pro sua voluntate possit ab actu conjugali abstinere invito marito vel alteri se conjungere, adeoque fidem datam violare, ut exponit Augustinus, quapropter nec maritus, cum par hic sit ratio utriusque; partim, quia post primam institutionem consensus in copulam necessario requiritur ad omne conjugium. Non enim probare possumus illam sententiam, quæ talem consensum impugnat, & statuit consensum matrimonialem non esse explicitè in copulam carnalem, sed in jus & potestatem ad talem copulam: partim quia, si quis contrahat animo profitendi ante consumationem validum sit matrimonium; partim, quia conjugium inter Josephum & Mariam fuerit verum conjugium, in quo nullus tamen consensus in copulam; partim, quia carnalis copula non sit de essentia matrimonii, sed ejus effectus & operatio, quam opinionem propugnant Thomas Scotus, Bonaventura, Tabiena, Scotus,

An consen-
sus neces-
sarium con-
jugii re-
quisitum
sit

//

tus, Covarruvias, Veracruz, Henriquez, Lopez, Vivaldus, Petrus de Ledesma, Gabriel Vasquez, Sanchez, Bassius Pontius Escobar & alii. Mera enim postulata sunt, quæ supra proposita. Quis enim validum & perfectum matrimonium illud dicat, quod contrahitur animo profitendi ante consumationem? quis nescit Canisium quæstionem de Matrimonio Josephi & Mariæ referre ad quæstiones arbitrarias, in quâ sine erroris periculo utraque pars possit defendi, Henriquezium improbare illam opinionem, Medinam verò dicere probabiliter posse defendi non fuisse verum matrimonium, sed Sponsalia de futuro? Denique quis fraudem non observat, dum Pontificii nolunt copulam pertinere ad essentiam Matrimonii ut Sacramentum est, hoc enim est falsum, & potius pro nobis quàm contra nos, sic enim aliâ ratione extrasacramentali scil. requiretur ad matrimonium, erit de essentia illius, quanquam non dissentiente Vasquezio, ipse Gratianus Canone *quid autem* & Canone *Institutum* senserit, coitum ad matrimonium tanquam essentialem partem pertinere ita, ut sine illo neque verum matrimonium, neque Sacramentum esse possit propriè dictum, quem vide Disp. 2. cap. 8.

§. 95.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO II.

Legem divinam nihil amplius requisivisse ante Evangelii propagationem, quàm Author requirit, malè dicitur.

Institutio
Conjugii
Gen. II. ha-
bet vim le-
gis Polyga-
miam pro-
hibentis.

Lolium est, quando dicit divinam legem amplius nihil videri exegisse ante Evangelii propagationem. Institutio enim divina quæ legitur Gen. II. utique habuit rationem alicujus legis; requirit autem ut duo non plures sint in carnem unam, explicante ipso Christo: exclusit itaque lex primæva divina sive institutio conjugii Polygamiam aliter quàm opinatur Grotius, nec obstat locus, quem huic fini allegat ex Deut. XXI. 15. nam primò juxta quosdam accipi potest non de uxoribus duabus simul habitantibus cum Viro, sed successivè, ita ut una fuerit vel mortua vel repudiata, atque in tali casu hæc lege dispositum esse intelligi, qui polygamiam simultaneam non supponit. Secundò, quia lex illa ex hypothesi potest accipi, quæ disponit supposita polygamia de aliquo consequente illam, non probat autem antecedens, sed supponit illam. Tertiò, quia, quamvis DEUS etiam filium ex tali matrimonio natum pro legitimo velit habere, disputari tamen potest adhuc quale illud conjugium fuerit in foro divino: Unde Drusius ad hunc locum scribit:

bit: Si polygamia erat vetita Judæis quorsum ista lex? Nam si non licebat habere duas uxores, nec lex ponenda erat iis, qui habebant. Sed consuetudine ita invaluerat. Aliud consuetudine, aliud lege. Quod lex non prohibet, permittit. Videatur autem permisisse, cum Deus dicat per Nathan Prophetam, dedi tibi uxores domini tui in sinum tuum &c. David autem sex habuit, sed pugnabat cum prima institutione matrimonij. Concedo, si mihi concesseris, Deum tolerasse in populo pluralitatem uxorum. Nunquam enim quenquam eo nomine reprehendit aut punivit, quod sciam, ne Davidem quidem, qui erat vir juxta cor ejus. Sapientes dixerunt. Qui multiplicat uxores, multiplicat veneficas. Nam utebantur veneficiis ad demerendum maritum, & odium alteri conciliandum, unde illud. Quot uxeres, tot venefica. Non igitur multum laudanda vetus illa consuetudo, & Christiani bene fecerunt, quod eam abolerent.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO III.

Quæ Author prodit de Polygamia, Rege Ebræorum & dimissâ Uxore vitium produnt, de quorum primo primùm.

STeriles avênæ sunt quæ dominantur in Agro hujus Theseus, quando de Polygamia

mia loquitur (1) quasi non fuisset contra le-
 gem aliquam (2) quod de Rege dicit He-
 braeo 18. uxores sive concubinas fuisse con-
 cessas illi, & de Davide producit locum ex
 II. Sam. XII. 8. (3) Quod de dimissa disse-
 rit, quod omnis illam potuerit ducere prae-
 ter illum, qui eam dimisit & sacerdotem.
 Quod (1) concernit nempe Polygamiam Pa-
 trum, maximae contentioni illud punctum
 est obnoxium. Quidam existimant illam
 Polygamiam planè non fuisse peccatum in
 V. T. & juxta naturam, quam sententiam
 hìc videtur probare Grotius. Quidam exi-
 stimant Polygamiam etiam Patriarcharum
 fuisse peccatum sed ex ignorantia, & DEUM
 illis propterea id condonasse, quia non fuerit
 peccatum prozreticum, ex plena scientia
 & voluntate commissum. Quidam denique
 putant fuisse quidem naturam aliquam contra
 legem, sed intervenisse aliquam dispensationem,
 quae non solum operata fuerit impunitatem,
 quae aliàs huic factae per se non debita, sed
 etiam licentiam ipsius facti, ut proinde Po-
 lygamia non fuerit peccatum. Primae sen-
 tentiae subscribere non possumus, quia po-
 lygamia est contra institutionem primariam,
 & contra naturalem aequitatem, quae reci-
 procam fidem exigit, ut quemadmodum u-
 xor marito fidem dat, & se ipsi soli adstrin-
 git, nec alii nubere potest, ita maritus de
 fidem uxori, seque ipsi soli adstringere debe-
 at, I. Cor. VII. 4. quia denique contra ju-
 stam Zelotypiam pugnat. Unde etiam Ba-
 silius

An Polyga-
 mia Patrū
 incurrit
 in crimen?
 Iudicium
 Statuentis.

Refellun-
 tur.

filius Pontius Legionensis libro 7. cap. 49.
 ita ratiocinatur de Polygamia: Sed & ratione
 probatur, quia his, qui in matrimonio propositi
 sunt fines, adversari videntur. Licet enim
 non repugnet unum virum in multis uxo-
 ribus filios procreare; attamen aliquantulum
 etiam iste finis impeditur. Nam luxuriosi &
 pluribus feminis vacantes minus fecundi esse
 solent, ut in Salomone, cui tot erant Regina,
 & concubina planum est. Mirum enim quod
 ex tot uxorum & concubinarum gregibus non
 nisi masculam unam prolem Salomon suscep-
 ris Roboamum, & duas præterea filias Eraphet,
 & Basemat IV. Reg. XI. Sic Suidas de illo :
 Ex mille uxoribus solus ibi mas natus est Ro-
 boam filius, & ipse ex alienigena Naam Am-
 monitide indignus imperio. Multitudo enim
 conjugiorum orbitatem facit. Et quidem cum
 libidine & intemperantia sterilitatem esse con-
 junctam Job. XXIV. vers. 21. docet Ioannes
 Pineda ibi, Pavit sterilem Rem attingit Plu-
 tarchus in vita Licurgi, & libello de garru-
 litate, & lib. 5. de placitis Philosophorum.
 Multo minus conjugiorum multitudo coheret
 cum alio fine matrimonii, scilicet sociali coha-
 bitatione. Cum enim uxor non sit ancilla, sed
 socia, & ideo ex latere viri desumpta. ejus-
 dem est honoris cum viro particeps. Princi-
 patu autem singularitatem requirit, ut Au-
 gustinus docet lib. de bono conjugali, cap. 17.
 Cumq; etiam matrimonium remedium sit con-
 cupiscentia. cap. nuptiarum 27. q. 1. Impe-
 ditur hic etiam finis multitudinis conjugiorum

cum unus vir pluribus uxoribus minus valeat debitum reddere. Adde iras rixasq; inter uxores, etiam sanctas feminas, cum zelotypia laboret fragilis faminarum sexus, & fieri nequeat, ut viri affectus non magis erga unam feratur, quam erga aliam, ut liquet Genes. XVI. & XXX. Deniq; fini matrimonii, quod est sacramentum, absq; dubio repugnat: nulla etenim in polygamia unitatis sacramenti sponsi Christi cum sponsa Ecclesia representatio. His accedit ab initio non institutum, neq; in mundum à DEO inductum matrimonium cum multis uxoribus, cum tamen eo maximè tempore ad generis humani multiplicationem esset necessarium. Secunda sententia itidem subsistere nequit, quia voluntas divina erat perfecta per institutionem conjugii, quæ requirit, ut duo sint in carnem unam, quod consequenter etiam Patres vel noverunt, vel nosse potuerunt. Tertia itaque sententia nobis probatur, nempe dispensationem quandam divinam intervenisse circa ipsam polygamiam, ut peccatum non ulterius fuerit in oculis divinis. Subscribunt huic sententiæ ex Pontificiis Joannes Lorinus, quanquam restringat ad tempus ante legem scriptam, & putet tunc fuisse licitam, tempore autem legis scriptæ non esse per se contra jus naturæ primarium universale, aut intrinsecè quid malum, in quo non possit à DEO dispensari.

L. Nos probamus per sequentia argumenta, & quidem primo ex Deut. XXV. 3. ubi polygamia in certo casu præcipitur, si itaq; Deus potuit

Deum Patribus Polygamis circa legem dispensasse concluditur.

potuit dispensare in certo casu, quidni potuerit dispensare universaliter respectu Patriarcharum; nec obstat, quod quidam repouunt agi de fratre cœlibe, de tali qui adhuc in ædibus paternis. Si enim phrasis hæc, quæ in textu occurrit notaret cœlibem, consequens foret fratrem demortuum & relinquentem viduam quoque fuisse cœlibem quod contradictorium, dicitur enim si simul habitaverint fratres. Secundò, quia primario conjugii fini & essentiæ qualis est sobolis procreatio non repugnat Polygamia. Tertio, quia præter institutionem divinam nulla lex obstat Polygamia, & ipse Deus beneficii loco proponit Davidi, quod dederit in sinum uxores Saulis ipsæ, quæ phrasis dare in sinum notat dationem in conjugium, ut constat ex Gen. XVI. vers. 5. quam scopus quoque exigit parabolæ, quia ut ovis pauperis respondet uxori Uriæ, ita oves divitis uxoribus Saulis in conjugium datis. Nec contrariatur nobis, quod etiam de domo Saulis dicatur illam in sinum Davidis esse datam, ex quo liquido constare possit de tali concessione & donatione esse sermonem, quæ potestatis & dominii non tori vel conjugii, quod vox ebræa nathan non tam dationem, quam permissionem quandoque notet, ut docet locus Gen. 20. v. 6. Numer. 21. v. 23. Judic. 11. v. 19 quod denique nunquam legatur in Sacris Davidem Saulis conjuges pro uxoribus habuisse, nec ducere potuisse, quia Micholem filiam Saulis jam duxerit. Nam

Objectioni
satisfit.

II.

III.

Anticipatur
exceptio.

absolutè primùm dicitur : *dedit tibi domum Domini tui*, dein per exaggerationem & novi beneficii recensitionem determinatè & *uxores Domini tui in sinu tuo*, ut itaque hæc verba à posterioribus discernuntur per limitationem in sinu & peculiarem traditionis modum exponunt, ita quoque ab antecedentibus. Secundò vox nathan, si accipiatur permissivè cum prima exceptione pugnat, cætera enim domus scil. Saulis servi & ancillæ datæ sunt positivè, nec hanc significationem permittit constructio, antecedentium & consequentium ratio. Tertiò sufficit hic dici quod intendimus, nec absurdum intentatum premit. Non enim necessariò subintelligenda Mater Micholis in illa concessione, cum præter hanc alias quoque habuerit uxores Saul, de quibus potest præsens accipi locus. (2) Dubium quoddam est removendum, num **D E U S** itaque possit dispensare in jure naturæ? Verum nos negamus Polygamiam esse contra jus naturæ, & **D E U M** dispensasse in illo jure; nondum enim à quocquam probatum est, polygamiam advertari juri naturæ, & argumenta adducta contrarium probant. Nec obstat si urgeatur loc illa primæva & institutio conjugii. Nam institutio conjugii non est jus aliquod naturæ, sed lex positiva. Non enim id omne quod in statu integritatis fuit propositum hominibus juris est naturæ, aliàs enim etiam juris naturæ fuisset præceptum de non gustando fructu vitæ arboris. Nec (2) obstat, quod urge-

Polygamia
non advertari
juri naturæ.

urgetur Polygamiam esse ex vitio intemperantiz, & societatem conjugalem velut naturalem societatem lædere. Nam probandum est hoc esse universale, ex vitio fuisse Intemperantiz profectam Polygamiam apud Patres V. T. Aliter sanè senserunt Augustinus & alii Theologi, quia ex appetitu & desiderio propagandi illa ipsa orta est. *Non turpis inquit Menzerus libidinis explenda, sed augenda familia gratia Patriarcha sibi plures uxores adjunxerunt* Tomo 4. Disp. Marp. 15. th. 72. Augustini locus infra producetur à nobis. Et quamvis DEUS in initio non concesserit Polygamiam, ubi videtur maximè opus fuisse propter multiplicationem generis humani, tamen hoc non obstat, cum ideò Polygamiam juxta quosdam in seris temporibus concesserit, quia quædam foeminae ceperunt esse steriles, in compensationem ergò sterilitatis fuit concessa, ut disertè patet ex Gen. XVI. 2. (2) Quod opponitur repugnare juri naturæ, quia fini matrimonii adversetur, educationi, rei domesticæ administrationi, non premit, quia saltem hoc obtinetur, præferendum esse conjugium inter unum maritum & unam foeminam Polygamiz, ob emergentia quædam incommoda. Neque usque quaque congruere regulariter rationi. (3) Quod de rixis & contentionibus, læsione naturalis societatis dicitur, id ipsum non urget etiam, tum quia non universale est: non enim obtinet apud Asiaticas uxores, sed saltem metuendum in Europa & aliis locis

cis, ubi liberior est Mulieribus Spiritus; tum quia saltem ita incommodum aliquod demonstratur comparatè ad *μονογαμίαν*, tum quia nihilominus fines conjugii obtinentur. Non stringit (3) quod quidam reponunt, uxorem proprii corporis potestatem non habere sed Virum I. Cor. VII. *ψλ.* 4. qui itaque semel corporis sui potestatem uxori fecerit, non posse alteri ejusdem corporis facere potestatem, adeoq; pugnam hîc esse cum lege naturæ, juxta quam suum cuiq; tribuendum, hoc inquam, non convincit; Nam dici potest Paulû loqui de conjugio pro statu temporis N. T. quo Grotius respicit, ubi polygamia cessavit (2) magis respicere æquitatem, & (3) ad primam conjugii institutionem tanquam normam reflexisse, neque nos negamus Anomaliam in Polygamia, sed tantam non esse dicimus ut à Dⁱ O non possit cohonestari. (3) Si quaeratur cur itaq; dispensatio fuerit necessaria, si Polygamia nō sit contra jus naturæ? Respondeo, ideo dispensationem fuisse necessariam, quia obstabat institutio primæva. In lege itaque positiva DEUS dispensat & dispensavit, non autem in jure naturæ, quia quæ juris naturæ sunt illa intrinsecam habent malitiam, adeo ut etiam DEUS in illis dispensare non possit, prout id quod verum est falsum esse dicere nequit. Si ulterius pergatur: num itaque non rationi rectæ adversetur aliquo modo Polygamia, & ita consequenter juri naturæ? Respondetur neque hoc nos negare, & hoc ipsum etiam Feldenum & alios

Cur Polygamia dum non sit contra Ius naturæ dispensationem requirat?

Datur aliquo modo adversam esse rationi rectæ Polygamiam, sed cum distinctione.

& alios aliquo modo probasse argumentis supra adductis; Sed hinc distinguendum est inter jus naturæ; vel enim notat id quod per modum principii recta ratio dicitur, ut loquuntur Doctores, ita ut obliget necessariò & semper; vel accipitur latè pro eo, quod recta ratio concludit ex principijs juris naturæ, & vel directè, vel proximè vel remotè ex illis deducit. Priori modo non est contra jus naturæ Polygamia, posteriori autem modo admitti potest pugnare cum jurè naturæ, sed in talibus non est absurdum dicere DEUM posse dispensare; aliud est esse Juris naturæ, aliud congruum esse illi: unius Maris & foemine Conjugium non est Juris naturæ, licet congruum illi esse dicamus & præferendum Polygamiz, quæ aliquatenus recedit. Si pergas: Unde autem de dispensatione illa constet, quomodo facta sit? Respondeo (1) si Thomam sequamur, dispensationem illam factam esse non quidem per externam aliquam locutionem aut scripturam, sed per peculiarem inspirationem DEI; si veritatem sequamur, potius existimamus, primis Patriarchis ex familiari conversatione cum DEO fuisse indicatam, & deinde eorum exemplo ad alios transisse. Ut itaque non constet à priori, tamen potest constare firmiter à posteriori. Si enim e. g. Abraham fuit Pater credentium, justificatus fuit, non potuit esse justificatus fide, & in simul versari in peccato mortali, hæc enim contradictoria sunt: fuisset autem in peccato mortali, si dispensatio divina non

ne Juris
naturæ,

Vnde di-
spensatio
constet?

))

inter-

intervenisset, fuisset enim in aliquo facto devio ab institutione divinâ. Consimilia hisce docuit Basilius Pontius scribens: *Revelationem, dispensationis primis patriarchis expressè factam primum ad alios eorum Verbo pervenisse & Exemplo. Abrahami enim tempore rem fuisse omnibus notam, planum esse cum Sara Sanctissima femina Abrahamum induxerit ad secundam Uxorem ducendam.* Et hanc sententiam ex Patribus probavit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. scribens: *Peccata alia sunt contra naturam, alia contra præceptum, quæ cum ita sint quid tandem criminis est, quod de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto Viro Jacobo? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed generandi causa illis mulieribus utebatur: si morem, illo tempore & in illis locis hoc factitabatur; si præceptum, nullâ lege prohibebatur.* Ex nostris Theologis probat Ægidius Hunnitus, Heerbrandus, Hafenrefferus, Menzerus, Meisnerus & Nicolai; ex pontificiis Laymannus, qui socios adducit & scribit lib 5. Tract. X. part. 3. cap 5. p. 429. *Dico II. Conjugium unius viri cum pluribus simul uxoribus voluntariè desponsatus, non ita naturali juri repugnat, ut tanquam intrinsicè malum, sicuti perjurium, blasphemia &c, nullo casu cobonestari possit. Ita docet S. August. lib. 16. de civit. c. 38. & lib. 22. contra Faustum, c. 47. Abulensis in c. 19. Matth. q. 30. S. Th. in 4. a. 1. q. 1. Palud q. 1. art. 1. Michael Medina lib. 4. de sacrorum hominum continentia, controv. 1.*

Assentit
Augustinus,

Nostrarum
que partiâ
Theologi.

c. 9. *Veracruz* p. 2. *spec. a. 15. concl. 1. & Martin. Becanus in analog veter. ac novi testam. cap. 21. conclus. 2. & 3. Aegid. disp. 26. dub. 2. Quamvis aliqui apud Bellarmin. lib. 1. de matrimon. cap. 10. Sanchez lib. 7. disp. 80. contrarium sentiant. Ratio vero assertionis est: Quia talis polygamia ex proprio obiecto malitiam non habet; sed solum ex adiunctis incommodis, quae in certis casibus abesse, vel aliis majoribus commodis compensari possunt. Accedit, quod quae intrinsece, ac necessaria mala, & juri naturali adversantia sunt, a DEO concedi nunquam possunt. Constat autem, olim DEUM concessisse Patriarchis, ut plures simul uxores licite accipere possent. Ergo talis polygamia non ita proprie juri naturali adversatur. Causa autem, cur DEUS olim polygamiam concesserit, partim utilitatis erat, ut genus Abrahae tanto amplius multiplicaretur; partim sacri mysterii, ad significandum duas Ecclesias DEI. Synagogam scilicet Iudaeorum, ac Gentium fecundatam multitudinem, sicuti Apost. ad Galat. 4. explicat, ex c. 21. Genes. de Sara, & Agar, & videri potest Covar. in epit. p. 2. c. 7. §. 3. n. 1. ubi ostendit; eandem consuetudinem plures uxores ducendi postea ad Gentiles quosdam defluxisse, uti manifestum est ex c. 26. & 28. Gen. & annotavit etiam S. August. II. supra citatis. Calumnia verò est insignis, quâ Johannes à Chokier de Surlet Canonicus affundit & fumus sine face in Face Historiali Centuria secunda cap. 43. p. 520. scribens: Non defuere Haeretici antiqui inter quos Her-*

mogenes, adversus quos scribit Tertullianus, qui polygamiam probarunt, & veluti hastis amentatis defenderunt: quippe qui cum Mahomete sustinebant tot uxores licere ducere, quot unusquisque facultatibus suis sustentare posset. Ab his steterunt nostri temporis Novatores, inter quos in Germania Lutherus, in Gallia Calvinus, qui illum inter Christi Apostolos numerat, qui quidem polygamiam ad pelvim usque tueretur, imo plurimis argumentis (si argumenta dicenda sunt, quae ab Orco proveniunt) quam unquam Mahometes predicavit.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO IV.

Quod de Rege Hebræorum pro-
ducit Author fundo caret.

Hebræorū
Regi Vxo-
rū & Con-
cubinærum
definitus
numerus
non fuit.

Alterum quod concernit de Rege, nullo fundamento nititur & paleis est deputandum. nam Rabbi Salomo, Maimonides & Bechai colligunt hunc numerum ex II. Sam. XII. vs. 7. ubi DEUS dicit: *Dedi uxores Domini tui in sinum tuum & si parva istæ sunt, adjiciam tibi sicut hæc & sicut hæc.* Hinc concludunt, quia David sex habuit uxores ut constat ex II. Sam. III. vs. 2. & seqq. & hic DEUS dicit sese adjecturum sicut hæc & sicut hæc, putant DEUM hoc voluisse, bis totidem sese daturum. legatur Schikardus noster Tract. de Jure Regio cap. 3. Theor. secundo.
Atqui

Atqui primò præter istas uxores David 10. habuit concubinas, quæ quoque uxores ipsius fuere, prout constat ex II. Sam. XII. *ψ*. 11. (2) phrasis hæc: adjiciam sicut hæc & sicut hæc, non notat præcisè numerum aliquem definitum, sed indefinitè quamcunq; rem similem, prout non solùm constat ex illa usurpata Jos. VII, *ψ*l. 20. & II. Sam. XI. *ψ*l. 25. sed & ex ipso Don Isaaco Abarbenel, qui scribit: sensus litteralis hîc docet id dictum esse de regno & dominio, quasi diceret DEUS, quod nullo negotio hæc & alia regno ipsius potuisset addere. (3) fabulosum esse hoc commentum, constat quod addant, si 18. uxoribus Rex aliquam superinducat vapulare, quod planè est contra majestatem Regis, & Scripturæ Sacræ adversum. Obsignamus observationem hanc observatione Augustini scribentis: *Queritur, utrum David contra hoc præceptum non fecerit, non enim unam habuit uxorem. Nam de Salomone manifestum est, quòd transgressus fuerit. Sed hinc potius intelligitur, permissum fuisse Regibus, ut plures haberent, quàm unam. Multiplicare enim prohibiti sunt. Quæ prohibitio haberet transgressionem si pauca fuerunt, non autem multa, sicut Salomoni. Quamvis cum addidit, ut non discedat cor ejus, hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando perveniat ad alias fœminas, per quas factum est in Salomone, ut discederet cor ejus à DEO. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut*

De eodem
asseverat
Augustinus

si ex Ebraeis solis eas multiplicasset, cōtra hac præcepta merito fecisse argui posse.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO V.

De dimissa non satis commodè philosophatur Grotius.

Vtrum dimissam adjungere si bi Sacerdos potuerit?

Quæ Moses de repudii servandis conditionibus scripsit non sunt verba præcepti.

IN tertio de dimissâ inanes excutit Culmos & errat (1) Grotius, quando dicit dimissam non potuisse ducere eum qui dimisit & Sacerdotem. Non enim par ratio quoad hoc punctum dimittentis & Sacerdotis. Dimittens enim potuit dimissam reducere, quàm diu alteri Viro nondum fuerat copulata, imò non solum licuit hoc ipsum marito dimittenti, sed & decuit. Sacerdos autem absolutè fuit impeditus, ut dimissam aliquam duceret, maritus autem tantum fuit impeditus secundum quid, quatenus sc. alteri jam nuptâ non licuit denuò ducere, intra autem illud tempus, dum adhuc dimissa oberrabat, licuit utique, ut constat ex Jerem. III. & testimonio Rabbiorum, Maimonidis, A- ben Esræ, & Don Isaaci Abarbanel. Errat (2) quando dicit modum præscribi dimittere uxorem volenti Devt. XXIV. v. 4. & in seqq. ita discurret, quasi verba Moses essent verba præcepti, & præciperetur primò affirmativè, ut si cui uxor displicet scribat libellum reddii, illamque ableget; secundò negativè, ne quam quis repudiavit reducat postquam nup- sit

fit alteri viro. Atqui (1) hoc planè est Rabbinisticum & Judaicum commentum, qui verba Mosis ita quoad utrunque punctum præceptivè accipiunt, (2) ita confinguntur duo præcepta, cum unicum sit, sc. de repudiata non reducenda (3) Verba Mosis sunt hypotheticè accipienda usque ad v. 4. Hinc Pagninus rectè reddidit: *Si acceperit vir mulierem & coierit cum illa, accidat autem ut non inveniat gratiam in oculis ejus, quòd invenerit in ea turpitudinem aliquam & scripserit ei libellum repudii*: (non scribat quasi præciperetur scriptio libelli repudii) *ac posuerit in manu ejus, ejeceritque eam è domo sua, non reducat dimissam alteri nuptam.* Ex quo constat hæc omnia habere sese per modum suppositionis, permissionis, & deinde posita hac permissione disponi saltem præceptivè quid fieri debeat circa repudiatam, non repudium ipsum & libelli scripturam, prout non solum Christus hoc exponit Matth. XIX v. 7. sed etiam doctissimus Rabbiorum Don Isaac Abarbanel. Errat (3) quando dicit Christi legem, ut res alias, ita & hanc conjugii inter Christianos ad perfectiorem rede gisse normam Matth. V. & XIX. & I. Cor. VII. Supra enim ostendimus nihil perfectionis superaddi posse legi divinæ, & falsum esse perfectiorem ad normam Christum revocasse Matth. V. & quid quæso Christus dicit Matth. V. v. 32. quam qui dimiserit uxorem suam excepta fornicatione facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat, annon autem etiam in

Christus
de Cōjugio
perfectio-
rem legem
non san-
xit.

foro conscientiz peccavit in V. T. qui excepta fornicatione Uxorem dimisit, annon qui demissam denuo duxit Deut. XXIV. vs. 4. quid dicit Matth. XIX. v. nisi quod pridem dixerat Matth. V. quid dicit Paulus quod non antea obtinuerit? annon etiam in V. T. secundum Doctores foemina potestatem habuit in Corpus Mariti & quoad Usus conjugii ex utraq; parte fuit obligatio. reliqua, quae subjungit ex dictis haecenus possunt judicari.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

De consensu Parentum non exquisitè philosophatur Grotius.

Parentum Consensus necessario requiritur ad conjugiorum validitatem. Objecta diluuntur.

IN hac thesi Author disserit de consensu Paterni & materni etiam necessitate, & putat consensum parentum non requiri naturaliter ad validitatem conjugii, quia uxorem ducens & maturæ debeat esse ætatis, & extra familiam abeat, ita ut in hac re non subjiciatur regimini familiari. Verum multa ponit quæ non sunt ex vero in hac thesi. Nam (1) si exemplum prodigæ donationis vult applicare ad sponsalia invitis Parentibus contracta, nihil concludit. Prodigæ enim donatio ideo est valida, quia prodigus est Dominus bonorum suorum, habet, potestatem donandi, est sui juris: At filius est sub potestate alterius, sub imperio Paterno vivit, & facultatem non habet agendi

di citra consensum illius. (2) nihil colligit, quando dicit, qui uxorem ducit maturæ est ætatis & extra familiam abit. Nam non solvitur potestas patria secundum omnem rationem per matrimonium, & concessio solvi dum extra familiam abit, solvitur post conjugium, sed non ante; nec solvitur nisi quoad familiam & nominis mutationem, sed non quoad ipsam observantiam semper & perpetuo Parentibus debitam, & utut filius maturæ jam sit ætatis, tamen adhucdum est sub parentum potestate, neque si libertas cum ætate crescit, illa libertas filium eximit ab obligatione naturali & debita. Errat quando producit exemplum Esavi: tum quia Esavus hoc ipso maxime peccavit, parentum potestatem vilipendit, ut in exemplum adduci nequeat; tum quia de Esavi uxoribus expressè dicitur Gen. XXVI. 35. quod fuerint amaritudo spiritus Isaaco ac Rebecæ; tum quia non est consequens Isaacus non retractavit illud conjugium, non irritavit, Ergò hoc ipsum ex defectu potestatis irritandi, præprimis nondum consummato illo; causam enim longè aliam assignat Josephus lib. 1. antiq. c. 17. nempe indulgentiam Patris tolerantis hoc ipsum. *Nalebat enim, inquit, molestus esse filio jubendo eum ut mulieres missas faceret, & decrevisse totam rem silentio transmittere.* Papizat itaque Grotius, quando consensum Parentum saltem vult esse de honestate, non autem de necessitate, & eum ex reverentiæ officio saltem dependere & sus-

Pro Parentum consensu contrahendis nuptiis necessario rationibus auctur.

pendi; tum quia juris divini & naturalis est honorandos esse Parentes secundum omnia ad Colloff. III. 20. cujus honoris fundamentum patria potestas; tum quia ipse Grotius asserit in sacris literis pios viros & mulieres in contrahendis nuptiis secutos auctoritatem parentum, & quoad sexum sequiorem maxime confirmat in notis subjectis ex Ambrosio & aliis; tum quia jure naturali ille actus censetur moraliter nullus & consequenter retractabilis, qui caret principiis validitatem actui conciliantibus, talis autem actus est clandestina desponsatio citra consensum parentum, cui deficit & notitia quæ nondum perfecta in juvene, & libertas voluntatis, quæ affectibus obtunditur, & denique potestas, quatenus sese eximere non potest Patris imperio, nec eo operari ut invito Patri nascatur proles. Si itaque convenientissimum est prudentiores consulere in tanto negotio & patris consilium explorare, si ipsa ratio societatis requiri, ut socius sine consensu socii nihil agat, si Pater per tot annos maritus optimè judicare potest, vel ad minimum longe melius filio, ipsa ratio naturalis dicabit, quod consulet Pater idem præceptum esse & obligare, quod societatis natura infert, id longe magis in tali societate locum habere, quod prudentiæ regula in maturioris ætatis homine dicat, id esse sequendum. Hinc cum Chemnitio eo usque progrediuntur Theologi, ut statuant clandestinam desponsationem factam insciis & in

Chemnitii
 Iudicium
 de despon-
 satione

inconsultis parentibus planè esse nullam, neq; legitimari posse aut confirmari per sublequentem ratihabitionem Parentum; tum quia quod est machinatio & opus Diaboli turbantis divinum ordinem, id à nullo rati haberi potest, tum quia quod pugnat cum mandato divino & est peccatum nullius consensu confirmari potest; tum quia peccatum, peccato cumulare impium est, & ab omnibus Christianis parentibus debet esse alienum. Neque vel parentes vel Magistratus quod est impiè & illegitimè actum potest confirmare, quasi bene & rectè factum, & quidem ita ut sit divina conjunctio. Hoc autem remedium in tali casu comodè arripitur, ut quod impiè gestum est aboleatur, quia non est ex DEO sed Diabolo; patria autem autoritate juxta quartum præceptum de integro novus contractus inducatur, consensus parentum prærequiratur, ex parte filii vel filix, & ex parte parentum præmittatur, ut juxta formam divinitus præscriptam legitima fiat conjunctio, quo conscientia certo possit statuere, quos DEUS conjunxit ulterius ab hominibus non posse separari. Et hæc sententia non solum est Chemnitii & orthodoxorum Theologorum, verum etiam ipsius Lutheri. Non itaque possumus probare quod ex Quintiliano subjungit Author de libertate; libertas enim quæ necessaria est in matrimoniis & maximè ibi regnare debet, saltem opponitur coactioni, non autem obligationi, quatenus iniqui parentes volunt cogere ad aliquod in-

clandestina. quã in sequenti Parentum ratihabitione validam non posse fieri contendit.

decens, qui vix parentum loco habendi sunt, & in ordinem à Magistratu redigendi, non autem quatenus cum illa optimè consistit obligatio illa partitionis debita. Alia tamen Ratio est Matrimonii inchoati citra Consensum parentum, alia consummati. Subjungimus Epicrisin D. Hülsemanni, qui ita definit cap. XXI. pag. 434. *Tertia Species contractus & copula, citra vel contra consensum parentum inita, contractum sine dubio facit illicitum: Irrita autem facere non potest cetera essentialia matrimonii, sive moralia, sive naturalia: quia consensus parentum inter hac essentialia specificè non ponitur: Sed tantum genericè, ad roborationem quorumvis actuum electitiorum filiorumfam. Qualis actus electitius erat consecratio hujus vel illius rei votiva Deo prestanda Num. XXX. 4. seqq. Contractus autem matrimonialis non est purè electitius, sed naturalis, quoad speciem, electitius solùm, quoad determinationem individui, cum quo placet contrahere. Igitur à facultate paternà irritandi votum arbitrarium filii vel filiam, ad facultatem irritandi votum nuptiale per conjugalem copulam jam consummatum, non valet conseq. Nec, quomodo res DEO oblata contra voluntatem patris, formâ suâ non erat futura verum sacrificium; ita conjugium filii familiâs contra voluntatem patris consummatum, desinet esse verum conjugium.*

Ad

OBSERVATIO.

Matrimonium cum nupta alteri ita repugnat, ut nec viri dimissio censeatur potestatem facere alteri.

IN hac thesi Author Matrimonium cum ea quæ alteri nupta est irritum lege naturæ pronuntiat, nisi Vir prior eam dimiserit, tamdiu enim existimat durare ejus Dominium, lege autem Christi, donec mors vinculum dissolvit. At verò si lex naturæ accipiatur in laxiori illa significatione, quam supra in materia de Polygamia indicavimus, etiam legi naturæ talis dimissio erit adversa honestati eo ipso quo conjugium dicit conjunctionem duorum in unam carnem indissolubilem divino arbitrio. (2) quod dicit de dominio Viri in uxorem ante dimissionem, id non ita liquidum est nec ab omnibus conceditur: tum quia dominium non obtinet, ubi una caro; fœmina autem fit una caro cum marito, ut proinde maritus non videatur habere dominium in uxorem ante dimissionem; tum quia juxta Aristotelè modus ille regiminis circa uxorem comparatur Politico, quemadmodum in liberos Regio & in servos Despotico; tum quia juxta Moralistas longè aliud est dominium, aliud jus in rem: potestas enim in corpus & uxoris dicit quidè Jus in rem sed non propriè dominium, ne admittendum sit, uxorem esse mancipium sive ancillam mariti. Si autem velimus dominium aliquod

An Dominium viri in uxorem competat?

admittere, non propterea ad omnes effectus dominii hoc ipsum erit extendendam, quod quemadmodum Dominus potest locare aliquam rem alteri, habere pro derelicta & negligere, ita etiam e. g. aliquis possit alteri locare uxorem suam, dimittere pro lubitu, quemadmodum non est consequens; effectus dominii in potum & cibum dicit destructionem illorum, Ergò hoc ipsum obtinet quoque in dominio comparatè ad servum considerato. Sicut ergò ex objecto variat ratio dominii quantum ad exercitium; ita hîc quoque sese res habebit postea dominio, quod dicit jus utendi corpore conjugis ad opus generationis &c. Dominium autem aliquod sive imperium potius competere marito in uxorem post lapsum constat ex Gen. III. 16. Verùm hoc est pœnale, & probè si hoc admittatur distinguendum erit inter jus mariti in uxorem & inter officium mariti, quod blandum & humanitate temperatum esse debet.

Etiam Mo-
sis & Natu-
ræ lex irru-
ptam exi-
git matri-
monii co-
fulam.

(3) itidem Author meminit denuò legis Christi, in quo peccat legem Christo peculiarem tribuendo; peccat illi perfectionem supra legem naturæ, quam cum Mosaica vult ut eandem, tribuendo, peccat denique eam solum ad mortem usque restringendo: nam etiam Lege naturæ durat vinculum usque ad mortem, & si ex Christi lege irritum esse conjugium cum eo, qui maritus est alterius mulieris, non hoc legi peculiari Christi, sed naturæ erit adscribendum in latiori illa significatione acceptæ.

Ad

Ad Th, XII

OBSERVATIO.

Aliquæ Causæ dari possunt Conjugiorum quorundam irregularium, quamvis illud de insita fuga non satis solidum esse existimemus.

Hic plura occurrunt examinanda (1) enim Author existimat causas certas & naturales, cur conjugia sanguine aut affinitate junctorum vetentur & illicita sint, non posse assignari. (2) rationem illam de latius spargendis amicitiiis per diffusas affinitates non esse satis ponderosam. (3) matrimonia parentum cujuscunque gradus cum liberis esse illicita & irrita, quia in ipsis affectibus insita fuga quædam commixtionis, cum ab ea etiam quædam animantia muta naturaliter abhorreant, quod probat Exemplo Cameli & equi Scythici. Disputari verò posse nos putamus num non possibile causas aliquas probabiles hîc assignare, quicquid sit de ædæquatis sufficientibus & proinde ita progredimur, ista conjugia illicita esse (1) ex hac causa, quia conjugium sua natura principaliter institutum est ad procreationem liberorum & propagationem generis humani: Genus autem humanum non propagatur feliciter per conjunctionem partium unius carnis, ut se habent liberi & parentes, frater & soror, sed plurimum, quemadmodum arborum species tam

fœcun-

Ex qua causa
sunt illicita
conjugia sanguine
aut affinitate
junctorum?

fœcundè non plantantur & propagantur, si
 decisi ab illis furculi non aliis arboribus, sed
 iisdem denuò inserantur. Quamvis autè hæc
 Ratio non sit simpliciter repudianda, dici ta-
 men potest opus habere demonstratione ube-
 riore, quod genus humanum per conjunctio-
 nem partium unius carnis non propagetur fe-
 liciter subsistendo intra circum Naturæ extra
 Moralitatis terminos; nec simile illud de ar-
 boribus rem conficit, cum dissimilitudinem
 ostendere in proclivi sit. (2) causa est, quia
 matrimonium familiaritatem quandam indu-
 cit inter Conjuges, quam nec admittit reve-
 rentia naturalis, quæ Parentibus à liberis de-
 betur, nec nimia æqualitas inter eos, qui pro-
 ximè sanguini juncti sunt: opponi tamen pos-
 set etiam familiaritatem quandam induci inter
 Heram & Ancillam, Dominum & servum in
 familia, nec propterea reverentiæ quicquam
 decedere, quam debent superioribus. (3)
 causa est, quia hodie post lapsum actus
 generationis, teste Augustino, cum pu-
 denda libidine conjunctus; hinc naturaliter
 abhorret homo cum illa persona copulari, à
 qua vel ipse natales non sine inordinata con-
 cupiscentiâ accepit, vel cui ipse natales cum
 eadem concupiscentia est largitus, aut etiam
 cum illa persona, quæ ab eadem carne est de-
 cisa, à qua transfusus in se libidinis motus si-
 mul cum altera veluti sentit. Et hoc ipsum
 Scriptura etiam ostendit Lev. XVIII. & XX.
 quando dicit: *ne discooperias turpitudinem
 matris, sororis &c.* Cum enim in consan-
 guineis

guineis & affinis principium ortus nostri intueamur, debetur illis certa quædam reverentia quoad ea, quæ ad actum gignendi pertinent. Hinc filii Noë Sem & Japhet averſa facie virilia Patris texerunt, & Cham maledictionem Patris ob irreverentiam & irrisionem incurrit Gen. IX. Notanter Augustinus lib. 15 de Civitate DEI cap. 16. *Nescio quomodo inest humana verecundia quiddam naturale & laudabile: ut cui debet Causa propinquitatis Verecundiam, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem de quâ erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.* Secundum quod concernit, illa ratio non videtur nobis esse contemnenda. Nam fundatur illa in charitate, quæ per genus humanum est dilatanda, quæ serpere debet ad alios, quæ non debet arctari & revocari. Quod ipsum colligere datur ex eo, quia DEUS dixit Genes. II. 14. *relinquet homo, qui ducit uxorem, patrem & matrem suam*, qua de causa, nisi quod amor iste debet se diffundere extra familiam, debet serpere foras? Neque obstat quod dicit, minus utile non statim esse illicitum, non enim saltem conjugium illud cum consanguineis est minus utile, sed etiam est peccaminosum, contra charitatem quippe & consequenter illicitum. Quæ autem addit ex lege Hebræis data, illa sunt peculiaris dispositionis & dispensationis divinæ. Quod (3) punctum concernit, non videtur satis tutum esse ad instam fugam in ipsis affectibus sese recipi.

Affinitatū
diffunden-
darum ra-
tio.

Fuga qua
affectibus
infra est
non arguit
communis.

tionem &
Naturæ le-
ge illicitam.

recipere, & horrorem illum naturalem in quibusdam animantibus brutis conspiceretur; tum quia affectus sine ratione indifferenter sese habent, & conditio objecti, ex qua vel fuga vel propensio lege & ratione manifestatur; tum quia, quod de mutis animantibus dicitur nec universale est, prout ipse Author docet exemplo adducto à Gallis g. llinaceis & aliis animantibus mutis, nec latis evidens, sed obscurum tantum vestigium & simulacrum; nec denique horror ex pudore & notitia alicujus legis natus, sed horror ex facti commissi saltem qualicunque conditione & cognitione, & videant tales num argendo hæc, non necessum habeant asserere, jus naturæ esse homini & bestiis commune; tum quia, quod de camelo & equo Scythico producit, non solum singulare est, verum etiam alia parte laborat, nam 1. equos incestum detestari non constat, cum contrarium testetur Aristoteles 6. de historia animalium cap. 22. scribens: *Equi vel suas matres vel filias superveniunt, atque tunc perfectum esse armentum videtur, cum parentes suam ineunt prolem.* 2. Byblis apud Ovid. 10. Metamorphoseon desiderans incestum cum fratre ad vestigium oppositum respicit, & simulacrum non vetiti incestus, sed signati apprehendit, concludit, atque in hæc verba erumpit:

*Si tamen hoc scelus est: sed enim damnare
negatur*

*Hanc venerem pietas: cosuntque animalia
nullo*

Cætera

*Cetera delicto: nec habetur turpe juvenca
Ferre patrem tergo; sit equo sua filia conjux
Quasque creavit inuit pecudes caper ipsique
cujus*

Semine concepta est, ex illo concipit ales.

3. Ipsa Scriptura non simulacrum hujus virtutis agnoscit in equis, sed oppositæ falacitatis Jerem. V. 8. quo referas illud Virgilii.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,

*Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore
Glaucci*

Potniades malis membra absumsere quadriga.

*Illos ducit amor, trans Gargara transque
sonantem*

*Ascanium, superant montes & flumina
tranant.*

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO I.

De gradibus prohibitis quibusdam laxius loquitur Grotius.

IN hac thesi agit Author de gradibus affinitatis & sanguinis ex transverso limite Lev. XIX. expressis, & putat non à jure naturæ venire hæc interdicta, sed à DEO data esse humano generi, vel in prima institutione vel in reparatione post diluvium. Sed (1)

Verum naturæ lex vetat affinitatis & sanguinis gradus? Propugnatur affirmativa.
Prima,

Ccc

ta em

talem legem aliquam vel interdictum asserere, quod non sit juris naturalis, interim tamen universo generi humano latum, juxta quosdam hinc obtinere non videtur, quia hoc interdictum ita est comparatum, ut ipse pudor naturalis eidem fundamenti loco substiternatur; quapropter posito quod per traditionem devenerit ad cæteras gentes, modus tamen tantum propagationis ita notabitur, fundamento juris naturalis manente salvo.

Secunda.

(2) Ipse Grotius ex Lev. XII. 24, 25, & 27. adducit talia, quæ satis ostendunt hæc interdicta fuisse aliqua ratione juris naturalis: e vomitio quippe Cananæorum ob transgressionem harum legum est indicium has leges non fuisse forenses, & consequenter morales.

Tertia.

(3) Locus ex I. Cor. V. vs. 1. & seqq. de conjugio privigni cum noverca inter gentiles non audito, obligatio ad has leges in N. T. Matth. XIV. 4., ipsæ leges civiles Romanorum prohibitionem in gradibus consanguinitatis ad secundum gradum inæqualis lineæ extendentes, à gentilibus profectæ, satis ostendunt hæc juris certa ratione esse naturalis; neque verum esse, quod Grotius concludit circa finem thesæos veteris tantum famæ de lege divina fundamento illa interdicta niti. Observandum autem (II) pro Grotio nihilominus quædam videri militare. (1) quod Levit. XII. 1. dicatur, has leges dari Israelitis, quorum Dominus DEUS erat, prout quoque vocantur judicia atque statuta passim Lev. XII. & XX. vid. cap. XX. vers. 22.

Militatur
pro Nega-
tiva 1.

vers. 22. hæc autem notant leges forenses. 2.

(2) quod diversitas aliqua sit pœnarum, quæ consequenter etiam probet diversitatem delictorum, ut non omnia sint juris naturalis, prout hoc ipsum constat ex Lev XX. 20. & 21. & (3) quod etiam misceantur Levit. XX.

3.
Sustinetur
Incurfus
primus.

Ceremonialia, adeoque non omnia sint juris naturæ ibidem recensita, sed etiam juris divini positivi, ut constat ex *psl.* 25. illius capitulis.

Verùm hæc non concludunt, non (1) tum quia etiam lex moralis verba illa decem æternum duratura data sunt Israelitis Exod. XX. quæ tamen maximam partem sunt juris naturalis; directus fuit sermo etiam ex Pontificiorum Interpretum sententia ad filios Israel communiter, quia de rebus fuit ex æquo pertinentibus ad omnes. hoc est de præceptis moralibus cum aliqua permixtione judicialium; tum quia illæ leges quidem dicuntur judicia & statuta, sed de ratione judiciorum & statutorum horum, & qualitate intrinseca nihil definitur, possunt autem etiam esse statuta & judicia juris naturalis. Ad (2)

Secundus.

respondetur illam diversitatem pœnarum saltem probare diversitatem gradus in peccatis, sub eodem tamen juris genere, quemadmodum Sodomiam & adulterium licet inæqualiter puniantur, tamen sub eodem genere juris naturalis comprehenduntur. Præterea nondum demonstratum est ducentem fratris viduam tantum esse à DEO puniendum *à reus*, non dignum supplicio à suprema potestate irrogando. Unde etiam Tostatus

centlet illud *absque liberis erunt* ita esse intelligendum, ut DEUS ipsos jubeat occidere nec velit permanere in opere illo nefario, ex quo filios habere possint, ipse Grotius asserit Sadducæos interpretatos fuisse: *nudi morientur*, ut pœna culpæ respondeat. Ad
 ultimus. (3) respondetur alia esse essentialia isti capiti, alia esse accidentalia. Essentialia de gradibus scil. prohibitis esse & manere juris naturalis, accidentalia autem illa esse alterius alicujus juris, & respicere speciatim populum Judaicum, quale quid comprehendit versiculus ille 25. cap. XX. quid quod ut consequens quoddam ex prioribus possit accipi hoc modo? quia ego tam diligenter separavi à reliquis populis quasi homines à bestiis, ideoque decet vos vel maximè ut in gratiam separantis, in testimonium illius discretionis vos separetis ab illis animalibus, quæ juxta illius judicium immunda contaminantia qualitatibus vel comparatè ad sacrificia, vel comestionem. (III) Observandum quo sensu itaque possit dici juris naturalis illud interdictum de gradibus. Existimamus autem juris naturalis esse non strictè & planè immutabiliter. Probè enim hîc distinguendum est inter ea quæ sunt juris naturalis strictè sic dicti, cujus oppositum intrinsecam habet turpitudinem, divinitus indispensabilem, & inter ea quæ sunt juris naturalis laxiori modo sic dicti. Illa prohibitio graduum non est priori modo juris naturalis, sed posteriori modo, & consequenter humanitus quidem
 indi

Improbationis graduum cum naturali iure congruentia.

indispensabilis, omnes homines obligantis, non tamen divinitus indispensabilis, aut absolute immutabilis. Est Juris naturæ non absoluti, sed hypothetici quod regnat suppositâ multiplicatione generis humani, de quo in libro primo & juris naturalis non prout inter prima principia & naturalia subsistit, sed ut ad moralem positivam se porrigit.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO II.

An Adamo sit data lex de conjugio fratrum & Sororum vitioso ostendi nequit.

DEinde in hac thesi Author meminit p. 152. circa fin. has Leges ne fratres sororibus miscerentur ipsi Adamo censi datas ab Hebræis. Verum (1) hoc ipsum Hebræi non possunt solide & sufficienter ostendere, (2) ipsimet dubii sunt, quibusdam hæc referentibus ad Adamum, quibusdam ad Noachum. (3) non probabile est datas illas Leges ut demum exercerent suam vim post multiplicatum genus humanum, sed potius, si talis Lex fuisset data, increcente multiplicatione videretur demum lata esse, aut si Adamo data, tamen vim suam exeruisse demum diffuso sanguine humani generis: quid etiam de illis præceptis sit sentiendum supra expositum, hoc quidem certum est Adamum novisse incestum esse sub vitio, esse contra

An de fratrum & sororum conjugio Adamo lex sit posita.

naturalem honestatem, verum an Lex eà de causa ipsi data sit eum cæteris istis præceptis & quidem non per inscriptionem in cor & mentem quo collimat Maimonides, sed exterius per promulgationem ut aliàs Rabbinus accipiunt qui probare satagunt ex Gen. II. vers. 16. id est quod nondum liquidum inter Doctores.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO. III.

Conjugium fratrum & sororum primis temporibus non fuit vitiosum.

An qui fratres sub initia Mundi fororibus mixti sunt violaverint legem? Affirmatur.

Ultimo disputat de conjugio fratrum & sororum, & producit ex Michaele Ephelio locum, quod ab initio res media fuerit. Verùm tripliciter potest hoc ipsum dubium expendi & expediri. (1) si ponamus conjugia fratrum & sororum esse contra jus, ut dicamus DEUM dispensasse, eamquam intervententem dispensationem incestus ratio cessarit. (2) ut statuamus non tam dispensationem intervenisse quàm necessitatem, quæ fecerit ista conjugia non fuerint vitiosa ex comparatione boni publici, cui cedere debet privatum, quia ex uno sanguine DEUS voluit omnes homines existere Act. XVII. & ita bonum speciei in discrimen fuisset adductum cessante conjugio Caini cum Sorore, ideoque necessarium fuisse, cum alia non fue-

rit

rit quàm soror, ut ipsam duceret. Lex enim subintelligi vult exceptionem primordialelem quod ipsum illustrari potest ex Physicis: ut enim ob bonum universi, ne detur vacuum in rerum natura, si terra hiat aliquo in loco aer descendit & ingreditur hiatum, cum hoc sit contra naturam particulare aeris, qui levis est, ita hoc ipsum quoque contigisse in primis istis matrimoniis. (3) denique dici potest aliquid esse contra Jus naturale vel absolutè tale, vel contra jus naturæ ex hypothesis tale; Contra jus naturæ absolutè tale non est conjugium fratrum & sororum, sed contra jus naturæ ex hypothesis tale, posita sc. multiplicatione, & abundantia hominum; contra hoc jus naturæ est tale conjugium & consequenter incestuosum, quam distinctionem exemplis illustravimus in annotatis ad lib. 1. ut dextrè Augustinus lib 15. de civit. DEI cap. 16. *Cùm Genus humanum post primam copulã Viri facti ex pulvere & conjugis ejus ex Viri latere marium feminarumq; conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines nisi qui ex duobus illis nati fuissent, Viri sorores suas conjuges acceperunt quod profecto quanto antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnable Religionè prohibente.*

Illustratur simili Physico.

Actio quocumque modi Juri naturali adversetur

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO I.

Non per gradus debitæ diligentia ascendit ad Veritatem Grotius sed pontificiæ seductionis in hac aberravit Materia.

Hic Author noster (1) statuit Legem de non ducendis affinibus recti gradus & sororibus esse perpetuam, ceteras autem Leges non item. At hoc ipsum est papizare & Pontificiis subscribere. Nos enim omnes illas interdictiones, quæ Lev. XIX. & XX. habentur, censemus esse juris naturalis in sensu supradicto cum graduum diversitate, (2) probare hoc ipsum intendit, & removere quæ obstant, & quidem probare vult ex Canonibus Apostolorum. At canones isti sunt supposititii, quod constat tum ex eo quia ipse Gelasius, Anton. Possevinus & alii ex ipsis Pontificiis illos ad apocrypha referunt; tum quia multi sunt in Canonibus istis, quæ ab ipsis Pontificiis non probantur aut observantur, prout hoc ipsum constat ex Sixto Senensi, Baronio, Martino Peresio & aliis, tum quia neque de numero neque auctore neque de auctoritate horum canonum hæcenus aliquid liquidi potuit etiam ex Pontificiis Scriptoribus, qui alias multum ipsis tribuunt, haberi. (2) falsum est quod respondet ad argumentum de peccato imputato

Interdictio
graduum
affinitatis
est legis
perpetua

Canones
Apostolo-
rum sub-
ventanei.

Canazo-
rum ex Pul-
siorum cau-
sa incestus
quoque fuit.

tato Cananensis, posse istam locutionem universalem restringi ad præcipua ejus capitulis. Atqui contrarium habetur in ipsis terminis: Dicitur enim Lev. XIX. *ne polluamini in omnibus hisce, quibus contaminata sunt universa gentes: dicuntur universaliter illa omnia abominaciones coram DEO: Dicitur omnem animam obnoxiam fore eradicationi ex suppositione talis facti vers. 24. 27. 29. & 30. (3) vult probare suam sententiam ex eo, quia Jacobus habuerit duas sorores atque Amramus Jochabedam duxerit. Atqui hæc non premunt nos, sed potius Authorem confundunt, cui facem prætulit Augustinus, si voluisset attendere lib. 16. de civitate DEI scribens cap. 28. *Vnde illi Jacobo acciderit quatuor habere foeminas, de quibus 12. filios & unam filiam procreavit, cum earum nullam concupisceret illicitè, divina indicat Scriptura. Ad unam quippe accipiendam venerat, sed cum illi altera supposita fuisset nec ipsam dimisit, quâ nesciens usus fuerat in nocte, vel ludibrio eam videretur habuisse & eo tempore, quoniam multiplicanda posteritatis causâ plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam, cui uni jam futuri conjugii fidem fecerat. Nam primò Jacobus non duxit duas sorores, sed deceptus Leam defloratam retinuit in conjugio per misericordiam, quam potuisset repudiare, per justitiam ut rectè sentit Lutherus, & probabile est dispensationem divinam intervenisse, quæ fecit, nè Jacobus in perpetuo pec-**

Exemplum
Iacobi duas
sorores
ducentis
non facit
pro Authore.

cato verſaretur ; neque obſtat , quod Pontificii regerunt , fuiſſe conſuetudinem loci , ut duæ ſorores cum Viro conjungi poſſent , Labanum enim cum decepiſſet Jacobum obtrudendo ei unam ſororem , obtuliſſe ei etiam alteram , illum verò omninò nihil dubitantem continuò acquieviſſe , neque parentes eum poſtea reprehendiſſe , neque ipſum factum purgaſſe . At poſito fuiſſe conſuetudinem loci num propterea laudabilis fuit , annon invaleſcere potuit , ut cultus Theraphim ſive Idolorum , præterea ficta fuit illa conſuetudo , ut agnoſcit ipſe Jansenius , palam enim nuptias quaſi Rachelis celebravit , & ſaltem hoc ante oportuiſſet indicatum , & ſi conſuetudo hic utramque fecit paginam , cur adhuc opus fuit ſeptennali ſervitio : acquievit autem Jacob quia affectus in Rachelem deſponſatam conſtans & tanquam Vir bonus nolebat *Leam* & *Ἰακωβω* . Secundo propria Vineta cedit ipſe enim ſtatuit Legem de non ducendis affinibus recti gradus & ſororibus ex quo multiplicari ceptum eſt genus humanum , eſſe perpetuam & hominibus communem , ut quæ honeſtate naturali nitatur , ita ut & irritum fiat , ſi quid factum ſit adverſus hanc legem ob vitium permanens , qui itaque propoſito ſuo convenire poterit Exemplum de Jacobo ducente duas ſorores . Tertio Amrami exemplum quod concernit , poteſt dici vel illo tempore rebus perturbatis lege nondum expreſſa , præprijis in Ægypto , viros etiam ſanctos fuiſſe ab-

Nec Amrami.

abreptos, ut minus dextrè hîc sese gesserint,

(2) Jochebeda in Hebræo vocatur Doda, nec fuit soror Patris vel amita, sed Patruelis sive amitæ filia, prout Chanameel dicitur Dod in masculino Patruus, cum tamen fuerit Patruelis Jer. XXXII. 12. 8. & 9. Agnoscit hoc ipsum Vulgatus & LXX Interpretes, ex Pontificiis Jansenius, qui vult fuisse filiam Patruis dicitur filiam Levi, ut Susanna filia Judæ, Christus filius David dicitur. (3) quid si voculam Dod accipiamus generaliter, quomodo demonstrabunt diversum sentientes hunc nexum specialem inter Amramum & Jochabedam esse necessariò admittendum, sanè ex voce Dod hoc exsculpere non poterunt, cum in genere notet amicum vel dilectum Cant. 2. v. 6. cap. 5. v. 1. & c. 6. v. 3.

Doda quid
Hebræis?

Tandem producit Canonem Elibertinum, atque putat sese obtenturum, aliquem posse post obitum uxoris suæ sororem ejus ducere. At (1) Concilium Elibertinum non fuit Concilium Oeconomicum sive universale, & in quamplurimis canonibus satis exiguæ autoritatis, quamvis seculo quarto habitum. (2) quod ipsum concernit punctum controversiæ, non potest probari conjugium tale, quòd Author proponit, ut sc. ducat aliquis sororem uxoris suæ defunctæ, esse non prohibitum jure divino. Tale enim conjugium esse inter verita computandum, liquet tum ex lege divina Lev. XIX. 18. ubi dicitur:

Nec consensus
Canonis Eli-
bertini.

sororem uxoris tuæ non accipies, & quamvis addatur ad affligendam eam, & dum ad-

buc in vivis est, non tamen consequens est, propterea mortuâ illâ licitum esse hoc conjugium: quemadmodum non est consequens, abstinere jubetur filius à peccatis, ne Patrem affligat dum adhuc in vivis est, E. mortuo Patre cessare potest abstinencia à peccato, & debet; tum quia ratio satis valida produci potest: nam, si non ducere licet uxorem defuncti fratris, ut in terminis habetur Levit. XIX. 16., etiam non licebit ducere sororem defunctæ uxoris: ratio est, quia identitas gradus hîc obtinet, est enim primus æqualis lineæ in affinitate; tum quia autoritate Theologorum nostrorum confirmatur hæc sententia, Heshusii scil. contra Hoffmannum, & Facultatis Theologicæ in Academia Jenensi. Cum enim quidam Judæus nomine Nathan mortua uxore contraxerat matrimonium cum sorore defunctæ, contra ipsum pronunciatum fuit, utut prætenderit legem illam Lev. XIX. 18. (3) Canoni Elibertino opponimus alium canonem Concilii scil. Antiochensis, qui ita se habet: *Si quis post obitum uxoris suæ ducat aliam, male facit; non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere*, videatur Binnius tom. I. Conciliorum, Bartholomæus Cazanra in recensione Canonum hujus Concilii.

Ad

Ad Th. XV.

OBSERVATIO.

De concubinato rectè pronunciat Author, ita tamen ut addat, quæ Errorem redolent.

Hic Author agit de Concubinato, atque dicit, verum & ratum esse conjugium, etsi effectibus quibusdam juris Civilis propriis privetur, aut etiam effectus quosdam naturales impedimento legis Civilis amittat. Illustrat (2) exemplis, & tandem (3) concludit, sicut in statu naturæ inter tales, quales jam diximus, copjugium verum esse potuit, si femina esset sub custodia maritali, & fidem marito dedisset; sic etiam in statu Legis Christianæ verum esse conjugium inter servum & ancillam, aut liberam & servum. Quod (1) concernit, videtur præscindendo à jure Civili, concubinatum non habere rationem veri conjugii. Nam I. quando Patriarchæ habuerunt concubinas, vocantur illæ in textu originali Pilegeschim, ex quo constat non fuisse verum conjugium aut veras uxores, sed pellices saltem. Secundò Kizelius in Synopsi matrimonii & alii Jurisconsulti ancillas, quas Patriarchæ præter uxores cognoverunt, utut aliquid de ratione uxoris habuerint, tamen etiam de ratione concubinæ aliquid habuisse existimant, Tertiò notum est, concubinatum esse non honestatis sed voluptatis, & concubinam

Vtrum Cō-
cubinatus
verum con-
jugium?

binam contradistingui matrifamilias, neque concubinatum dicere individuum & perpetuam vitæ consuetudinem. Sed rectè hîc Grotius statuit, concubinatum non omnem, sed quendam verum esse conjugium præscindendo à jure Civili, nec quæ est inter servum & Ancillam Conjunctio saltem dicere contubernium. Neque obstat quod de Patriarchis objicitur. nam 1. vox Pillegesch non est talis vox unde derivetur vox Græca *πελλαγή* & Latina pellex, quæ vocabula in sequiorem partem accipiuntur, sed deducitur à radice Pilleg divisit, quasi Pilegesch sit uxor divisa sive dimidia, h. e. primariæ uxori superinducta. Verum autem conjugium fuisse Patriarcharum cum istis ancillis patet tum ex eo, quia nati ex tali conjunctione dicuntur filii, ut constat ex Gen. XXV. *ψ*. 5. & 6. tum quia apertè dicitur Gen XVI. *ψ*. 3. de Hagare Sararam tradidisse eam Abrahamo marito suo ut esset Leischah h. e. pro uxore, ut & Gen. XXX. *ψ*. 4. tum quia vera uxor Levitæ Jud. XIX. dicitur & concubina. Non obstat 2. Kizelii sententia, non enim ex utroque participarunt, sed fuerunt uxores, interim tamen distinguendū erit inter primariam & secundariam, & posterioris generis fuerunt istiusmodi junctæ. Nec obstat ultimum, quia concubinatus non unius generis est, & talis qui ita voluptatis non honestatis nomen habet, utiq; non meretur nomen conjugii propriè sic dicti. Quod (2) concernit, rectè Author statuit, inter hominem liberum & ancillam ve-

Pillegesch
quid He-
brais?

Patriarcharum cum
Concubinis verum
fuit conjugium.
Dissipantur obstan-
tia.

rum

rum esse matrimonium, ut & inter civem & peregrinam; & si ratio matrimonii denegaretur istiusmodi conjunctionibus quantum ad formam, male diceretur, quapropter saltem extrinsecè & ratione effectuum quorundam tale matrimonium potius contubernium fuit dictum, quam matrimonium. Quod (3) concernit, Author I. ambiguè loquitur, quando statum quendam naturæ inserit, nisi hoc ipsum explicemus oppositè ad jura Civilia & dispositiones particulares horum vel illorum territoriorum. 2. repetit suum errorem de veritate conjugii, modò fœmina esset sub custodia maritali & fidem marito dedisset, cum tamen præter custodiam plus requiratur, & præter fidem marito datam mutua ratio quoque illius. 3. Quod de statu legis Christianæ dicit, aut intelligit ratione temporis, aut ratione conditionis externæ. Si primum inter servum & ancillam etiam in statu Legis Christianæ fuit saltem contubernium, nam vigeat penes Romanos hoc ipsum tempore Christi & Apostolorum; Hinc Seneca: *Promisi tibi filiam in matrimonium postea peregrinam apparuisti: non est mihi cum externo contubernium*, l. 4. de benef. c. 35. Si verò de conditione accipiatur, utique inter servum & ancillam, liberam & servum verum est conjugium, sed non vi conditionis & status, sed vi primæ institutionis. Hinc male loquitur quando status Legis Christianæ meminit, si enim non datur Lex Christiana, etiam non dabitur status legis Christianæ.

Ad

Ad Th. XVII. XVIII. & seqq.

OBSERVATIO.

Jus majoris partis suo non destituitur fundamento, non tamen nimium est extendendum.

Juris majoris partis fundamentum?

Hic Author agit de jure majoris partis, & ostendit qualis in aliis consociationibus sit obligatio, respondetque universitatem & ejus partem majorem nomine universitatis obligare singulos, qui sunt in societate in iis rebus ob quas consociatio quæque est instituta. Observandum autem hic (I) fundamentum hujus juris, quod obtinet major pars, quod videtur triplex esse primum positum in præsumptione naturali, quod ubi major pars ibi major quoque perspicacia circa res agendas, cum plus videant oculi quàm oculus, secundum ratio æquitatis, quã Grotius proponit, dicẽdo in iis rebus ob quas consociatio quæque instituta est, universitas & ejus pars major obligant singulos, quia credenda est fuisse voluntas in societatem coeuntium ut ratio esset aliqua expediendi negotia, tertium est, quia tale præsidium majoris partis ita comparatum est, ut aliquis acquiescere debeat illi ex eo, quia quod vult in sua causa, quando nullum aliud est remedium, id quoque debet velle in causa aliorum. (II.) Observandum jus illud majoris partis non obtinere in statu Monarchico, ubi summa potestas absorbet omne id quod

Jus Majoris partis in quo statu obtineat.

quod subditus sibi arrogat, nec etiam in Aristocratiâ, ita obtinet simpliciter, nisi velimus dicere ipsos Optimates esse tales, penes quos jus majoris partis sit. Quapropter maximè hic respicitur ad Democratiam, ubi tamen de qualitate majoris partis adhuc disquiri potest; & cum duplex sit judicandi ratio vel ad Legem & regulam, vel præter regulam, ex priori non potest esse jus majoris partis, ad regulam enim exiguntur actus in genere honestorum maximè, sed ex posteriori cum actibus quandoque cedit regula, ratio rationi, in classe scilicet utilium. (III.) Observandum jus majoris illius partis non posse urgeri in causa Religionis, quasi major pars votorum possit determinare circa aliquod dogma fidei: tum quia & hic obtinet illud pervulgatum: multitudo errantium errori non parit patrocinium. Socrates qui Multitudini imperitæ fidem habent dicebat perinde facere, ac si quis tetradrachmum unum contemnens rejiceret & acervum è similibus congestum probaret; tum quia negotium Religionis est causa Dei, quam multitudo vel paucitas votorum non fulcit, uno Michâ contradicente toti concilio Pseudo-Prophetarum; tum quia si dissensus sit in Religione, ad regulam sit respiciendum, non præter regulam agendum. Jus enim majoris partis est præter regulam. Interim tamen hoc fieri potest, ut si plurium votis aliquid collectum sit, Princeps attendendo ad plurium vota possit in externis deinde disporre de concluso, atque in suo territorio pro-

Jus majoris partis in Religionis negotio exulat.

D d d

hibere,

hibere, ne contra id quod plurium consensu collectum est doceatur, agatur, disputetur. Adjiciamus quæ ex Ebræis adducit Socius Religionis pag. 99. Instit. ad Exod. 23. v. 1, 2, & 3. scribens: *Violenta omnino videri debet interpretatio ad illud Exod. 23. v. 1. quia 1. interpunctio ipsa violenta est. 2. quia verbum sive gerundium infinitivum non habet ad pervertendum, non nisi violente exponitur, ad inclinandum, id est acquiescendum plurimorum sententia: cum longè alio sensu immediate ante usurpatum sit, imò sensu contrario. 3. quia periculosa est interpretatio; cum sensus ejus esse possit; ubi videris tot antecessiss; aliorum suffragia, quæ sufficiunt ad litem aliquam alicui, licet injustè, adjudicandum, ad unguè etiam tuum suffragium: quorsus enim contrariarum? quo sensu periculosior nullus dari potest. Verum est Hebræos alio paulum sensu accipere verba hæc; ut velint sequendam esse multitudinem que reum liberare & absolvere cupit, etiamsi unico tantum voto major sit; non verò eandem si damnet unico tantum voto superior existens. Cui addunt: Quando licet est de pecunia, votum unum superans sufficit ad absolutionem aut condemnationem rei. At quando licet est de capite & vita hominis, necesse est ut ad minimum duo vota superent partem absolventem, ad condemnandum reum. Sed ut sit, violentam hanc esse interpretationem manifestum est, ac fortasse non minus periculosa: quia sive nocens sive innocens reus sit, hoc*

did b b c i

juberi

juberi volunt ut procliviores semper simus ad liberandum & absolvendum quàm ad condemnandum: quod nescio an cum justitia conciliari ullo modo possit, & cum scopo divini hujus præcepti, qui est jubere ut in judicando conscientia & justitiæ ratio duntaxat habeatur, absque ullo personarum respectu sive *περσωπωνη-σικ*, sive pauci sive plures sint qui contra sentiunt: Gravissimum in judice peccatum esse, vel multitudinem suffragiorum, vel gratia vel odio rei abduci ad aliquid faciendum contra conscientiam, vel ad iniquam sententiam ferendum: Nihil magis decere judicem quam animo judicio liberum, & nulli sive homini ~~sana~~ sive turbe addictum mancipatumve. Cui sane non repugnat, ut cum plurium suffragio res geritur, ea pars obtineat pro qua plurima vota sunt; eamque etiam partem triumphare iudex, licet dissentiens, sivat. Hoc enim natura ipsa rei postulat, ut præcepto id juberi opus non sit, & salva sua cuique conscientia fieri potest,

Ad Th. XXIV.

OBSERVATIO.

De discessu civium strictius putamus esse agendum.

Disputat Author quid liceat quantum ad emigrationem, vel abscessum à Civitate, & respondet distinguendo, quod grega

An abscedere cives à civitate possint?

tim quidem discedi non possit; interim tamen de singulorum discessione aliam rem videri. Quod illustrat exemplo fluminis, ex quo aquam quidem haurire datur, non autem licet alio rivum diducere, fundatque hoc ipsum in pacto, quod concives iniverunt.

Grotiana explicatio castigatur.
1. Fundamentum illiciti discessus reponendo;

At 1. fundamentum non ponitur hic adquam, quasi negatio discessus tantum radicetur in pacto concivium; Verum præter hoc aliud & quidem proximius datur, nempe subiectio Civium, in comparatione ad Imperantem; nam si imperans habet potestatem in caput & dominium in bona subditorum, non poterit discedere, civis invito Principe, neque pactum si intercessit quoddam ipsum saltem obstringet; sed vel maxime nexus ille, qui est inter Imperantem & subditum. Sicut autem ratione fundamenti Author non dextrè sentit, ita quoque circa ipsum punctum controversiæ. Non enim tantum gregatim non possint discedere Cives, verum etiam quisque non potest sese subducere, & quod de multitudine asserit Grotius, id quoque asserendum de singulis civibus; quod probatur 1. auctoritate divina: si enim jure divino subditus tenetur ad obedientiam Potestati supereminenti, & quidem unusquisque, nullus etiam nullo posito pacto, poterit discedere invito Principe, eo ipso quòd debet obedientiam jure divino.

2 Rationes firmantes produciendo;

Rom. cap. 13. 1. & seqq. 2. Probatur rationibus: Quia omnis subditus ita sese habet ad Dominum suum, ut non possit illi sese subducere.

ducere, quod liquet, tum quia nemini licet deserere Patriam invitam, cum plus debeat ipsi, juxta plures quàm ipsi Patri; tū ex eo, quia qui deserit Patriam, & sese subducit Principi, furti quoddam genus committit, quemadmodum mulier si discederet à viro, graviter peccaret, quia est sub illius Imperio, ita & hic sese res habet, & quidem multò magis, quantò arctior nexus, quoad subjectionem hic conspicitur, tum quia non tam nobis nati sumus, quàm Patriæ, & qui illi præest. 3. Denique probatur autoritate etiam profanorum Scriptorum. Nam rectè Cicero de Republica scribit: *Patria antiquior Parens est, quam is, qui ut ajunt, creavit, & major ei profectò quàm Parenti debetur gratia.* Si ergò Patriæ nemo anteponendus, etiam extranea Respublica non erit anteponenda. Hoc autem obtinet, nī contrarium sit expressè dispositum, populus gaudeat singulari libertate, prout de Germanis produnt & Historici & Politici. Sicut denique in ipso puncto non satis sibi constat Grotius, ita (3) Exemplum de flumine non quadrat: tum quia pariter posset colligi, de Domino numerosæ alicujus familiaris, & multorum servorum, posse illi quidem unum subduci, sed non omnes; tum quia impar nexus est omnium & unicujusque ad Dominum moralis, in parte autem aquæ majori & minori nexus est aliquis physicus; tum quia dispar hic est ratio; flumen enim in tantum mansit commune; in quantum aqua haurienda est ex illo ad potum,

Ad Autoritatem provocando,

similis adducti disparitas ostenditur.

tum, vel alium particularem usum, juxta illud:

Quid prohibetis aquas, usus communis
aquarum est?

De quo ipse quoque Grotius, cum in tractatu de Mari libero, tum in presenti etiam cap. 3. lib. II. At singuli cives, & unusquisque illorum non se habet communiter & indifferenter ad hanc vel illam Rempublicam, sed quæ hic est ratio universitatis civium, ea quoque est singulorum.

Ad Th. XXVI.

OBSERVATIO.

Arrogatio est sub Adoptione.

Author agit de specie subjectionis nobilissima Arrogatione: atque definit illam, quod sit talis subjectio, qua quis se ita dat in familiam alterius, ut ei subsit ad eum modum, quo filius qui maturæ est ætatis, sub est Patri. Cæterum hic observandum, arrogationem esse speciem aliquam adoptionis, & adoptionem latius patere. Hinc adoptio duplex, quædam est, qua is, qui filiusfam. non est, vel quia ascendentes per lineam masculinam non habet, vel quis per emancipationem, aut alia ratione egressus est eorum potestate, ab aliquo adoptatur; quæ adoptio peculiari nomine arrogatio dicitur; quædam autem adoptionis species est strictior, quando sc. filiusfam. ab alio in filium recipitur, à quo immediatè non est

car.

Arrogationem adoptionis esse speciem per divisionem explicatur.

carnaliter genitus. Et differunt hæc duæ species, quòd hæc sc. adoptio strictè sit dicta; est filiisfam. illa verò illius, qui extra patriam erat potestatem. Aliàs Moralistæ etiam dividunt adoptionem in mancipationem & arrogationem, de quo ita pronunciat Satrianicensium Episcopo. *Adoptio est duplex, nempe Mancipatio & Arrogatio. Mancipatio, contractus est, quo Ioannes pater Petri cedit Francisco ipsomet Petrum in filium; ex cuius contractus vi, incipit Petrus non esse filius Ioannis, sed Francisci; & quia fieri non potest ne realiter loquendo ejus sit filius, incipit moraliter non esse Ioannis filius, & incipit moraliter esse Francisci filius: hoc est, virtualiter. Hic contractus Emptio solebat dici, quia adoptans pretio asis (hoc est hereditatis integra) filium à reali patre emebat. Augustus Cesar Cajum & Lucium adoptavit domi per assensum & libram emptos à patre Agrippa. Suetonius. Arrogatio est cum aliqui emancipatus, qui sui juris aut morte parentum, aut superiori legittima quacumq; auctoritate, effectus est, arrogatur ab aliqua persona in filium. Utraq; adoptio, ut perennis sit, debet non opponi legibus & sanctionibus publicis. Illa enim, quæ contra Leges fiunt, debent utiq; pro infectis haberi. Regula LXIV. Apud Romanos fiebat solemniter, Mancipatio per Prætorem, & per populum Arrogatio: qua auctoritate publica facta, annullati & cassari non poterant. Vbi non suppetebat publica & politica Lex, iure-*

Adoptio-
nis divisio
alia.

jurando utraq; pars adstringebatur institutore
Q. Mutio apud Ethnicos Pontifice Maximo :
Privati enim contractus etiam habent vim Le-
gum, ex Regula LXXXV.

Ad Th. XXVIII.

OBSERVATIO.

Jus vitæ & necis non habent Do-
mini in servos.

Disputat hîc Author de jure, quod ha-
 beat Domini in servos, atque afferit,
 jus vitæ & necis Dominos non habere in ser-
 vos, sed illud esse ex populorum quorun-
 dam legibus. Ubi (1) expendenda est na-
 tura servitutis, in qua non commodè loquun-
 tur quàm plurimi. Aristoteles putavit dari
 servos naturâ. Jcti autem sentiunt, nullum
 salêm dari, sed libertatem esse quandam na-
 turalem facultatem, cum omnes naturâ na-
 scantur liberi. Verùm rectè contra Aristo-
 telem defenditur, non dari servum naturâ:
 tum quia servitus non est naturale quid, sed
 civile; tum quia, si natura daretur servus ex
 mente Aristotelis, Rex aliquis natus hebe-
 tioris animi deberet sese subjicere & sub-
 mittere illis, qui ingenio ipsum superant;
 tum quia servi ita sese possent subducere im-
 perio Dominorum, prætendendo natura-
 lem facultatem perspicaciæ, generosita-
 tis, &c. quapropter longe aliud est, esse ser-
 vili ingenio, & indigere directione & regi-

Nemo est
 servus Na-
 turâ.

mine alterius ; aliud est servum esse. Prius quidem naturale est, sed posterius ita dici nequit. Si autem quis velit ad oppositam deflectere sententiam, videtur etiam illa non satis esse tuta, nisi vocabulum Libertatis naturalis distinguamus. Naturale I. dicitur vel id, quod homini congenitum est, & per modum facultatis eidem inest; vel id, quod competit alicui homini, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè nulla supposita constitutione Civili contraria. Priori modò libertas non est naturalis facultas : nam qua ratione potest illa locum habere in servo, qui naturalibus suis facultatibus etiam sub dominio gaudet; posteriori autem modò si accipiatur, admitti quidem potest, verùm ita improprie dicitur libertas facultas naturalis. Quapropter potius dicendum erit, libertatem & servitutem esse conditiones politicas, discrimina statuum, non vel ex natura, vel ex jure aliquo naturali pendentes, sed ex dispositione divina, ex qua contingit e. g. ut aliquis in bello capiatur, & consequenter servus fiat. (2) quod concernit jus vitæ & necis Dominorum in servos, id ipsum dupliciter intelligi potest, aut supposita Republica & ordine civitatis, vigentibusque judiciis, aut præcindendo à tali statu; priori modò jus vitæ & necis Domini non habent in servos : Ut enim potestas publica absorbet jus illud in parentibus, ita quoque tollit hoc jus & potestatem privatam in Dominis. Posteriori autem modo non videtur absur-

Naturale
quor
modis
dica-
tur?

Jus necis
& vitæ Do-
minorum
in servos
an & in
quo statu
obtinere?

D d d ¶ dum

dum dicere Dominos habere jus vitæ & necis in servos, adeo, ut si e. g. Dominus esset in Insula, & in familia sua aleret servos, posset occidere vel per se vel per alios. Sed sicut hæc facultas ex parte subjecti est in Domino, posito tali statu, ita ex parte objecti requiritur sufficiens demeritum & causa supplicii, & quæ est ratio in tali statu Domini ad servos, quantum ad facultatem necandi, ea quoque Patris, ut nihil peculiare hîc habeant Domini præ Patribus. Posito verò Ordine Reipublicæ Moralistæ statuunt etiam rempublicam non posse vitæ & Mortis potestatem concedere in servos, & probant hoc modo: *Non potest Respublica concedere vitæ & mortis potestatem in servos, qui de facto sunt capti. Quia neminem innocentem potest Respublica damnare; atqui servi innocentes supponuntur: ergo non possunt condemnari. Consequentia est legitima, major desumpta ex Regula XXI I. minor certa. Subsumo; Atqui committere vitam ipsorum, arbitrio domini, ita ut possint occidi sine nova causa, est illos condemnare: ergo. Si dicas, posse illos damnari propter invasionis dirum crimen, ratione cuius potuerunt & occidi & servari: respondeo, tunc quidem sine nova causa potuisse occidi, jam non posse: illa enim culpa est illis condonata, & mortis pœna, quam incurrerant, in servitutem commutata, standum est enim contrafacti, qui ex Regula LXXXV. habet vim legis.*

legis. (3) Author agendi impunitatem impro-
priè jus dici existimare, & si Dominus ser-
vum occidat aut occidere posse dicatur,
non hoc jus esse existimat. Habet autem
Dominus rationem impunitatis juxta legem,
Exod. XXI. 20. ubi dicitur: *si quis percusse-
rit servum suum, vel ancillam virga & uno
die vel duobus supervixerit, non subjacere
pœna, quia pecunia illius est.* Quæ conven-
nit cum lege Cornelia de Sicariis: *servus
si plagis defecerit, nisi dolo id fiat, Dominus
homicidii rem non potest postulari, modum
enim castigandi & in servorum coercitione
placuit temperari, nec male ad legem di-
vinam Pontificius Interpres notat: agere de
gentilibus servis & moderari iram dominorum
in servos & ancillas: etsi enim dominus jus ha-
beat castigandi mancipia juxta mensuram de-
lictorum, non tamen jus habet vita & necis,
ut ineptè olim censuerunt Romani. Dicit ergò
hæc lex, si virgâ percusserit, non gladio: nam
crediderim eum qui gladio percussisset, etiamsi
post aliquot dies servus moreretur, pro homi-
cida habendum & puniendum. Satis enim
patet, eum qui gladio vel simili instrumento
utitur, mentem habuisse necis inferenda. Sub-
ditur, & mortui fuerint in manibus ejus, hoc
est, interea temporis dum virga percutit. Vbi
notatur immoderata & nimis sava percussio,
qua baculi confusione fiat. Is, inquam, qui
ira percusserit, & mortem baculi ictibus intu-
lerit, criminis rem erit, hoc est, tamquam*

An agendi
Impunitas
dicenda sit
Ius

homicida morte punietur. Sin autem servus vel ancilla uno alterove die supervixerit, dominus non subiacebit poena, quia pecunia illius est, hoc est, quia mancipium illius est pecunia emprum; ob eam enim causam jus habuit castigandi servum: & quamvis in puniendo excesserit, excessus tamen ille non fuit usque admodum immoderatus, neque certum an ex contusione illa mors secuta sit, potest enim vel per Medicorum vel per servi incuriam mors illa esse secuta. Itaque in hoc posteriori causatua illa attenduntur, ratione quorum homicidii rem non fieret dominus, scilicet quod domino jus esset servum castigare, quod castigatio adhibita licet esset immoderata, non tamen ita barbara & sava esset sicut prior; denique, quod mors secuta non certo ex vulnere, sed aliunde nasci potuerit.

Ad Th. XXIX.

OBSERVATIO.

Laxat nexum contra Scripturam, quem DEUS adstringit, dum servo fugam probabiliter concedit.

An servus fugere possit?

IN hac thesi circa finem Author concludit: Si immanis sit Domini saevitia, servos eos, qui ipsi se in servitute dederunt, fuga sibi posse consulere. (2) probabilem esse hanc sententiam dicit, & tandem (3) ad dicta Apostolica respondet generalia illa esse, & sal-

tem

tem subjectionem indefinitè indicare. Confunilia legas apud Casistas & Pontificios Theologos qui ita decernunt: *Si servus prudenter timeat à Domino occisionem vel mutilationem injustam, vel damnum simile, posse licite ab eo fugere, nec reverti, durante illo periculo.* Ita *Rebellus cum aliis ubi supra num.*

6. *Quod idem cum Antonio 5. part. tit. 3. cap. 6. §. 7. docent Molina, & Rebellus ibidem de servo, de ancilla, quos dominus ad peccandum sollicitat. Ita ut ea de causa in periculo peccandi mortaliter sint: imò eo ipso quod dominus ancillam aggredatur, ut ea ab utatur, vel eam publicè prostituat, ut lucrum ex ejus turpitudine accipiat, potest fugere, & liberam se estimare, ut cum aliis multis notat Thom. Sanchez. lib. 1. consiliorum cap. 1. dub. 9.*

Hæc tamen indigent Explicatione; nam qui sese in servitutem dedit, ille est in nexu Domini, neque potest sese subducere illi, sicut enim aliarum res si transeant sub dominium alterius nō possunt, (si possibile esset) se subducere nec subduci, nisi cum crimine furti, ita quoque servus eo ipso quo est sub dominio non potest sese subducere Domino fugà, nisi velit contaminare sese illo crimine, hinc etiam fugitivos servos retraxit Simej, I. Reg. II. v. 39. & 40. (2) Hæc sententia non est probabilis,

Qui ipsi se in servitutem dederunt fuga con- sulere sibi non possunt.

Nec ea tantum probabilis sententia est.

sed quæ conscientias laxat, ut pleræque Moralistarum; hausta est enim. ex Lessio, cui calculum addunt Molina & alii. Lessius enim l. 2, c. 5. dubitatione 5. tres conclusiones format, quarum 1. Certum est posse

posse fugere, si non sint justè in servitutem tracti, nec solùm fugere, sed etiam vi repellere impediētes, & surripere à Dominis suis, quantum satis est ad compensationem injuriæ & operæ præstitæ, imò quantum possunt. 2. Si à Domino incitentur ad aliquod peccatum, qui rogatus nolit desistere, vel si inhumaniter tractentur, fugere possunt: quia, inquit, inhumaniter tractando facit eis injuriam, à qua se possunt eripere per fugam, cum alia ratio non suppetat. 3. Si Dominus sit Judæus aut Paganus Jurisdictioni Principis Christiani subjectus, vel sit hæreticus, servus Christianus hoc ipso fit liber, ac proinde potest Dominum suum deserere. Ut enim jam non excutiamus primam & ultimam conclusionem, media, quam approbat Author, ratione probabili plane non nititur: tum quia posito quod Dominus faciat injuriam servo non tamen potest propterea fugere, quemadmodum si Princeps injuriam faceret Civi non confestim posset sese subducere istius Jurisdictioni & Imperio: cum aliàs imperia & regna facile collaberentur; tum quia ita servis latissima porta aperiretur ad eludenda imperia Dominorum; tum quia alia ratio suppetit in tali casu nempe injuriam pati, patiēdo enim injuriam nihil mali agit, sed exercitio patientiæ se DEO commendat, fugiēdo autem male & contra conscientiam agit. (3)

sensus dī-
ctorum de
subjectio-
ne servo-
rum.

putidum est quod ita vult eludere dicta Scri-
pturæ, quæ contrarium præcipiunt, nam 1.
Apostoli informant in istis dictis Christia-

ROS

nos & conversos etiam, qui nunquam tam crudæ fuerunt mentis, ut omnem subjectionem rejecerint, tanquam pugnantem cum Christiana libertate, sed de dura, de iniqua tantum fuere dubii, 2. hac ratione Apostolus commendasset subductionem servorum, in Republicâ & mores introductos illius temporis peccasset, & ex hoc capite potuisset accusari. 3. Disertè Petrum non solum subjectionem privatam & publicam injunxisse, sed etiâ subjectionem onerosam & iniquam, patet ex I. Pet. II. v. 18. 19 & 20. Vult enim ut servi sint subditi in timore Dominis, h. e. cum timore & tremore; Ut Hieronymus propterea scribat maximû esse servorum vitium Dominis contradicere, & cum aliquid jusserint secum musitare; vult etiam ut pravis se se subjiciant, ubi per pravos non intelligit tales, qui sunt durî pravitæ vitæ, sed genii & tractationis h. e. difficiles, morosi, ad verbera proni. Vult denique ut propter conscientiam ferant molestias, & patiantur injustè. Quæ omnia Grotianam elusionem obtundunt. Paulus fugientem servum Philemonis Onesimum ad dominum remittit ut constat ex Epistola ad Philemonem, nec obstat Fuga Jacobi & discessus à Labane Gen. 31. fugit enim ex Oraculo quale DEUS servis non indulget, non Savitia Domini, cui opponenda est patientia, si servitus sit infima per totum vitæ tempus, sin laxior & imperfecta ad præfixum terminum. no Mortis Metus, cum adiri possit summa Potestas superior Domino, quæ fibulam im-

dura contra Grotiû vindicatur.

pone-

ponere. de Servorum autem statu veteri & divisione legantur Petrus Ciaconus, Fulvius Ursinus, Titus Popma & Laurentius Pignorius.

CAPUT VI.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Juxta Authorem in translatione Domini requiritur ex parte dantis voluntas per verba vel signa exteriora expressa non tamen necessario traditio.

An ad translationem Domini sufficiat in dante solus voluntatis actus?

Hic agit de eo, quod requiritur in dante ut alienatio fiat, & dicit in dante non sufficere actum internum voluntatis, sed simul requiri aut verba, aut alia signa externa, traditionis autem requisitionem esse juris civilis & juris gentium in proprie. Ubi (1) disputant Moraliste in primis Dominicus à Soto, num quis solâ voluntate naturali jure rei suæ dominium possit ad alterum transferre? & movent sequentia I. quia si pro suæ quisque voluntate transmittere posset dominium, sequeretur actu quoque solo mentis interno id fieri posse, nam mentalis conceptus est vera locutio juxta Aristotelem. Hinc etiam votum DEO mente factum validum est. Si ergò voce aliquis potest donare, poterit &

men-

mente. Consequens tamen videtur falsum esse, quia matrimonialis consensus, per quem uterque conjugum alteri se tradit, nisi voce aut nutibus explicetur signisque externis, minimè solidus est. 2. Si id cuique jus naturale indulgeret, ut esset arbiter suæ voluntatis in rerum suarum dominiis transferendis, sequeretur ejusmodi voluntatem neutiquam jure civili posse prohiberi; humanæ enim leges contra jus naturæ non valent. Consequens autem falsum esse patet ex creberrimo cujuscunque Reipublicæ statu & usu: Sic e. g. minores non possunt sua bona alienare. 3. Si unusquislibet posset pro suo arbitrio rem suam alienare, sequeretur eundem perinde posse pretii mercedisque dominium pro re turpi in alterum transferre; consequens iterum est falsum: qui enim corrumpendo Judici aut Assassino, ut hominem occidat, quicquam confert, etiamsi ultro hoc faciat, dominium tamen non transfert. Hinc videtur illud Grotianum non subsistere, juris naturalis esse ut rerum domini dominium aut totum aut ex parte transferre possint. Quæ tamen ex eorum quoque sententia non concludunt. Nam 1. de translatione domini est sermo inter homines, votum autem est promissio non inter homines, sed inter hominem & DEUM. Quapropter non necessarium est ut per signa etiam exteriora fiat. 2. Translatio est duplex: alia quæ per translationem fit & contractum, ubi ultro citroque nascitur obligatio, & in tali utique

Moralistarum sententia prima proponitur. Ratio prima secunda,

Additur tertia.

Translatio-
ni distin-
ctio.

opus est signis externis, cum non sit simplex datio sed hypothetica, mutua scil. do ut des, prout patet in emtione & venditione. Hinc contractus matrimonialis talem consensum requirit, qui est per extrinsecam, explicatio- nem. Alia autem est simplex translatio, qua- lis est donatio, quæ nullam ab altera parte obligationem postulat, & de hac dubitant quidam. Nam, si firmato consensu men-

Mentis
Conceptus
qui sit lo-
cutionis

te do aut polliceor rem aliquam, postquam illa assertio vera est in mente, videtur me li- gare. 3. Quod de interno mentis conce- ptu, dicitur illum esse locutionem, hoc du- pliciter intelligi potest, aut quantum ad usum Philosophicum, aut quantum ad civilem con- versationem: Priori modo illud ipsum ob- tinet, sed non posteriori. Quanquam etiam de usu philosophico possit disputari, si quæ- stio sit, ut est, de locutione humana, quæ or- dinariè notat aliquod externum & sensibile.

II.

Ad (2) argumentum respondetur, quamvis in jure naturæ fundetur, ut habeat Dominus potestatem abalienandi illarum rerum qua- rum est Dominus, tamen in eodem jure, vel si non jure, saltem ratione naturali & æqui- tate fundatur, ut voluntas Domini quando- que cohibeatur. Si enim homo naturaliter est animal civile, quod in societate vivit, & coalescere in unum mortalium vita non po- test, nisi à publica authoritate in pace conti- neatur, (quæ quidem authoritas tum custos est Reipublicæ tum justitiæ judex:) ad legitimam autem custodiam necessarium est,

ut

ut civibus prospiciat, ne antequam illorum libertas pleno rationis judicio ducatur, sua bona dilapident, de bonis pupillorum utique poterit disponere, & voluntatem ab alienandi cohibere. Ad (3) respondetur Principem cogere posse cives, ut ubi opus est contribuant, quia Reipublicæ custos est, & quia unâ justitiæ judex, posse & propter criminitum Dominos suis privare bonis, tum alios ne recipiant inhabiles efficere, atque hac ratione tum ille qui corrupendo Judici, tum ille qui Assassino pecuniam offert, eadem mulctatur, & quibus offertur illa pecunia inhabiles meritò fiunt, ne dominium ad ipsos transferatur, vel illud acquirant. De traditione Author disputat illam non requiri ad alienationem de jure naturali, sed saltem lege civili. Ut autem constet non de jure naturali requiri ad alienationem, probamus hoc argumento; Q. non in omni alienatione requiritur, illud ipsum non est per se ad alienationem, adeoque ex jure naturæ necessarium: Traditio non in omni alienatione requiritur. E. Major est evidens, quia à negatione universalitatis, & negationem perfectitatis legitima est consequentia. Minor probatur ex alienatione, quæ fit per beneficia, ubi dominium transfertur per collationem & acceptationem, ex alienatione per hæreditates: Ut enim aliquis fiat Dominus hæreditatis sive per testamentum sive ab intestato, non requiritur aliud aliquid, nisi ut hæreditas adeatur; exemplo alienationis in legatis;

An ad alienandū requiratur de naturali jure Traditio.

si enim res aliqua legata sit confestim hoc ipso quo hæres acceptat hæreditatem efficitur ejus Dominus. Non itaque ex liquido sunt, quæ quidam statuunt, nempe traditionem requiri jure naturæ ad alienandum, atque alienanti imperfectum quoddam dominium ante traditionem adhucdum esse, adeoque actu primo consequi dominium aliquem per titulum & voluntatem alienantis, actu autem secundo per traditionem: Supponitur enim adhucdum superesse aliquod dominium ante traditionem factam in alienante, supponitur traditionem complere alienationem, supponitur habere sese per modum actus secundi & necessariò perficientis. De jure itaque naturali loquendo potius ita statuendum est, ut non necessaria sit traditio ad alienationem, interim tamen habet sese traditio (1) per modum requisiti utilis, & quandoque necessarii, quia per traditionem occurritur incertitudini dominiorum, quæ multarum litium est seminarium. (2) habet se per modum conditionis convenientissimæ ad usum dominii & necessariæ, quia sicut ut possim re aliqua uti naturaliter, requiritur in me vis utendi, & præterea in re conveniens applicatio, sic etiam ut possim re aliqua moraliter uti tanquam Dominus illius, requiritur ex parte mea aliquod jus per contractum aliquem vel similem modum, & præterea ex parte rei debita applicatio, quæ fit per traditionem vel apprehensionem. Denique (3) requiritur traditio per modum complementi & in-

An ad alienandum
Traditio sit
necessaria?

& indicii evidentis, ut hoc ipso intelligatur alienantem sese abdicasse dominio, & notum fecisse; quod accipiens nunc dominio istius rei alienatæ gaudeat. Quapropter quamvis traditio non sit necessaria de jure naturæ ad alienationem, est tamen rationi consona ad translationem domini.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

In Imperiorum Alienatione nimirum tribuit Author Populo.

AGit hinc de imperiorum alienatione, & dicit illa posse alienari, si sc. sint in dominio imperantis, sin aliter à populo, sed accedente Regis consensu, quia is quoque jus aliquod habeat quale Usufructuarius. At hæc cruda sunt. nam (1) posito regnum ali quod non esse despoticum, modo sit verum regnum, non Regis consensus erit postremum in alienatione, potestas autem alienandi penes populum, sed Rex poterit alienare, & populi consensus inter ultima erit ponendus. Majestas enim populo non relinquit facultatem alienandi. (2) falsum est Regem habere jus tantum tale, quale usufructuarius, nam ut non dicam, non nisi in privatis dominiis hæc vocabula posse usurpari de usufructuario & proprietario, si ponatur rex saltem usufructuarius, ponenda erit proprietas & consequenter Majestas & regnum apud populum.

An alienandi potestas resideat penes Regem?

Rex non est usufructuarius Regni.

Ecc 3

Libertas
populi alic-
nationis
Ius Regi
non inter-
cipit.

pulum. (3) Hæc non consistunt cum superioribus, ubi ipse Author de Regum statu, potestate & Majestate disputavit, & penes quem facultas est circa universum, imperium in caput, dominium in bona, quomodo dicendus erit usufructuarius. Nec obstat si dicatur, homines liberos non esse in commercio, omnem Rempubicã esse in populi usum constitutam, ejusmodi autem alienationes populo esse valde noxias, propterea nulli Regi hoc ipsum licitum. Nam (1) eo ipso quo populus est sub imperio alicujus Regis, non censetur constare hominibus simpliciter liberis, sed alterius imperio subjectis, utut non illa subjectone ultima, quæ est in regnis despoticis. (2) non omnis Respublica in populi usum est constituta, quum quam plurimæ etiam sint ad usum imperantiũ, qui ad utilitatem intendunt publicam non intentione primaria & directa, sed secundaria & indirecta, quia in salute populi salus etiam Regis quodammo- do fundatur. (3) si hæc vera essent, non fuissent tales alienationes omni tempore & toto ferè orbe receptæ, quæ arguunt ad minimum illas esse juris gentium.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Consensus partis alienandæ non ita certus est, ut Grotius opinatur.

Consensus
alienandi
ad ipsam
alienatio-

IN hac thesi requirit in partis alienatione, ut etiam pars de qua alienanda agitur consentiat.

sentiat. Quamvis autem ille consensus pos- nem non
pertinet.
sit facere ad melius esse ab alienationis, inte-
rim tamen non requiritur ad ipsum esse alie-
nationis. Nam (1) si sermo sit de imperiis
despoticis consensus non requiritur, quia
quemadmodum aliàs Dominus privatus po-
test partem servorum suorum ab alienare, eti-
am si illi non consentiant, & circa invitos hoc
jus exercere, ita quoque in despoticis impe-
riis sese habet. (2) quod obvertit Grotius,
qui in Civitatem coeunt, societatem quandam
contrahere perpetuam, id ipsum ita quidem
dicitur, sed dextrè intelligendum est. Nam
perpetuam societatem contraxerunt sc. si nihil
interveniat ex necessitate quadam, quod par-
tis abscissionem exigat, ut servetur totum. (3)
si Regna etiam non sint despoticæ, nihilomi-
nus potest pars alienari etiam citra consensum
istius partis. Si enim juxta aliquos Pater potest
alienare filiũ & vendere etiam invitum, pote-
rit etiam in regno, quod non est despoticum,
sed Regium Paterno æquale, hoc ipsum fieri.
Quamquam circa hanc Consequentiam & An-
tecedens illius nolimus principitare Senten-
tiam & supra mentem nostram exposuerimus.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Non tollit actum principis con-
traria voluntas vel corporis, vel eti-
am partis.

Author dicit, ubi manifesta est in con- Atq; Prin-
cipis in dis-
sentus po-
puli iri.
trarium voluntas aut Corporis aut par-
tis

tum non
reddit.

tis nihil actū debere intelligi. At hæc non possunt consistere. Nam (1) voluntas subditorū eo ipso quo sunt subditi, subest Principi, quomodo itaq; illa volūtas potest in tantum præjudicare actioni Principis ab alienatrici, ut nihil actum esse intelligatur in illa actione. (2) supponit Author semper ad utilitatem populi esse respiciendū & quidē laudabile hoc est sed non tale, ut si negligatur, actus oppositus censendus sit irritus, quod sanè in despoticis imperiis non obtinet. (3) quāvis concedamus Principem debere respicere ad utilitatem publicam, præprimis in alienatione partis ut totum corpus servetur, hoc ipsum non erit ex consensu partis alienandæ, nec requiret eam, sed erit ex officio Regis & potestate, qui etiam ab alienare potest invitam partem, ut servetur totum.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

An Testamenta dicant alienationem & juris naturalis conditionem disputari potest.

An alienationis species sint Testamentaria?

Hic agit de Testamentis, atque ponit illam speciem alienationis, (2) concludit illa esse juris naturalis. & (3) adducit exemplum Abrahami. Quod (1) concernit non videtur habere rationem alienationis adæquatè: tum quia si liberi sunt domini quodammodo paternorum bonorum existentibus adhuc dum Patribus, saltem quoad illos non videtur esse species alienationis; tum quia ipse

He Author p. 58. lib. 1. c. 3. th. 10. circa
 fin. successionem negat esse titulum Imperii,
 qui formam Imperio adsignet, sed veteris sal-
 tem continuationem, ita etiam circa priva-
 tos ἀναλόγως erit concludendum; tum quia ipsa
 Scriptura favere videtur, ut postea patebit,
 quapropter si statuatur testamētum alienatio-
 nis species, intelligendum erit respectu ex-
 traneorum, qui non sunt partes familiæ, vel
 si eo usque etiam intelligatur, alienatio erit
 intelligenda quantum ad ipsius domini per-
 fectum usum, qui sicut per successionem ab
 intestato, ita per dispositionem testamentari-
 am contingere potest. Secundū quod concer-
 nit non videtur juris naturalis esse testamen-
 tum, tum quia juxta ipsum pronunciatum
 juris Civilis testamenta sunt Juris Gentium,
 quemadmodum forma testandi Juris est
 Civilis; tum quia aliquid iniqui videtur,
 inesse testamento, ab alienatur enim ab illis
 aliquid quibus naturaliter debetur; tum quia
 etiam de ipso jure gentium dubitari potest,
 non enim apud Persas, non Athenienses, &
 quod maximè nos concernit, non apud Ger-
 manos fuit hæc ratio ab alienandi in usu, ut
 constat ex Tacito de mor. Germ. scribente.
*Heredes successoresque sunt liberi & nullum
 testamentum: si liberi non sunt, proximus
 gradus in possessione, fratris, patris, avuncu-
 li.* At rectè Grotius statuit juris natu-
 ralis esse hoc sensu quod scilicet jus Natura-
 le non prohibeat testamentarias dispositio-
 nes, idque satis validè confirmat ex natura

Num Juris
 Naturalis
 sint Testa-
 menta.

An Juris
 Gentium?

Ecc 5 domi-

●pprimun
sur ratio-
nes contra-
ria.

dominii; si enim posita rerum divisione jure naturali potest Dominus ab alienare ea quorum est Dominus, nisi obstat impedimentum quoddam civile vel aliud, etiam per dispensationem testamentariam licita erit abalienatio. Neque obstat quod testamenta dicantur juris gentium esse: tum quia notum est in jure civili passim jus gent. cum naturali confundi, & hos terminos synonymicè quandoque usurpari; tum quia Grotius hinc non attendit quid jus civile pronunciet de jure testandi; tum quia si verba accipiantur in ampliatione possunt dici juris civilis non tantum Romani, sed etiam aliarum Civitatum & Rerumpublicarum, quæ modum quendam hic determinant & solennitates quasdam præscribunt, adeoque manet potestas disponendi per testamentum juris naturalis. Secunda ratio non concludit: tum quia saltem si procedit, procedit in quibusdam testamentariis dispositionibus, nempe ubi sunt liberi qui ab intestato succedunt, quibus aliquid hac ratione subducitur; tum quia licet Pater non possit ex toto subducere, potest tamen ex aliqua parte, quemadmodum in præsentia, ita per dispositionem in futurum, ex lege gratitudinis etiam respectu extranei; tum quia si non iniquum fuit Primogenito quondam ex dispositione divina cessisse duplam portionem hæreditatis, iniquum quoque non erit, si Pater in distributione bonorum acquiritorum inæqualitatem aliquam per dispositionem observet.

Tertia

Tertia ratio non colligit; quia ipsa subverteret sententiam sive assertionem de testamentis, quod sint juris gentium. Nec obstat illud de Persis & Atheniensibus, quia deducitur à particulari, multo minus illud de Germanis: tum quia juxta Tertull. in Apologético c. 16. Tacitus fuit mendaciorum loquacissimus; tum quia non est consequens, penes Germanos adhucdum simplicissimos non obtinuit testamentum, Ergò non est juris gentium; pari enim ratione possem colligere: penes Germanos veteres testante Aventino lib. 1. Chronicorum, non extabat Lex scripta, ergò etiam defecit Potestas legislativa, vel ipsa lex qualiscunq̄ue, cum cantarint suas leges, unde adhucdum hodie vox *Gesetz* in aliqua cantione; aut: penes Persas fuit probatus incestus, ergò est juris naturæ vel juris gentium; tum quia nec Tacitus negat, testamenta fuisse penes Germanos; aliud enim est ignorasse testandi jus, aliud nullum usum fuisse: prius non dicit Tacitus, nec possumus, nisi sub moderatione, nempe quod usus rarior fuerit, non ubiq̄ue invaluerit, passim obtinuerit, idque ob defectum literaturæ & scripturæ, quemadmodum Romani testamenta condebant. Quis enim credat nihil disposuisse unquam hunc vel illum Germanorum de re sua post mortem ab hoc vel alio adprehendenda. Quòd (3) concer-

Respondetur ad exemplum.

testamentariæ, partim quia successio ab intestato regulariter obtinisset mortuo Abrahamo, ut nulla opus fuisset testamentaria dispositione; Lothus quippe vi sanguinis succedere poterat in bona defuncti, partim quia hic non de voluntario quodam disputatur, quod per dispositionem consecutus fuisset Eleasarus, quasi cogitaverit Abrahamum de adoptando filio Eleasari servi, cum queruletur potius apud Deum, & doleat quod filius Eleasari servi esset successurus, non itaque Abraham agit de aliquo, quod jure futurum esse censebat, sed quod quocunque modo propriis tunc temporis accidere poterat: quia enim Eleasarus erat primarius servorum, ideoque mortuo Domino potuisset herilem potestatem usurpare, domesticos & cætera bona sibi subicere. Quapropter melius probare videtur hoc ipsum Grotius deinde in notis ex Deut. XXI. Syracidis c. XXXIII. Ad locum enim Deuteronomii XXI. 16. annotat: *Ius ergo pater habebat assignandi cuique liberum suas portiones donando sive testando qua valebant usque ad Iubilæum: ad locum verò Syracidis observat, distribui solitam esse hereditatem in tempore Exitus testamento, non contractu.* An tamen solidè concludant intentum dubitamus. Lex enim ex Deuteronomio adducta libertatem testandi tollit, supposito jure contrario ex Primogenitura, nec colligi potest: prohibetur ibi testamentum in certu casu, ergo aliàs fuit in Usu, utur extra hunc licitum illud fuisse concludi

cludi possit. quamvis non negemus etiam ex nostris collegisse inde parentes debere liberis hæreditatem relinquere ac de ejus divisione inter liberos Testamento disponere. Locus verò ex Syracuse adductus à quibusdam nõ accipitur de testamentaria dispositione, sed de actuali circa tempus Mortis Distributione.

CAPUT VII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Rectè dicitur leges illas, quæ bona Naufragorum fisco addicunt esse injustas.

Quanquam mos hic apud aliquos obtinuerit, inveniuntur etiam qui putant Principibus & Regibus licere hîc quod non convenit privatis, nec non Dominium obtendant illius portus & littoris in quod ejecta fuerunt bona divinâ providentiâ, & tributa à Summo omnium Moderatore non tamen probari potest Consuetudo illa. quamvis enim quorundam fuerit, adversa tamen fuit ipsi rectæ rationi & particularis, nec stabilita in honestatis seminibus, sed utilitatis profana lolio: quamvis etiam dispar sit ratio Principum & privatorum in adjudicandis bonis, naturalis tamen legis est alterius & quidem miseri bona sibi non qualicumque modo appropriare. Inter prima principia recensentur:

Rationes pro Principe sibi vindicante bona Naufragorum.

Solutio illarum.

Summ

Suum cuique tribuere & neminem ledere:
 quamvis denique littoris dominium subsistat
 non tamen in immensum licentiæ Oceanum
 se porrigit, & ut terrarum dominium non
 jus aut facultatem dat Principi transeuntium
 ex infelici casu amissa Bona sibi facere pro-
 pria, ita multò minus in naufragio, nec si eji-
 ciuntur in littus Domini disponente sic DEO
 in favorem Regis aut Principis hoc est inter-
 pretandum, sed illius qui superest naufragio,
 quem DEUS moderatè castigare voluit, cujus
 solatio aliquid relinquere statuit, ex cujus Bo-
 nis quædam servare decrevit, cæteris forsan
 illi in peccatum aut luxum aliàs cedentibus
 ablati, cùm servata subveniant necessitati.
 Manet itaque fixum, esse illum morem con-
 tra justitiam, quæ non admittit aliquem re-
 sua citra factum privari, consideret Rex an
 æquum sit alterius infortunio sibi felicitatis
 incrementa quærere, expendat quisquis in-
 genuus est illud principium intimè fixum:
 Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris & fin-
 gat se esse in tam tristi statu infortunato casu,
 attendat esse hoc contra humanitatem. Barbari
 naufragū Paulum & socios exceperunt, fove-
 runt, num Barbaris magis inhumani erunt,
 qui inter moratiores recensentur? esse deni-
 que contra Charitatem Christianam, quæ vult
 ut proximo vulnerato, indigo, prostrato
 subveniamus, oleum affundamus, manus
 commodemus, non afflicto afflictionem ad-
 damus, magis dejiciamus & deprimamus.
 Unde etiam Imperatores Hadrianus & Anto-
 ninus

Argumen-
 ta contra-
 ria;

I.
 II.
 III.

ninus laudabiliter statuerunt, ut si naufragio navis expulsa fuerit ad littus vel terram attigerit ad Dominos pertineat. addito: *Fiscus meus sese non interponat*, eo ipso improbantes illud Poeta: *Res fisci est quodcumque nas. it.* Constantinus consimiliter cujus verba adducit Grotius, nec non Patrum nostrorum tempore Carolus quintus laudatissimæ memoriæ Imperator. ἀβλεψία tamen in signis est, quod Bodinum inculcat, qui oppositum habet, & de hâc consuetudine disertè pronunciat: Jus quæris, error jus facit. at si non peccatur errore, sed scientiâ scelus est, quod erroris specie prætenditur. Quam dira itaque illa Caramuelis lib. 2. pag. 88. §. 317. *Potest Rex in omnium opinione interdiceret ne amicorum naves ad talia loca appellentur, ne fluvios ultra tales terminos adscendant; cur non posset accessum concedere sub onere, quod, si naufragium patiantur, divitias universas perdant. Nemo peregrinus tenetur illa littora adire; & si adit, censetur ultro & voluntarius admittere gravamen impositum. Si consolamur experientiam centesima navis perditur violentiâ undarum. hic ego. Solvimus Anglis nummum trigessimum, hoc anno 1640. nam bellum inter Hispanos & Hollandos favit; solvimus, inquam, ut habeamus aperta littora & portus patentes; cur non & bona naufraga illis libentissimè cederimus loco nummi trigesimi, quem damus? Dicendum igitur est unamquamque supremam Monarchiam esse suorum littorum dominam, posseque*

Bodinus
oppositum
tenet illi-
us, quod
Grotius ei
tribuit.

que exteras naves aut non admittere, aut admittere imposito tributo & gravamine etiam exorbitantes: cui nimium videatur, non appellat; & si ad nos profici scitur censendus est suo jure cedere nostras leges admittere.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Et in conscientia non est tutum, & in vita civili periculosum & ex sacris non demonstrabile licere rem sibi vindicare deficiente probatione in judicio.

IN hac thesi Author statuit, si jus certum sit, sed simul moraliter certum, per judicem juris explementum obtineri non posse, ex defectu probationis posse aliquem rem suam sibi denuò appropriare, & hoc ipsum confirmare satagit in notis exemplo Hebræorum, qui in compensationem operæ res Ægyptiorum cœperint. At (1) hæc sententia laxat conscientiam, hausta est ex hypothesis Moralistarum Pontificiorum, & deviat à veritate divina, quæ hoc ipsum nunquam probavit, nam tutius id semper est in conscientia in quo non pecco, utut jacturam rei temporalis faciam, quàm in quo pecco & prævaricor: Pecco autem si in casu deficientis probationis quando juris explementum per judicem obtinere non possum, mihi met ipsi jus dico; Non

Injustum est quando juris explementum per Judicem obtineri nequit, rem propriam sibi vindicare.

Non pecco autem sed patior tantum aliquid, si in tali casu jacturam rei meæ patiar. Id itaque quod tutius hinc amplectendum erit. (2) Sicut hoc ipsum in foro interno conscientiae non potest admitti, ita quoque aliàs suis urgetur difficultatibus & incommodis: tum quia in tali casu malæ consequentiæ certissimum est periculum: quilibet enim ita potius jure suo vellet uti, quàm judicium subire, compendiosiore via & ut talis existimat certiore ad recuperendam rem, undè summa in Republica confusio; tum quia ita in vilipendium adduceretur officium Judicis, utpote qui præsupponitur à Grotio adesse, jus dicere, & saltem defectum esse ex parte actoris, quantum ad documenta probationum; tum quia hac ratione sese magis implicabit talis Jus naturæ prætendens & sua recuperans privato ausu: conquerente enim altero adversus vim & de neglectu sententiæ Judicis vel judicio, vero Domino deinde vi eripietur id, quod privato ausu recuperare studuit, & illi assignabitur, qui non est legitimus Dominus. Tertio quod concernit exemplum Hebræorum, illud plane huc non quadrat: nam (1) Hebræi non sibimetipsis dixerunt jus, sed DEUS Dominus principalis jussit hoc ipsum, ut constat ex Exod. 3. v. ult. sive igitur hinc DEUS consideretur sub ratione Domini, sive sub ratione Judicis, nõ quadrabit hoc exemplum. Priori enim modo habebit rationem donationis: aliud autem est donatio ab alio facta, aliud est rei alicujus subductæ aut debitæ pri-

Neminem
re suã sibi
posse priva-
to ausu ap-
propriare
Hebræorũ
exemplo
non proba-
tur.

vato ausu facta recuperatio, posteriori modo
 itidem erit mercedis assignatio ex iudicio, non
 privata Israelitarum animo facta appropriatio,
 atq; ita consideravit hoc negotium Author Sa-
 pientiæ c. 10. v. 20. scribens: *Deum redidisse ju-
 stis Mercedem.* cui succinit Alcimus: *tolluntur
 avari sic Pharaonis opes: quem tunc mercede
 soluta Servitii longum credas taxasse laborem.*
 Sunt qui putant Ægyptios ipsos pronos fuisse
 in Valorum ipsorum vel donationem vel de-
 relictionem, partim quia tanquam Domini se-
 cundarii donis Hebræos ornarint, alii ut ce-
 lerius discederent, alii propter vicinitatis con-
 suetudinem, teste Josepho l. 2. c. 5. quid au-
 tem donationi commune est cum hoc casu
 & actu quem Author proponit? Quia vero
 hoc suspectum est Interpretibus Josepho à
 populo suo suspicionem furti amoliri volen-
 te, in medio relinquimus hanc causam; par-
 tim quia si commodatum fuit, cum petierint
 ab Ægyptiis, vestes & vasa aurea atque argen-
 tea, restitutione fuerunt absoluti & ex inter-
 pretatione divina hoc ipsum cedebat in præ-
 mium laborum; partim quia si observemus
 textum originale Exod. XII. vs. 36. dicitur
 in illo Ægyptii fecerunt petere eos, ipsi ergò
 Ægyptii animarunt illos ad petendum, & ul-
 tro obtulerunt, adeo ut etiam exiverint Israe-
 litæ ex Ægypto juxta Josephum & alios flenti-
 bus Ægyptiis, & pœnitentibus ob malam tra-
 ctationem præteritam.

Ad

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Successio ab intestato non est ex Conjectura voluntatis, sed Jure naturali.

Author hic agit de successione ab intestato, atque putat illam colligendam esse ex præsumta voluntate defuncti. Sed non videtur admittenda esse illius opinio, cum potius juri naturæ tribuenda sit, quod ipsum non colligimus ex II. Cor. XII. v. 14. Si enim Parentes bona acquirunt liberis suis, consequens est jure naturæ ipsis cedere acquisita post mortem parentum. Quod argumentum confirmat (1) ipse textus Apostolicus debite expensus: nam thesaurizatio fit in posterum, naturaliter autem & ordinariè filii succedunt parentibus, Etiam succedunt in illa, quæ quæsitæ sunt in posterum. (2) ex analogia hoc ipsum & applicatione colligitur: Paulus enim hoc usque ad paternitatem spiritualem extendit & ex jure naturæ deducit, concluditque: Ego tanquam pater vester spiritualis spiritualia vobis impendo, atque relinquo. (3) ipse Grotius in Commentario ad illum locum adjicit illud Pauli Jurisconsulti: ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addicit. Hinc etiam contingit, ut detur querela adversus testamentum, quæ querela contra inofficiosum testamentum non locum

Successio ab intestato originem ex Jure Naturæ habet.

Confirmatur dicto Pauli ex 2. Cor. XII.

Fff 2

habe-

haberet, nisi profundius principium hîc locum haberet, nempe juris naturæ.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO I.

Parentes maximè debent alimenta liberis.

Quomodo
Parentes a-
limenta li-
beris debe-
ant?

Disputat hîc de alimentis, an sc. illa à patribus liberis debeantur. & (1) putat deberi non strictè sumto vocabulo debiti, sed latè. (2) probat quod & quomodo debeantur, & (3) ad naturales & vulgo quæsitos atque ex damnato legibus concubitu procedit, concluditque canones Christianæ pietatis & illis aliquid hîc assignare. Quod (1) concernit, non possumus admittere in laxa saltè significatione debiti cēseri parentes obstrictos ad alimenta. Nam (1) laxior illa obligatio est etiam in cliente, inter quem & patronum tamen non tantus est nexus quantus inter parentes & liberos. (2) quod juris naturalis est, id ipsum non est debitū saltem voce hâc in laxiori significatione usurpata, sed strictè: juris autem naturalis est alere liberos; quod ipsum probatur tum ex eo, quia ipsa natura ostēdit id quod produxit ex defectu nutrimenti productū non confestim objicere debere interitus: videatur Seneca l. 6 de benefic. c. 23. tū quia ipsa natura hunc in finē prospexit infantibus in utero & extra uterum per vias alimenta dedu-

cen-

centes & lac in mammis. Doctè & piè Basilius: *Summa profecto dilectio, summus amor brutis est inter parentes ac factus suos: quapropter & qui ea condidit DEUS, defectum rationis acrimonia sentiendi opulentiore temperavit, solatusque est. Nam unde fit, ut in obvium quidem tam copiosum numerosumque gregem stabulis exiliens agnus, matris sue continuo percipiat vocem, ad eamque properet, atque lactis fontes proprios rectè petat, papillisque maternis contentus sit, etiamsi perparum habeant succi, præteritis haud paucis uberibus lacte distentis? Quia mater ipsa inter tam multos numerososque agnos, eum internoscit, ut proprium. Una vox omnium est, unus idem saepe numero color, unus etiam penitus odor quatenus odoratus noster novit discernere. Atqui istis in est quedam sentiendi facultas nostrâ longè nimirum exactior, quâ suum cuique proprium facile dignoscere licet, tum quia qui finem desiderat, etiam in media fertur, finis autem est naturæ ut parentes per liberos reviviscant, & cum se non possint conservare in individuo, conservent se in posteritate & specie, juxta Aristotelem I Oeconomicorum c. 3. cum autem hoc non fiat per nativitatem, nisi alimentorum subministratio successerit, ipsa naturæ dictante alimenta consequenter subministranda erunt, ut illa continuatio in specie obtineatur. (3) si necat, qui non alimenta subministrat, & contra jus naturæ agit, contra naturalem instinctum, juxta illud Augustini: si non pavisti occidisti, consequens*

quens erit stricti esse juris, erogare alimenta natis, adeoque deberi non solum ex qualicunque honestatis ratione.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO II.

Argumentum Grotii nimis generale vacillat, quanquam quod de Qualitate vitæ prodit recto stet talo.

Alterum punctum expendendum est de Argumento quod nimis generale, qui dat formam dat quoque ea quæ ad formam sunt necessaria; quare qui causa est ut homo existat, is quantum in se est & quantum necesse est prospicere ei debet. de his, quæ ad vitam humanam naturalem & societatem sunt necessaria. Nam (1) hoc axioma est physicum, non applicabile ad debitum aliquod juris, & indicat quid necessario sequatur in naturalibus, non autem quid debeat sequi vi alicujus obligationis, nec consequens formam vitæ hinc est Conservatio per alimenta sub ratione alicujus proprietatis, sed consequens per modum officii supposita productione & Jure in fœtum ex naturali instinctu, & divino mandato. (2) aliter posset informari & commodius, si sc. concluderet hoc modo: si ipsa natura fœtus suos non terris tantum ostendit, sed etiam incrementa largitur, tunc multo magis homo, qui ratione gaudet, nõ solum causa est ut homo existat, sed & rationabiliter debet augmenta & incrementa natis convenientia,

An ad Iuris debitum pertrahi possit axioma; Qui dat formam dat quoque ea, quæ ad formam sunt necessaria?

ut Basiliius supra laudatus conclusit, cui addimus Ambrosium ita ratiocinantem. *Discant homines amare filios ex usu & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur, & sollicitæ, ne teneritudine deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non derelinquunt. At verò femina nostri generis cito ablactant etiam illos quos diligunt, aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt.* (3) Quod dicit de naturali & sociali

vita, hoc ipsum rectè sese habet, & proinde consequens erit non deberi tantùm alimenta qualiacunque natis, sed etiam alia & quidem de jure naturæ, nempe informationem, ut artes addiscant, vel aliquid unde se sustentare possint, collectionem honorum in futurum, ut prius quidem patet ex Epistola ad Tit. III. v. 14. posterius autem ex II. Cor. XII. v. 14. Et hæc esse Juris naturalis, ut etiam alimentorum procurationem, patet apertissimè ex I. Tim. V. v. 8. ubi deterior dicitur esse infideli, h. e. Gentili, qui adhuc dum lumine naturæ utitur, qui suorum curam non habet, cui addatur illud Christi Matth. VII. v. 9. Unde Tamburinus lib. quinto § I. pag 66. *Nomine alimentorum hic veniunt victus, vestitus, domus, lectus, medicina, impense funeris imò & Uxoris filiiq; sustentatio: atque hæc omnia juxta cuiusq; conditiones ita ut filio Nobili debeantur famuli & Pædagogus & libri & impense necessaria ad studendū & juxta morem patriæ etiam Equus. Hæc enim & similia cum bis indigeat filius alimentorum nomine hic com-*

secundum
Ius natura-
le liberis
præter ali-
menta de-
beri alia.

prehenduntur : uno verbo debentur alimenta secundum statum non verò solum secundum naturam.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO III.

Rectè Author perstringit Leges Romanas, ambiguè tamen de Correctione illarum loquitur.

Alimenta non tam Christiana Charitate quàm natura si iure debentur.

Quæ iure Cæsareo alimenta spuris interdican- tur?

Tertium quod concernit, rectè quidem Author reprehendit leges Romanas; verùm (1) quando dicit Canones Christianæ charitatis hunc rigorem correxisse, si hoc intelligat citra ostensionem & obligationem juris naturalis, quasi Canones illi correxerint hoc ipsum ex vi Christianismi tantum, admit- ti hoc nequit, cum lex naturæ quoque hîc ob- stringat, neque tantum ex Christianismo hoc ipsum pender. (2) alimenta possunt duobus modis æstimari 1. quatenus præcisè sunt ad vitam sustendendam necessaria. 2. quatenus requiruntur ad honestam sustentationem vitæ juxta qualitatem personæ, quamvis iure Cæsareo talia cõgrua alimenta olim negari de- bebant vel poterant spuris sive ex coitu dam- nato conceptis, non tamè alimenta quæ ad vi- tã necessaria sunt, & stricto naturali jure om- nibus debentur liberis, quippe quorum natu- ra communis est, tamen priori modo jure Canonico tenetur Pater & quidem conformi- ter Legi naturæ : unde etiam Moralistæ Azor- rius

rius, Molina, Fagundez statuunt, utut leges civiles videantur Alimenta prohibere, correctas tamen esse à jure Canonico, cum sit de Jure naturæ, ut Pater alat filium, quacunquẽ tandem ratione ab eo sit genitus; deducitur etiam patrem posse imo & debere relinquere filio spurio alimenta proportionata suo statui, & filix similem dotem ut quæ succedat loco alimentorum, constituere. (3) posito etiam filium vel familiam crimen admisisse, ob quod jure exhereditari possit, nihilominus alimenta denegari non possunt ea quæ ad vitam necessaria sunt, sed saltem illa quæ ad congruitatem vitæ juxta Covarruviam, quàmvis Gabriel Vasquez in contrarium nitatur, & putet privari posse omnibus alimentis etiam necessariis, nisi in extremo necessitatis casu. videatur Covarruvias, Reginaldus, Bonacina Tomo 2. disp. 4. puncto 6. & 9. 1. Illud autem putidum quod Laymannus neglectâ attentione ad jus naturæ admittit cum Molina, posse interdum licitè parètes exponere filios spurios, quando ita necesse sit ad occultandum Crimen & gravem vitandam infamiam, adhibetâ tamen cautione ne proles frigore vel alio accidente moriatur, Libro 3. Tract. 3. part. 3. cap. 14. quæst. 3. pag. mihi 240. quibus longè saniora sunt illa Pauli Jurisconsulti: *Necare videtur non tantum is qui partum prefocat, sed & is qui abjicit & qui alimoniam denegat & is qui publicis locis misericordie causa exponit, quam ipse non habet.*

Quibus Alimentis filius exorbitans privari possit

Liberorum expositio nunquam licita.

Ad Th. V.

OBSERVATIO. I.

Rectè dicitur liberos obstrictos esse parentibus ad Alimenta.

Disputat Grotius de obligatione liberorù erga Parentes, & (1) statuit deberi parentibus alimenta à liberis; (2) dicit non hoc esse æque ordinarium atque illud quod de liberis dictum; (3) hæreditatem dicit sequi liberos partim ob præcisum debitum naturale, partim ex conjectura naturali. Quod

Verum teneantur liberi alimentis parentibus sufficere? Rationum advertisementi

- I.
- II.
- III.

Dissolvitur prima.

(1) concernit non videtur esse debiti & pietatis ex seqq. argumentis: quia I. lex moralis, quæ cum primæva naturali coincidit, nihil requirit præter honorem parentibus exhibendum. II. quia Apostolus disertè dicit, II. Cor. XII, 14. *Filios non debere thesaurizare parentibus, sed parentes filios*: illis autem aliquis debet thesaurizare, quos tenetur sustentare: Si itaque filii non tenentur thesaurizare Parentibus, non tenentur quoque istos sustentare. III. quia pietas non solum sese extendit ad parentes, sed etiam ad alios consanguineos & concives, non autem tenetur aliquis omnes consanguineos & concives sustentare: Ergò. Verùm hæc argumenta non concludunt. non (1) quis honor parentibus debitus latissimè est accipiendus, in quantum includit etiam subventionem, hoc Hieronymus disertè in cap. 15. Matthæi: *ho-*

nor in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis quantum in Eleemosynis ac numerum oblatione sentitur. Honora inquit Apostolus, viduas quae verè viduae sunt, hinc honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi, maxime qui laborant in verbo & doctrina DEI. Praecepit Dominus, vel aetates & penurias Parentum considerans, ut filii honorarent & jam in vita necessariè administrandis Parentes suos. Praeterea Pater potest dupliciter considerari, aut in quantum Pater praecisè, aut in quantum etiam indigens: ut ut priori modo ei tantum debeatur honos, debetur tamen etiam subventio posteriori modo. Secundum argumentum non concludit, quia hoc saltem infert per se Patri convenire ut subveniat filio, & propterea non solum ad horam debere ei subvenire, sed ad totam vitam, quod est thesaurizare, filius autem ad certum tempus tenetur, nempe respectu necessitatis alicujus instantis, non autem thesaurizare quasi in longinquum, quia naturaliter non Parentes filiorum, sed filii Parentum sunt successores. Optimè Augustinus tractatu 119. in Johannem Si quis autem suum, & maxime domesticum non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuius domesticum quam parentes filius, aut parentibus filij? Hujus itaque celeberrimi praecipi ipse magister Satorum de ipso constituebat exemplum, quando non ut famula DEVS, quam creaverat & regebat, sed ut matri homo, de qua creatus

Tertium. fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Tertium argumentum non cōcludit, quia quamvis juxta Ciceronem cultus & officium debeat omnibus sanguine junctis & concivibus, non tamen æqualiter omnibus, sed ordine observato, adeoque parentibus præcipuè, alijs secundum proportionē facultatum & decentiā personarum. Quapropter rectius statuitur alimenta etiam deberi parentibus: tum quia debetur ipsis dilectio, quæ subventionem illam includit, qui proximo tenetur succurrere in necessitate, quæ non magis Parentibus qui DEORUM sunt Imagines, Creditores rerum preciosissimarum juxta Stobæum; tum quia si ob beneficia quis obstringitur in se collata, maximè ex hoc liberi tenentur Parentibus, undè Ambrosius in cap. Lucæ scribit *Si paveris matrem, non reddisti ei cruciatu, quos pro te passa est, non obsequia, quibus te gestavit, non alimenta, qua tibi tribuit vero pietatis affectu, immulgens labri uber: Non famem, quam pro te ipsa toleravit, ne quid, quod tibi noxium est, consideret; ne quid, quod lacti noceret, hauriret: tibi illa jejunavit, tibi illa manducavit, tibi illa cibum, quem voluit non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit, & ita illam egere patieris illi debes, quod habes, cui debes quod es:* tum quia ipse Author hoc ipsum docet ex verbo ἀντιλαργεῖν, cum quo egregiè conspirat Paulus I. ad Tim. V. 4. addatur reprehensio Christi Matth. XV. v. 4. 5. & 6. Eleganter hinc iterum

Ambro-

Ambrosii oris Pater. *Quam vero inquit rationabilium excedat Pietatem ac prudentiam ciconia clementia considerandum. Nam de positi Patris artus per longævum senectutis palmarum tegmine altarumque remigio nudatos circumstans soboles propriis pennis fovet. Et quid dicam collatio cibo pascunt, quando etiam ipsa reparat. natura dispendia ut hinc atq; inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & qui pristinos usus desueta jam revocent pii membra parentis? quis nostrum levare agrum non fastidiat. patrem, quis fessum senem suis humeris imponat quod in ipsa Historia vix credibile habetur, quis ut pius sit non hoc servulis mandat obsequium? At vero avibus non est grave quod pietatis est plenum, non est onerosum quod solvitur natura debito. Est enim vectura pietatis, quod eo magis frequenti testificatione percrebuit, ut congrua mercedem remunerationis inveniret. Habet etiam universorum suffragia: nam retributio beneficiorum ἀντιπελαγωγεία vocatur πελαγός enim ciconia dicitur, virtus itaq; ab his nomen accepit cum relatio gratiarum ciconia vocabulo nuncupatur. Quod alterum punctum concernit occasionem subministrat excutiendi vim obligationis, an sc. jure naturæ an jure gentium teneantur succurrere parentibus liberi. Quidam ex Moralistis existimant jure tantum gentium teneri: tum quia natura descendit, h. e. amorem & curam suam impendit in inferiores ortu & generatione, non autem ascendit; tum quia Bellæ filios*

Ambrosius

Opinionis Moralistarum ratio I.

II. Quodnam Ius obliget filios ad subventionem Parentum?

III. lios alunt & educant, non autem filii parentes; tum denique quia ipso naturæ instinctu moventur Parentes ad alendos filios, non autem eodem instinctu filii ad alendos Parentes.

Repudiasur prima.

Secunda.

At rectè Martin⁹ Bonacina colligit cum teneantur liberi diligere Parentes, non possint autem diligere verè nisi eis subveniant tempore Necessitatis ideoque intelligi: illos ad hoc officium esse obstructos, nec objecta argumenta concludunt, non primum, tum quia 1. longè aliud est dislerere de natura ut principio aliquo Physico, ex quo descensus, aliud de jure naturæ tanquam regula morali, neque consequens est, natura descendit, non adscendit E. de jure naturali non est obligatio reciproca inter Patrem & filium, quantum ad alimentationem; nisi velimus plane obligationem mutuam in ceteris quoq; tollere inter Patrem & filium, vi hujus rationis; tū quia hæc ratio si aliquid probat tantum hoc probat, quod Grotius ipse asserit, nempe non æquè ordinarium esse hoc ipsum, quemadmodum id quod de liberis dictum est; tum quia hac ratione etiam posset colligi gratitudinem non deberi Parentibus, quod absurdum. Sanè Solon teste Laertio condidit inter alias etiam hanc legem: *Si quis Parentes non enutrierit, is ignobilis & obscurus esto.* Secunda ratio non concludit; partim, quia supponitur in illo falsò jus naturæ esse commune homini cum brutis, & illud jus quod ita commune est esse jus naturæ; partim, quia quantum de belluis & bestiis possit colligi supra jam expensum est; partim, quia falsum est

est natos bestiarum non alimenta in casu egestatis subministrare parentibus; contrarium patet exemplo Ciconiarum, de quibus videatur Sophocles in Electra, Erasmus in Chiliadibus, nec non doctissimus Anglus Nic. Fullerus in lib. 6. cap. 1. Tertium denique argumentum non concludit. nam 1. non consequens est parentes moventur instinctu naturæ ad alendos filios; E. posito casu necessitatis, non ipso instinctu quoque moventur naturæ filii. 2. etsi instinctus non sit æqualis, sufficit tamen aliquem quoque esse apud liberos, & denique 3. instinctus naturæ cum jure naturæ hinc confunditur, posito instinctu naturæ non moveri liberos ad hoc officium quod tamen dici nequit, jure tamen naturæ obligati sunt, & illud jus naturæ ex eo constat, quia honorare parentes est inter prima præcepta juris naturalis, & in Decalogo quoque comprehensum, jam illum honorem includere etiam alimentationem parentum patet; tum ex expositione legis divinæ à Philone facta; tum ab interpretatione ipsius Christi, qui honori Parentum adversari statuit, si aliquid subtrahatur ipsis, quod facit ad ipsorum alimentationem, etiam sub prætextu DEO dicandi. Matth. XV.

4. 5. & 6. tum ex intellectu Pauli,

I. Tim. V. 4.

Tertia.

Ad

Ad Th. V.

OBSERVATIO II.

Hæreditatis consecutio est debiti naturalis.

Hæreditas
liberos se-
quitur ob
præcisum
debitum
naturale.

TERTIUM quod concernit Author hæreditatis consecutionem refert partim in præcisum debitum naturale, partim in conjecturam naturalem. Verùm L. ita videtur non satis veritati ille accedere, quia hæreditas competit Filiis, etiam si conjectura illa absit, II. si ex conjectura quoque esset, posset fieri ut colliderentur conjectura & debitum naturale, parentibus sc. nolentibus successio- nem, & tandem III. ipsa scriptura ostendit, debitum naturale facere hinc utramque paginam, concludendo: *si filius, heres.* Rom. VIII. 17. Unde Grotius in Commentario ad hæc verba: *Sicut Sparti ex lancea signo impresso corpori, Pelopida ex humero eboris in modum candidante genus suum noscebant.* DEVS tale donum non dat nisi in quos pro filiis habere vult. Sententia est conveniens non tantum Israëliti- co, Num. XXVII. sed etiam gentium juri. Nam lex quadam tacita liberis parentum hæ- reditatem addicit L. cum initio D. de bonis damnatorum. Sed magis est ut juxta Hebræum respexerit Paulus, ideoque ritus hic sint yoi, non quod jure Mosis filij necessario heredes, filia non nisi filii deficientibus. Et solet vox rivoz eximie de filio dici: Matth. XXI. 28.

Ad.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Comparatio Conjugii Abrahæ cum Cethura ad Morgengabicam vacillat.

Author disputat de conjugio Abrahæ cum Cethura & illud ipsum comparat cum matrimonio ad Morgengabicam, quale obtinuit apud Franco Gallos constitutione dotarii, quod cessit in hæreditatem ex tali matrimonio natis. At non videtur hoc ipsum conjugium fuisse ejusdem rationis; Nam (1) non post mortem Abrahami obtinuerunt filii ex Cethura nati illa munera, sed sicut discesserunt ante obitum Abrahami, ita instruxit quoque talibus muneribus. (2) non ex pacto aliquo aut constitutione hoc ipsum profectum fuit, sed ex liberalitate & dispositione prudenti, ex causa aliqua superiore; DEUS quippe voluit ut Isaacus esset hæres, prout constat ex cap. XXI. Genes. ideoque DEI instinctui & revelationi hoc tribuendum est: causa præterea istius tum ablegationis tum munerum fuit, nè cum Isacco contenderent, eumque in terræ promissæ possessione turbarent. Unde etiam in contentione Israelitarum coram Alexandro M., cum Ismaelitæ, (qui ex Agare consimili, Concubina; nam Cethuram fuisse Hagarem sine fundamento dicitur) divisionem urgerent,

Conjugiū
Abrahæ cū
Cethurā
quale?

Ggg

respon,

responsum fuit ab Advocato: Filiis Concu-
binarum dedit Dona & ita Lis fuit finita. (3)
Si ponamus ex aliquo pacto munera dedisse
natis ex Cethura, non tamen potest ostendi
illud fuisse pactum matrimoniale, non sub
hac conditione contraxit cum Cethurâ, &
quicquid egit demùm ex directione divina
& motu spontaneo, certisque causis finalibus
egit; Putidum verò est quod Rabbini qui-
dam inter quos Salomon, hæc munera non
de auro, argento, vestibus & pecoribus acci-
piunt, sed de artibus magicis magno cum A-
brahami dedecore.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

In Regno Ebræorum ordinariè
succedit Patri Primogenitus.

Ius primo-
genituræ
expendi-
tur.

Argumen-
ta contra-
ria.

Disputat hîc de jure Primogenituræ, at-
que natu maximum in regno succedere
statuit, probatque ex Talmudico titulo de
Regibus Hebræorum. deinde (2) dicit etiam
illud esse juris gentiliû & ita vocari apud Tro-
gum Pompejum. (3) exceptionem addit, nisi
Pater aliter jusserit, ut Ptolemæus apud ean-
dem Trogum. Verùm (1) videtur non sta-
bilitum esse illud jus primogenituræ: partim
quia non tam respiciendum est ad ætatem,
quàm ad Principatum virtutum, prout DEUS
non personæ rationem habet, nec pretia re-
rum canis & ætate metitur; partim, quia ipse
junio-

juniores prætulit Primogenitis Jacobum Esau, Moſen Aarōni &c. partim, quia etiam penes Hebræos & cæteras gentes illud jus non obtinuit. In Persia Xerxes prælatus fuit Artabadano, in Ægypto Ptolemæus Lagi minimo ex filiis regnum tradidit. Hinc etiam Pyrrhus rogatus à quodam filiorum cui regnū relinquere vellet, respondit: qui habiturus esset gladium acutiorem. Inprimis autem Titulum Thalmudicum Tostatus, Pineda & Maximilianus Sanderus disputant atq; opponunt exemplum Davidis, qui minimus fuerit fratrum designatus Rex populi 1. Sam. 16. v. 12. Solomonis qui prælatus fuerit Adoniæ primogenito vel fratri majori 1. Reg. 2. v. 22. Abiam, qui à Rechabeamo majoribus natu constitutus in Principem 2. Paral. 11. v. 18, 19, 20, 21, & 22. Sed hæc argumenta nondum probant intentum: non (1) quia, si velimus DEUM imitari quantum ad hoc, Respublica facilè turbaretur, uno hanc virtutem in hoc filio, altero aliam laudante, neque semper discrimen aliquod potest haberi, nec semper judicio populi hoc ipsum committi. (2) Alterum non concludit, quia est peculiare quid ab ipso DEO & ob certas causas constitutum. (3) non concludit, 1. quia certum est apud Hebræos obtinuisse successionem primogenitorum, nam Josaphatus dicitur tradidisse regnum Joramo, quia erat primogenitus 2. Paralip. XXI. & Author ex Thalmudico titulo hoc ipsum etiam confirmat; cui adstipulatur noster B. Schikardus in tra-

Responde-
tur ad ar-
gumenta.

Statu de Jure Regio addens ad titulum thal-
mudicum laudatum cap 6. pag. 178. *Quem-
admodum ergò in parentum bona, liberi non
succedebant aequaliter, sed primogenitus capie-*

- 3) *bat* **דְּבַר יְהוָה** *portionem duplam Deuter. 21. 17.*
ita regni potestatem acquirebat unus ille solus,
qui familia honorem conservabat, nè patrimo-
nium per divisionem attenuaretur: quando-
quidem & subditis conducebat regi ab uno,
neque plures habere dominos. Una exceptio
erat pietatis & sapientia: cetera corporis vitia
regno neminem arcebant. Exemplum autem
Davidis planè est extra controversiæ orbi-
tam, cum non de Electione agatur, sed sup-
positâ illâ de Successione. 2. Quod David Sa-
lomonè prætulit, id ipsum existimant inde
factum, quia recens acquisito regno, nullû li-
beris adhucdû jus acquisitû fuerit, imò Ado-
nias perduellione erga Patrè successione indi-
gnum se reddidit, & quod maximû solo non à
Deo in regni candidatû fuit virtutibus regiis
coronatus in juventute, ut constat ex II. Sam.
XII. oppositum potius colligitur ex I. Reg. 2.
v 15. ubi ordinariû Jus successionis propo-
nitur, & tantum extraordinariû Jus divi-
num illi opponitur. 3. Rectè egerit Re-
chabeam in citato loco non exprimitur, &
cum in potestate Regis fuerit ex uxoribus
præferre, quam volebat & diligebat præ cæ-
teris conferre illi dignitatem & titulum Re-
ginæ, ideoque etiam constituere natum ex
illa Candidatum Regni, quod ex ipso textu
dispa-

dispalet. Quod verò concernit Xerxen ideò ille fratrem antevertit, quia primus erat in dignitate genitus. Reliqua autem exempla vel iniquitatem spirant, vel peculiare suas causas habent. Quod (2) concernit de jure gentiù incertum est, quidam enim successionem primogenitorum putant jure naturæ esse fundatâ, quamvis jus naturæ nihil disponat ut de regnis simpliciter, ita de successione Primogeniti in regno. Quidam autè tribuunt juri divino, quod quantum ad perpetuitatem regulæ itidem non potest ostendi, cum contrarium doceant exempla. Neque Jus gentium etiam potest dici nisi probetur, penes omnes gentes obtinuisse, non enim quod plures populi introduxerunt, id confestim juris gentium censendum est, & si dicitur juris gentium id propriè quod singulis placuit cum mutua obligatione, hîc id ostendi nequit quanquam negari non possit hanc consuetudinem obtinere passim inter populos Europæos, Asiaticos & Africanos. Quapropter alii malunt hoc Jus referre in aliquod pactum, quatenus voluerunt Cives ut Princeps aliquis non solùm præfesset, sed & ipsius posteris, de quo adhuc disputari potest. (3) Quod concernit exceptionem, producit exemplum Ptolemæi Lagi. at processit hoc ipsum ex Affectu juxta quosdâ non ex ratione, & infeliciter contra Jus regni & contra subditorum sententiam hoc ipsum factum esse observarunt tum Politici tum Historici. quanquam ob mores deformes & animu

distortum hoc extra ordinem sibi arrogasse
Ptolomæum alii observent.

Ad Th. XXV.

OBSERVATIO.

Regnum Davidis patrimoniale
dicitur limitatè.

Regnum
Davidis
num patri-
moniale?

IN hac thesi Author agit de regno Davi-
dis, & in Annotatis statuit illud fuisse ve-
lut Patrimoniale Davidi, non quidem belli
jure, sed dono DEI. Verùm (1) Patrimo-
niale aut dicitur tale, quod habet connexam
facultatem abalienandi, vel quod citra illam
facultatem abalienandi ad extraneos tale est:
Priori modo illud ipsum non fuit Patrimo-
niale, nec enim abalienare potuit David ad
extraneos, debuit enim illud ipsum manere
in ipsius posteritate, luce continua à DEO
promissa folio Davidico. Posteriori autem
modo patrimoniale dici potest; fuit enim
παρβασιλεία. (2) quamvis David potuerit ex-
hæreditare Adoniam, & excludere illum qui
major natu, regnum tamen non fuit aliena-
bile à linea sanguinis; & tandem (3) si intel-
ligatur regnum secundum totam suam latitu-
dinem & titulos etiam acquisitionum, obti-
nuit ex parte jure belli: quamvis enim obti-
nuerit primùm regnum in quantum fuit XII
tribuum successivè dono D'EI, tamen in
quantum auctum fuit, juri etiam belli erit
transcribendum, prout hoc ipsum constat ex
II. Sam.

II. Sam. VIII. 1. 2. seqq. & Psalm. LX. 10.
 Legatur hîc Ludovicus Molina Tomi tertii
 parte posteriore Tract. 2. ab initio Disput.
 626.

Ad Th. XXVIII.

OBSERVATIO.

Filiûm ante regni adeptionem,
 natum præferri nato in regia fortu-
 nâ Patris. Author consensu multo-
 rum asserit.

STatuit Author filium qui ante regni ade-
 ptionem natus est in regno individuo
 præferendum ei, qui in regiâ fortuna natus
 est; & sanè non absq; ratione, quamvis distin-
 ctionis temperamentum quidam adhibeant
 regni hæreditarii & propriâ virtute acquisiti
 bellove occupati, putentque tum successio-
 nem primogeniti esse admittendam etiam
 patre adhuc privato geniti, si scil. sit hæredi-
 tarium, aliter verò se habere in acquisitis: sed
 nolunt alii hoc admittere, & cum Grotio
 simpliciter pronunciant, tum quia in hære-
 ditate regno & successione non attendatur
 modus, quo Pater regnum obtinuerit; tum
 quia Pater nato acquirat; tum quia Jus pri-
 mogenituræ sit à natura, quod dignitas acce-
 dens non mutet. An tamen hæc solidè con-
 cludant, dubitari potest, cùm alia sit ratio in
 Bonis, quæ quocunque modo à parentibus
 Ggg 4 acqui-

Quis ex fi-
 liis succes-
 sor in re-
 gno?

acquiruntur, & quæ acquiruntur modo eminentiore, sed properandum ad alia.

CAPUT VIII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Supponit Author in hac thesi, quæ Controversiæ sunt obnoxia.

Hic Author (1) modos acquisitionis Jurisconsultorum refert ad jus naturæ, non quidem merum, sed quod sequatur dominium jam introductum, (2) occupationem quæ nullius sunt juris naturalis esse existimat, & tandem (3) jus gentium illud esse opinatur, quod consensu gentes constituerunt ad mutuum inter se societatem. Circa (1) videtur supponere Author, quod non supponendum, nempe dari quoddam jus naturæ merum, contradistinctum illi juri naturæ, quod dominium introductum sequitur; At 1. tale Jus disputatur. 2. dominia non fuerunt demum introducta, ut Author opinatur, post Jus primævum homini inscriptum, sed cœperunt cum ipso homine. 3. si Decalogus coincidit cum jure naturæ mero, qui prohibet furtum, etiam juris naturæ meri erit illud, quod rerum dominia habet pro objecto. Sed de Jure naturæ ex hypothesis supra. Quod (2) concernit, nempe occupationem, videtur si non admittatur omnium communitas

Jus naturæ.

Occupatio
quælibet ob
tineat?

nitas primæva, non posse occupationem esse
 juris naturalis; nam, si dominiorum jam ob-
 tinuit ratio & divisio, præclusa fuit occupa-
 tioni via de jure naturæ, cum illa occupen-
 tur quæ nullius sint. Verùm nullius esse du-
 pliciter accipiendum est, vel positivè per sup-
 positionem cujusdam communitatis oppo-
 sitæ dominio subsequenti, vel privativè per
 derelictionem domini, quod quis habet in
 rem aliquam, & hæc ratione quæ nullius
 sunt, h. e. quæ deserta sunt à dominio, ce-
 dunt primò occupanti. (3) Quod concernit
 Jus gentium, Author non videtur dextrè circa
 illud philosophari. Nam 1. radix juris gen- Ius gentium;
 tilis non est consensus populorum: tum quia
 potuit aliquid placere gentibus non sub ra-
 tione consensus, sed ex simplici aliquo com-
 modo motivo publicæ utilitatis; tum quia
 consensus universalis non potest ostendi in
 quamplurimis negotiis juris gentium; tum
 quia sic jus gentium non esset constans & fi-
 xum, quæ enim solo consensu coaluerunt &
 constant, illa ut plurimum dissensu iterum
 possunt dissolvi. At quid de hisce sit sen-
 tiendum supra in libro primo exposui-
 mus, ubi naturam Juris gentium
 pensiculatiùs expendi-
 mus.

O B S E R V A T I O.

De feris naturalem libertatem recipientibus, distinctè pronuncian- dum.

Distinctio
animanti-
um.

IN hac thesi Author noster disputat de Feris custodiam evadentibus & naturalem libertatem recipientibus, dicitque eas desinere nostras non per se, sed ob difficilem recuperationem, haberi pro de relictis. Verùm (1) observandum animalia esse in triplici differentia, quædam esse mansueta sua natura utpotè Gallinæ, Anseres &c. quædam suâ natura fera, ut leones, quædam denique esse ita fera naturâ, ut tamen educatione cicurentur. Mansueta non egrediuntur dominium prioris Domini, si custodiam ejus egrediantur, quod ipsum constat ex scripturâ, Asinæ enim Patris Saulis, utut excefferint custodiam Domini, & per aliquot dies abfuerint, nihilominus sub potestate Domini manserunt, ut constat ex 1. Sam. IX. 3. habentur enim ut liber aut vestis; Feræ autem excedunt & desinunt esse sub dominio, verùm non uniformiter, quædam enim plus requirunt temporis, ut censeantur ad naturalem libertatem suam & feritatem rediisse, atque ita fiant primò occupantis, quædam minus temporis requirunt, ut constat ex exemplo avium, quæ confestim è cavea evolantes censentur naturalem libertatem suam repe-

repetiisse: cervi autem, columbæ, apes, quia solent longius evagari quandoque & redire, ideoque quamdiu redire solent, censentur adhucdum esse sub dominio. (2) Author putat ferarum & rerum aliarum esse parem rationem, cum tamen non sit par ratio quantum ad hoc punctum; partim quia feræ sub nostrum dominium transeunt amissione libertatis; si itaque reciperent istam libertatem, nostro Dominio censendæ sunt subductæ, non autem illa naturalis libertas est in cæteris rebus, libris, vestibus, auro, argento &c. partim quia Dominus tenetur tantum custodiæ præstare, quantum fera sive objectum domini requirit: si itaque non præstat illam custodiam, si sinat evagari, cum noverit ad libertatem naturalem propendere, censendum erit, illum habere eam pro derelicta, adeoque posse fieri primò occupantis: partim quia etiam illa animalia censentur acquisivisse priorem libertatem, quæ ita evaserunt ut difficile occupari possint à priori domino; hinc examen apum cum sylvestris sit naturæ quando ab alveario prioris sui Domini ita evolavit ut ab ipso difficile possit capi, censetur acquisivisse primam libertatem & per consequens à quolibet capi posse, & fieri primi capientis.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Quæ de fera Author proponit inter Doctores disputantur.

Disputat de possessione, & dicit illam acquiri non solis manibus, sed & instrumentis, si illa sint in naturæ potestate, & fera ita inclusa sit, ut exinde ire nequeat, & in antecedente thesi vulnerasse non sufficere dicit, sed requiri corporalem possessionem ad dominium adipiscendum. Ubi disputari potest an fera ab alio vulnerata, vel in alterius laqueum incidens, ab alio possit capi? Quidam dicunt si fera ab uno sit vulnerata ab altero posse capi, imò, si fera in laqueum inciderit, & ab alio inveniatur superveniente esse illam capientis vel supervenientis, quia vulnerans vel Dominus laquei nondum eam ceperit, attigerit, atque inde nondum fuerit Dominus feræ. (2) Molina existimat distinguendum esse, si sc. fera vulnerata vel laqueo irretita non potuerit moraliter evadere manus vulnerantis vel Domini laqueos, tunc ipsi deberi, non capienti, quia jam jus acquisiverit ad illam; si autem adhuc potuerit evadere tunc fieri capientis, qui tamen debeat reddere vulneranti vel Domino laquei quantum valet moraliter spes quam habebat capiendi. Verba illius sunt *Tract. II. disp. 42. p. 218. Distinguendum*

An fera incidens in laqueum ab alio possit capi?

Molina
sententia.

omne

tamen est: si enim vulnus letale erat, sufficiensve ut caperetur, percutiensq; ita feram insequeretur, ut moraliter eam esse capturum, ipsi procul dubio tota deberetur. Ratio est, quoniam licet ante naturalem illius apprehensionem dominium illius non compareat, ut ex dictis disp. 2. & 3. est manifestum, nihilominus sola percussione ad captivam sufficiente consecutus est jus ad eam capiendam ac possidendam atq; adeo ad illius dominium comparandum, quatenus causam sufficientem dedit sine qua tunc non caperetur: quo fit, ut ipsi soli debeat. Neq; aliud significare videntur jura citata, ut ex ratione, quam subjungunt, est manifestum. Describunt namq; ea ratione eam esse capientis, quoniam multa accedere solent, ut percutiens eam non capiat. Quibus verbis satis aperte indicant, quando moraliter esset certum à percutiente ipso fuisse capiendum, tunc quidem ad eum solum pradam pertinere. Mirum quippe esset, feram primo ictu ab aliquo ante suos oculos interfectam, ad ipsum solum non pertinere, sed esse primo eam occupantis contrariumq; habuit semper consuetudo. Si verò percussio sufficiens non erat, ut caperetur, aut percutiens non insequeretur feram, eaq; ratione ad potestatem illius moraliter loquendo non erat devenitura: tunc, cum non prius dominium illius aliquis compareret, quam eam apprehendat, fit capientis. quamvis, si percussio unius non solum est occasio, sed & causa ut ab alio capiatur, equitas & justitia postulat, ut pro quantitate causa, quam alius, ut caperetur,

peretur, dedit, eam inter se dividant. Dominium tamen & possessio solum est eam capientis, atque occupantis: alter verò solum habet jus, tanquam concussa, ut sibi aliquid ex ea concedatur. Lusitania lex, qua huic nostra favet sententia, statim subjicietur, lege Sylv. Verb. inventum. q. 2. pronunciatio. 2. & Aug. eodem verb. Idem dicerem, quando utrus venando suis canibus leporem excitat aut cuniculum, & dum canes feram insequuntur, alius casu illam interficit, aut capit. Si namq³ capienda certò erat à canibus, qui eam excitaverunt, tota debetur venatori, cujus sunt canes. Si verò certum non erat fuisse ab illo capiendam tunc aut solum fuit occasio, ut alius eam caperet, & tunc tota est capientis: aut simul fuit in causa, ut lepus teneretur, & tunc inter utrumq³ prada dividenda est servata proportione causalitatis, qua uterq³ ad feram capiendam concurrat. Impugnant tamen Molinam alii I. quòd non consequenter loquatur: nam dicit eo ipso quòd fera incidat in præparatum laqueum à quo fugere non possit, jam esse in dominio, & tamen antea dixerat, feram lethaliter percussam si alius apprehenderit, Dominium ejus acquirere, ut ut eam debeat propter jus quod ex percussione acquisitum ad eam capiendam. At si Dominium acquiritur verè ratione laquei præparati, utique vulnere lethali inflicto etiam dominium acquiritur. Si enim in feram fugientem funem projecisti, ut eam illaqueares & retineres, utique censendus esses sufficienter apprehendisse

Impugnatur.

disse illam, strictior autem laqueus videtur esse plumbi globus, cordi infixus, quo eam percussisti. II. si hoc non sufficit, ut dicatur aliquis apprehendisse, scil. si globum emisseris, non sufficiet etiam si lancea occideris, vel gladio, nisi postea eam contraxeris manu. III. dubitanter solum sciat, quod fera in laqueum lapsa sit Domini, cujus est laqueus, cum tamen disputat. præced. indubitanter dixisset, si examen apum veniat ad alveare ad hunc finem expositum, ut peregrinas apes suscipiat, eo ipso quo incipiat ibi habitare, fieri tuum, ex quo consequens est, multo magis quando fera incidit in foveam vel laqueum à te paratum, è quo evadere nequit, tuum esse. magis est enim in potestate tua hæc fera, quàm illæ apes, quæ utcunq̃ possunt fugiendo aut avolando spem tuam fallere.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Jus venandi hodie competit illis, qui præsumunt cæteris.

DUcit nos Author in Sylvas, quem sequimur expensuri breviter primò Venationis Originem. Veteres in Gentilismo juventionem Artis venatoriæ tribuerit Apollini & Dianæ. Unde etiam in More positum erat Venatoribus, si quando insignem feram cœpissent partem ejus alicui Arbori affigere Silvæ, ubi capta erat, & quidem vel Caput vel

De Jure venandi.

Afferitur ejus Origo.

Nimrodus.

vel pedem. Johan Savesberienſis & Petrus Bleſenſis referunt in Thebanos. Quidam apud Eufebium Venandi & piſcandi uſum à Phœnicibus repertum tradiderunt. omnia contra veritatem, contra Hiſtoriz ſacræ fidem, quæ aliam & antiquiorem nobis pandit poſt Diluvium Originem Gen. 10. vſ. 8. & 9. Ubi Nimrod, qui juxta quosdam fuit Ninus cognomento Belus dictus *Robuſtus Venator coram Domino*, quo ut Interpretes obſervant indicatur illum fuiſſe violentum Inperio & per ſtadium venationis profeciſſe in principem hominum, Robur & vires ſuas primum adverſus feras, deinde felicioſe progreſſu adverſus homines convertiſſe, quæ ſecutus tempore Iſaaci Eſau & poſtea alii, quanquam non negetur quibusdam populis magis familiare fuiſſe hoc ſtadium, quàm aliis, rudimenta apud quosdam fuiſſe apud alios autem majorem apparatus & perfectionem, diverſa eſſe venationum genera & propterea nunc hiſce, nunc aliis tribui: ita accipitrariæ Venationis uſum à Pauco introductum Petrus de Creſcentiis ſcribit, alii illud tribuunt cum Leandro Friderico Ænobarbo, alii Henrico Sexto Imperatori: cum tamen ex Plauto Martiali & aliis conſtet longe antiquiores eſſe illius natales, quos oſtendunt Julius Cæſar Bulenger & Lylus Gyraldus adverſus Blondum, Budæum, Vallam, Blandellû & alios, Secundò, Qualitatem hujus ſtudii: ſunt qui vitioſum illud pronunciant & artem nequiſſimam ut loquitur Auguſtinus in Pſalmum 102. qui

qui Esavum Venatorem dicunt, quia peccator erat, nec in Scripturis inveniri sanctum venatorem sed sanctos piscatores cum Hieronymo, qui institutionem Centaurorum redolere volunt cum Johanne Sarisberienſi in Polycratico lib. 1. cap. 4. nec sua Luscinia deest Cantio, Argumentum Series disputaturienti, per hoc enim studium ajunt Animos efferari ut in homines etiam saviant, unde Aristoteles Prædatoriam Venaticæ tanquam prolem Matri conjungat; Sata, agros, vineas & loca quoe se recipiant feræ sterni, conculcari, premi cum injuria possidentis, periculis exponi ipsos Venatores dum Bestias inſequantur per Sylvas, per Montes, per in hospitiæ tesqua ferarum; videatur Theatrum Diabolorum in quo de Diaboli præstigiis immiscencibus studio Venationis & tragicis Casibus plura. Sed primum nõ concludit, quid enim fiet de laniis nostris, quid de im belli sceminarum turba, quæ Culinæ præstet Anseres, Gallinas & Anates cottidie sternit & mactat, & utut non profint ad pacis opes Venationum studia, quamvis & hic lucri bonus odor, præparant tamen ad Bellum & illius quasi quoddam sunt Progymnasma & Tyrocinium, ut Persæ senserunt, de quo Xenophon lib. 1. de Institutione Cyri, nec semper Prædatoria inſequitur Venaticam, sed in illis qui Retia nimis extendunt, animum extra Sylvas ad *πλεονεξίαν* porrigunt, nec Virtutis rudimenta in fortitudinem adversus hostes promovent, sed ad vitia obliquant. Alterum pro nobis facit; cùm enim feræ intrantes

Argumenta Venationis studiū improbantia.

I.

II.

III.

Profigatur Argumentum primum.

Secundum

H h h

Agros

Tertium. Agros & Vineas noceant, proderunt potius, qui illas tollunt. Tertiū non urget, cum etiam aliis studiis pericula adhærescant &, si ex hoc capite esset præscripta Venatio, multò magis militia & studium armorum esset improbandum: aliud itaq; Usus, aliud Abusus ut in quam plurimis, nec si ex se vitiosum esset hoc studium Isaacus Ferinam desiderasset & Filium in illius Inquisitionem animasset Gen. XXVII. vs. 3. David cum Leonibus lusisset sicut cum hœdis & cum Ursis velut cum agnis Ovium. Syrac. XLVII. vs. 3. aut Regum Sapientissimus Solomon regiam mensam ferinā cumulasset I. Reg. IV. vs. 23. ipse DEUS etiam disposuit de hoc opere Levit. XVII. v.

Verum venandi ius Principibus solis adūgnandum. Pro adversa contentur.

13. Tertiò Jus, quod transcriptum Principibus & controversum. nam primò videtur hoc contra jus divinum & naturale, quia dominium ferarū DEUS non solum Principibus, sed toti generi humano concessit, ut constat ex Gen. I. v. 9. Secundò videtur esse contra jus gentium, usus enim hic communis fuit, & Jus nulli controversiæ obnoxium feras sternendi apud Indos & Tartaros, Græcos, Romanos, veteres Germanos de quibus Tacitus; *Quoties Bella non ineunt multum venatibus tribuunt.* Paria habet Julius Cæsar lib. 6. de Bello gallico cap. 21 Seneca 4. de Providentia & Conradus Celtes qui ita canit:

*Commune his studium venari, equitare,
vagari*

Atque suum victum varia quassisse per artes.
Tertiò videtur esse contra jus privatum unius

nus cujusque, quod qui habet fundum non possit feram in illo capere, ut ut segetes vastentur, sepes diruantur atque ita Domino damnum accersatur. Respondetur autem nihilominus subsistere posse hoc jus & defendi, quicquid sit de exercitio, quod moderatum esse debet, ne inter feras continuò obambulantes id tantum ab iis differant, quod lineamenta hominis gestent, ut de Hagide loquitur Justinus lib. 44. & de pœna eorum qui feras capiunt non consentiente Principe, quæ non ultra modum exasperanda. Nec obstant argumenta producta: non (1) quia hac ratione consequens, etiam cætera creata debere esse communia, nam & illa fuerunt, vel Adamo data & ab illo cæteris dein distributa, repetito hoc modo post Diluuium, de quo supra, vel humano generi in communi subiecta: si itaque potuit e. g. mare reddi proprium respectu littoris, campus respectu limitis, etiam potuit proprium fieri jus illud in feras: nec juri naturali propterea derogatur, quia aliud est Jure naturæ esse permissum, aliud prohibitum; permittit quidem communem usum venandi jus naturæ, sed non prohibet usus restrictionem, præprimis si urgentes vel probabiles adsint Causæ, metus nè agricolæ sylvas ingrediantur armati, Campis & Agris absque culturâ relictis, & ne exhauriant genus omne ferarum continuo capiendi & sternendi studio, ad incitas se redigant conquisito apparatu ad consequendum finem necessario, de quo

Submoven-
tur Objec-
ta 1.

in sequentibus: & longe aliud concessum esse
 alicui aliquid, aliud concessum esse alicui im-
 mutabiliter cum prohibitione omnis restri-
 ctionis, ubi enim in Scripturis illa restrictio
 rejecta aut improbata. (2) non concludit, quia
 quàmvis, olim plurimæ gètes hoc habuerint, &
 adhucdū illo jure gaudeant, non tamen conse-
 quens est non posse Principibus deferri: ratio
 est, quia etiam illa quæ cōmunia sunt propter
 utilitatē aliquā communem possunt restringi,
 prout quibusdā temporibus prohibetur cap-
 tura ferarum, si procreationi prolis intendant,
 prohibetur ne pisces capiantur certis instru-
 mentis, quibus minutissimi capiuntur & pro-
 pagatio impeditur, neque Usus ferarum vel
 à DEO concessus vel Jure gentium admissus
 sublatus est, cum Ferina etiam privatas Men-
 sas ornet, venditis illis, quæ capiuntur abun-
 danter & precio justè quæsito ob sumptuum
 & Impensorum Mensuram, sed modus saltem
 laxior consequendi Usum Ad (3) respondetur
 venationem non posse referri ad usum fru-
 ctuum fundorum, qui rationem partis habet
 bonorum nostrorum; de tali enim Venatione
 est sermo, quæ jure gentium communis est
 & nullius propria, quæque proinde fructus
 fundi non dicitur esse: quomodo enim fera
 liberè vagans & fortuitò incidens in agrum
 meum citra animum ibi commorandi ad fru-
 ctus agri potest referri? Tandē notamus cōtra
 Hostiensem, Decium & alios conquisivisset
 varias rationes æquitatis, cur sc. illud jus restri-
 ctū sit, & Principibus hodie cōpetat, Politicos
 & Mo-

Fundamen-
 ta Juris ve-
 nandi Prin-
 cipibus u-
 nicè com-
 petentis.

& Moralitas, quarum prima est petita à merito, quia enim Princeps sustinet labores pro Republica continuos, æquum esse censent, ut hoc genus voluptatis eidem cedat in præmium; secundum à præscriptione: quia per longissimum tempus fuerint in possessione hujus juris Principes, ex qua non exiguum robur juris nascatur; Tertium ab incommodo, quia sic usus armorum esset permittendus, & agrorum cessaret Cultus & degenerarent in feroces latrones, qui studio hujus nimis adhererent. An autem hæ rationes fulciant Jus, & sustinere possint hoc negotium citra alium titulum jure dubitari potest, ut sentiunt Politici. Non 1. solida est: tum quia dantur Principes, qui non ita laborant pro Republica; tum quia si ex laboribus concedendum est Jus venandi sub ratione voluptatis, cur non & aliud genus voluptatis illis conceditur, sanè probandum est prius esse justam, deinde demum quam habeat rationem qualitatis illa transcriptio, dispiciendum; tum quia Princeps esse potest, qui nullam voluptatem quærat in venatione, sed aliis se oblectet studiis. 2. ratio itidem non est firmata: tum quia præscriptio præcisè talis in conscientiam non tranquillat; tum quia non datur contra illa, quæ sunt juris divini, naturæ & gentium, etiamsi sint ex genere tantum permissorum; tum quia præscriptio plura requirit & imprimis fundamentum quoddam, debitamque qualitatem objecti; quod enim iniuste alicui ereptum est, id temporis lapsu ut tali nunquam reddetur æquum aut justum.

Fundamentum, primum.

Alterum.

Ultimum.

Exterminatur primum.

Secundum

Tertium.

3. ratio itidem non est firma; tum quia venatio potest esse citra usum armorum, nec ille per se in Republica licitus aliquod incommodum dicit; tum quia probari debet agriculturam propterea cessaturam, nec ex conjecturâ aut probabili metu, quod permissum est jure naturæ restringendum erit; tum quia species ut intereant non potest præsumi, nisi velimus etiam hoc præsumere de Principe, instructo magno apparatu venatorio, & toto venationi debito. Aliud itaque est *αιφορευη*, Occasio, Ratio & Causa movens suspendendæ illius libertatis & venationis interdiciendæ, quæ complexu recensito exprimitur, aliud potestas prohibendi, quæ in superiori aliquo titulo versatur; prohibet Princeps Usus armorum in Republica vel de die vel noctu, vel utroque tempore ex causa frequentium homicidiorum, quam prohibere nequiret nisi esset summâ potestate à DEO instructus.

Juris venandi venarum Principi fundamentum juxta Politicos.

Jus itaque hoc fundari in dominio illo, quod Princeps habet in territorium, in bona publica, inter quæ etiam sylvas numeramus, statuunt, qui ex superiori Causa hoc deducunt & concludunt: si aliquis Dominus fundi potest prohibere, ne aliquis ingrediatur fundum suum absolutè, quidni Princeps possit restrictè prohibere, ne aliquis ingrediatur sylvas venandi causa, & subducendi ea quæ sunt sub ejus territorio? Sanè Medina, Lessius, Molina Salonius, Bannès, Arragonius, Rebellus, Vasquez, Sa & alii eo usque progrediuntur ut censent, posse perhiberi à Principe venationem,

piscam.

piscationem & aucupium non tantum quando non necessarium ad Principis sustentationem, sed etiam propter solam oblectationem non tamen ex titulo assignato, sed superius excusso. addit Bonacina Principes non solum posse prohibere Venationem aut jus venandi alicui concedere, sed etiam posse efficere venantes contra prohibitionem inhabiles ad acquirendum Dominium ferarum, cum lex justa possit homines reddere in habiles ad Dominium comparandam juxta Covarruviam.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Quaquam thesaurus inventori cedat, si aliter non dispositum Lege civili, non tamen fundamentum asserptionis ex Matth. 13 capite peti commodè potest.

AUthor disputat de thesauris, & (1) determinat illos naturaliter fieri inventoris, (2) aliter posse legibus aut moribus quippiam constitui, & (3) apud Hebræos receptum fuisse, ut Domino agri thesaurus cederet, idque colligi ex Matth. XII. In primo puncto distinguendum est inter thesaurum propriè sic dictum, qui dicit depositionem veteris pecuniæ cujus non est memoria, & inter thesaurum impropriè sic dictam, qui dicit depositionem pecuniæ vel vasorum argenteorum & aureorum in ali-

An thesaurus iure naturali sit ejus qui invenit?

quo tertio loco, e. g. publico, ea servandi gratia, ut sit tempore belli: quamvis prior cedat inventori, posterior tamen est Domini & Dominium ejus semper manet apud Dominum; nunquam enim amisit Dominium, neque Dominus habet eundem pro derelicto. 2. thesaurus inventus in fundo proprio est totus inventoris prout hic consentiunt Toletus, Lessius, & Salonius: si autem in alieno fundo fortuito inventus fuerit, dimidium erit inventoris & dimidium Domini fundi; sin verò non fortuito sed ex industria sine consensu Domini totus erit Domini, ut sentiunt Arragonius, Toletus, Lessius. (3) si Dominus Fundi consensit ut quæreretur thesaurus, standum erit pacto, & si nullum pactum si erit initum, totus thesaurus erit inventoris: ratio est, quia Dominus fundi censetur condonasse suam partem, ut observat Navarrus. In secundo Dominicus à Soto putat illam consuetudinem, quæ aliud quod constituit, & Principi vel Reipublicæ partem thesauri vel totum assignat, quò hic respicit Grotius, non esse justam: tum quia in nulla bene constituta Republica sit introducta; tum quia contra justitiam sit, Principem exigere sibi partem aliquam de thesauris inventis; tum quia si consuetudo illa obtineat, per vim & contra jus naturæ & gentium sit introducta. Verùm rectè Covarruvias hanc sententiam Soti impugnat. Nam I. obtinet in ipsâ Hispaniâ Patria ipsius Soti, & præ-

An consuetudo partem inventi Thesauri Superiori tribuens sit justa?

Disputat Sotus.

Impugnatur.

præprimis in regno Castellæ, observante Anton. Gomezio, quam non accusabit malæ constitutæ Reipublicæ II. contra justiciam non est, ut sentit Soto: nam si bona caduca aliàs cedunt Fisco vel Principi, utique non injustum erit, si jure territoriali gaudens disponat de thesauris inventis in territorio. III. quamvis solo gentium Jure *adiacentis* sint primò occupantis, nihilominus ut jus Civile statuere potuit, ut qui casu thesaurum in agro alieno inveniret, in interiori & exteriori foro teneretur tribuere illius dimidium Domino agri, qui verò illum de industria inveniret, teneretur tribuere eidem totum, ut ipse Sotus admittit; cur non poterit similiter statui, ut ad sustinenda Reipublicæ onera thesauri inventi pertineant integri ad Regem, aut secundum partem. Neque hîc statuitur aliquid contra Jus gentium, sed rationabili ex causa impeditur, ne dominium thesauri inventi sit alicujus, cujus esset stando in solo naturali ac gentium jure, efficiturque ut sit alicujus alterius; quod optimè potest facere Respublica, quemadmodum facere potest ut Venatio aliqua illicita sit, quæ aliàs Jure naturæ & gentium est permissa. (3)

quod concernit locum ex Matth. XIII. 44. non videtur concludere: nam I. verba sunt parabolica, in parabolis autem plurima figurantur, nec omnia ita ad vivum sunt referenda, imò in parabolis quandoque occurrunt actiones inhonestæ, ut constat de villico iniquitatis. Ipse Grotius quanquam pro-

Ponderatur locus
Matth. XIII

fanè vocat fabellam hoc simile, ne quicquam in Commentario habet, quod pro stabilien- da sua sententiâ faciat II. si faceret pro Gro- tio, tunc colligi posset, quod homo ille the- saurum jam inventum & per consequens ac- quisitum Domino agri quoad dimidiam par- tem iterum de novo absconderit, ut emto agro totum sibi absque perturbatione usur- paret. III. Non potest si scopus Christi atten- datur aliquid firmiter concludi, quia hoc tan- tum intendit, illum qui regnum cœlorum invenerit omnem adhibere diligentiam, ut illud obtineat, nec perdat: nam, si velimus verba premere ad sanguinem usque, seque- retur, quia vendidit universa emisse hunc in- ventorem ut agrum, ita Evangelium, seque- retur Evangelium esse abscondendum, talen- to non esse lucrandum. Præterea parabolæ non semper sunt de rebus extantibus, sed possunt esse casus ficti. videatur Maldonatus pag. 294. Malè autem abusus hâc parabolâ conscientiæ consulit Martinus Bonacina scri- bendo Disp. 143. p. 6. §. 7. illum qui scit in fundo alterius latere thesaurum, & fundum emat antequam effodiat fundum ad effodien- dum thesaurum acquirere dominium totius thesauri, tum vi dicti Salvatoris, tum quia ju- re naturæ & gentium thesaurus sit primi oc- cupantis. Unde Vasquez ita disserit pag. 143. §. 33. ex Sylvestro: *Quod ille, qui emit fun- dum ignoranter ab aliquo, qui etiam erat the- sauri ignarus, & postea inveniat illum, totum sibi adquirat, quia, ut inquit Sylvester, ante inven-*

inventionem, thesaurus ille communis erat, & in nullius dominio: fuit autem factus emensis, non per emptionem, sed inventionem; & ita nulla fuit fraus in emptione, nec est obligatio restituendi. Si autem ex industria emit, quia sciebat ibi esse thesaurum, inquit Angelus, quod non est securus, & quaedam adhibet regulas ad docendum, quando teneatur restituere. Quamquam relabatur in sententiam Soti.

Ad Th. VIII. IX. X.

OBSERVATIO.

Fluvialia incrementa ut ad hunc pertinent titulum, ita num ex Jure Romano tantum sit, quod Author proponit disputari potest, certum verò est inundatione non mutari Dominium.

Disserit Author de incrementis fluvialibus & ea quæ jure Romano de Insulis & alluvionibus sunt prodita, dicit non naturalia esse, nec juris gentium; secundò naturaliter Insulam in flumine & alveum exsiccatum ejus esse cujus est flumen aut pars fluminis, ita ut in privati juris flumine Ripa aut Insula nata, aut alveus derelictus sint privatorum, in publico verò populi aut cui populus cesserit; & tertio non amitti dominium agri Inundatione. Juris tamen gentium censent alii esse ut quod per alluvionem flumen agro adjecit

Verum si
ludio cedat
Iure natu-
rali vel gen-
tit il-

tium præ-
diorum
Dominis.

fit illius, qui Dominus agri. de prædiis vicini Pado Lucanus scribit:

*Illos terra fugit Dominos, his rura Colonia
accedunt donante Pado*

Molina. Ludovicus Molina ita definit Tract. II. Disp. 57. §. 1. & 2. pag. 251. *Ut ab alluvione ordiamur, si flumen paulatim decursu temporis aliquid fundo alicujus adjecerit (quod in jure incrementum latens appellatur) gentium, jure illius efficitur, cujus est prædium, cui ita est additum. Similiter si eodem modo aliquid detraxerit, dominium illius amittitur. Si tamen flumen simul detraxerit partem aliquam fundi unius, eamque adjunxerit fundo alterius, manet ejus, cujus antea erat. Ita habetur. Instituta de rerum divisione § citato, & l. adeo. §. 1. ff. de acquirendo rerum dom. Insula autem que in flumine interdum nascitur, si in medio sit fluminis, eorum efficitur, qui utrinque è regione prædia habuerint: estque inter eos equaliter dividenda. Atque hoc, & quodcumque aliud simile, appellatur incrementum patens. Quod si ex una parte ripa multi habeant prædia diversis partibus Insule è regione respondentia: tunc medietas Insule, qua est versus eam ripam partem, inter eos ita est dividenda, ut que pars illius medietatis fuerit è regione prædii cujusvis aliorum ad eum simili modo pertineat. Si verò Insula, in flumine nata, uni parti ripæ fuerit propinquior, tota cedit dominio illius, aut eorum, qui è regione prædia in ea ripa habuerint. Quod si Insula primo nata sit è regione unius prædii, & postea*

postea accrescat, adeoque extendatur, ut esse incipiat è regione prædij alicujus alterius, tota Insula perseverat illius, cujus antea erat. Ratio est, quoniam incrementum illud, & extensio, accrescit Insula, qua jam antea habebat dominum; eaque de causa, sicut illud incrementum accrescit Insula, sic etiam cedit dominio illius, cujus antea erat Insula. Porro si ea ratione fiat Insula aliqua ut flumen dividatur, cingereque incipiat partem prædij alicujus: tunc illa, ita flumine cincta, ejus erit, cujus erat antea. De Insula de novo in medio mari nata, dictum est disp. 55. hæc omnia habentur. §. Insula Instit. de rerum divisione. l. adeo §. 1. l. inter eos. l. ergò, & l. Insula ff. de acquirendo rerum dominio.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Rectè dicitur naturale non esse ut Partus solum ventrem sequatur.

IN hac thesi Author agit de illa acquisitio-
 ne, quæ est per genituram animantium, & querit an naturale sit, ut partus ventrem sequatur, negatque si probabili ratione de Patre constat, quia quod nascitur etiam Patris pars est. Hinc ad modum illum servitutis progrediuntur Moralistæ, titulumque qui est nativitas, & definiunt, quod quicumque ex matre ancilla nascatur servus sit, etiam si Pater liber contra Grovium. Dubitari autem potest

Naturale est
 fit ut par-
 tus ventrem
 sequatur;

test quomodo hic titulus justificari possit ; nam quando servitus in pœnam Matri imponitur, tunc quidem certum est pœnam etiam extendi ad natos, prout infamia & alia pœnæ, quemadmodum hoc etiam intelligi potest si servitus introducatur Jure belli ; tunc enim etiam habet se ad modum pœnæ, quæ vel mater vel saltem Respublica cujus ipsa pars est punitur. At verò si mater se vendat, videtur difficile esse affirmare, posse prolem futuram ad servitutem obligari. Si dicas hoc ex rei natura provenire, quia filius comparatur ad Matrem sicut fructus ad arborem. Ut ergò vendita arbore transit fructus cum illa, ita vendita Matre vendi fructum ventris vel filium. In contrarium videtur, quod homo cujus gratia omnes fructus sunt conditi, non debeat ullo modo inter fructus computari, ut proin non eadem sit ratio de prole & fructu. Ratio itaque hæc potius petenda est ex potestate Legis & Reipublicæ quæ alicui talem facultatem obligandi potest concedere, prout dari potest Tutor pupillo, qui pupillum ex causa aliqua potest obligare. Ut itaque Mater hanc facultatem non habeat ex se, potest tamen habere ex concessione Superioris. Hinc colligitur, posse Rempublicam justis de causis dare hanc facultatem, ut quando seipsam ad servitutem obligare vellet, posset etiam prolem futuram eò obligare, præprimis si difficilè inveniret Mater in illa necessitate qui eam vellet emere, nisi simul fructum sui uteri vendere posset. (2)

Quod

Quod Grotius disputat contra Jus civile, hoc ipsum ex aliqua ratione æquum deprehenditur, si Dominus ancillæ alimenta subministret eo tempore quo gravida est. Nam sicut ancilla tunc non potest debite laborare, opus habet tamen alimentacione & quidem congrua, ipsaque est sub Domino, æquum videtur, ut id quod nascitur, etiam aliquo modo adnascatur Domino. (3) Quod Grotius disputat, an de Matre an verò de Patre plus habeat natus distinctione expediri potest. Aut enim consideramus Patrem & Matrem ratione materiz, & ita plus confert Mater, præprimis si attendantur alimenta in utero; aut considerantur ratione efficientis, & ita primas fert Pater, in ratione principii generandi: quanquam si anima ex traduce esse statuatur, & ab utroque Parente efflorescere dicatur, non hinc erit querenda aliqua prærogativa, nec considerandi mas & foemina ut duæ causæ partiales magis vel minus conferentes ad productionem nati, sed sub rige & benedictione divina in conjunctione ut unum quoddam principium in relatione ad id, quod ex illis nascitur, adeoque si duæ causæ hinc statuantur, duæ causæ totales, non subordinatæ erunt admittendæ, quod possibile esse & quomodo fieri possit prolixè ostendit Franciscus

Ostenditur
quo iure.

Plusne de
Patre an de
Matre par-
tus habeat?

Suarez.

Ad

Ad Th. XXIII.

OBSERVATIO.

Possessor naturaliter fructus suos non facit, impendia tamen imputare potest.

An Posses-
sor natura-
liter fru-
ctus suos
non faciat.

Opinio Mo-
ralistarum.

Reponitur
probabili-
or contra-
ria.

Author agit de bonæ fidei Possessore, at-
que definit, non naturale esse, ut fructus
omnes ex re suos faciat, sed hoc tantum ut jus
habeat operam utilem imputandi, ac pro iis
deducendi fructus perceptos, vel extantes re-
tinendi, si aliter non fiat ei restitutio. De
hoc autem latè disputant Moralistæ, quæ in
compendium redacta sic se habent. (1) Pos-
sessor bonæ fidei non tenetur restituere fru-
ctus industriæ perceptos ex re aliena: ratio est,
quia si tenetur fructus industriæ restituere,
maximè quia sunt fructus rei alienæ debet re-
stituere; at non sunt fructus rei alienæ sed in-
dustriæ, quæ propria est, non ergò tenetur eos
restituere, consentiunt hîc Navarrus, Azo-
rius, Sanchez, Rebellus, Vasquez. Navar-
rus tamen vult possessorem bonæ aut malæ fi-
dei ex hoc capite non teneri restituere fru-
ctus, quos percepit ex locatione torquis sur-
repti, quia sunt fructus meræ industriæ, cum
torques non sit res fructi fera. Verum pro-
babilius tenetur oppositum, quia istiusmodi
fructus non censentur esse industriæ, sed pre-
mium locationis, sicut est pensio percepta ex
locatione domus vel equi, quæ reducitur ad
fructus

fructus mixtos. (2) Possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus tam naturales quàm mixtos, tam pendentes quàm perceptos, si extant; si verò non extant, tenetur restituere id, in quo factus est ditior, deductis impensis ex valore industriæ: ratio est, quia hujusmodi fructus censentur una res cum ipsa re naturali, & res Domino fructificat, detrahendas tamen esse expensas liquet ex eo, quia fructus dantur, qui supersunt detractis expensis, neque possessor bonæ fidei debet facere jacturam expensarum: quod autem teneatur restituere id in quo factus est ditior ex fructibus non extantibus sed consumptis, patet ex eo, quia hæc congruè ad Dominum referuntur, & in hoc conspirant Azorius, Bannez, Salonius, Sanchez. (3) Juxta Moralistas possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus, quos sua negligentia non percepit, ratio est, quia non potest assignari, ex qua radice teneatur ejusmodi fructus restituere: non enim tenetur ratione rei acceptæ, cum res aliena apud ipsum non extet, neque ratione contractus, cum nullum iniverit cum domino rei, nec denique ratione iniquæ acceptionis, cum nihil injustè acceperit, neque peccaverit contra justitiam non colligendo fructus. Nullus enim tenetur ex justitia percipere fructus ex re sua, quam credit esse suam, ita Lessius & Vasquez. Verùm utut in foro exteriori hoc locum habeat, interim tamen quia negligentia suos habet gradus, & de foro interiori conscientie disquiri potest,

test, non erit hæc propositio extra omnem dubitationis aleam.

Ad Th. XXIV.

OBSERVATIO.

Possessor malæ fidei tenetur ad Restitutionem fructuum quos percepit.

Qui mala si
de possidet
tenetur ad
restitutionem
fructuum per-
ceptorum.

Agit Author de malæ fidei possessore, & consimiliter definit, de quo quoque prolixè disputant Moralistæ. Nos etiam hoc redigemus in compendium. (1) Possessor malæ fidei juxta illos tenetur ad restitutionem fructuum, quos ipse non percepit, quos tamen Dominus rei percepisset: ratio est, quia possessor malæ fidei per suam iniquam detentionem censetur causa efficax damni & amissionis fructuum; culpâ enim illius factum est ne Dominus perceperit fructus, causa autem efficax damni tenetur ad restitutionem, quanquam detrahi possint expensæ, & detrahendæ sint quas Dominus fecisset in fructibus illis percipiendis. (2) Possessor malæ fidei tenetur restituere fructus, quos percepit ex re aliena, quam ipse meliorem fecit, quamvis Dominus illam non effecisset meliorem: ratio est quia res Domino fructificat, non verò possessori malæ fidei, meliorato autem illa cum annexa sit & affixa rei, pertinere debet ad Dominum rei, & consequenter illi fructificare debet. (3) Possessor

for malæ fidei tenetur ad restitutionem fructuum, quos accepit & jam consumpsit, quamvis ex eorum consumptione non factus locupletior in ulla re, & Dominus illos non percepisset: ratio est, quia si res Domino fructificat, consequenter fructus sunt Domino restituendi, etiamsi Dominus illos non percepisset, utut contrarium sentiat Covarruvias. In prima propositione conspirant Menochius, Sanchez, Rebellus, in altera Navarrus, Lessius, Azorius, in tertia denique Rebellus, Sanchez, Molina & alii,

CAPUT IX.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Definit Imperium & Dominium non mera voluntatis cessatione præcisa à signis manifestantibus nec simpliciter sublato eo qui Jus habuit non existente Successore, de Servis verò non malè pronunciat Author.

IN hoc capite Author agit de defitione dominiorum, & ostendit non tantum derelictione dominia desinere, sed & sublato Subjecto, in quo est imperium vel dominium. Derelictione desinere probat ex eo, quia voluntate cessante non manet Dominium. Atqui hoc ipsum non potest simpliciter admit-

Vtrum derelictione regna amittantur aut cessante voluntate tollatur Imperium.

ti: nam (1) potest voluntas cessare intra mentis viscera, nec tamen propterea derelicta erit censenda res, circa quam voluntas cessare coepit. (2) Ipse Author in hoc ipso libro secundo cap. 4. §. 3. asserit juris effectus, qui ab animo pendent, non tamen possunt ad solum animi actum consequi, qualis est cessatio voluntatis, nisi is actus quibusdam signis indicatus sit; requiritur ergo præter voluntatis cessationem, etiam exterior notificatio per signa. (3) Quamvis voluntas cessans sit causa principalis derelictionis, respectu illius in quo cessat voluntas, tamen moraliter loquendo, & ut alter possit apprehendere rem illam atque habere pro derelicta, plus requiritur, nec sola illa voluntatis cessatio sufficit: sed forsitan Author non exclusit signa & ad principalem causam respexit, quo sensu etiam Philosophi & Theologi morales dicunt, dominium transferri tribus modis primò divina voluntate, secundò voluntate Domini volentis transferre dominium rerum suarum in alterum & tertio voluntate Legislatoris & Principis transferentis res civium in alios Dominos, videantur Sotus, Valentia, Bannes. II. Quando dicit desinendi domini modum esse Subjecti interitum ante alienationem, aliqui simpliciter non admittunt, quia mortuo Patre manet dominium bonorum, & continuatur per filios, qui succedunt. III. De populis disputat & servis, & dicit servos esse liberos si Dominus moriatur, & populos si Princeps scil. vivere desinat. Verum

Dominium
sublato ante
alienationem
Subjecto
non interit.

Servo Mors
Domini libertatem
largitur.

rùm posset in contrarium opponi, etiam nullo hærede existente non naturale esse ut servi defuncti fiant liberi, quia servus naturaliter liber non sit si amittat Dominum; sic etiam populum si sit servilis ingenii naturaliter liberum non esse, si extinguatur Princeps, sed alterius Imperio esse assignandum. Verùm hæc non subsistunt. Nam (1) servus si amittat Dominum redit in illum statum, in quo fuit, cum nondum fuisset sub Domino, fuit autem liber antequam subiret jugum Domini, E. ad illum statum redit. 2. Posito servum esse servilis ingenii, quid fiet de servo, qui est generosi animi? 3. Naturale hoc non esse ut redeat ad pristinam libertatem non potest admitti, quomodo enim potest manere servilis conditionis cum nexus ille sit solutus, relatio cesset inter ipsum & Dominum, nec accuratè loquendo naturale vel non naturale quid est servitus vel libertas, sed præscindens, & Politicum quidpiam positive. Unde etiam Caramuel ad locum Aristotelis de naturâ servo ex 2. Pol. 3. respondet, consentire illum Solomoni Proverb. XI. dicente: *Qui stultus est serviet sapienti*, quæ verba sint intelligenda non de verâ servitute, sed de subordinatione & obedientiâ debitâ prudentioribus & eodem prorsus modo intelligendum venire Aristotelem, apud quem natura prudentes & imprudentes distinxerit, illos condiderit dignos Imperio, hos tales ut vel obedirent vel perirent: periclitatur enim qui sibi non sufficit & tamen excutit jugum

Populus
sublato Do-
minii Sub-
jecto sui
juris non
fiet.

alterius; quanquam verba Solomonis non tam generaliter sint intelligenda, quam determinatè de inepto divitiarum dispensatore. Quod de Populis dicitur, id non admitti potest, tum quia fingitur populus aliquis totus, qui sit servili ingenio, quamvis enim e. gr. populi Asiatici magis apti sint ad despotica Imperia, quàm Europæi, nihilominus populus non dabitur, in quo non unus & alter sit generosæ mentis, & vel cum Jasone esurire malit quàm non imperare, quàmvis quidam indigeant ob imbecillitatem mentis & stuporem animi alterius directione & Imperio, alii tamen non nisi ex ordinis ratione Recturam admittunt; tum quia, si assignandus erit alterius Imperio, quis assignabit? populus enim talis nullum habet superiorem: qui itaque involat Num, & assignat alterius Imperio vim eidem infert, tum quia, si populus etiamsi sit servili ingenio, nihilominus consulere sibi poterit, quantum ad finem civilem amisso Domino, cum in Democratia quoque sive statu populari obtineat ratio alicujus formæ, quæ Rempublicam sistit.

Ad Th. III.

OBSERVATIO I.

Quæ ex Alpheno laudat disputantur à Barbaro.

PRIMO hîc Grotius comparisonem instituit inter corpus Populi vel Civitatis & natu;

naturale, atque idem esse non desinere particulis paulatim commutatis quâ manente specie ex Alpheno docet. Locus citati Juris consulti ita legitur: *Proponebatur ex his judicibus, qui in eandem rem dati essent, non nullos causâ auditâ excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumptos, & quarebatur si quorum Judicium mutatio eandem rem, an aliud judicium fecisset? Respondi, non modo si unus, aut alter, sed & si omnes judices mutati essent, tamen & rem eandem, & judicium idem: Quod antea fuisset permanere: Neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed & in multis ceteris rebus: Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subjeti essent: & populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuissent, cum ex illis nemo nunc viveret: Itemque, navem si adeò sapè refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, qua non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuissimus, propterea quòd, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis constiterimus, hæc cotidie ex nostro corpore decederent, aliaque extrinsecus in earum locum accederent. Quapropter, cujus rei species eadem consisteret, rem quoque eandem esse existimari.*

Idem populus censetur etiam post multos annos.

Quibus opposuit quondam se Hermolaus Barbarus Contradicit Hermolaus Barbarus.

de quo, vide Alexandrum ab Alexandro lib. 3. p. 114. Jugiter enim alimentares particulæ absumuntur, dissipantur ut restauratione cottidianâ sit opus, & cum corpus humanum sit porosum continuè diffluunt minuta corpuscula, nec tamen propterea corpus humanum non censetur idem esse quod in Exordio vitæ, natura finxit cum illo, quod ætatis adultæ robur auxit & stabilivit. Secundo in *ἡλικία* dicit, populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuerit, cum ex illis nemo nunc vivat. Tempus enim numerus & locus variare potest, ut idem maneat populus, juxta illud Poetæ:

*Habitans Camillo,
Illic Veji scil. Roma fuit*

Unde non malè Michael differit Piccartus in lib. 3. Politicorum Aristotelis cap. 3. pag. 354. ad quem B. Lectorem remittimus.

Ad Th. III.

OBSERVATIO. II.

Certa ratione populo quem alloquimur de præsentis tribuuntur quæ antea acciderunt.

Idem tribui populo quæ nunc alloquimur,

Hic Author vult probare populo quem nunc alloquimur ea tribui, quæ eidem populo ante multa secula acciderunt. Lau-
dat

dat in opinionis suæ fundamentum dicta Scri-
pturæ; Res ipsa negari nequit, an tamen in illis
respiciatur ad illam ut fundamentum Phrasæ
disputari potest. producit locum Marci. X. vñ.
3. At hoc non præcisè pendet tam ex populi
identitate, quam ex universali permissione
qua toti populo Judaico permissum fuit di-
vortium, respiciente natos natorum, & ean-
dem indolem omnium. Locus Joh. VI. vñ.
32. non satis commodè adducitur, quia quæ
quandoque majoribus sunt exhibita, dicun-
tur etiam de posteris, non præcisè ex identi-
tate illa, sed ex ampliacione beneficii. Sic
Joh. VII. non ex eo, quod Moses dicitur le-
gem dedisse Judæis etiam tempore Christi e-
xistentibus, pro identitate firmiter concludi-
tur: quanquam illa non negetur, cum de mo-
do argumentandi sit quæstio, sed ideo etiam
dicitur lex data Judæis, quia est lex æterna,
perpetua, omnes homines obligans, & ex in-
tentione DEI ad natos natorum, imò etiam
ad gentiles sese extendens. Denique quod
concernit locum Act. VII. par est ipsius ratio,
ut antecedentis.

quæ eidem
ante multa
secula ac-
ciderunt
ex addu-
ctis locis
non stabili-
tatis.

Ad Th. XL

OBSERVATIO I.

Romanos retinuisse quæ Romani
sunt Imperii contra veritatem dici-
tur.

Hic Author nobilem movet controversi-
am, sed quam non condignè suo inge-
nio

Imperii
Romani
translatio
certis do-
cumentis
probatum.

nio expedit, & in qua per omnia fere cespitat. (I) negat mutationem aut translationem Imperii à Romanis ad Germanos, quam Caroli M. ætate statuunt factam præstantissimi tum Historici, tum Politici, tum Jurisconsulti. Primum itaque opponimus ei seqq. argumenta, translationem factam esse & acquisitum imperium Occidentale constat 1. quia jure Belli hoc ipsum sibi proprium fecit Carolus M. Quo jure itaque Monarchia Assyriaca, Persica, Græca & Romana effloruit, eo jure quoque Caroli M. imperium cœpit & stetit; Nam ille domuit Sclavos ad Albim & Salam, Hunnos & Avaros in Pannonia, Saracenos in Hispania, atque Aquitanos in Gallia. Primum autem Westphalos & Saxones domuit & sibi subjeit; Italiæ verò regnum post Galliam & Germaniam subjectam quoque eo jure acquisivit, Desiderio Longobardorum Rege unâ cum uxore & liberis, nec non Regia capta Atque ita Longobardiam in fidem suam recepit. Quid autem est ferro regnum sibi parare si hoc non est? quis Italiam justius sibi vindicavit quàm Carolus? Hinc etiam ab Episcopo Mediolanensi corona ferrea redimitus est, imò ut verus Dominus & arbiter Italiæ Legibus etiam Rempublicam firmavit. Consulamus Abbatem Rheginonem, qui totus noster est & sequentia habet. *Carolus Roma reversus venit Papiam, ipsamque civitatem armis cepit, in super Desiderium regem cum uxore sua & filia, omnem Thesaurum Palatii. Ibi que venientes omnes Longobardi de sanctis ci-*
vita-

vitatibus Italia, ejus se subdiderunt dominatio-
 ni. Adalgisus vero filius Desiderii fuga elapsus
 mare introivit & Constantinopolim perrexit,
 Carolo subjugata Italia & ordinata, custodiam
 Francorum in Papia demittens, cum magno tri-
 umpho in Franciam reversus est. 2. Urbis
 ipsius Romæ axioma & dignitatem consecu-
 tus est. Nam in conventu & Senatu Proce-
 rum Patricius Romanus declaratus est, ipse
 ordinavit & disposuit circa sedem Pontificis;
 vexillum urbis Romæ accepit in signum sub-
 jectionis, quod ipse jus & potestatem in Ro-
 mam habeat, nec non claves per Leonem Pon-
 tificem, ut constat ex Rheginone supra lauda-
 to. 3. Fundamentum est adhucdum magis pre-
 mens Grotii sententiam. Nam non solum
 jure belli occidentis acquisivit imperium, ve-
 rum translatum quoque est à Græcis imperi-
 um ad Carolum M. cum negligerent Impe-
 ratores Constantinopolitani Romam, Go-
 this & Longobardis, barbarorumque irrup-
 tionibus permetterent Italiam, tandem partes
 suas interposuit Carolus Magnus. Hinc A-
 ventinus refert Carolum expedivisse univer-
 sum imperium Romanum, Legatos misisse
 Constantinopolim, ut peterent Imperatricem
 Irenem viduam in uxorem, quam Græci Im-
 perio privarunt, utut libenter nupfisset, misit
 etiam ad Carolum Irenie & Titulum Impera-
 toris in ipso agnovit & probavit, de quo Aven-
 tinus ita loquitur. *Irenem Orientis imperatri-
 cem misisse legationem illustrem ad Carolum
 Magnum in Germaniam, qui Aquigrani tunc
 fueris;*

fuerit: Pacemque cum eo perpetuam fecisse: tum titulum etiã illi a marito & filio ante tributum confirmasse, ut Casareus prefectus urbis Roma, & sacri Romani imperii gubernator appellaretur. Romani vero & Leo pontifex mittebant eum, & Romam attrahant. Cum pontifex etiam ipse Ratisponam usque excurrens eodem illum invitabat. Quocirca anno Christi 800. tempore hyberno cum copis magnis ille Italicum iter suscepit, & locis cunctis tantihonoris ei habiti sunt, ut si DEUS ipse in terras veniret, majores vix tribui possint. Et cum mulier Constantinopoli imperaret, quod inauditum esse videbatur, putabant Romani se potestatem & jus habere eligendi Casarem: quod imperium ex ipsis esset & nominaretur. Anno autem Christi 803. cum Carolus Salisburgi esset venerunt ad eum Graeci Imperatoris Legati, Michael Episcopus, Petrus Abbas, & Callistus Cancellarius, pacemque cum eo sempiternam fecerunt, hoc pacto, ut deinceps in omne tempus Imperio Carolus & omnes ejus posterii, in imperio Germanico nomen & titulum Romani Imperatoris in occidente, veterisque Romæ gererent. Nicephorus autem qui successit Irenæ in Insulam ablegatæ, & posterii ejus, Imperatoris novæ Romæ in Oriente appellarentur, & quod infra Neapolim in Italia est ad Constantinopolitanum, reliquum ad Romanum imperium pertineret, quæ translatio à Leone Pontifice obsignata fuit, atque ita restitutum est Occidentale imperium & cœpit Ori-

Orien-

Oriente non amplius dici regnum Romanorum, sed Græcorum, teste Cranzio lib. 3. Historiz Saxoniz. Legantur pro nostra sententia Marianus Scotus, Lambertus Schaffnaburgensis, Hermannus Contractus, Philippus Bergomensis & alii. Unde etiam Germaniz proceres apud Guntherum:

*Quemcumque sibi Germania Regem
Præcipit hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, & verso Tiberim regis ordine
Rhenus.*

Ad Th. XL

OBSERVATIO II.

Populus Romanus non est hodie ille, qui quondam fuit, neque Imperium penes illum ut Corpus mansit.

Sicut Authoꝝ errat negando mutationem & translationem, quæ certis argumentis probata jam est, ita errat dicendo populum Romanum eundem esse qui olim fuit, & imperium penes illum mansisse tanquam penes corpus, in quo esset ac viveret. Nam I. posito imperium fuisse penes populum Romanum, non tamen mansit apud ipsum, sed translatum est, ut constat ex antecedentibus ad Carolum Magnum & sequentes. Unde Onuphrius diserte. *Carolus coronatus & consecratus rex Francorum in villa Francia Carisiaco à Stephano Papa II. anno Christi 752. Imperator*

Populus
Romanus
alius hodie
quàm quæ
olim.

perator appellatus Roma in Basilica S. Petri in Vaticano, cleri, senatus, populique consensu, & coronatus ibidem à Leone III. Anno Domini 801 in eunte, Calendis Januarij, videlicet die natalis Domini.

Imperium non est penes populum;

Nec manet penes illū tanquam corpus.

2. Supponitur imperium esse penes populum. Populus enim ut non habet majestatem, ita nec imperium, sed illud est à DEO immediatè. 3. non potest manere imperium apud populum aliquem tanquam corpus; ut enim dignitas regendi corpus humanum & potestas, non est in ipso corpore humano sed in capite: ita corpus alicujus Reipublicæ non est radicale subjectum Majestatis aut imperii, ut vult Franciscus Suarez cum Pontificiis in defensione Catholica adversus Regem Angliæ Jacobum, sed præter obsequii gloriam nihil habet.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO III.

Quæ de Jure Populi Romani, antequam Imperatores regnarent, proponit, non sunt liquida.

Eligere populum nō conferre Majestatem.

ERrat Author quando de jure etiam jam existentibus Imperatorib⁹ discurret. Nam
 1. non potest demonstrari tempore Imperatoris summâ rerum jam ad Augustos delatâ, ut quidam volunt, jus eligendi fuisse penes populum cum Adoptio obtinuerit. Tiberius enim ab Augusto publicè fuit constitutus, ne successor esset in incerto Tacit. Annal. III. **acces-**

accessit verò Senatus Confirmatio. Deprecatus quidem fuerat Tiberius. ne in Civitate, tot illustribus viris subnixæ ad unū omnia deferrent, plures facilius Murim Republicæ societatis laboribus exempturos: se in partem curarum ab Augusto vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ cuncta regendi Onus; sed Verba erant & ad populum phaleræ vel Senatum. 2. electionem Imperatoris ad populum pertinuisse, & quæ à legionibus factæ fuerint electiones non fuisse ratas nisi ex approbatione populi Historicis adversum est. Non enim licuit populo contra exercitum penes quem summa rerum quicquam tentare. 3. quàmvis omnia hæc probarentur, longe tamen aliud esset, jus & potestas eligendi aliquam personam, quæ dicit meram designationem subjecti, aliud jus & potestas ipsam Majestatem conferendi, quæ altius quoddam sapit principium.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO IV.

Fulcrum illud quod ponit Author stabilientiæ sententiæ de Jure populi Romani eligendi Imperatorem non satis firmum est.

JUS eligendi Imperatorem pependisse à voluntate populi Romani fulcire vult ex eo, quia

Causa alienati Imperii Orientalis.

quia cum Constantinopolitani contra mentem & morem populi Romani fœminæ Irenes subiissent imperium, populus Romanus illam concessionem revocarit. Verùm hæc iterum non sunt Historicæ fidei conformia; Nam Irenem ideo fuisse in Insulam ablegatam & ab imperio remotam, quia nubere volebat Carolo Magno. Historici testantur. 2. non populus Romanus hîc hoc vult Grotius quòd egit, sed Principes Græciæ repugnarunt, & captam illam inspectantibus Legatis Caroli imperio privarunt, teste Nauclero. 3. Causa fuit quod ipsa Urbs Romana sese subduxerit imperio Constantinopolitanorum Imperatorum ob desertionem, & destitutionem auxilii contra Longobardos.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO V.

Nihil in Electionis vel Improbationem vel Approbationem juris superest populo Romano.

Electionis Ius Romano populo ademptum est.

ERRAT Author quando dicit placuisse populo Romano ita accipere Carolum M. vel Regem quem Germani fecissent, ut tamen jus sibi aliquod retinuerit probandæ vel improbandæ electionis. 2. hanc approbationem per Episcopum peculiari coronatione contestatam fuisse, & fieri ex approbatione populi Romani Imperio Regem Regni Italiæ. **Quæ omnia itidem falsa sunt.** Nam quod Caro-

Carolus jure belli vel electionis acquisivit, id jure hæreditario ad suos posteros trãstulit, jure extincto populi Romani, si quod fuit. 2. Quid Pontifex sua coronatione ? num illa est index alicujus potestatis in Imperatorem aut necessariz approbationis ? annon Carolus M. obtinuit imperium antequam corona à Pontifice Leone illi impõeretur, prout habet Avétinus? *Tenebat*, inquit *Carolus jam omnes provincias, que ad urbem Romam pertinebant. Itaqz Anno Christi 801. Leo Papa Senatus & populus Romanus Imperatorem illum designabant in templo S. Petri cum Pontifice precaretur, Romani electionem hanc publicaverunt, acclamantes altã Voce Juvenes & senes, senatus & populus, clerici & politici: Carolo Augusto, à DEO coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum Vita & Victoria. neque coronari quis potest, nisi jam sit designatus & electus. Non enim coronatio est causa Imperatoris, sed facti Imperatoris testimonium publicum. Imò potius ita tribuenda esse translatio imperii Archi-Episcopo Mediolanensi cum ille Modæciz imposuerit coronam ferreã Carolo: de Coronatione hanc observationem relinquere voluit Archiepiscopus Spalatenfis scribens lib. 6. cap. XI. pag. 825. Coronatio & quadam consecratio sive benedictio, cuiuscunque Regis, & magni Principis Christiani, fieri solita est per primum, & maximum illius Regni sive Regionis Episcopum; sicut in Germania per Coloniensem: in Gallia per Rhemensem: in Anglia per Cantuariensem: in Ungaria per*

Coronationem Pontificis nullam potestatem Romanorum Regi collatam arguere.

Strigoniensem &c. qua ceremonia ex veteri sacra Scriptura desumpta est, in qua videmus Reges à DEO, & populo electos, Olei unctiōne per Prophetas inaugurationem divina ordinatione accepisse. Cum igitur in toto Imperio dua essent Civitates Imperiales, ut dictum est, in quibus Palatium, Curia, & Senatus fuerit Imperatoris, Roma vetus; & Constantinopolis, Roma nova, si in Oriente coronandus fuisset Imperator, à Patriarcha Constantinopolitano coronam, inunctiōnem & benedictiōnem accipiebat: Roma vero à Romano Pontifice, si in Occidente. Referam aliquos. Justinus à Johanne Constantinopolitano est coronatus: scribit hoc ipsemet Joannes ad Hormisdam. Ac iterum post sex annos, cum adesset Joannes Papa Romanus Constantinopoli, voluit ab eo etiam Justinus coronari. Quis igitur dicat coronationem facere Imperatorem? Nunquid per sexennium non fuit Justinus Imperator? & tot alii qui à Solum Patriarchis sunt coronati, nunquam vero à Papa Romano? nunquid non fuerunt plene Imperatores? an Patriarcha etiam Constantinopolitanus habet illam plenitudinem potestatis, quam Romano tribuunt, ut indirecte possit Regnis, & Imperiis Reges & Imperatores privare, & alios instituire? Si ex coronatione Imperatorum hac potestas in coronante esse colligi debet, prorsus id ex Constantinopolitano colligetur. Theodosius Mauritiū filium ejus jussu coronatur Imperator collega patris à Joanne Patriarcha Constantinopolitano: ut habetur ex Theophane: A Polyencto Joannes. Ita alij: Eorum-

Eorundem Patriarcharum exemplo, & eadem autoritate spirituali, ex devotione, & pietate introductum est, ut felicibus auspiciis Regna & Imperia cum benedictione Sacerdotali susciperentur. Carolus fuit à Leone inunctus & coronatus: & post ipsum omnes ferè successores. Ludovicus primus à Stephano: Carolus alter à Joanne octavo. Otho primus à Joanne duodecimo, &c. Quæ sanè coronatio cum inunctione, & benedictione, etiamsi mera esset externa ceremonia, ex pietate videlicet & devotione, non ex necessitate provecta, & inducta, visa tamen post translationem semper fuit ad perfectam nominationem Imperatoris necessaria: ut ante coronationem Regis duntaxat, sive Germanorum, sive Romanorum per electionem nomen obtinerint, aut postea etiam electi Imperatoris; & post coronationem prædictam jam plene Imperatores vocarentur. Quod etiam hodie videtur observatum: Ut qui coronati non sint, Imperatores electos se inscribant, & ita vocitentur. Nihilominus tamen quod spectat ad plenissimam potestatem, eam ex sola electione legitima, etiam absque Romani Pontificis coronatione, Imperatoris electi se habere semper professi sunt, & profitentur: Ut supra Ludovicus Bavarus: cap. 10. n. 13. Neque in hoc Pontifices Romani sapientiores potuerunt repugnare. 3. Confundit Romanum Imperium & Regnum Italiæ Author quæ distincta sunt, nam primum sibi acquisivit regnum Italiæ & Longobardos domuit Desiderio relegato cum conjuge & liberis, dein demum Saluta-

erras

tus fuit Imperator, & acquisivit etiam Romanum Imperium.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO VI.

Pontificem vacante Imperio feuda conferre posse frustra dicitur.

Pontifex Romanus vacante Imperio feudorum investituras nullo jure tribuit.

PUTIDUM est quod de Pontifice dicit, nempe illum vacante Imperio investituras tribuere feudorum Imperii Romani. Nam 1. falsum est ad ipsum pertinere hoc jus. Papa enim si est Vicarius, Vicarius Christi est, ut volunt pontificii, non Imperii Romani, penes quem hæc concessio. 2. Regnum Italiæ nunc dissipatum est, nec urbs Roma habet sibi subjectas terras illas; quapropter si concedamus Papæ dominatum in urbem Romanam, non propterea confestim habebit jus in regnum Italiæ. 3. Quàmvis in populo Romano primas obtineat Pontifex, non tamen nisi ex suppositione falsa procedit jus illud quod attribuit Pontifici. Si enim ipse populus non habet jus hoc ulterius, etiam ille non habebit qui primas habet in illo, quo jure enim illud faciet & feuda conferet, num Cæsares voluerunt esse ipsum Vicarium illorum per Italiam? num Imperatori à populo Romano Vicarius dari potest, cum apud Germanos nunc sit Axioma illud, quod quondam inter Romanos fuisse. Quapropter etiam falsis.

falsissima sunt quæ addit, si Imperator Romanus morbo aut captivitate impediretur fungi Imperio, posse ei vicarium dari ab ipso populo Romano.

CAPUT X.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Obligatio Restitutionis est necessaria de Jure naturali & divino.

TRactat de restitutione, & (1) statuit, rem esse restituendam, & qui eam habet in potestate, efficere debere quantum in se est, ut in nostram potestatem veniat; (2) non obligari ad impossibile, nec ad rem reddendam suis impensis, sed indicare teneri tantum ut alter suum recipere possit; (3) pro prima assertionem adducit præceptum Hebræorum ex loco Deut. XXI. vs. 1. in notis. Primum quod concernit, disputant Moralistæ & Theologi, num restitutio alienæ rei sit juris divini & naturalis, adeoque talis ut sit de necessitate salutis. Johannes Medina Complutensis totum ferè librum de hac Materiâ complevit. videtur autem Restitutionem rei alienæ non esse de necessitate salutis & quidem ex eo, quia si ad salutem esset necessaria, esset etiam necessaria ad pœnitentiam, at neque necessaria est ad contritionem, quia contritio est actus immanens, restitutio autem actus externus, neque ad fidem, fides enim, & restitutio differunt

An Obligatio reddendæ Domini rei sit de necessitate Salutis.

10.

runt ut principium bonorum operum, & opus, ergo non videtur esse necessaria ad salutem, & consequenter neque juris divini. Quod ulterius probatur, quia Apostolus Eph. IV v. 28. simpliciter dicit, qui furatus est non amplius furetur, sed laboret manibus suis, nullam verò urget restitutionem. 2. non esse juris naturalis probatur, quia quod est juris naturæ continetur inter præcepta Decalogi, nullum autem præceptum in Decalogo occurrit de restitutione, & quamvis dicatur in 7. præcepto, non furaberis, liquet tamen in eo non præcipi actum positivum restitutionis, sed prohiberi solum actum negativum attræctionis. 3. non esse contra rectam rationem etiam colligitur ex eo, quia quod factum est non potest fieri infectum, quasi factum non fuerit, sed aliquando alicui aufertur honor, ex hoc ipso, quod passus est ab aliquo injustè vituperante, E. non potest illi restitui, quod ablatum est, & committere peccatum utiq; non est de necessitate salutis, aut secundum rectam rationem, sed quandoque illud quod aufertur non potest restitui sine peccato, Ergò e. g. si quis alicui famam abstulit verum dicendo, si enim restitueret mentiretur. Verum restitutionem esse juris divini & naturalis longè validiora argumenta probant: tum quia aperte sub præcepto habetur divino Esa. LVIII v. 6 ad quæ Verba Grotius in Commentario pag. 127. *Solve fasciculos deprimentes*] in ebraeo: *Fasciculos jugi: quod Græci interpretantur σπαιγδαίς βιαιών σπαιδαίματων, significat contra-*

An sit Juris Naturalis?

An contra-
ria rectæ
rationi?

Quod sit
juris divini
com-
probatum.

Etiam

Etus aut extortos vi aut metu, aut funebres, per quos opprimebantur pauperes. Vide Nebem. v. 7. Dimitte eos qui confracti sunt liberos] Consanguineos vestros vinculis vestris attritos dimittite. Vide Levit. XXV. 39. Multi enim potentes eam legem spernebant. Confer Matth. XVIII. 30. Et omne onus dirumpe in Hebræo: jugum quod LXX vertunt, πᾶσαν συζυγίαν ἀδιον διασῶν. Symmachus vertit, Hieronymo t. sc. in hunc modum; omnem cautionem falsam dirumpe: sensu eodem quo supra. nam quicquid aut equo & bono, aut legi non congruit, falsum Hebræis dici solet. Et in N. T. comprobatur exemplo Zachæi ex Luc. 19. διδωμι τετραπλασῶν ad quæ verba iterum Grotius: Quasi d. cat: ita me movent tua precepta, ut jam nunc me dedam operibus tui justitiæ, tum etiam beneficentiæ, quorum utrumque factis in animo sibi propositis declarat. hanc expositionem exigere videtur id quod sequitur οἴκτου. Erat jam ante preparatus aliquantum ad pœnitentiam animus Zachæi: sed nondum ejus precepta plenè hauserat. Hoc illi restabat, parato facere quod faciendum doceretur. Atque hoc modo psalam appruuit quàm rectè hunc hospitem Christus legisset. Imitatione ejus quod erat in lege. nam qui pecudem, extra bovem, surripuisset pendebat quadruplum. Exodi XXII, 1. unde originem sumsisse videtur lex Attica & porrò Romana: imitatione dico, non ex lege ipsa. Nam primum lex non obstrin-gebat nisi in judicium adductos: erat enim hæc velut pœna inficiationis: alioqui si quis ante ju-

*dicium facti pœnitundine duceretur, is culpa absolvebatur, restituens simplum & quintam simpli, quæ videtur successisse in locum incerta estimationis damni furtum consequentis. Numer. 5. v. 7. Deinde pœna quadrupli locum non habet nisi post alienationem rei surrepta: alioqui reus duplum solvens liberabatur. Exod. XXII, 4. Discimus ab exemplo, quid faciendum sit iis, quos peccatorum pœnitet. Primum enim quatenus fieri potest, resarcienda sunt damna aliis per vim aut dolum illata, quod ipsa natura dicitur: neque enim peccare desistit qui alienum retinet. Contra naturam est, inquit Jurisconsulti, locupletari aliquem cum aliena injuria. Præterea verò, si non necessarium, admodum tamen utile est, ut qui peccavit iudicis in se personam assumens ipse sibi aliquid indicat pœna nomine: quo testetur quantum operè sibi peccatum displiceat: ἐὶ ταυτῆς δειξέ-
 ρομῆ ὁὐκ ἂν ἐνεργήσῃ, inquit Paulus 1. Corinth. XI. 31. Hoc inter illa est de quibus nulla exstat lex definita, sed quæ potèntior omni lege spiritus dicitur, quæ postrema non probamus, tū quia ipsa ratio justitiæ cōmutatiuæ hoc requirit: nam cum penes detentorē sit plus lucri & minus damni penes creditorē, vel aliū quēcunque autem plus damni, & minus lucri, quàm quod habere debebat, per restitutionē res ad æqualitatem est redigenda; tum quia rectæ rationi hoc consonū agnovit non solum Cicero lib. 3. offic. sed etiam Aug. Epist. 54. ad Macedonium scribendo: non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Ad Argumenta itaque*

que

que proposita respondetur & quidem ad (1) si restitutio non fiat, dolorem illum de peccato commisso non posse esse serium, nec contritionem esse veram, & consequenter requiri de contritionem aliquo modo; ad (2) respondetur: furtum facere non esse ita strictè accipiendum, quasi saltem prohiberetur actus negativus non atrectionis, sed etiam actus positivus prohibetur. Nam etsi physicè hæc duo differant, moraliter tamen ejusdem speciei est, non accipere alienum injustè, & non inferre damnum rebus alienis injustè, & non retinere alienum injustè. Ad (3) respondetur: quod quidem actio contumeliam inferentis non possit fieri, ut non fuerit quantum ad actum, possit tamen fieri ut ejus effectus diminutio sc. dignitatis reparatur per exhibitionem reverentiæ; quod autem læsionem famæ concernit, quàmvis qui verum dixit videatur non urgendus ad restitutionem, tamen quia verum dixit injustè, tenetur ad restitutionem famæ quantū potest, sine mendacio tamen; concedendo se male & imprudèter dixisse vel injustè diffamasse, vel alium modum cōpensationis apprehendendo, si fama non potest aliter restitui Sed si restitutio est necessaria ita ad pœnitentiã, ad salutem, annon exinde colligendum erit, opus aliquod esse necessarium ad salutem, ad minimum per modum conditionis sine qua non, ut in terminis videtur habere Ezech. XXXIII. vs. 15. ubi Justificatio & Salvatio suspenduntur à restitutione pignoris? Respondeo negatur quod

Argumenta contraria develuntur.

I.

II.

Præceptum furti occupatur etiã circa actū positivum.

III.

Restitutio non dignitatis vel famæ fieri sine mendacio.

An restitutio sit necessaria ad salutem per modū conditionis sine qua non?

Grotius su-
oblivifci-
tur.

Quomodo
ad restitu-
tionem rei
inventæ
teneat,
non probat
illa quam
Grotius le-
gem alle-
gat.

possit necessaria dici restitutio ad salutem, ut conditio impetratoria aut meritoria, sed suspenditur salus à restitutione, saltem tanquam à conditione omittendi oppositum, sive non continuandi opus malum, quæ abstinencia non est opus positivè bonum, sed tantùm negativè non malum. Quod (II) concernit, errat Author 1. dicendo non obligari ad impossibile, & tamen antecedenter affirmando, & casum figurando de re quam habemus in nostra potestate, si enim aliquid habemus in nostra potestate non impossibile erit ex potestate relinquere. 2. errat, quando dicit non obligari aliquem ad rem reddendam suis impensis, sed indicare tantùm teneri: aliud enim lex divina disponit Deut. XXII. vs. 1. & 4. de qua mox in seqq. Quod (III) concernit, lex illa allegata contra Grotium militat: nam 1. in illa lege exigitur, ut si Dominus rei amissæ ignotus sit aut absit, tum rem omnem perditam, puta asinum, vestem esse recipiendam & diligenter habendam & curandam, usque dum dominus eam requirat; asinus autem non potest domi haberi sine impensis, quanquam deinde Dominus teneatur ad refusionem sum-tuum. 2. Hebræi addunt per præconem proclamandam rem amissam, ut de Domino constare possit, quod videtur vestigium habere in textu, dicitur enim non abscondes te ab illis. At & hoc quandoque impensas requirit. 3. Lex hæc obstringit non solùm respectu Judæi, sed etiam Gentilis, adeoque colligitur hoc ipsum esse juris naturalis. Et sanè quid magis

magis potest esse juris naturalis quàm suum cuique tribuere etiam cum aliquo impendio laborum & sumtuum; quorum tamen refusionem potest desiderare. putidum verò commentum & Restrictionem Ebræorum ad fratrem refutavit Grotii Amicus scribens pag. 110.

Quod verò addunt preceptum hoc non agere nisi de re à Judeo perditâ, quia in textu dicitur. Fratre tuo, ac proinde non obstringere eos in

An ea lex restringatur saltem ad fratrem Israelitam?

rigore τὸ ἅγιον ad restituendam rem perditam a Gentili aut Christiano, id sanè nimis mihi videtur esse Judaicum. Etsi enim certum est vocem proximi, & vocem fratris, plerumque significare popularem Judæum in Vet. Testamento; tamen ut non nisi eum semper & ubique significare credatur, nequaquam est verisimile; imprimis istis in locis ubi precepta traduntur quæ juris naturalis sunt, quod omnibus hominibus (tanquam natura vinculo sibi invicem proximis ac conjunctis, velutique ex eodem sanguine prognatis fratribus commune est: ecce in preceptis istis duobus, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium: item, non concupisces uxorem proximi tui. Neque enim dubium est, quin Deus per vocem proximi istis in locis designare voluerit, non Israelitas tantum, vel consanguinitate, affinitate, amicitia aut religione inter se devinctos, sed quosvis omnino homines, natura vinculo inter se conjunctos: nisi forte velimus Deum Israelitis tantum interdixisse, falsum testimonium dicere contra populares suos, non verò contra extraneos; & concupiscere uxores populi sui, non ve-

re extraneas: quod absurdum omnino esse, prima statim fronte apparet. Ea demoratio est precepti hujus; quia juris naturalis omnino est suū cuique tribuere, & rem alienam suam non facere invito domino. Ex eo est quod Ulpianus ait, qui rem alienam invenerit, & domino eam restituit εὐεργον non posse petere, id est inventio- nis primum.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Bonæ fidei possessor tenetur ad restituendos fructus extantes.

Author agit de bonæ fidei possessore, & dicit illum teneri ad restituendos fructus extantes rei, non tamen industriæ, quia qui sit Dominus rei naturaliter, etiam sit Dominus fructuum. Nos ulterius progredimur, & dicimus fructus omnes rei sive sint merè naturales, sive mixti Domino restitui deberi deductis expensis & æstimatione laboris. In foro autem externo civili discernitur inter fructus rei merè naturales, & industriales; nam horum Dominium postquam à solo separati seu percepti sunt, bonæ fidei possessori acquiritur, proinde hi fructus industriales quamvis extantes sint à Domino repeti non possunt, instituta actione reali vindicationis, sed potiùs conditione sine causa, vel judicis implorato officio ob æquitate.

Fructuum merè naturalium & industrialium distinctio.

Ad fructus industriales restituendos bonæ fidei possessor non tenetur.

tatem. Fructus autem mere naturales tamen si à solo separati perceptivè sint, bonæ fidei possessori non acquiruntur sed Domino rei.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Possessor bonæ fidei & ad rei & fructuum consumptorum restitutionem tenetur.

Dicit Author bonæ fidei possessorem teneri ad restitutionem rei & fructuum consumptorum, si modo aliàs tantundem consumpturus fuerat. Ubi consentit in hanc propositionem extensam tum ad fructus naturales, tum industriales, tum mixtos Azorius, Rebellus, Rodriquez, Lessius & Sanchez aliique Theologi communiter contra Mynsingerum, Fachinæum & alios apud Covarruviam, existimantes bonæ fidei possessorem qui fructus rei præsertim industriales ante litem contestationem consumpsit ad nullam restitutionem obligari tamen ex iis locupletior factus sit. Sed 2. conformius esse rectæ rationi oppositum probatur ex eo, quia si possessor hæreditatis aliæ, quam ad se pertinere arbitratur, aliquid ex ea bonâ fide consumat, obligatur quatenus locupletior factus vel patrimonium auctum est, multò magis in causa particulari hæc obligatio obtinebit. Nam verus hæres juxta quosdam non habet jus in re respectu hæreditatis quam nondum adiit, sed tantum jus ad rem,

& ta-

Possessor bonæ fidei rem possessam restituere tenetur et si eam aliquo contempserit.

& tamen si quid ex distractione vel consumptione rei ad hæreditatem pertinentis ad bonæ fidei possessorem pervenit, hæredi restitui debet, E. multò magis vero Domino restitutio facienda est, si quid ex re ejus ad bonæ fidei possessorem v. g. rei alienæ emptorem pervenit. 3. Ipsa natura æquum hoc dicitur, neminem cum alterius detrimento fieri debere locupletiozem. Carolus Malletus Malleatione 21. pag. 159. Bractea decima ita determinat: *Sciendum fructus esse in triplici differentia: quosdam esse naturales, alios industriales, & alios mixtos. Quo posito respondetur Si fructus sunt ex industria ex re aliena percepti sunt recipientis, seu possidentis rem alienam bona, vel mala fide, nec ulla datur obligatio restituendi. Ita Angelus verbo Restituit. & est communis opinio Doctorum. Ratio, quia hujusmodi lucra non sunt fructus rei, sed mera industria humane. Si verò fructus sint naturales, & bona fide consumpti obligatur solùm, ad restitutionem eorum, in quo est ditior, & locupletior factus ante prescriptionem. Ita Paludanus in 4. dist. 15. art. 5. Major. quest. 16. Angelus & Sylvester verbo fructus, Sotus in 4. quest. 7. conclus. 4. Ledesma 2. par. quest. 18. art. 6. Lopes 2. par. cap. 86. quest. 4. Ratio, quia id, in quo est ditior, vel locupletior factus succedit in locum rei, qua dicitur extare in æquivalenti, & cum fructus naturales sint Domini, eique sunt restituendi, & cum non possit eos restituere, quia sunt consumpti, æquum est, ut restituat id, quod in ejus locum successit,*

ne Do-

ne Dominus rei damnum patiatur: si fructus sunt mixti, obligatur restituere, quoad partem naturalem si extat iudicio prudentis, si verò non extat id, in quo per illam factus est ditor, quoad partem naturalem si extat iudicio prudentis, si verò non extat id, in quo per illam factus est ditor, quoad partem industria dictum est supra nullam esse obligationem.

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Ob causam turpem acceptum, debet restitui.

IN hac thesi Author de eo disputat, quod ob causam turpem acceptum est, & dicit hoc ipsum non esse restituendum, videturque pro Authore militare (1) quia meretrices non debent restituere id quod acceperunt pro usu corporis, juxta consuetudinem receptam; (2) quia licet actus ille non sit licite vendibilis, non est tamen contra justitiam ejus venditio, qua enim parte utilis est & delectabilis dignus est præmio. (3) quia dans meretrici merè liberè donat. & absque ulla coactione aut vi, quia sine vi aut necessitate dat, cum posset imò & deberet carere delectatione quam experitur. Verùm hæc sententia non potest probari, utut sit communis Moralistarum. Nam deest principium actus humani, nempe voluntas recta, & consequenter non potest esse translatio Domini in tali casu, non posita autem translatione

An ob causam turpem acceptum sit restituendum?

Rationum asseverantium

Prima;
Secunda.

Tertia.

Confutantium
Prima.

Do-

Secunda.

Ultima.

Domini, tenetur illa persona, quæ accepit restituere. Deesse autem principium actionis humanæ patet, quia voluntas istiusmodi hominis quanta quanta est peccaminosa est, nec obstat (1) id quod de consuetudine ingeritur. Nam hæc ipsa consuetudo est vitiosa, scæmina enim non est Domina corporis, & quidem ad peccatum usque, si itaque Dominium liberum non habet & administrationem corporis, non potest de illo disponere & vendere usum illius. (2) Argumentum itidem non concludit, nam illa ipsa ratio delectabilitatis aut utilitatis intrinsecè includit rationem peccati, non itaque potest habere rationem vendibilitatis, aut talis actus dignus esse aliquo pretio. (3) Quod Vasquezii est non concludit: tum quia non potest intelligi, quomodo libertas dantis sufficiat ad constituendam veram donationem, quando revera non dat nisi pro re aliqua, talis enim actus est emtio; tum quia, si esset mera donatio, non pretium, sequeretur quod habita commixtione non deberetur meretrici pecunia promissa, excedens valorem consuetum illius turpitudinis, quia donator non cogitur ex obligatione ad donandum: consequens autem negat ipse Vasquez: tum quia, quamvis, ut opponit Vasquez vix possit taxari pretium meretricibus, si donationis titulus separètur, ultra quod tenerentur ad restitutionem, tenentur aliquando ad restitutionem excessus, quia non intervenit donatio, sed emtio, ut disputat Cardinalis Lugo Disp. 18. Sect. 3.

CA.

CAPUT XI.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Ex promissis etiam naturaliter Jus
oritur.

Author disputat contra Franc. Conna
num, an ex promisso naturaliter jus o
riatur, quod negavit ille Jurisconsultus, du
ctus quibusdam rationibus & testimonio
Ciceronis, cui potuisset addere illud Senecæ
lib. 1. de Beneficiis capite 10. dicentis: *Quæ Lex
ad id præstandū quod, alicui promissum obligat.*
Accedere etiam videntur illi, qui objectum
promittentis volunt esse velle sibi oppositū rei
promissæ in honestū seu turpe esse: affirmavit
autem Grotius idque ex hac ratione, quia ni
hil est tam congruum fidei humanæ, quàm ea
servare, quæ inter eos placuerunt. Sed pro
fundius hoc negotium præmissâ distinctione
pollicitationis, quæ præcisè actum promitten
tis dicit antecedenter ad acceptationem pro
missarii & promissionis, quæ accedente accep
tatione dicitur talis & tandem stipulatione, quæ
certam Verborum formam includit est repe
tendum, non enim tantum ex ratione fidei
tatis, sed aliis quoque principiis pendet quæ
stionis affirmativa determinatio. Statuimus
itaque (1) promissionem obligare ex virtute
veritatis, (2) ex virtute fidelitatis, & deniq; (3)
ex virtute justitiæ. Quod promissio obliget

Vt Promis
sio obliget
Iuris natu
ralis est.

Promissio obligat ex virtute veritatis. ex virtute veritatis probatur, quia ut ex virtute veritatis tenemur dicere verum naturaliter, & facere ut verba respondeant menti, ita ex eadem virtute obligamur, ut opera respondeant verbis. (2) probatur, quia ita promittere non tantum est affirmare daturos nos vel facturos, sed ulterius est obligare se alteri, & consequenter ei jus quoddam tribuere ad exigendum. (3) denique probatur, quia quamvis debitum ex justitia & fidelitate distinguantur, tamen quia omnis promissio si fiat per formulam stipulationis tribuit actionem in foro externo & promissor cogitur eam implere, consequens est eam inducere obligationem justitiæ. II. Excipitur quidem probari tantum de promissione hoc ipsum, quæ fit interveniente stipulatione, non autem de illa quæ fit simpliciter. Imò qui facit promissionem gratuitam, eum non videri se tam strictè velle obligare, sed solum ex virtute fidei, ita ut si non servet, faciat quidem contra fidelitatem, adeoque inhonestè agat, quod concedit Franciscus Connanus, non tamen contra justitiam. Verum respondetur (1) formulam stipulationis non reddere promissionem firmiorem in foro conscientia, sed solum in foro exteriori, quia præsumitur majori cum deliberatione facta, (2) si promissio onerosa acceptata obligat ex lege justitiæ, etiam gratuita ita obligabit, consequentia est evidens, quia etsi in onerosa sit perfectior obligatio, eo quod pro obligatione rependatur æqualis obligatio, non tamen hoc facit, obligatio-

Infirmatur Exceptio.

gationem promittentis esse alterius generis, aut non pertinere etiam ad virtutem justitiæ, sed tantum gradualement quandam differentiam indicat. (3) virtus fidei est qua quis servat promissum, quia promisit & se verbis obstrinxit. Hinc quomodo obliget promissio non est dijudicandum ex virtute fidei, sed potius quomodo fides obliget, dijudicandum ex natura promissionis; promissio autem ex natura sua obligat, etiam quantum ad simplicem assertionem. Quapropter fides cujus est implere promissum plus obligat, quam virtus veritatis, cujus tantum est verificare assertum, non autem intelligi potest quæ major hæc sit obligatio, nisi sit justitiæ, & si promissione datur jus ad rem, quod etiam ad hæredes promissarii transit, sicut & obligatio promissoris, ad ipsius hæredes trajicitur, consequens est, quia huic juri respondet obligatio justitiæ, etiam in promissione gratuita illam obtinere, promissarius enim dicit rem sibi deberi & potest debitum exigere, vel condonare, quod utique signum est & indicium justitiæ. Distingunt autem Doctores inter promissionem veram & fictam atque ita differunt: *Sciendum promissionem duplicem esse unam, veram, & alteram fictam, promissio vera illa est, qua est animo promittendi, & se obligandi, promissio ficta est, qua est non animo promittendi, & se obligandi. Unde qui alteri promittit animo non se obligandi, sed solum indicandi affectum erga ipsum, vel desiderium, aut propositum bene faciendi, vel qui urbanita-*

Promissio
obligat &
natura sua

tu gratia, profert quaedam verba generalia ut v. g. promitto me facturum, quidquid velis, vel omnia mea sunt tua, vel in tuum commodum parata erunt, vel promitto me facturum quidquid dixeris, ex his verbis nō oritur obligatio, cū non adsit vera promissio, sed solum demonstratio boni animi erga aliquem, ex qua non oritur obligatio. Navarrus cap. 12. n. 26. Rebellus lib. lib. 18. quest. 4. num. 6. Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 8. num. 58. Et Sa verbo promissio, Armilla verbo perfidia, & alii. Similiter hac verba non inducere obligationem faciam, prestabo, visitabo, orabo, &c. qua potius adhibentur ad significandam memoriam beneficii accepti, vel ad exprimendum propositum, & intentionem, quam ad se obligandum, cum propositum non sit promissio, & consequenter neque obligationem promissionis inducit.

Ad Th. II. & III.

OBSERVATIO.

Recte statuuntur gradus promissionis, ex quibus de obligatione iudicatur.

Exponuntur gradus promissionis.

Hic agit de gradibus promissionum, & quidem primum gradum dicit esse assertionem explicantem de futuro animum qui nunc est, secundum gradum, cum voluntas se ipsam pro futuro tempore determinat, cum signo sufficiente, ad indi-

indicandam perseverandi necessitatem. Hic disquiritur, an itaque promissio interna signo non manifestata, obliget de jure naturæ nec ne? De jure naturæ obligare Ledesma, Molina & Sotus opinantur, & quidem contra Grotium ex eo: tum quia promissio interna etiam addit aliquid supra nudum propositum, E. magis obligabit, quàm nudum propositum; tum ex eo, quia actu interno, quo quis non vult amplius rem aliquam habere in suis bonis potest amitti possessio & dominium illius rei, E. actu interno quoque potest causari obligatio ad alterum; tum ex eo, quia tota vis obligandi in promissione est à voluntate interna, non à signo: sufficiet itaque voluntas ad obligandum, & exterior expressio non erit necessaria, nisi ut possit cognosci & acceptari promissio vel donatio, acceptatio autem non est necessaria de jure naturali. Verùm opposita sententia, quæ Grotii est, videtur esse magis probanda: si enim promissio & donatio sunt signa quædam practica, quæ efficiunt, quod significât, consequens erit, illa necessario requiri, utpote quæ ipsum actum donationis & promissionis includunt. Quapropter respondemus ad objecta, & quidem ad (1) internam promissionem addere utique aliquid supra propositum, sed non promissionis complementum, sed inchoationem solum promissionis, quæ nondum sufficit ad causandam aliquam obligationem. Ad (2) respondetur quamvis possessio & dominium possint amitti actu interno, sc. si res habeatur

Quæ
Vtrum obliget promissio interna.

Afferunt Moralistas.

Reprobantur.

pro derelicta, non tamen possint transferri in alium actu solo interno, quia ad translationem plura requiruntur, facilius enim est aliquid desinere, quàm incipere esse, aut in aliquo produci. Ad (3) respondetur quàmvis tota vis obligandi sit à voluntate, non tamen causatur immediatè obligatio absque actu externo, tanquam instrumento interveniente; sicut nec jurisdictio confertur sine externo actu, & consequenter signa externa non solum requiruntur ut voluntas donandi per illa significetur, sed etiam ut per illa ipsa donatio & promissio fiat, tanquam per organa transferendi, & applicandi. Addamus aliqua ex Escobare Tomi 5. parte prima pag. 112. §. 128. 129. *Interna scribit promissio in foro conscientie non inducit obligationem, quia ex promissione mere interna non potest oriri fidelitatis obligatio veritas vero & fidelitas inter homines signa sensibilia requirit nam sicut veracitas obligat ad dicta menti conformanda ita fidelitas obligat ad confirmanda facta dictis, ne alius dictis nostris deludatur. Supponit ergo dicta, alioquin non posset esse deceptio neque delusio, ergo ubi promittens nihil alteri dixit, fidelitas locum non habet. Hinc autem colligitur neque obligationem justitia oriri posse, ex tali promissione mere interna, quia sicut fidelitas est ad alterum sic & justitia & quoties non est obligatio fidelitatis in promissione, non potest esse obligatio justitia que posterior est & presupponit semper fidelitatis obligationem. Ita Abul. Turrecrem. Tabiena, Sosus Corduba, Merca Aragon.*

Angh.

Angl. Garcia Lopez. Henric Mann, quos refert ac sequitur Sanch. lib. 1. de Matr. l. 3. n. 5. Turrian. de contr. d. 64. dub. 2. Vasq de matr. d. 4. c. 4. n. 39. Lessi l. 2. c. 18. dub. 5. Tanner. hic d. 4. q. 1. d. 6. n. 59. Hanc communem sententiam amplector, nam verba sine voluntate interna fateor obligare non posse, sed nec voluntatem internam sine signo externo posse obligare affirmo, quia non sufficit ad connexionem sensibilem ponendam; que fundet jus prelationis ad alios. scio à contrariis contra nostram sententiam obijci quòd quamvis in promissione interna non impleta non reperiatur mendacium, infidelitatē tamen reperiri, abnego quidem reperi infidelitatem ubi non est intimata promissio, cum non possit esse infidelitas ubi non est deceptio, hac autem non possit esse ubi nihil promissario contrarium factis dixeris. Instant quia si promissio interno juramento confirmetur, obligabit quam obligationem tollere potest is, cui res promissa fuerat, ergo promissio interna obligat hominem homini. Respondeo cum Sancio u. 7. si juramentum illud fiat DEO obligare quatenus inducit voti rationem, quare non obligabit nisi sit de re bona & meliori bono, si autem fiat per modum solum promissionis humane, minime obliga-

re.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Recte dicitur DEUM contra naturam suam facturum nisi promissa præstaret.

Author de tertio gradu agit, & (1) quidem dicit DEUM ipsum contra naturam suam facturum nisi promissa præstaret, (2) hoc provenire existimat ex natura immutabilis justitiæ, & (3) adducit judicium Salomonis ex Proverb. VI. vs. 1. & seq. Quod (1) concernit, existimat Feldenus, non rectè hoc dici, & proinde subjicit: an E. Deus amittit particulam suæ libertatis, quando promittit aliquid, quomodo vero cum sit ens liberrimum? puto autem DEUM ad captum nostrum in Scriptura sese accommodare, adeo ut ex natura DEI de promissionum humanarum natura nihil possimus differere? Verum hoc non est consequens. Nam nihil decedit propterea libertati divinæ, quemadmodum nihil decedit libertati divinæ, si dicamus illum non posse ea facere, quæ repugnant ipsius sanctitati, 2. falsum est fidem in promissis tribui DEO saltem improprie & Scripturam hinc ad captum necessarium sese accommodare, cum propriissime Deo competat, licet eminenter, non vulgariter, & cum defecatione imperfectionum, ad quas imperfectiones pertinet alienatio particulæ cujusdam naturæ libertatis.

Deus promissis suis se adstringens nihil libertatis amittit.

tatis. 3. quàmvis ex natura DEI concederetur non posse de promissionum humanarum natura differi, argumentum tamen comparationis, inde quaecunq; potest deduci; Quod (2) concernit, queniadmodum promissorum vis consistit tum in basi veritatis, tum fidelitatis, tum etiam justitiæ, posito subjecto habilita quoque obtinet hoc triplex fundamentum in ipso DEO. Quod (3) concernit, non agit locus ille Proverb. VI. v. 1. de promissione simplici, sed de tali, ubi fit immissio manus cum sono & plausu sponsoris sc. in manû creditoris, de fidejussione à qua dehortatur Salomo; generaliter tamen si accipiatur hoc dictum facit pro Grotio atque concludit, simile est Monitum Thaletis Milesii nè sponde, nam ut habet Proverbium Sponde noxa præsto est *ἰγγυία ἀπὸ δ' ἀτῆς*, quam sententiam aureis literis Delphis olim consecratam fuisse, quo mortales à temerariâ sponcione deterrentur, Plinius prodit.

Promissorum DEI Fundamentum.

Viudicatur locus Prov. VI.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

De furiosorum & ebriorum promissionibus determinatè est pronuntiandum.

Author disputat de Principio Promissionis, & requirit usum rationis, quapropter excludit furiosos, ebrios & similes, id-

Promissio
Furiosi ve-
lamentis
quænam
valida?

que hoc fundamento probat: quia deest consensus humanus ad promissionem essentialiter requisitus: definitur enim promissio, quod sit deliberata fidei obligatio adeò quidem, ut si quis semiplena cum deliberatione promittat aliquid non obligetur juxta Moralistas ad implendum videatur Navarr. cap. 18. Num. 7. sed hoc intelligendum de illis furiosis, qui simpliciter sunt tales, & dilucida non habent intervalla, alioquin tempore sanæ mentis possint validè promittere & alios contractus celebrare. 2. non est intelligendum hoc de eo furioso, qui in una vel altera materia insanus est, in reliquis autem sanam mentem habet, quem casum contingere posse probat Sanchez. 3. quamvis tempore insanix, furoris aut ebrietatis talis promittere nequeat, potest tamen per procuratorem, cui cum sobrius esset mandatum dedit.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Metus quandoque promissionis validitati obest.

Agit de promissione ex metu facta, de qua hoc tenendum, promissionem definiri, quòd sit datio fidei deliberata, vera & spontanea, de re licita & possibili; spontanea ergò si est, invalida erit promissio extorta per vim, dolum, & etiam per metum tantum levem, quamvis reverentialem, & non cadens

dentem in constantem virum, scilicet si causa fuerit promissionis, sine qua aliàs non facta fuisset promissio. Rationem allegant, quia extorquens promissionem per dolum vel metum etiam levem facit injuriam promittenti, & consequenter non acquirit jus, ut promittens stet promissioni: non enim justum est, ut per actionem injustam & injuriosam acquiramus jus. Hinc etiam Navarrus, Garzias, Rebellus, Vasquez & Covarruvias existimant promittentem talem non teneri promissionem adimplere, & promissarium adimpletâ promissione teneri restituere. Imò progrediuntur ulterius, & dicunt promissionem extortam per metum gravem à latrone vel Tyranno incussum non obligare, nisi juramentum addatur: ratio illorum est, quia natura promissionis gratuita postulet, ut promissio gratis & liberaliter fiat, & sit spontanea. Verùm quicquid sit de latrone, non par ratio erit tyranni, & nimis laxant hinc conscientiam Moralistæ. Audiamus Tau-
rinensem Patritium Tom. 2. pag. 427. Scien-
dum, quòd licet in foro conscientie promissio
metu, aut dolo extorta sit invalida, & accepta
sint restituenda, tamen in foro externo accepta
per promissionem metu levi, aut dolo factam,
non sunt restituenda, cum pro metu levi non
detur actio, ne multiplicentur lites Navar. Sil-
vester, Vasquez locis citatis, & alij. Secundo
promissionem metu extortam, licet juramento
firmatam esse invalidam. Ratio, quia jura-
mentum sequitur naturam rei, cujus est actus:

Quibus cõ-
 ditionibus
 obliget
 promissio
 per vim Ty-
 rannorum
 aut Latro-
 num extor-
 ta?

cum autem promissio metu, &c. extorta sit in-
 2) valida, sequitur etiam juramentum esse in-
 2) validum. Secus autem dicendum est, quando
 juramentum non cadit supra promissionem,
 sed supra rem promissam, semper tamen jura-
 mentum est servandum, licet non valide pro-
 missionem invalidam nec promissarius acqui-
 rat jus sibi ratione promissionis. Ratio, quia
 tunc ob reverentiam divini nominis est servan-
 dum, ne Deum in testem falsi videatur addu-
 xisse. Sciendum 2. juramentum posse cadere
 supra promissionem metu, &c. extortam, ut
 v. g. si quis incidere in latrones, & metu vita
 promitteret centum nummos aureos, si illi vi-
 tam condonarent, & juramento firmaret illam
 promissionem, non obligatur solvere centum
 nummos, ratione promissionis, quia cum jura-
 mentum cadat supra promissionem invalidam,
 & non obligantem, juramentum illam non va-
 lidat, tamen obligatur ratione juramenti, ne
 Deus frustra adductus sit in testem: si autem
 juramentum caderet supra centum nummos
 aureos, ut v. g. si diceret juro me tibi daturum
 centum nummos aureos, tunc obligatur pro-
 mittens servare promissum ratione juramenti,
 quod immediate applicatur ad rem pro-
 missam, nimirum ad centum num-
 mos aureos.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Promissio ob turpem causam non obligat.

IN hac thesi Author disputat de promissione facta ob causam naturaliter vitiosam, & quærit: an ipsâ naturâ valeat talis promissio? e.g. si quid promittatur homicidii perpetrandi causa. Et negat, & respondet crimine non perpetrato promissionis efficaciam esse in pendentem, perpetrato autem crimine vim obligationis exeri; adducit in exemplum Thamarem, cui Judas Jacobi filius, quia putabat illam esse meretricem, promissam mercedem tanquam debitam persolverit. Verum

I. promissio obligatoria ob causam vitiosâ sive priori sive posteriori modo sese habeat non potest probari. Nam (1) promissio & pactio quæ fit propter opus malum, invalida est non tantum ante opus præstitum & neutram partem obligat; quia nemo potest se obligare ad peccatum, sed etiam post patratum flagitium, adeoque non tenetur ad promissum implendum, etiâ opere secuto & patrato, promissos; quia hæc impletio nihil aliud est quàm peccati semel cœpti cõtinuatio & cõfirmatio; neque obstat quod in tali opere præstito interveniat vel periculum vel labor vel detrimentum fortunæ, vel voluptatis concessio, quæ digna aliquo sunt pretio, hæc enim acciden-

Promissum
ob causam
turpem nõ
præstandã
est?

Quo sensu
prodiga,
donatio ef-
fectu iuris
careat?

Vnde oria-
tur promif-
sio prodig-
ga?

Perpendi-
tur exem-
plum Tha-
maris.

cidentia imitantur naturam principalis, quod quia vitiosum, etiam illa censentur vitiosa esse. (2) quod concernit prodigam donationem, potest illa dupliciter considerari, aut in quantum dicit excessum liberalitatis qualemcunque, posita aliàs honestate objecti & finis; aut in quantum notat excessum enormem, in quo concurrunt etiam aliæ vitiosæ circumstantiæ: Priori modo non potest prodiga donatio accusari tanti vitii, multò minus comparari cum promissione ob rem turpem; posteriori autem modo si consideretur, utique effectu iuris caret, & in conscientia tenetur restituere donatarius illud ipsum, quod enormiter fuit superfluum. Unde etiam Soto & Bannes dicunt promissionem prodigam quæ talem non obligare, etiamsi juramento esset confirmata, quam alii ad hos casus restringunt: Primò, si ita sit prodiga, ut ejus executio absolutè illicita, Secundò, quando aliquid promissum in modum pretii, nec promissor aliter intendat dare; tunc enim non teneri ad Excessum, nisi juramentum inter- venerit, ut constet in promissione usurarum & pretii enormis; Tertiò, quando merito præsumi possit promissorem fuisse deceptum aut promissionem non fuisse omninò liberam. (3) quod spectat, frustra adducitur illud exemplum, in quo omnia fuerunt vitiosa: vitiosa fuit illa fornicatio, utut Scholastici quidam in contrarium eant, vitiosa fuit promissio, vitiosa denique traditio annuli signatorii, imprudentissimum factum, missio hædi;

hæc, tanquam mercedis, non itaque potest adduci in confirmationem sententiæ, quam Author fovet.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Ut Jus transferatur in promissione requiritur acceptatio promissarii.

Disputat de promissione quantum ad effectum, an nimirum jus transferat, ita ut acceptatio non requiratur ad illam de jure naturæ. In qua sententia Dd. discrepant, Author verò affirmat, nempe acceptationem requiri, ita tamen ut præcedens rogatio durare intelligatur, ac vim habere acceptationis. Verum probabile est, hoc ipsum esse juris tantum civilis, & proinde stando intra limites juris naturalis sufficere consensum ad obligationem: tum quia ex pollicitatione facta alicui civitati oritur obligatio, erit itaque hic actus sua natura sufficiens, cum jus civile non tribuat contractibus majorem vim, quàm natura sua habent; tum quia in gratuitis promissionibus acceptatis obligatio non oritur ex acceptatione, sed ex gratuita promissione, quæ non spectat obligationem reciprocam; tum quia donationes & promissiones ad pias causas validæ sunt ante acceptationem. Quanquam autem hæc probabiliter disputentur, probabilius tamen est, quod

An ad promissionis validitatem acceptatio requiratur de Jure Naturæ?

Proponitur ratio negans

I.

II.

III.

quod promissio & donatio non habeant vim obligandi ante acceptationem etiam de jure naturali & gentium, cum in contractibus onerosis ante acceptationem licitum sit ubique gentium pœnitere, E. etiam id licitum erit in promissionibus, nisi lex positiva intercedat. Quapropter respondetur ad argumenta objecta, (1) jus civile non efficere, ut pollicitatio facta alicui civitati vim habeat absolutam ante acceptationem, sed ne revocari possit pro lubitu, prout aliàs ex natura rei posset. Ad (2) respondetur obligationem non oriri ex acceptatione tanquam ex causa directa, sed tanquam conditione necessariò requisita, quemadmodum ignis est causa calefactionis sufficiens, & tamen non potest calefacere, nisi applicetur debito modo, ubi illa applicatio habet rationem conditionis: ita etiam promissio est causa directa obligationis, acceptatio autem habet se per modum conditionis, ut vim suam ex serat promissio. Ad (3) respondetur promissiones ad pias causas esse validas non de jure naturæ ante acceptationem, sed ex singulari favore & dispositione civili. Hinc etiam colligunt Doctores posse promissorem ante promissarii acceptationem pro lubitu resilire & promissionem revocare, si leges non resistent, quia Jus justitiæ procedat à voluntate illius, qui dicitur Jus habere, quatenus ex præsupposito titulo seu primævo, seu secundario vult quis alium habere sibi obligatum, hæc verò voluntas jam est acceptatio, ergò requiritur ad inducendam obli-

Discursus
prævi rationes ex-
pungun-
tur.

obligationem non minus quàm requiritur animus habendi ut suum, ad acquirendum Dominium rei in nullius bonis existentis & qui in Jure casus occurrunt non requisitæ acceptationis, illi intelligendi sunt cum supplemento Reipublicæ.

Ad Th. XV.

OBSERVATIO.

Acceptatio innotescere debet aliquo modo Promissori.

Agit de significatione, quæ requiritur, quod scilicet non sufficiat acceptationem fieri, sed etiam necessarium sit innotescere Promissori, antequam promissio plenum effectum consequatur, & utroque modo fieri posse promissionem statuit 1. hoc modo: volo, ut valeat, si acceptetur, 2. volo, ut valeat, si acceptatum intellexero. Unde disputant Moralitæ an ad acceptationem validam etiam requiratur, ut donatio vel promissio intimetur per nuncium vel epistolam, an verò sufficiat quocunque modo notitia habitæ promissionis vel donationis, e. g. si tertius aliquis referat, qui casu hoc audivit? Secundum hoc sufficere docent Ludov. de Roma, Azebedo, Lopez, Sanchez; contrarium docent & volunt requiri intimationem per nuncium vel epistolam missam à promittente Villobos, Paulus Castrensis, Turrianus, Molina & alii. Verùm dubitanter (1) progrediuntur

Quomodo
innotescere
debeat
promissori
acceptatio

Dissensus
Moralitæ-
rum innuitur.

M m m

hic,

An ad acceptationem requiratur intentio per nuntium ex natura rei,

Rationes adversæ.

hîc; Quidam enim hoc volunt requiri ex natura rei, quidam tantum ex jure positivo, inquam posteriorem sententiam nos inclinamus. Ex naturâ rei tamen requiri, videtur probari posse ex eo, quia Dominium reituz & jus adversum te, non potest acquiri nisi te transferente: quæ translatio tunc fit, si tu rem vel jus illud alteri offeras vel des, quod fieri non potest, nisi quatenus id ad illum dirigis. Non potest ergo illud jus devenire ad alium, nisi ex tua directione. Hæc autem directio eo ipso est locutio vel quasi locutio, qua voluntatem tuam illi manifestas. E. debet fieri præsentî vel absenti per nuntium aut literas. Verum an hæc ratio sufficienter concludat meritò dubitamus, cum talis directio sub hac qualitate non videatur requiri, cum etiam hæc directio possit obliquè fieri per tertium, modo sit semel exposita. Ad damus quædam ex aliis, qui ita censent. *Dicendum est, Primò requiri ut donator absenti per epistolam, vel nuntium, cui id commiserit eam deferat, vel insinuet. id enim necessarium est, ut duorum voluntates in unum concurrant; ut colligitur L. Absenti. 10. π. de donationib; & L. 1. π. de contrahenda emptione. Unde si alius quispiam præcurvens, cui id mandatum non fuit, donationem illi insinuet, non sufficit, ut valide acceptari possit; quæ est communis sententia DD. ut refert Clarus libr. 4. §. Donatio, q. 12. & colligitur ex Glossa in L. Nec. ambigi. 6. C. de donationibus. Ratio est, quia cum promissor non inten-*
das

dat per hunc hominem, suum consensum & obligationem in alterum dirigere, non potest alter acceptando, aliquid juris acquirere. nam cui nihil valide offeratur, nihil etiam potest valide acceptare. Cum autem ipse nuntium mittit, tunc in verbis nuntii suum consensum & obligationem ponit, ut per eum absentem adferatur: & sic dum absens coram nuntio acceptat, duorum consensus concurrunt; quod ad restitutionem pacti est necessarium. ut dictum est dub. 1. c. 17. Secundo, Si donatio per nuntium deferenda vel facienda est absentis, requiritur ut hic eam coram nuntio acceptet: nec sufficit eam acceptare coram aliis, ut ex multis Auctoribus ostendit Sancius lib. 1. de matrimonio disp. 7. n. 35. Ratio est; quia alioquin duorum consensus non concurrunt, nec vicissim innotescunt. Quam ob rem acceptatio debet exprimi illi qui eam offert, id est, ipsi promittenti, vel ejus nuntio, qui ejus locum supplet. Hoc ipso enim, quo aliquis destinatur ad absentem, ut offerat ei promissionem alterius, constituitur etiam ad recipiendam ejus acceptationem; vel, si promissio sit onerosa, ejus promissio-

MEMO.

CAPUT XII.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Quæ de Antiquitate permutationis hîc dicuntur cum aliquâ limitatione accipi debent.

Permutationis incubula panduntur.

Author hîc mentionem injicit permutationis, quæ innominatis contractibus accensetur, & dicit eam emtione simpliciorum esse & antiquiorem, ad mentem scilicet Aristotelis, qui Barbaros ita Commercia quondam inter se exercuisse tradit, alia pro aliis tribuentes, triticum pro vino, calceos pro lecto. 5. Nicomach. c. 8. unde Salmasius libro de Usuris pag. 304. scribit permutationem rerum quæ mercaturæ originem dedit, jam inde à filiis Adami initium ut videtur cepisse, cum enim ex his alter pastor esset, alter agricola verisimile esse, quod alter nō habebat cum altero permutasse, pecudum fœtus cum terræ fructibus, & Benzo refert obtulisse se Indo cuidam nummum argenteum pro pullo gallinaceo, illumque acceptum dentibus subdidisse & dixisse, Christiane hâc re non opus habeo, si tu pullo indiges, da aliquid cōtra, quo ego indigeam. Addit permutationem haud dubiè antiquissimum commercii genus esse in seqq. At dubitari potest. Nam (1) si universim de toto genere humano sit sermo, forsan concedi potest permutation-

vsus numerorum antiquissimus.

Quæ sit permutationis antiquitas?

mutationem primum obtinuisse ; sin autem hoc ipsum velit Grotius probare ex historiâ profana, de aliquibus populis hoc tantum obtinebit; nempe penes illos populos, quorum meminit historia illa, antiquissimum fuisse hoc genus Contractus, prout quidem Tacitus de Germanis cap. 5. scribit: *Interiores simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur*: at si comparatè loquatur etiam ad alios populos, quasi non usus numi apud quosdam fuerit prior antiquo illo genere permutationis, quod adhuc tempore Sigismundi Baronis ab Herberstein obtinuit in Moscovia, & hodie apud Æthiopas meridionales meritò dubitatur, num apud Hebræos non ab antiquo in usu fuerit Numus & eorum Patres emtio & venditio, vigentibus scilicet aliàs permutationibus apud cæteros. (2) Antiquissimum fuisse nummi usum Villalpandus vult ostendere, qui inventionem & usum tribuit Lamecho, emtioncs itaque & venditiones ita erunt statuendæ antiquissimæ. (3) fallum Emptionis & venditionis inventum tribuendum Libero Patri ut vult Plinius lib. 7. cap. 56. in Patriarcharum familia obtinuisse constat ex Gen. XXXIII. vers. 19. ubi centum agnis dicitur emtus esse ager, qui fuerunt nummi, quibus figura ovium sive agnorum fuit insculpta, qua ratione Frisæ Orientalis incolæ monetam adhuc hodiè habent, quam appellant *Schaf* / ut constat tum ex Actor. VII. 16. quem locum quidam, cum illo Genesior 33. conferunt,

**Kesita quid
Hebraeis?**

tum ex generali pecuniz notione, quæ à pecudum imaginibus pecuniz impressis ducta, tum ab exemplo aliorum etiam populorum Atheniensium, Romanorum, Argivorum, Thessalorum & aliorum. Et quamvis sint quâplures, qui per Kesitâ loco laudato intelligunt agnum sive ovem, obverti tamen potest, quod nusquam vox Kesita aliâs, quando de ovium pasturâ, proventu & macâtatione agitur, hæc vox usurpetur, sed alia, ut intelligatur animal sive pecus quoddam notari; quod secundò in vicinis linguis Chaldaea, Syra, Samaritana Æthiopica & Arabica, quæ Ebraicæ dialecti sunt nullum extet hujus vocis vestigium, ut probabile nunquam ab Orientis populis eâ notione usurpatam; quòd tertio Talmudicis Kesita Nummi species. Unde etiam Samuel Bochartus scribit: Jacobi ævo & multo ante jam desierant res rebus permutari, & in usu erant veræ emptiones, quæ Nummis fiunt vel appensis vel numeratis. Itaque Jacobi Avus Abraham servos habuit *δουλοῦντες* Gen. 17. v. 12, & 13. & Hephronis agrum emit quadrigentes siclis probæ monetæ, ac inter mercatores receptæ Gen. 23. v. 16. Josephum quoque à fratribus viginti nummis emptum Ismaelitæ in Ægypto vendiderunt. & Jacobus ipse famis tempore filios eodem amandavit, ut præsentî pecuniâ frumentum compararent. quod ipsum Ægyptii cum aliquandiu præstitissent tandem consumptis anxii hæserunt, & consilii inopis donec Josephus illis permisit armenta & greges frugibus

**Vtrum Pa-
triarcharū
numi fue-
rint signa.
ti?**

bus permutare Gen. 47. v. 16. Ex quo apparet satis factum id fuisse præter seculi morem, & in re extraordinariâ. Dubitare autem aliquis posset num nummis figurâ signatis fuerint usi Patriarchæ, cum speciem alicujus Idolatriæ retulerint, ut disputat Villalpandus: verum si ille nummus ab Abrahamo cusus una parte figuram senis & vetulæ, altera juvenis & juvenulæ habuit figuram, res erit expedita, utut in Talmude legatur: *non videtur quod in eo fuerit figura senis & vetula &c. nam prohibitum est effingere formam humanam, sed sic scriptum erat ex uno latere,* non tamen refugisse genus nummorum signatum Judæos liquet ex siclis, qui ex unâ parte baculum Aaronis cum Amygdalis & fructibus suis, ex altera scutellam Mannæ insculptam habuerunt; locus autem Talmudicus nec veterum Testimonio, nec è textu Gemaræ, sed è recentioribus Tosiphot sive additionibus est depromptus observante B. nostro Schikardo. magis urget, quod de pecuniâ signatâ à nobis supra productus locus non possit accipi; quia tum temporis non signato ære utebantur Patriarchæ, sed appenso, Gen. 23. vers. 15. & 16. quia sicli percussi Mose sunt posteriores, nec animalium visuntur signis, sed vel Plantarum vel Vasorum ornati; quia denique locus ex Actis non agat de emptione facta à Jacobo, sed Abrahamo, & si ageret notari possit pretium argento æquipollens: cæterum & hæc num satis valida sint disputari potest: utut enim concedatur pecuniam

niam primum informem fuisse & fraudi obviassè appensionem ad justam libellam, tamen unà potuit consistere genus numorum signatum; si enim non fallunt numi illi Noachi, Abrahæ & cæteri, liquidum erit non tantum ἀτύπων, non figuratum, sed & signatum fuisse in usu; sique Eusebio fides Abgarus Edessenus Apostolo Thaddæo ἀσημον siue non signatum nummum donavit. legatur lib. 1. Hist. Eccles. cap. ultimo circa finem, quis autem tum temporis neget invaluisse signatam pecuniam? & duravit consuetudo illa post divulgatum cudendi artificium securitatis causa. secundò omnes numos esse Mose posteriores vix demonstrabitur, signatos etiam fuisse alijs figuris quam plantarum & vasorum docent Nummi Josuæ, Tauri & Monocerotis figura insigniti, Davidis altrinsecus Pedo & Pera, Turri verò altrinsecus & supra laudati si Ebræis fides. tales enim producit R. Chelbo in libro Bereschit Rabba Parsch. 38. colum 3. Tertiò utut concedi possit agi de emptione Abrahami locum illum, ex Actis adductum, meminit tamen *ἡμεῖς δεξώμεθα*; ut concludi possit jam obtinuisse ætate Abrahami æs in Contractibus, siue illud fuerit appensum siue signatum; nec obstare signaturæ appensionem supra ostendimus, sed firmare valorem Nummi: nimis verò remotum est à literâ deflectere & de æquivalente pretio accipere, quod disertè dicitur pretium argenti, posito verò quòd locus ille agat de emptione factà à Jacobo, in. *εἴμ* siue sequamur

Conciliatur Locus Actorum VII. 16.

Capel-

Capellum, qui legendum esse opinatur à ἡ
 ἈΓεγαίμ & subaudiendum ἐξῆς non A-
 braham, sed nepos Jacob erit intelligendus,
 quod emerit illud monumentum, sive Ludo-
 vicum de Dieu, qui subintelligit dationem
 & exponit, quod emerat scil. Jacob Abraha-
 mo, res iterum erit confecta, & communis
 supra laudata stabit Sententia: Audiamus
 posteriorem ita scribentem: *Variis aliorum*
in difficillimum hunc locum conjecturis, quas
hic lubens pratero, meam quoque adungere
non verebor. ὁ ἠνῆοιτ ἈΓεγαίμ verti solet,
quod emerat Abrahamus, ὁ ἈΓεγαίμ, quod
inexplicabilem peperit difficultatem, quum ex
sacra historia constet, non Abrahamum, sed
Jacobum eum agrum emisse. At quum Arti-
culus non exprimat, tam Dativus sub intelli-
gi potest quam Nominativus, ut sensus sit ὁ ἠνῆ-
οιτο τῷ ἈΓεγαίμ, quod emerat, scilicet Jacob,
de quo com. precedenti Abrahamo. Esi enim
jam tum Abrahamus diem suum obiisset, ipsi
tamen dici potest emtus iste ager, ad designan-
dum scopum, quem in agri emtione habuit Ja-
cob, qui non fuit duntaxat, ut eo pro sepulchre-
to uteretur: neminem enim isthic Jacobus in-
humavit, nec ipse ibi inhumatus est. Sed vel
maximè, ut primitia quadam essent terra Ca-
naan, cujus totius hereditatem Abrahamo De-
us & semini ejus promiserat. non semini, in-
quam, ejus tantum, sed & ipsi Abrahamo, Gen.
13. v. 15. quippe cui primo facta est promissio,
ut heres mundi esset, Rom. 4. v. 13. vere ergo
Abrahamo emtus est iste ager, quippe qui jam

promissione divina heres ejus esset. Atque ibi simul causa lateet, cur non tantum Josephus, sed quod hic à S. Stephano discimus reliqui etiam Patriarcha à posteris, hereditatem terra promissa jam capientibus, Sichemum sint translatis, atq; in ejus agro sepulti, nempe quia ager iste emtus erat Abrahamo tanquam pignus hereditatis totius terra Abrahamo promissa. Id & simplicissimum videtur, & totum negotium extricare. Sicut autem dubitari potest an absolutè antiquior fuerit permutatio, ita etiam dubitari potest nū simplicior sit. Nam perfectior sanè est ratio in emtione & venditione, usu nummi intercedente, quàm si permutatio tantum instituatyr. Si itaque simplex & perfectum reciprocentur sive convertantur, etiam hinc disputari poterit circa hoc punctum. Verum Author simplicius genus intelligit illud, quod rudiùs, cui succedit commodiùs, perfectiùs & nobiliùs quo sensu etiam cæteri loquuntur.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Rectissimè dicitur in Venditione cæterisque contractibus vitia esse manifestanda.

Vtrum venditi vitia teneatur venditor indicare.

IN hac thesi Author disputat de actibus precedentibus emtionem, & quærit num vitia venditor significare debeat emtori non solum de Jure Civili, sed etiam conformiter juri naturali? & laudat dictum Ambrosii atq;
La-

Lactantii, non tantum verò affirmativa niti-
 tur Authoritate Patrum, sed & Scripturæ sa-
 cræ Testimonio & rectæ Rationis funda-
 mento, illa enim asserit: *Stateram dolosam*
esse abominationem Jehova, Proverb. XI. *¶* l.
 1. conformiter legi Levit. XIX. *¶* l. 35, 36,
 præcipit. *Statera justa & Ephijustum & Ba-*
lus justus erit vobis Ezech. 45. *¶* l. 10. conqu-
 ritur, *quod imminuatur Mensura, & augea-*
tur Siclus & supponantur statera dolosa & quis-
quilie frumenti vendantur. Amos. VIII. v. 5.
 hæc docet æqualitatem debitam in contractu
 esse observandam, neminem esse decipien-
 dum, non esse faciendum alteri, quod ipse
 vendens sibi nollet fieri. Videtur autem hoc
 ipsum non esse necessarium: tum quia vendi-
 tor emtorem ad emendum non cogit, & vi-
 detur ejus judicio rem, quam vendit suppone-
 re, ad emtorem itaque pertinebit iudicium
 & cognitio rei, & si decipitur in suo iudicio
 decipitur præcipitanter emendo absque dili-
 genti inquisitione de conditionibus rei: tum
 quia stultum videtur ut aliquis id faciat unde
 ejus operatio impediatur, sed si quis indicat
 vitia rei vendendæ, impedit suam venditio-
 nem & operationem: Hinc Tullius de offic.
 inducit quendam dicentem: *quid tam absur-*
dum, quam si Domini jussu ita præco prædiceres:
domum pestilentem vendo; tum quia magis ne-
 cessarium est homini, ut cognoscat viam virtu-
 tis, quàm vitia rerum vendibilium. At non te-
 netur quis cuilibet consilium & veritatem di-
 cere de his quæ pertinent ad virtutem, E. mul-

Testimoni-
 um Scri-
 pturæ.

Dubium
 pro negati-
 va primâ.

Secundum

Tertium.

Solvitur
Primum.

to magis non tenetur venditor vitia rei venditæ dicere, consilium quasi dando emtori. Sed respondetur (1) argumentum non concludere: tum quia ut emtoris est inquirere, ita venditoris est revelare, cum justitia commutativa requirat cognitionem perfectam in rebus commutandis, nec quisquam cum alterius damno locupletari possit; tum quia judicium non potest fieri nisi de re manifesta, unusquisque enim tantum judicat, quantum cognoscit; hinc si vitia rei vendendæ sint occulta, nisi per venditorem manifestentur, non sufficienter committitur judicium emtori, tunc autem sufficienter committitur, si vitia sint manifesta. (2) argumentum non concludit:

Secundum

tum quia quisque tenetur quidem promovere operationem suam, nec sibi met ipsi impedimentum ponere, verum legitimo modo & mediis; si enim tam laxè acciperetur hoc ipsum, etiam ad fures extendi posset; tum quia non necessarium est ut aliquis per præconem denunciaret vitium rei vendendæ: ita enim deterrerentur emtores, ignorantes alias conditiones rei vendendæ, secundum quas adhuc dum ex parte utilis & bona est; licet itaque non publicè, tamen privatim & singulariter dicendum est vitium emtori, qui potest simul omnes conditiones illius rei tam bonas quam malas inter se comparare, potest enim res aliqua in aliquo esse vitiosa, ut tamen alia ex parte sit utilis. Ad (3) Argumentum responde-

Tertium.

tor illud non concludere: tum quia dare alicui occasionem periculi vel damni semper est illi-

illicitum, ut non sit necessarium, ut homo alteri semper det auxiliū vel consiliū, pertinens ad ejus qualemcunque promotionem, sed hoc tantum est necessarium, in aliquo casu determinato, si sc. aliquis curæ illius sit subditus, aut per alium non possit eidem subveniri; venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emtori damni vel periculi occasionem, quia rem vitiosam ei offert, si sc. ex ejus vitio damnum vel periculum emtori obvenire possit; damnum, si propter vitium res vendenda sit minoris pretii; periculum, si propter vitium usus rei reddatur impeditus vel noxius, e. g. si quis vendat equum claudicantem pro veloci, ruinofam domum pro firma, cibum venenatum pro bono. Hinc si talia vitia sint occulta & non detegantur, dolosa & illicita erit venditio, & tenebitur venditor ad damni compensationem. Si autem vitium sit manifestum e. g. si equus sit monoculus & cætera oppositè sese habeant, non tenetur: tum quia quamvis homo non teneatur simpliciter omni homini dicere veritatem, de his quæ pertinent ad virtutes, tenetur tamen in casu illo de his dicere veritatem, quando ex ejus facto alteri periculum immineret, in detrimentum virtutis, nisi diceret veritatem.

Ad

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Peccat qui in Contractibus æqualitatem non servat.

Disputat de æqualitate, quæ requiritur in contractibus & rectè addit ex Chrystomo, si minus æquo pretio demus facto illi quoddam inesse furtum & consequenter peccatum. Adducit deinde locum ex Lev. XXV. dicitque in hunc sensum interpretari Hebræos illam legem; Verba legis divinæ ita in Vulgata legantur: *Quando vendas quidpiam civi tuo velemes ab eo, ne contristes, (depradavis) fratrem tuum; sed juxta numerum Annorum lubilatiemes ab eo, & juxta supputationem frugum vendes tibi: nolite affligere (depradari) contribules (proximos) vestros, sed timeat unusquisque DEUM suum, quia ego Dominus DEVS vester.* Sed hinc observandum (1) quomodo Hebræi, & cum Hebræis Christiani dextrè hanc legem accipiant. Hoc autem volunt, in genere præcipi hac lege, ut nulla fraus committatur, i. e. ut contractus in eatur bonæ fidei absque ulla in verbis simulatione vel dissimulatione, in rebus imposturâ vel fallacia, in scopo avaritia, quâ fiat ut negotiantium aut contrahentium alter suo tantum commodo studeat, securus de incommodo & damno alterius: in primis si pauper sit aut damno ferendo impar, ut pactis conventis
sive

Sensus verborum legis de contractibus jam citatae setegitur.

sive conditionibus utrinque ex æquo & bono constitutis stet, lucrumque quod facit, non fit nisi consuetum, ordinarium & notum; ne, uti in textu est, opprimat fratrem suum nimium scil. exigendo ab eo per dolum si vendat, vel si emat compellendo eum, ut minoris vendat, quàm res æstimeretur. Et hoc est præceptum, ejusque sensus. (2)

Observetur ex Christianis Tostatum Abulensem Episcopum in Hispania hanc legem non accepisse de emtione & venditione, sed de locatione; quia talis actus non fiebat absolutè & ad omne tempus, sed cum pacto recuperandi & ad certum tempus, & non tam fundus vendebatur aut emebatur, quàm fructus illius propter jubilæum. Interim tamen non putamus hanc sententiam esse solidam, neque obstare hæc, quo minus actus de quo agitur in hac lege, emtio & venditio simpliciter appelletur, ut appellare solent Theologi & Jurisconsulti eam, quæ fit cum pacto retrovenditionis vel redemptionis, tum in favorem venditoris, tum in gratiam emtoris. Imò confirmari hæc doctrina loci præsentis potest exemplo censuum, qui ferè semper cum tali pacto saltè implicito venduntur, tum quia etiam justo pretio compensari potest onus impositum emtori à venditore tantundem sc. detrahendo de pretio, & vicissim onus quod venditori imponit emtor, nempe tantundem augendo pretium in prima venditione. Denique quia quilibet est ar-

Sententia
Tostati.

Refellitur.

biter

Quis con-
tractus in-
ter Hebræ-
os fuerit
validus?

biter rei suæ, eique quem vult modum potest imponere similior contractus huic nostro foret, ac omnino etiam idem, quem approbant Dd. si venditor vendat ad certum tempus cum pacto, ut post illud tempus rem suam absque ullo pretio reciperet, & si ante tempus vellet redimere, teneretur emtor fructus perceptos computare in sortem pro rata annorum. (3) Observandum quod Hebræi ad hunc casum emtionis vëditionis referant, quod nullus talis contractus validus inter eos habitus fuerit, qui consensu solo & verbis testibus præsentibus factus erat, sed is demum qui factus aliquo minimum acceptionis possessionisve, e. g. levationis de terra apprehensionisve manu factæ signo atque indicio firmatus erat: nam id non erat juris divini, sed municipalis tantum, nec ad nos pertinet, apud quos emtio & venditio inter contractus juris gentium censentur, & quidem tales qui consensu solo perficiuntur, ad quorum perfectionem proinde non desideratur rei præsentia, litteræ, verba talia, sed solus consensus.

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Lædens emendo aut vendendo intra dimidium peccat & tenetur ad Restitutionem.

IN hac thesi Author disputat de æqualitate in eo de quo agitur, sc. si in re deprehendatur

datur inæqualitas, ut læsio ultra dimidium accidat, sine culpa partium. Et respondet eam inæqualitatem esse resarciendam ex lege Justitiæ. Verùm hîc vel maximè disputari potest, num si læsio non est ultra dimidium justipretij, cesset obligatio restituendi in foro conscientiæ? Nam videtur hoc ipsum ita se habere, juxta sententiam illorum, quos refert Salonius: tum quia, quod Legis authoritate fit, licite fit; tum quia scienti & volenti non fit injuria; tum quia Lex potuit transferre dominium, & dare jus ad excessum illum, prout in præscriptione jus concedit in rem alienam.

Vtrumque lædit in contractu, si læsio non sit ultra dimidium teneatur ad restitutionem ex Conscientia?

Verùm si fundamenta tum veritatis tum etiam Authoris probe expendamus, non solum peccatur in tali casu, sed etiam in foro conscientiæ requiritur restitutio adeoque non subscribimus Gersoni, qui hîc quidem peccatum agnoscit, sed negat tamen obligationem restituendi, quia sc. Lex humana potuerit ad vitandas lites & animarum pericula, manente adhuc dum peccato, condonare obligationem restituendi. Nam si peccatur hîc, peccatur contra justitiam, E. obligatio restituendi consequens erit, si manet injusta læsio. Probamus autem illam restitutionem tum ex aperto textu I. ad Thessalon. IV. v. 6, ubi Paulus disertè: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam Vindex est Dominus de his omnibus*; tum ex ratione, quia in emtione & venditione debet servari æqualitas: non autem illa servatur, si pretium non sit æquale rei venditæ, sed ex-

Rejcta negativa defenditur affirmans.

N n n

ccdat

cedat vel deficiat, tum ex August. lib. 13. de Trinit. c. 3. qui, *Minus*, inquit *vel seipsum intuendo, vel alios quoque experiendo vili homines precio velle emere, & carè vendere omnibus credit esse commune. Sed quoniam revera vitium est, potest quisque adipisci ejusmodi Justitiam, quâ ei resistat;* unde etiam Cicero ductu naturalis Luminis pronuncia- vit: *Tollendum esse in rebus contrahendis omne Mendacium.* Ad (1) itaq; respondetur quod lege fit, legis authoritate licitè fieri, quantum ad permissionem in foro exteriori, ob vitandas lites innumeras, quæ aliàs emergerent, si de quavis læsione concederetur actio, non autem licitè fieri, quantum ad approbationem facti in foro interiori & conscientia. Ad (2) respondetur volenti non fieri injuriam, si sc. voluntarium non sit mixtum cum involuntario; ut est in casu præsentis, in quo contrahens vel ex ignorantia valoris justî, vel ex necessitate, quia aliter vendere aut emere non potest, cogitur involuntariè in injustum consentire premium. Ad (3) respondetur aut si de mala fieri læsionem, & sic nulla lege justa posse approbari, quia hoc esset fovere furta, aut bonâ fide; & ita multi dubitant, an lex potuerit id approbare, non enim militat rationes istæ quæ sunt præscriptio, negligentia sc. Dominorum, ne incerta maneat rerum dominia, & cæteræ, non enim procedunt in hoc contractu, in quo contrahentes plerunque ignorant valorem justum, & brevi tempore advertitur læsio. Præterea quicquid

Responde-
tur ad ar-
gumenta
negativa.
Quid lici-
tum sit ex
Legge?

Volenti
quomodo
fiat inju-
ria?

Quibus mo-
dis Lex
transferat
Dominium?

quid sit de possibili, de facto Leges non dederunt tale jus, sed solum negarunt actionem in foro externo ad vitandas lites. Accedit quod ipsa præscriptio adhucdum controversa sit, & quam non consolidet conscientiam aut stabiliat, in superioribus ostensum sit. Liquet ex dictis quid sentiendum de Sententia quam propugnant apud Matienzo Salonius, Sa & alii quod nec peccet, nec ad restitutionem teneatur, qui intra dimidium lædit, quia naturaliter licitum sit contrahentibus se circumvenire. nam primo legi naturali contrariatur talis læsio: cum nullus vellet sibiipse illud damnum inferri, nec quod opponitur firmum, non tantum, quia si minus dextrè accipiatur illud Effatum Paulum habet contradicentem supra laudatum in terminis, verum etiam, quia ambiguitas evoluta vim oppositionis tollit; *licet* enim potest accipi de eo, quod permittitur: permittuntur autem peccata etiam à Superioribus, cum licere pro permittere scriptoribus sæpius dicatur latinis. nec *in* naturaliter ad jus naturale referendum, quasi ex illo liceret, sed ut ipsi Interpretes observant ad jus gentium, quare linquitur impunitum, nec facile aliqua Natio ostendetur, quæ pro quacunque pretii defraudatione confestim actionem concesserit. legatur Covarruvias

lib. 2. var. Resol. cap. 3.

n. 2.

Nnn 2

Ad

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO.

Quamvis Monopolia non simpliciter contrariantur Juri naturali, male tamen audiunt plæraque.

Author disputat de Monopoliis & dicit, non omnia pugnare cum jure naturæ, posse interdum à summâ potestate permitti, & posse etiam à privatis institui. Adducit (1) exemplum Josephi, & (3) dicit pugnare si impediunt alio modo invectionem mercium &c. contra charitatis normam, sed non contra justitiam. Quod (1) concernit, non satis naturam Monopolii exhaurit Grotius, nam Monopolium est machinatio mercatorum, qua efficiunt ut ipsi soli aliquid vendant, & fit quatuor modis: quando sc. 1. venditores inter se conspirant de pretio, ut nemo vendat minori; 2. quando agunt, ut ipsi soli certas merces vendant, vel privilegio principis vel propria autoritate; 3. quando emunt magnam copiam mercium & supprimunt, donec pretium creverit, & denique 4. si impediunt, ne aliz merces advehantur, ut majori pretio res suas vendant. Si itaque in sua latitudine sumatur Monopolium liquet illud pugnare cum jure naturali, & quàmvis mercatores qui inter se conspirant de pretio sine dolo non peccent contra justitiam juxta Moralistas, peccant tamen contra caritatem: alia autem est ratio

Monopolium quid?

Quotuplex?

Quodnam ex his pugnet cum Jure naturali?

ratio de monopoliiis à Principe vel Republicà
 justa de causa concessis. Nam dum ita utun-
 tur jure suo, nemini fit Injuria. Tertium au-
 tem & quartum genus Monopolii nūquam
 potest probari, hinc Salmasius: Monopolia
 si admittantur in Mercaturâ & licita passim fi-
 ant, ausim dicere haud in minorem civibus
 casura perniciem, quàm si vel improbissimùm
 fœnus lege permittatur. (2) quod concernit, In Iosephi
 exemplo
 pro Mono-
 poliis nihil
 est præsidi.
 non videtur in exemplum posse produci id,
 quod Joseph egit in Ægypto. Nam 1. Jo-
 sephus publicè & palàm prædixit quid futurū
 esset in septem annis, ut quivis potuerit com-
 parare sibi & prospicere in futurum Gen. XLI.
 vs. 29, 30. & seqq. 2. quamvis Exemplum
 Josephi etiam producat à Salmasio qui scri-
 bit libro de Usurâ cap. 19. Nota est Historia
 Josephi, quæ τὴν μονοπωλίαν illustri Exemplo
 commendat, an tamen per omnia quadrat me-
 ritò dubitamus, nã quod Josephus egit id fuit
 circa frumentū fertilitatis tempore collectum,
 pecunia regia redemptum, invitis non extor-
 tum, potuit quisque servare sibi quantum
 necessarium erat, vel etiam ab aliis emere;
 quod autem deinde tempore famis justo pre-
 tio vendidit culpa nequit; cùm quicquid e-
 gerit nomine Regis egerit, & posuerit preti-
 um justum: neque obstat quod seipsum tan-
 dem Ægyptii exhausta pecunia & venditis pe-
 coribus submiserint, cum volenti non fiat in-
 juria, & quisquis se mancipare possit ut vitam
 suam conservet 3. Maxima fuit socordia ex
 parte populi, & consequenter ita successit ju-
 sta

sta illius pœna, cum debuisset fertilitatis tempore seponere annonam ad annos sterilitatis. Accedit æquitas ex eo, quod servitutem mitigavit Josephus, personis liberis manentibus subministrato semine, & Incolis agris gratis restitutis, addicta tantum Regi quinta parte proventus, quæ conditio novis Colonis dura videri non debuit. Et quicquid in hoc Monopolio factum est factum est ad salutem publicam, & conservationem totius populi. Quod (3) concernit, sæpissimè quidem Grotius & Moralistæ distinguunt inter id quod fit contra Charitatem, & quod fit contra justitiam, de quo etiam in seqq. Verum an hoc sit satis solidum meritò dubitatur. Nam qui contra Charitatis normam peccat, ille peccat contra secundam tabulam Decalogi, atqui per secundam tabulam ejusque præcepta, omnia diffunditur quoque justitia, 2. eo ipso quo peccat contra Charitatem aliquis, peccat quoque contra Justitiam. Et res magis luculenter patet si consideremus quid sit Justitiæ proprium, nempe suum cuiq; tribuere. At quid maximè Charitati inest, quam ut proximo etiam suum tribuat. Denique ex opposito hoc ipsum dispalescit, qui enim non amat proximum, ille injustus quoque est contra ipsum, non arando enim non tribuit quod tribuendum.

Extingitur distinctio ejus quod contra Justitiã & ejus quod contra charitatem est.

Ad

Ad Th. XVIII.

OBSERVATIO.

Limitatè accipiendum est quod
 Author de damno Conductoris asse-
 rit.

Agit de locatione & conductione & pu-
 tat sicut res Domino perit, ita naturali-
 ter sterilitatem & alios casus qui usum impe-
 diunt damno esse conductori. Quod non
 ex omni parte probatur, cum oppositum po-
 tiùs videatur esse consonum rectæ rationi,
 cum frustra sit locatio, si usus cesset locatio-
 nis. (2) Disputant hîc Moralistæ quid dicen-
 dum quando ob Pestem domus locata desera-
 tur, aut si propter hostium irruptionem, aut
 malignos spiritus habitari non possit, & præ-
 nunciant excusari conductorem à solvenda
 pensione pro rata illius temporis. (3) Hoc
 maximè controversum est inter illos, si sc. na-
 vis alicujus Minister locum suum dederit
 mercatori in navi pro certo pretio ut merces
 suas ibi reponat, num si navis reluctanter
 ventis in portum redeat, unde solverit, Mer-
 cator petere possit sibi reddi pretium, pro
 rata temporis, quo usus navis impossibilis fa-
 ctus est, num verò jus suum adversus Merca-
 torem prosequi possit minister navis? Qui-
 dam inter quos est Alvarus Valascus volunt
 restituendam esse partem pensionis Mercato-
 ri pro rata temporis: tum quia hæc fuit loca-

An de Con-
 ductionis
 mercede
 naturaliter
 sit aliquid
 remitten-
 dum ob ste-
 rilitem
 & similes
 casus?

An condu-
 ctorem diuina
 pestifera
 rum & si-
 milium e-
 ximatur à
 solvenda
 pensione
 pro rata
 temporis?
 De pretio
 conductæ
 navis & re-
 percussæ
 per ventos
 ad litora?

tio illius loci in navi, quemadmodum si locaretur cubiculum in domo, superveniente autem impedimento ex parte rei locatæ ad usum ipsius, deberet detrahi pars pensionis pro rata temporis; tum quia leges etiam Civiles hoc ipsum suadent, nempe non immerito procuratorem Cæsaris vecturam ab eo repetere, quam pro in vecto receperat, cum munere vehendi non fuerit functus; tum quia si pretium detur pro mancipiis deportandis ad certum locum, & in itinere aliqui moriantur, non debetur pro mortuis vectura. Verùm oppositam sententiam amplecti non videtur esse dissonum rationi, nec argumenta concludunt: non (1) quia hic actus non est locatio, & posito quod locatio esset, non tamen in illa procederent leges communes locationum ob tacitam voluntatem contrahentium, tandè si procederët integrum deberetur, cum tanto tēpore usus navis fuerit concessus, quāto possit ad destinatum locū pervenire. Ad (2) respondetur in casu illo fuisse tum veram locationē, tum institutam secundum leges communes locationum, tum conductorem nunquam usum navis conductæ habere potuisse. Ad (3) respondetur verum hoc ipsum esse si in pactum deductum fuerit, ut pro mancipiis morientibus in itinere merces non solveretur, præcisa enim pacti ratione deberetur integra, & iniquum esset, locatorem in medio itinere, quando merces alias navi inferre non posset, mercede sua carere.

Ad

Ad Th. XX.

OBSERVATIO.

Usuræ Juri naturæ non simpliciter repugnant.

Agit de Usuris, & (1) statuit illas jure naturali vetitas non esse, (2) dicit sufficere nobis debere legem à DEO Hebræis datam, cujus materia si non necessaria sit, tamen sit honesta, (3) Christianos quoque obligari, quippe vocatos ad majora virtutum specimina, & quæ tunc officia homini Hebræo, ea nunc præstanda esse homini cuivis, latius extenso proximi intellectu. Quod (1) concernit, Primò probè distinguendū est inter usuram rigorosè sic dictam, & inter quaecunq; quod supra sortem datur. Usura sane rigorosè sic dicta, quæ mordens à quibusdam vocatur, juri naturali repugnat, prout etiam repugnat juri divino Deut. XXIII. 19. & 20. Lev. XXV. 35. seqq. Exod. XXII. 25. & si hoc vellent saltem Moralistæ Gregor. de Valentia, Dominicus à Soto, Azorius, Toletus & cæteri, posset hoc ipsum ipsis concedi; verùm cum illi longius progrediuntur à vero deviare intelliguntur. Secundo distinguendum inter Subjecta sive homines, quorum alii sunt extremè pauperes, qui & destituuntur vitæ subsidiis & nihil labore suo parare possunt vel morbi vel senectutis vitio. alii indigentes quidem, quibus tamen

Usura distinguitur.

Quænam contraveniat Juri naturali?

à quibus exigi possit?

tantum est præsidium adhuc in manibus, ut operas alteri elocare sibi que victum & amictum parare possint, alii denique divites, qui ut augeant cumulum, mercaturam exercent, pecuniam ab aliquo petunt hunc in finem, lucro intenti, quam distinctionem summopere tanquam Scripturariam commendat Carolus Molinæus Tract. de Usuris q. 2. n. 86. primi ordinis hominibus subveniendum est non repetitâ sorte, multò minus accessione. hoc quippe Charitatis debitum intimat Johannes 1. Epist. cap. 3. v. 17. scribens: *Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necesse habere & clausferit viscera sua ab eo: quomodo charitas DEI manet in eo?* alterius succurrimus ita, ut usuram remittamus, sorte repetitâ, ni senserit id ex nostra pecunia, ut locupletior factus commodè cum sorte accessorium restituere possit. huc enim respicit Christus Matth. 5. vers. 42. dicens: *Qui petit à te da ei, & volenti mutuo à te ne avertaris.* tertii denique ordinis hominibus, si erogamus aliquid in augmentum opum, incumbit reddere ultra sortem usuras compensatorias, nec illicitè illas accipimus, cum enim interea nostrum ex pecuniâ nostrâ cessarit lucrum, alterius verò qui eam mutuo petiit à nobis creverit æquum itaque erit, *ut illius abundantia nostram sublevet inopiam*, ut loquitur Paulus 2. Cor. 8. v. 14. Talem autem ultra sortem qualemcunque lucri consecutionem non repugnare juri naturæ, constat tum ex caritatis natura: quia, si

opu-

opulentus à me petat mutuum, ex quo consequatur lucrum, quidni quemadmodum ille vellet, si meo esset loco, aliquid ad se redundare, etiam refundat danti; tum ex debito gratitudinis, cui enim accedit commodum aliquid insigne, is naturaliter obligatus est ad aliquod *ἀντιδωρον*; tum ex ipsa justitiæ ratione; justitia enim ad æqualitatem omnia redigit, si autem unus sentiret commodum, alter merum incommodum, nulla justitia locum haberet inter ejusmodi contrahentes.

Quapropter in tantum admitti potest accessio lucri, in quantum procedit non à pauperibus & indigentibus, sed opulentioribus, qui aliquid commodum sentire possunt ex pecunia acceptu, & actu etiam sentiunt. Ad di posset argumentum Claudii Salmasii, quod tractat in præfatione ad librum de Usura, ubi colligit, si Usuræ repugnent Juri naturæ, quia ex re sterili ultra sortem aliquid accipiat, Mercaturam quoque fore contrariam illi, carius enim vendit Mercator, quàm emit. Perinde verò est utrum illud quod excedit, accipiat immediatè ex pecunia, sive mediatè aliquo interveniente, modo ultra sortem accipiat mercator: legatur laudatus Scriptor in Dissertatione de Fœnore trapezitico pag. 394. 395. & seq. Nec desunt argumenta ex sacris. dicit Moses DEI nomine Deut. 23. v. 19. & 20. *Extraneo fœnerabis, fratri tuo non fœnerabis.* Si autem Juri naturæ adversaretur omnis Usura, quæ DEUS potuisset hoc permittere populo suo, qui juxta quosdam

Mens Salmasii.

Ex Scripturis evincitur non veritas esse Usuras iure naturalis.

præcipere qui futurum hîc pro Imperativo accipiunt ex more præceptorum divinatorum; dicitur: *à pauperibus & tenuioribus non exigendas esse usuras* Exod. 22. v. 25. Levit. 25. v. 35. Deut. 23. vs. 19. non igitur nisi determinatè Usura erit illicita nec mala intrinsecè, eùm aliàs universaliter esset prohibita. dicitur Deut. 28. *fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies*, quomodo autem Benedictionis rationem, naturam præmii ex observatione legis habebit, quod suâ naturâ turpe & indecorum. Si dicatur Usuras non fuisse concessas Israelitis in locis laudatis, sed tantùm permissas propter duritiem cordis, ut libellum repudii. secundo Deut. 23. legi vocem *Neschrech*, quæ mordentem Usuram notet, si quis mutuò det siclum pro quinque denariis, aut duo sata pro tribus, exponentibus ita Ebræis; si itaque hoc præcipiatur adversus extraneum, rem turpem. & juri naturæ proximi charitati adversum opus injungi. tertio DEUM bona Gentium Israelitis dedisse, illorumque potestati subjecisse. Respondemus primò, posito permissionem tantùm indicari, licitum tamen dextrè inde colligitur, neque enim DEUS illa permittit populo, quæ contra Jus naturæ, neque par ratio est Repudii & Usuræ, illud est Objectum Conniventia in Politia Mosaicâ, hæc verò Objectum Dispositionis divinæ circa modum & personam & qualitatem contrahentis, qui enim tantùm disponit de persona, is ipsum contractum non improbat, sed in naturâ suâ relinquit,

Exceptio,

Occurritur
exceptio.
ni.

quit, nec illum permittit ex duritie cordis, sed illum moderatur relatè ad fratrem. secundò de voce Nefchech nõ constat infallibiliter illam semper & ubiq; notare Usuram mordentem; subvenit hñc nobis Dn. Coccejus, qui appositè: *Rationem nominis Hebraicam reddunt, quod mordeat instar serpentis. Quidam in specie ita dici volunt immodicam Usuram, quam dicunt mordentem. Quod & ex Talmud affert Buxtorfius. Quod nescio, an tueri possimus. Nam usura, qua à gentibus sumitur & non prohibetur, etiam נשכה appellatur. Atqui lex, opinor, non permittit usuram immodicam in gentibus. Nihil omninò est, quod suadeat eam restrictionem. Ego puto, נשכה dici id, quod datur titulo damni & periculi, quod redit ad eum, qui mutuum dat. Morsus enim est quidam in damno & metu. Quod damnnum attinget: Si quis dederit frumentum, cum esset majoris pretij, & id recipiat, quum vilius; damnnum patitur. Fructus vero, qui ex mutuo provenit (τόκος græcè) תרבות dicitur: qua est participatio lucri, quod facit ex pecunia aliena qui mutuum accepit. Exod. 22. 24. cõfirmat nos oppositio instituta inter fratrem & extraneum, omne enim quod excessit sortem ab illo exigere prohibitum fuit, sive mordax sive moderatum; ab extraneis itaque peti poterat Usura si non mordens, tamen tolerabilis & moderata, prius autem constat ex Josepho & Philone, quorum ille: *Mutuum dare ad usuram**

Nefchech
quid Hebrais?

suram nomini liceat, neque cibum, neque potum: non enim justum est reditus captare ex fortuna τῶν ὁμοφύλων, tribulatione, sed prestat, opem ferre illorum necessitatibus, & ad lucrum imputare eorum gratiarum actionem, & DE retributionem, qua hujusmodi beneficentiam, solet consequi. Hic verò libro de charitate. Vetat Moses fratri fœnerari, fratrem nominans non solum ex eisdem natum parentibus, verùm etiam quemcumque civem tribulem se, iniquum ducens colligere fœnus è pecuniis, tanquam fœturam è pecoribus. non vult tamen ut ideo tergiversemur, signiores ad beneficentiam, sed largis manibus menteque donemus gratis indigentibus, cogitantes etiam gratiam esse genus fœnoris, uliro ad nos redituri felicitate accipientes tempore. Quod, si quis nolit donare, saltem mutuetur alacriter nihil præter capitalem summam recepturus, sic enim nec pauperes ad extremam inopiam, coacti plura quam acceperunt reddere: nec creditoribus quicquam decedet de rebus pretiosissimis, bonitate, magnanimitate, existimatione optima, nam nec cum una quidem virtute universa Persica gazæ conferenda sunt, ille exanimis opes abduitur in terra sinibus, ibi autem in principali parte anime. Virtutem enim sibi usurpat cœlum portio mundi purissima, ipse Deus conditor rerum omnium. Contemplari libet istos sordidæ & ne obolares quidem minutias spernentes usurarios, in magnis divitiis inopes, quos benè numeratos reges diceret, cum ne in somnis quidem unquam divitias, præter suas cæcas, vide

viderint. hi miserissimi omnium, quasi pecunia careant, cibos mutuuntur ut recipiant cum fœnore: isti quomodo egens stipem offerent, cum in proventu felici famem invehant, reditu sibi parantes ex miserorum hominum ventribus, sic appendendo frumentum ne pręgraves. Necessesse igitur habuit è sua rep. hoc genus questus ejicere. Sunt enim servilis & illiberalis anima talia studia, degenerantis in ferinam immanitatem. Accedit ratio quam Hotomanus suggerit, quod licuerit Judæis ab extraneis Usuras accipere, quia ipsi quoque solverint eas Chananzis, adeoque æquitatem hoc postulasse naturalem. Wolfgangus Franzius, quod Deus intenderit hoc privilegio extraneos advocare ad Ecclesiam, ubi acciperent à Judæis, nec obstricti essent nisi ad restitutionem sortis, quæ denique prævalere omnibus videtur ipsius Hugonis Grotii scribentis ad caput Luc. 6. ejusque versiculum 35. pag. 686. Ambrosius & quidam cum secuti, alienigenas intelligendos putant septem illos populos in quos Hebrais justum bellum erat nec mirum putat, si fœnerare eis licuerit occidere. Sed ne hac quidem interpretatio verbis legis congruit: nam cum fratribus id est civibus opponuntur extranei, certum non hos aut illos, sed omnes intelligi. Adde quod legis gravitati neutiquam conveniebat permittere in eos fœnus quos planè interfici oportebat. Causa igitur discriminis hæc fuit, quod Deus Hebrais inter se non ea tantum præcepta viles, quæ sunt hominibus omnibus inter se communia,

Quo jure
licuerit Ju-
dæis usu-
ram exteris
infligere?

nia, & qua stricta juris ratione debentur, sed
 multa etiam propioris cuiusdam necessitudinis
 ac caritatis officia ut in lege de servis, pignori-
 bus, de spicilegio, aliisque multis videre est.
 Accedit quod potissimus Hebraei populi questus
 in agricultura & re pecuaria situs erat. Jo-
 sephus contra Appionem: ἡμεῖς πίνυν ἔτε
 χώραν οἰκῆμεν καὶ θάλιον ἔ' ἐμπορείαις χαίρομεν,
 εἰδὲ ταῖς ὡς ἄλλας ἀγ' τῶν ὀπιμιξίας. ἀλλ'
 εἰσὶν μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρῶν ἀπὸ θαλάσ-
 σης ἀνωκισμέλαι, χώρην ἣ ἀγαθὴν νερόμενοι ταύ-
 τιν ἐκπονῶμεν. Quare cum finitimi plerique
 Judaeorum ex mercatura magnum questum
 facerent, ut Sidonij, Tyrij, accolae maris rubri,
 & Aegyptij, fœnus in illos permitti, in He-
 braos agricolas & pastores non permitti sum-
 marum habebat rationem. Nam & aliorum
 populorum legibus odiosissimum est fœnus quod
 in agricolas exercetur. Sed lex ista Moysis cum
 illius populi statum peculiariter spectet, unig
 populo sit data, ceteros non obstringit, nisi
 quatenus indicium aliquod præbet naturali-
 equitati. Tertiò respondemus, quamvis de-
 derit DEUS, Bona gentilium Israelitis, non
 tamen omnium, sed tantum Chananæorum
 Deut. 2. vers. 4, 5, 8, 9, 18, 19. dedit non
 quocunque modo appropriandi, sed extir-
 patis possessoribus bello terras invadendi.
 Quod (2) concernit malè dicitur Materiam
 hujus legis de pecunia non danda fœnori es-
 se saltem honestam & non necessariam. Nam
 si Materia hujus præcepti est materia sive ob-
 jectum caritatis præceptæ, non solum erit
 honesta

Non est
 saltē ho-
 nestā Lex
 de non fœ-
 nerando,

honestā sed etiam necessaria, prout cetera ob-
 jecta Charitatis sūnt nō solūm honesta sed eti-
 am necessaria : potest autem Materia duplex
 attendi vel respectu Judæorum pro illo statu
 & tempore, vel respectu omnium; prior sub-
 sternitur legi forensi, quæ prohibet omnem
 Usuram non tantūm mordentem, sed etiam
 moderatam; posterius substernitur legi mo-
 rali & prohibet tantūm avaritiam, non autem
 omnem etiam ultra sortem tolerabilem Usu-
 ram sub certis conditionibus & circumstantiis
 excludit : quo itaq; sensu moralibus accensea-
 tur ex dictis liquet: unde etiam R. David Kim-
 chi ad locos à Grotio allegatos scribit: *David*
hic, & Ezechiel cap. 18. 8. non prohibuerunt, nisi
quod Lex prohibuit. Lex verò usuram non prohi-
buit nisi cum Israëlita, non autem cum alieni-
gena, cum quo licita est, ex Deut. 23. 19. ubi
legitur, non fœnerabis fratri tuo fœnus pecunie,
fœnus cibi, fœnus cujuscumque rei qua fœnori
dari solet. v. 20. Alieno fœnerabis; fratri au-
tem tuo non fœnerabis. Qui locus minimè est
intelligendus de rapina, furto, re amissa, qua
retineatur, aut re per vim surrepta. Nam
alienigena etiam non licet vim ullam inferre,
aut ejus bona diripere, aut fortunas expilare.
De usura tantūm, qua ipso volente & sciente
acquiritur, accipiendus est iste locus: est enim
licita. Nam cum Israëlita teneatur beneficio
alterum Israëlitam devincire, mutuum autem
absque fœnore beneficium sit, & interdum ma-
jus quàm donum, siquidem multos pudeat do-

no accipere, non item mutuo, non sic Israelita cum Gentili tenetur facere. Is enim non tenetur beneficium in hunc conferre, nec suam illi pecuniam gratis mutare: siquidem ut plurimum ejusmodi homines Israelitis sunt inferfi. Verum proculdubio si Israelita quispiam a Gentili, beneficio sit affectus, tenetur ille quoque hunc beneficio afficere. Atque prolixior hic esse volui, inquit ille, ut haberes quod Nazarenis (Christianos sic vocat) responderes, qui dicunt non distinxisse Davidem inter Israelitam & Gentilem, sed omnem usuram prohibuisse. Verum, inquit idem, absurdum est dicere prohibuisse Davidem id, quod Moyses Magister meus verbis DEI permiserit: cum dictum sit in Lege Dent. 12. 32. Quidquid ego precipio vobis, custodietis ut faciatis: non addes ad illud, neque diminues ex eo. (3) falsissimum & Photinianum est 1. quod putat Christianos esse vocatos ad majora virtutum specimina, nam non datur lex aliqua N. T., ad quam nos componere debeamus, quæque majora virtutum specimina requirat; falsum est 2. nunc præstanda homini cuivis, quæ tunc homini saltem Hebræo ab Hebræo præstanda erant. in V. T. enim quoque cum Lex Moralis obtinuerit, quæ immutabilis est, eæ præstanda erant homini cuivis, quæ hodie vi legis illius immutabilis. 3. falsissimum est intellectum Proximi in N. T. esse latius extensum, ita ut proximus notet omnem hominem in N. T. in V. saltem eum qui fuit ejusdem Reipublicæ Judaicæ. Non enim fuit extensio facta, sed

Christianis præter Moysis legem perfectior alia non est data.

Eadem moralis Lex quos obligavit olim omnes eos etiamnum hodie obligat. Proximitas in N. T. eadem est quæ in V.

sed explicatio; & falsissimum atque Photinianum est per proximum in V. T. in lege illa de diligendo proximo, saltem fuisse notatum ejusdem Reipublicæ civem, ut supra circa initia demonstravimus. Ad argumenti solutionem quæ suggerit Grotius, quædam adjici possunt. Officium hoc utique posse & debere esse gratuitum sed egeno, non verò simpliciter, nummum esse prolificum mediâ juxta illud Ecclesiastis decimo v. 19. & penes quos pecunia sterilis est, quibus nihil parit ab illis etiam Usuræ non sunt flagitandæ; denique facultas proximo data nostram pecuniam in rem suam vertendi aliquid utiq; ultra rem dicit, & ab illâ distinguitur. Egregii autem sunt Hypocritæ, Pontificii, Doctores, qui Usuras rejiciunt, in describendis autem illis ita agunt, ut fraus pateat; & insuper licitum asserunt contractum MOHATRA dictum etiam respectu ejusdem personæ & cum contractu revenditionis præviè inuito cum intentione lucri juxta Caramuellem lib. 2. num. 856. qui contractus definitur ab Escobare, quod sit talis, quando quis egens pecuniâ emit pecuniâ creditâ, à Mercatore merces precio summo & statim ei pecuniâ numeratâ precio infimo revendit.

Commodatum est gratuitum.

Notatur Pontificiorum in prohibendis usuris fraus & hypocritis.

Ad Th. XXIV.

OBSERVATIO.

In Societate negotiatoria æquales
sunt partes in damno & lucro.

An Societas negotiatoria iniuri possit sine servata æqualitate partium in damno & lucro.

Argumenta dissuadentia.

Disputat Author hinc de Societate negotiatorum, & duas species proponit, sc. operam collatam cum pecunia, & pecuniam comparatam cum pecunia. Videtur autem istiusmodi contractum Societatis præprimis quantum ad primum non esse licitum; nam sequeretur si licitus esset, contrahi posse societatem ita, ut alter totam suam pecuniam periculo exponeret, alter autem nihil aliud quam operas suas. At consequens videtur esse falsum; partim, quia iniquum videtur ut aliquis periculum subeat e. g. 1000. ducatorum, alter verò nullum, & nihilominus partem lucri accipiat; partim quia, si contingeret nihil lucri accrescere, iniustum hoc ipsum esset, ut qui pecuniam contulit nihil perderet, & tamen alter suas omnes amitteret operas; partim quia, si eiusmodi societas esset legitima, consequens foret lucri æstimationem sic fieri debere, ut major pars illi obveniret, qui pecuniam posuit, quam ei qui solas operas, quanto pecunia illa majoris valoris est quam aliterius operæ. Atqui hoc consequens est falsum. Si enim decem millia ducatorum conferantur cum opera, & diligentia unius hominis, ferè totum lucrum deberet obve-

obvenire illi qui pecuniam posuit, cum tamen integrum suum servet capitale, alter vero suarum operarum dispendium fecerit. Verum hæc argumenta non concludunt, non ^{suadentia} (1) quia, ubi nihil lucri accrevit, non debet ille qui operas posuit illas perdere, sed ei potius aliquid ex sorte erittribuendum. non (2) quia, quemadmodum si Capitalis aliqua jactura fiat, totum admittere debet qui illud posuit, ita viceversa, si salvo Capitali nihil lucri accrescat, totum erit illius, qui illud posuit, & alter debet suas operas perdere, quia hinc fuit pactionis nexus, ut alter subiret Capitalis periculum, alter vero suarum operarum. Ad (3) respondetur distributionem lucri, ita faciendam, non æstimata tota pecunia, sed ejus periculo, v. g. Petrus posuit biscentum ducatos, Paulus vero non nisi centum, sed tamen industrias valentes tercentum, tunc cumulus valebit sexcenta, quorum quatuor ponit Paulus, & ideò lucri debet recipere duas tertias, Petrus vero unam quia posuit duo; in damno vero Paulus non subit nisi periculum unius, Petrus vero duorum.

Ad Th. XXVI.

OBSERVATIO.

Male vox Naturaliter in loco Ephesiorum secundo extenuatur.

Author cum tractat illud, quod liceat naturaliter se mutuo circumvenire, explicat ^{Vocem naturaliter in allegatis}

non poni pro eo quod recepti moris est ostenditur. plicat quomodo vox Naturaliter accipiatur, nempe pro eo quod est recepti moris sive consuetudinis, & allegat in confirmationem locum I. Cor. XI. de Coma, locum Sapientiz XIII. 1. de idolorum cultoribus, & tandem locum Eph. II. vs. 3. Nos supra exposuimus,

Non est fraudis se mutuo circumvenire.

quomodo commodè hoc accipi possit; addimus tantùm hîc quæ Carolus Molinæus habet in tractatu de Commerc. n. 172. qui docet hoc non pro fraudationis authoramento accipiendum esse, nec etiam propriè pro Jure naturali, quum semper bonum & æquum sit, sed pro mutuâ quadam & tacitâ contractantium ad invicem indulgentiâ, quia exactam illam & mathematicam æqualitatem scrutari, cognoscere & servare vix possunt, qui modicam ab exactâ illâ æqualitate defectionem naturali consensu sibi invicem condonare videntur. Allegando autem loca Scripturæ in subsidiû interpretationis suæ, prodit pus illud Pelagianû & Photinianû, quo tueret.

Vindicatur locus Eph. II. v. 4.

Nam ut à posteriori incipiamus, quando Ephesii dicuntur naturâ filii iræ, non hoc ipsum de consuetudine est accipiendum, sed vel de inclinatione post lapsum, vel de nativitate, ut natura sit quasi nasciturâ, quod ipsum patet tum ex eo, quia tales naturâ filii iræ dicuntur spiritualiter mortui; tum ex eo quia ita dicuntur filii iræ naturâ, prout caro dicimur ex carne Johan. 3. v. 6. tum ex eo, quia vivificati dicuntur in Christo vers. 5. quia dicuntur privati esse vita, quæ est ex DEO, cap. IV. v. 18. At hoc ipsum est ex corruptione

Naturæ,

naturæ, non ex consuetudine saltem superinducta. Inde notanter Paulus adhibet vocem *τίκτα*, adjecta voce *φύσιν*, ut intelligatur è ventre matris cum peccato originis nos nasci, ut viperæ cum veneno suo, non esse nos filios iræ, qui consuetudine irritent ad iram, sed *τίκτα* quæ vox nativitatem pressius signat natos iræ, oppositi per nativitatem & naturam filiis adoptione talibus: atque ita intellexit hæc verba Augustinus passim contra Pelagium lib. 6. cap. 4. contra Julianum, Prosper libr. 1. de Vocatione gentium cap. 18. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 26. legatur hîc Robertus Bodiùs à Trocho regia Scotus in Commentario pag. 204. paria Grotianis habet Socius religionis Inst. lib. 4. cap. 27. pag. 320. Verba illius ita leguntur: *Quando Apostolus dicit, Judæos simul ac gentiles omnes naturâ filios ira fuisse, eo non significat, Judæos & Gentiles omnes filios ira fuisse à nativitate prima, quatenus homines erant, sed contra, eos omnes consideratos ut adultos, in statu illo suo in quo erant antequam Evangelium gratia ad eos pervenerat, qui status quasi natura status erat, oppositè ad statum gratia consecutum, tam respectu Judæorum quam gentilium, tales fuisse indicat per & propter actualia sua peccata, quibus in isto statu obruti jacebant propria sua culpa, ut ira DEI obnoxii essent; & naturâ, id est, nisi gratia nova accessisset, heredes æternæ mortis, quæ ex ira inferretur, facti fuissent: uti ex versibus precedentibus clarissime liquet. Deinde; Nihil est*

quod utat vocem Φύσει, naturā, exponere per, verè, cum Hieronymo, aut, uti ipse notat, aliquos olim vertisse, per, omnino & prorsus: ut sensus sit, eramusque vel verè aut reapse, tum cum adhuc conversabamur in cupiditatibus carnis nostrae, facientes quae carni ac cogitationibus libebant, digni ira ac supplicio divino, ut ut nobis forte & aliis secus videbatur. Hoc sensu vox natura accipitur ad Gal. 1. v. 8. Serviebatisque iis qui natura non natura non sunt Dii, id est, non quia à prima nativitate non sunt Dii, sed qui revera non sunt Dii: vel uti Apostoli verba sonant qui non natura sunt Dii, ut oppositio indicetur, sed opinione tantum pro Diis colebantur, quasi dicat, Non natura sed opinione, vel eramus prorsus & omnino ira divinae mancipia. Hoc sensu natura esse dicitur aliquid, quod penitus adest homini. Sic nos aliquem natura nequam, à lacte matris, ab uberibus matris malum & miserum esse dicimus, Sensum hunc non obscure arguit id, quod antea eos, de quibus loquitur, conversatos dixerat in cupiditatibus carnis suae, &c. quorsum enim illa exaggeratio processisse dicatur, qua praeterita eorum peccata usque adeo vehementer exaggerat, si jam ante à nativitate ipsa prima filii ira fuerant? Absque illis enim, certo certius aeterna mortis ac condemnationis heredes fuissent. Nolim tamen negare, fieri posse, ut Apostolus hic ad Gentiles tantum respexerit, quamquam se etiam iis, in prima quasi persona accenscat, quod usitatum est, eosque natura filios ira vocaverit oppositè ad Iudeos, quibuscum

DEVS

DEUS fœdus speciale pepigerat, ratione cuius
 si tanquam fœderati promissionum Fœdere isto
 contentarum, a gentilibus tanquam ξεινοῖς τῶν
 διαθηκῶν ἔ ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχουσιν, ἢ ἀ-
 θεοῖς ἐν τῷ κόσμῳ, uti vers. 12. loquuntur distin-
 guebantur; ut conveniat, cum eo quod ad Gal.
 2. v. 15. legitur: Nos natura Judæi, & non
 ex Gentibus peccatores. Sed tum vox in hoc lo-
 co, uti in dicto illo Malachie, Jacob dilexi, E-
 sau odio habui, vox odii, non pro ira propriè di-
 cta, sed pro minore gratia ac favore accipienda
 esset; quod quia verosimile non est, aut fieri
 saltem necesse non est, hinc est, quod prioribus
 responsionibus malimus inherere, quibus ira
 vox in propria sua significatione retinetur, &
 eum quibus nihilominus optimè potest consistere,
 si dicatur Paulum hic non de Judæis & Genti-
 libus omnibus in genere, ante vocationem per E-
 vangeliū gratiæ factam, communiter & pro-
 miscue consideratis, sed de gentilibus solis loqui.
 quod si verum est, tum certe frustra ii sunt, qui
 hoc loco peccatum Originale intelligi volunt, ra-
 tione cuius dicantur omnes homines natura, id
 est, à nativitate prima, originale quod vocant
 peccatum contrahere, & sic ira divine rei ac be-
 redes fieri, præterquam quod eos abundè redar-
 guat vox imperfecti & præteriti temporis, ἦμεν,
 id est, eramus. Nam juxta eos, omnes homi-
 nes semper sunt ac manent natura, id est, ex vi
 peccati originalis quod nunquam plane tollitur,
 filii ira, etiam quando jam per gratiam Spiritus S.
 regeneriti sunt. Sed hæc de re suo loco agetur fusius.
 Numerate inconsequentia. Paulus in antece-

dentibus perstringit peccata actualia, ergò non altius assurgit, & congenitam pravitatem non substernit iræ divinæ, cum tamen aperte dicat καὶ ἡμεῖς & eramus etiam scil. à nativitate filii iræ. potest vox φύσει verti vel verè cum Hieronymo, vel omninò & *proversus*: ergò non naturâ, quasi hæc essent opposita & non significantiùs τὸ φύσει redderetur *naturâ*. Hieronymus noster est; versio verò quæ *proversus* & omninò substituit Juliani & cæterorum Pelagianorum. Naturâ non potest notari

Locus Gal. IV. 18. DEUS non nascendo fieri potest demum DEUS, ergò nos, qui per nativitatem incipimus, non possumus dici naturâ sive nativitate filii iræ. Exaggerat Apostolus malitiam adulatorum. Ergò non possunt esse tales hæredes condemnationis etiam ex ipsâ nativitate, habet enim hæreditatem condemnationis ex nativitate nisi interveniat gratia divina & actu ipso subjicitur illi ex continuatione peccatorum actualium. Respexit ad Gentiles tantùm, quia ad Gal. 2. v. 15. Judæi gentibus peccatoribus contradistinguuntur, cum & antecedens sit falsum & consequens illud, cum aliud doceat phrasis καὶ ἡμεῖς & nos eramus hoc, cum non necessum sit oppositionem admittere in loco Galatico, sed legi possit nos naturâ Judæi nec nati ex gentibus peccatores. consequentiæ itidem fluxus illiquidus. Secundum locum quod concernit, itidem non facit pro Grotio: tū quia illud ipsum *naturâ* potest exponi juxta ipsos Photinianos verè, ut sensus sit verè

Locus Gal.
IV. 18.

Locus I.
Cor. XI. de
Idolorum
Cultoribus.

verè infatuati sunt omnes quotquot sunt idololatræ, adeoq; nō notabit præcisè consuetudinem: tum quia etiam $\Phi\upsilon\sigma\iota$ sive naturâ idololatræ sunt fatui, cùm feminiû idololatriæ sit à naturâ; tû quia hic locus de omnibus hominib⁹ potest accipi, vocabulû *natura* explicando de naturali proclivitate post lapsum. Et in textu notanter dicitur: *Vani omnes homines naturâ quibus adest Dei ignorantia & de his, quæ videntur bona, quis autè negabit ipsâ naturali inclinatione corrupta mortales nō ad errores propendere, Idola sibi fabricare cordis extra revelationis divinæ beneficiû. Tertius loc⁹ itidem non videtur facere pro Grotio; tum quia sunt Theologi, inter quos quoq; Junius, qui existimant sine exemplo esse naturæ vocem pro consuetudine usurpari; tum quia hic ipse locus occasionem dedit Belgis ut 12 significationes vocis Naturæ conquirerent. Ex quo liquet posito quod natura quoq; consuetudinem notet, nihilominus undecim adhucdum alias interpretationes posse huic unicæ opponi; tû quia natura ibi comòdè non accipitur de consuetudine, sed de naturali ratione, sic cum Salmasio accipiamus vocem $\kappa\omicron\mu\alpha\iota\upsilon$ de studio nimio capillorû exornandorum; natura enim sive ratio naturalis dicitur, turpe esse viro. ita $\kappa\omicron\mu\alpha\iota\upsilon$, ita comas alere muliebriter, & quidè nimîû prolixas. Audiat Jacobû Reviû Dissp theol. centesima septima th. 1. & 2. circa initiû p. 228, 229. ad hunc locum: *per naturam sunt qui intelligi volunt consuetudinē, se d. refutatur hæc explicatio. 1. Quia nuspiã apud auctores græcus vox $\Phi\upsilon\sigma\iota$**

Loc⁹ I Cor.
XI. de Co-
ma

στωε

σως pro cōsuetudine reperiatur sine termino di-
 minuēte qualis est in illo dicto: Consuetudo est al-
 tera natura, nam quod ait auctor Dialogi de co-
 mō p. 69. cum optimi scriptores πῆφυξ pro solet
 usurparint, Φύσιν etiam pro consuetudine poni
 posse, respondet Demat. Disp. 3 thes. 7. ex ipso illo
 dialogo p. 70. multa in loquendi usu deprehendi,
 ubi verbum usitatum est, verbale non item: &
 contra. 2. quia non nisi infirmum ducitur argu-
 mentum à consuetudine, praesertim promiscua
 multitudinis, nisi quod addit Borst. consuetudo
 illa à natura ortum habere statnatur, quo addi-
 tamento sententiam Calvini mitigat. p. 75. Qui
 Φύσιν consuetudinē notare dicunt, tenentur ad
 ejus rei probationem. Quae cum non adferatur
 (nam à Suida prolatum exemplum alienum est,
 ut v. Etō Demat. Disp. 1. th. 7.) merito putamus
 hanc significationē improbari. quod & facit au-
 ctor Dialogi p. 71. 2. interim à consuetudine non
 nisi infirmum argumentum peti non cōcedimus,
 nam Paulus ipse ab ea argumentū petit v. 16. quod
 enim additur de promiscua multitudine, re-
 spondebitur, non esse in textu, ideo nihil ad rem
 facere. 3. quomodo se hinc evoluat. Poimenand.
 rationem inire non possum. is enim firmam
 consuetudinem & communem consensum jus
 gentium esse ait p. 155. unde & usum horolo-
 giorum eo refert. ut ante vidimus. tale ergo,
 e positis ab illo, argumentum struimus: Jus
 gentium est natura illa de qua Paulus agit: Con-
 suetudo est jus gentium: ergo consuetudo est na-
 tura illa de qua Paulus agit. utraque promissa
 est Poimenandri. unde quo pacto conclusionem
 negare possit, ipse viderit.

CA.

CAPUT XIII.

Ad Th, I.

OBSERVATIO.

Juramentum est Actus Cultus divini.

Agit Author de juramento, & ex Sophocle, Cicerone, Hesiodo & Herodoto docet quanta vis Juramenti etiam ex gentilium sententiâ, quibus sociamus Homerum Iliad Δ. v. 160, 235. Et (1) quidem ex Cicerone jus jurandum describit per affirmationem religiosam & addit quod affirmatè quasi DEO teste promiseris id tenendum esse; deniq; Ira ab eo removet, in quantum dicit conturbationem. Quod (1) concernit, remotius quid videtur esse à juramento affirmatio religiosa, potius ut proximius describatur, describendum erit juramentum per λατρείαν sive cultum aliquem divinum, nam etiam dantur juramenta, ubi non obtinet affirmatio, sed negatio, unde David à Mauden describit Juramentum per Affirmationem & Negationem; quanquam si latius vox illa accipiatur admitti possit, quia is etiam qui negat, affirmat id, quod negat non esse, nec accuratæ aliæ descriptiones quæ circūferuntur e g. quod dicitur testificatio DEI de re controversa Philoni, signum fidei firmissimum Antonio Melisa, Invocatio divini nominis Malleto, quæ omnia aliquid dicunt, quod in Juramento deprehenditur; interim proximius agunt, qui per λα-

Juramentum per affirmationem religiosam accuratè non describitur.

τρείαν

tenet sive actum religiosum illud generatim definiunt, vel si comparatè de illo loquamur, ut inter homines observatur & in ordine ad Effectus suos inter illos per Orationem vel enuntiationem, quæ cum divino testimonio profertur, quod placuit Gregorio Nysseno Oratione 4. in Canticum. Male autem Selva putat Juramentum esse, cum veritas vel DEI, vel Creaturæ testimonio confirmetur.

An jurare sit inducere Testem. Militatur pro affirmante.

Quod (2) concernit, videtur illud ipsum disputationi esse obnoxium, nam 1. jurare non videtur esse idem, quod testem DEUM provocare, ita enim quisque qui adduceret auctoritatem Scripturæ Sacræ inducendo DEUM in testimonium juraret: 2. ex hoc quod aliquis inducit aliquem in testem nihil reddit, sed ille qui per DEUM jurat aliquid DEO reddit, prout hoc constat ex Matth. V. *ψl.* 33. reddes DEO juramenta tua. Et ipse Augustinus dicit quod jurare sit Jus veritatis DEO reddere, jurare itaque non erit DEUM invocare. 3. quia aliud est officium judicis, aliud testis; atqui quandoque jurando homo implorat judicium divinum, prout constat ex Psalm. VII. *ψl.* 4. seqq. Non itaque jurare erit DEUM testem invocare. Verùm respondetur ad (1) aliud esse testimonio DEI uti ut jam exhibito, quod sit quando aliquis allegat auctoritatem Scripturæ, & aliud esse implorare testimonium divinum ut exhibendum, quod contingit in juramento, neque adæquatè Juramentum ex-

Affirmans subvertitur.

pri-

primitur, non enim quocunque modo DEUM producendo testem fit juramentum, cum possit produci testimonium illius relativè. nec qui testimonium ex sacris adducit illud adhibet ad aliquid inter homines confirmandum vel de se, vel de suis bonis vel alio aliquo objecto applicatè, sed enunciat simpliciter quod DEUS enunciavit, vel ad *Ulus Animæ* proficuos applicat. Ad alterum respondetur reddere aliquis juramentum dicitur ex eo, quia implet id quod jurat, vel quia in hoc ipso quod invocat DEUM in testem, recognoscit eum habere omnium cognitionem & infallibilem veritatem; atq; ita adducendo DEUM in testem eodem actu reddit ei gloriam omniscientiae & Veritatis, unde etiam Interpretes Verba illa Matthæi 5. vers. 33. *reddes Domino* ita exponunt *in honorem Domini* tanquam Domino debitum, cui fidem tuam obstrinxisti. quò collimant quoque verba Augustini quod scil. jurare sit jus reddere DEO scil. Jus Gloriæ & Cultus debiti atque agnoscere ita illum esse Justû, Veracem, Omnisciû, Omnipotentem. Ad (3) respondetur quod alicujus testimonium invocatur, id inde esse ut veritatem manifestet circa ea quæ dicuntur: DEUS autem manifestat veritatem dupliciter (1) simpliciter revelando veritatem, e.g. per facti denudationem producendo in publicum quæ fuerunt occulta. (2) modo per pœnam mentientis, & tunc simul est judex & testis, dum puniendo mendacem manifestat mendacium. Si ulterius dicas juramentum non posse esse actum reli-

An juramentum sit Actus religiosus?

Manifestationis divinz veritatis modo duplex

religiosum, quia non fiat primò & per se propter cultum DEI, sed ad confirmandum Objectum aliquod humanum, scil: promissum, pactum, fœdus &c. cum itaque reverentia divini Nominis ordinetur ad negotium humanum Eb. VI. §. 17. liquere non esse illud actum religiosum, quia esset per se appetibile ad frequentandum, quia denique magis videtur esse fidei confessio, quàm actus Religionis. Respondetur etiam actû patriæ ita esse comparatum, ut exinde aliquid possit ad hominem redundare, quod intenditur unâ cû intentione cultus divini, inde dicitur jurans reddere DEO juramentum Matth. 5. & licet Materia Juramenti cedat in hominis Bonum vel commodum, formalis tamen ratio illius dicitur quendam divinum, secundò appetibile dicitur aliquid vel simpliciter, vel ex hypothesi, quamvis Juramentum non sit appetibile per se & simpliciter, est tamen appetibile ex hypothesi debitæ necessitatis, & suppositis supponendis, ut dolor de peccato supposito peccato: tertio non esse opposita confessione fidei & actum Religionis. Fixum ergo erit Juramentum dicere actum Religionis, quod docet & præceptum Decalogi secundum de non assumendo Nominem divino in vanum, & natura juramenti, qui enim jurat vel amat, vel veneratur eum per quem jurat teste Hieronymo, & Philosophorum Principe Aristotele: I. Metaph. 3. & in Rhetorica ad Alexandrum cap. de jurejurando. Quod (3) spectat provocat Author ad Lactantium, qui per aliquot capita

Appetibile
quotuplex.

capita disputat, in DEO propriè non esse iram. Videtur autem Grotio adversari Conradus Vorstius ejusdem ferè in quàm plurimis sententiis opinionis; tum ex eo, quia affectus iræ aliquam bonitatem & perfectionem declarat præcisè imperfectionibus, tum quia DEUS ipse Angelis & hominibus ab initio creationis indidit iram, & proinde saltem aliquid analogum in DEO erit admittendum; tum ex eo, quia ipse Lactantius propriè statuit in DEO esse iram, nec non Tertullianus, Cyprianus & alii. Verùm rectius sentitur, si dicatur iram non esse in DEO propriè, neque per modum cujusdam affectus, sed metaphoricè de Deo, atq; effectivè enunciatur. Ad argumèta autem respondetur (1) non concludere, quia disputari potest num ira possint præscindi imperfectiones à vocabulo iræ, ut in ratione formali nullam imperfectionem dicat: ira enim propriè est Cupiditas depellendi id, quod displicet, & dolorem inferendi ei; quod læsit, in homine orta ex fervore & ebullitione sanguinis circa cor optimè autem Augustinus: Neq; perturbatio ejus significatur, qualis est in Animo irascētis hominis: sed ex humanis Moribus translata Vocabulo vindictæ ejus, quæ non nisi justa est iræ nomen accepit. (2) non concludit, quia etiam temperantia homini est concreata, nec tamen DEO tribui potest, nec (3) concludit, quia Patres usi sunt vocabulo iræ in laxiori significatione, quemadmodum ipse Lactantius per aliquot capita disputans hoc saltem vult, in DEO esse

Cōtra Vorstium evincitur iram in Deo non esse nisi metaphoricè,

iram, h. e. voluntatem puniendi delicta dupliciter enim ira DEO tributa respondet Affectui in homine, ut enim formaliter notat in illo Affectum puniendi, ita in DEO voluntas est puniendi displicens de quo Rom. II. *ψ*l. 3. Eb. X. *ψ*l. 30. effectivè pœnam, ita de DEO enunciata pœnam quandoque notat Michæ VII. *ψ*l. 9. Rom. VI. *ψ*l. 15.

Ad Th. II. & III.

OBSERVATIO I.

Non qui verba jurantia profert quocunque modo, jurat.

IN his thesibus Author disputat de gradibus quasi juramenti, & 1. determinat quod si quis non putans se jurare verba protulerit jurantia non jurasse. 2. si volens jurare, tamen obligare se noluerit nihilominus vi juramenti obligari, & 3. si quis deliberatò protulerit verba Jurantia, animo tamen non jurandi. quamvis sint qui dicant non obligari, verius tamen esse oppositum. Verùm circa hæc non omnium una est sententia. Nam 1. sunt qui statuunt, si etiam aliquis juret sine animo & intentione jurandi, teneri nihilominus juramento. Verùm si quis juret sine animo & intentione non videtur esse juramentum, quemadmodum juramentum non esset, si rusticus verba jurantia in Latina vel alia lingua proferret à se non intellecta, idque probatur; tum quia revera non jurat talis, nec intendit

Non esse
Juramen-
tum quod
sine animo
vel inten-
tione ju-
randi pro-
latum est.

tendit jurare aut DEUM testari; tum quia si-
cut qui fictè promittit non obligatur vi pro-
missionis, ita qui ita fictè jurat, & verba saltem
profert absque animo, non obligatur; tum
quia omnis actus qui essentialiter requirit in-
tentionem agentis est invalidus, si illa inten-
tio desit, cum itaque intentio hîc desit, in-
validus quoque erit actus. Interim tamen si
quis juret, & non solùm historicè verba ju-
rantia proferat, adeoque externus saltem a-
ctus, præscindendo ab animo & intentione,
exhibeatur, obligabitur talis, cum nomen Do-
mini nunquam ducendum sit in vanum, & ob-
ligatio naturaliter Juramentum sequatur. di-
cendum itaque voluntatem prærequiri ad Ju-
ramentū, scilicet ad minimum illam, quæ est pro-
ferendi Verba, per quæ sufficienter indicetur
DEUM in testem adduci, cum aliàs prolatio
talium verborum non esset actio humana: ju-
rumentum enim dicit actionem humanam
cum relatione ad DEUM, neque ille censetur
jurasse qui vel dormiens, vel amens Ver-
ba protulerit aliàs juramento affinia.

Ad Th. II. & III.

OBSERVATIO II.

Qui profert deliberatè Verba ju-
rantia, animo tamen non jurandi
obligatur nihilominus.

IN altero autem casu, si quis juret, ita tamen, Obligat Ju-
rumentum
& si is qui
ut ipsi animus non sit obligandi, disputa-
tur,

Ppp 2

jurat se nō
velit obli-
gari.

Argumen-
tum con-
trarium
I.

II.

III.

Excutitur
I.

II.

jur, num talis teneatur vi juramenti, & Au-
thor quidem noster statuit eum nō minus ob-
ligari, quā qui obligationem intendit, quia
obligatio à juramento sic inseparabilis. Sed
videtur obstare I. quia qui in contractū
aliquo apponit clausulam, quæ est contra
substantiam contractus, non obligatur, quia
talis clausula irritum reddit contractum: e. g.
si vendam domum ea lege, ut non abalienem
eam; 2. quia qui ita jurat, revera non habet
animum seriò jurandi, sed solūm exterius ver-
bis agit, prout qui contrahit matrimonium
animo non se obligandi ad reddendum debi-
tum, non censetur velle seriò contrahere. 3.
quia DEUS acceptat juramentum non nisi
secundum hominis intentionem; intentio
autem obligandi hoc in casu deest. Verūm
hæc argumenta non concludunt. Non I. quia
hoc quidem procedit in cōtractibus, quorum
obligatio tota pendet ex intentione, consi-
stunt enim in hoc, ut aliquis velit alteri se ob-
ligare; at in juramento aliter se res habet, il-
lud enim consistit in eo, quòd DEUM addu-
cat in testem veritatis præsentis & futuræ, at
hoc efficaciter aliquis facere potest, etiam-
si dicat talis nolle teneri se ad execu-
endum; nihilominus enim tenetur talis, ne
DEUM faciat testem falsi circa executio-
nem. Itaq; clausula illa, quòd nolis obligari, nō
potest efficaciter addi juramēto promissorio.
2. non concludit; nam negatur talem non ha-
bere animum jurandi, qui enim Deum vult ad-
ducere in Testem, ille animum habet jurandi
utur

utut inde nolit obligari : quemadmodum aliquis vult peccare quidem, sed non propterea reus esse damnationis, ita sese habet, ut licet non velit posterius, nihilominus in priori censetur posterius voluisse implicite & virtualiter. 3. non concludit ; quia canon ille intelligendus est quoad id quod quis jurat, non autem quoad modum obligandi vel non obligandi: ponamus verò talem non obligari vi juramenti, quod non concedimus, obligabitur tamen saltem ratione scandali exterioris & propter proximum, qui rationabiliter concludit fuisse verum juramentum.

III.

Ad Th. II. & III.

OBSERVATIO III.

Juramentum etiam dolo elicitum censetur validum.

IN hac thesi disputat Author de Juramento dolo elicitum, & ita determinat dubium, si certum sit illum qui juravit, aliquod factum supposuisse, quod revera se ita non habeat, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturam. Juramentum non obligaturum, ac si dubium sit an non etiam sine eo idem fuisset juraturus, standum esse verbis, atque huc refert jusjurandum, quod Josua Gibeonitis dedit. Verum (1) dubitatur à quibusdam num juramentum illud Gibeonitis praestitum fuerit juramentum quo obstrictus fuerit Josua & proceres populi? Nam cum Gibeonitæ dixerint, se procul extra Cananæ terminos a-

An Juramentum per Gibeonitas dolo elicitum Josuam ac Hebræos proceres obstrinxerit? Dubiū I. pro Negativa.

gere, omnium jurantium mens in tales, tamq; remotos & exteros ferebatur, cum E. tales nõ essent Gibeonitz, iis non videntur obligati fuisse Israelitz; Error enim in opere vitiat cõtractũ. (2) disputatur, num nihilominus servandũ fuerit hoc jusjurandũ utut dolo extortum, & videtur quidem negativam esse veram; tum quia definitio incauta laudabiliter solvenda est, neque híc est prævaricatio, sed temeritatis emendatio; tum quia tota Israelitarum Ecclesia improbavit illud jusjurandum & ejus observationem, adeoque etiam, contra Principes propterea murmuravit; tum quia cessante jurisjurandi obligatione, redibat prior Isralitarum conditio. at ea hujusmodi erat, ut deberent Cananzis omnibus extremam inferre perniciem, Deut. XX. vs. 16. Verum, quamvis hæc speciosè dicantur, tamen melius statuitur rectè fecisse Israelitas servando juramentum: tum quia nulla lex Cananzos si valedicerent Idolis prohibebat servari incolumes; tum quia talis ignorantia, num servandũ esset juramentũ, nec ne in Senatũ, Principem Josuam & Pontificem non videtur cadere aut tantam tribuendam esse; tum quia isto modo major dabatur Cananzis se ad verum DEUM convertendi occasio, majorque præfractis & pertinacibus justissimi supplicii exprobatio. Nec obstant objecta. Non 1. quia res ita erat comparata, ut sine scelere potuerit adimpleri. Non 2. quia non potest probari improbatum fuisse à populo ipsum juramentum aut observationem juramenti, quod pepercissent, sed hoc

Idem an fuerit servandum.

Dubium primum.

2.

3.

Illatur
Objectorũ
Primum.
Secundum

hoc tantum, quod cum iis tanquam peregrinis & longè distitis populis fœdus sociale ini-
 vissent, quod lege divina expressè interd-
 ctum erat 3. non concludit, tum quia quàm-
 vis redierit prior conditio, tamen hoc datum
 fuit Numini divino, religione juramenti in-
 terposito, ne Majestas ejus vilesceret ex semel
 violato juramento; tum quia adhuc dubium
 est, num lex illa Deut. XX. sit absolutè acci-
 pienda, & non conditionatè, sc. hoc modo, ni-
 si populi illi se statim dederint, & oblatas con-
 ditiones acceptarint; tum quia deinde culpa
 doli fuit aliter punita sc. molesta quadam ser-
 vitute. Sed exactius hæc veniunt examinanda
 nam videtur nullum fuisse hoc juramentum,
 & ex parte doli & ex incapacitate Materiz:
 unde etiam validum fuisse negant Augusti-
 nus, Tostatus Abulensis, Masius, Magallia-
 nus & Emanuel de Naxera; prius constat,
 quia fuit involuntarium ex ignorantia quip-
 pe ortum, fuit ex positivâ deceptione pa-
 cilentium quæ injuriosa, fuit conjunctum
 cum ignorantia personarum, cujus oppo-
 situm essentiale censetur in juramento re-
 quisitum, posterius quia contra legem di-
 vinam supra laudatam. Ut de posteriori,
 quo facillior sit via prius dicamus, arbitra-
 mur ex Materiâ illud Juramentum non
 fuisse illicitum & contra legem divinam, nam
 primò DEUS Deut. XX. vs. 10. jubet ut E-
 bræi hostibus pacem offerant, ac si illam ac-
 ceperint, recipiant: unde etiam suppositâ no-
 titia censent quidam Josuam potuisse pacisci

Tertium.

An Iure-
 mentum
 illud Gibe-
 onitis præ-
 stitum va-
 lidum fue-
 rit vel ex
 dolo vel
 materiz
 incapacita-
 te?

Probatur
 Ex materia
 incapaci-
 tate non
 fuisse illi-
 citum.

cum Gibeonitis sub his conditionibus si veram Religionem amplecterentur & terras suas Israelitis concederent; secundò Josua de facto pepercerat Gibeonitis, postquam dolo detecto cognovit eos esse Chananzos; tertio non malè videtur colligere Lyra ex Verbis Josuæ XI. non fuit Civitas quæ se traderet filiis Israel præter Hevæum qui habitabat in Gabaon, omnes quippe bellâdo cepit, Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur Corda illorum & pugnarent contra Israel & caderent & non mererentur illam Clementiam ac perirent, ut præceperat DEUS Moyfi; non fuisse hoc juramentum contra legem divinam, quia intelligendum sit de perseverantibus gentibus in impietate sua & resistentibus populo DEI: ut enim non licitum fuit Uxorê ducere de alienigenis, licebat verò si patriam desereret superstitionem, ita Clementia etiam hoc in Casu locum adhuc habuit suum. Nec adhuc probatum quod Cunnæus ex Maimonide refert Legatos antea quoque ad Gibeonitas missos fuisse, ut ad reliquas sex nationes, eosque ab illis spretos esse, atque ex eâ tempestate legem Numinis adversus eos valuisse, quæ de internecione septem gentium erat lata, Gibeonitas autem cum eam legem postea resciscerent, Copiasque Israelitarum late victrices pertimescerent venienti nullo cavisse, & quia post spretam semel pacem vera Remedia consumplerant fallaciis atque artibus. quæ autem hisce Tostatus Abalensis reponit infirma sunt. Ad alterum itaque respon-

spondetur: primò ita, ortum esse ex ignorantia illud Juramentum, ut tamen Materia non fuerit principibus Ebræorum injuriosa, aut nociva, & ut supra dictum, etiam positâ notitiâ habilis fuerit substerni Juramento, nec omne Juramentum ex antecedaneo dolo est nullum: si enim Juramentum per vim & Injuriam extortum est validum, quid ni hoc? nec tandem ignorantia fuit in essentiali, aut dolus dici potest causam dedisse contractui vel juramento: præsentem enim erant Gabaonitz: saltem in hoc occupabatur Mens principum quod ratione patriæ erat melius ponderandum: ut itaque valet Matrimonium cum fœmina, quam puto esse Hispanam, etsi ex Galliâ sit oriunda, ita hic dolus in contractu fuit circa rem extrinsecam & accidentariam, in quibus si datur causa contractui, non propterea cessat esse validus. videatur David à Mauden Discursu quarto in Decalogi præceptum secundum.

Juramentum Iosus non factum esse irritum propter dolum ostenditur.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Juramenti significatio ultra morem receptum loquendi non est extendenda.

Hic agit Author de juramento adversus Benjamitas concepto, de quo Jud. XXI. vers. 18. At de hoc juramento iterum

An Iuramentum
 Israelitarū
 in re Benjaminitarum
 servandum fuerit?
 Rationes adversarias.

disceptatur. Rectè quidem Grotius statuit non perjuros fuisse cæteros Israelitas, sed num ipsum juramentū fuerit servandū nec ne, maximè potest disceptari, & consequenter num etiam fuerit validum? Videtur enim quod non: tum quia fuit contra charitatem adeoque de re illicita, nimirū velle procurare extinctionem Tribus cujusdam. cum DEI voluntas esset, ut omnes permanerent; tum quia negando illis uxores ex aliis tribubus, posito quod omnes è Benjamin mulieres permisissent, erat manifesto eos exponere scortationis periculo; tum quia fuit contra legem divinam; nulli enim Judæi & consequenter nec Benjaminitæ debuerunt in uxores accipere alienigenas, ob periculum idololatæ: atqui exclusi vi juramenti necessariò debuissent ducere uxores ex Gentilismo. Verùm quicquid sit, & ut ut hæc argumenta satis videantur esse solida, de quibus supra; nihilominus ex quorundam

Mente responderi tamen potest. 1. non concludere, quia non evinci potest, DEUM omni in casu voluisse permanere tribus, qualecunque etiam flagitium admisissent dignum exterminio, aliàs non decem integras tribus DEUS ipse propter flagitia ad Assyrios transulisset; neque contra charitatem est; quemadmodum integras urbes propter idololatriam excindere juxta legem Deut. XIII. non erat contra charitatem, sed potius opus quoddam DEO gratum. 2. etiam non videtur concludere, quia si quid mali ex illo juramentum secutum fuit e. gr. Scortatio, secu-

tum

Solutio.
 Prima,

Secunda,

tum fuit, non per se sed per accidens, ad quod se se ceteri Israelitæ potuerunt habere permissivè. Ad 3. respondetur quemadmodum non videtur divinæ Voluntatis fuisse, ut tota illa tribus funditus deleteretur, ita verisimile esse ceteros contra Benjaminitas non comprehendisse casum illam extremæ necessitatis, quo nimirum tota Tribus alioquin extinguenda esset, vel ad alia extrema incommoda veniendum esset, nisi filias suas Benjaminitis uxores darent, sed tantummodo omnem alium casum, in quo hujusmodi necessitas non esset, quo vergunt Grotii sensa.

Vicima.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Juramentum de re illicita non est validum.

AUthor hic asserit, ut valeat Juramentum opus esse, ut obligatio sit licita, tum quia juramentum de patrandō opere malo nullam obligationem parit, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis; tum quia illud juramentum non potest valere, quod vergit in interitum æternæ salutis, ex communi Patrum sententia; tum quia contradictionem involvit, ut aliquis obligetur ad rem illicitam patrandam e. g. furtum, mendacium, si enim peccatum est, tenetur jurans ab eo abstinere eo ipso, quod est peccatum & contra legem: Non potest autem simul facere & omittere,
con-

consequenter nec obligari ad faciendum: interim tamè probè notari debet non rectè dici juramentum illicitum servandum non esse, melius juramentum de re illicita: sæpe enim fit ut aliquis promittendo & jurando peccet, vel quia prodigè agit, vel quia lege aut præcepto prohibitum est, ne juramentum fiat; nihilominus si res promissa & jurata non sit prohibita, atque sine peccato executioni mandari potest, debet etiã executioni dari. (2) Proponit exemplum Davidis, qui Nabali pepercit, quem se occisurum tamen juraverat. Verùm sunt qui putant hoc juramentum non fuisse de re illicita: tum quia Nabal non solum ingratum se exhibuit, sed & convitia & probra conjecit in Principem populi; tum quia, si fuisset de re illicita, fuisset ex eo, quia voluit totam domum evertere, & ita etiam innocentes. At hoc ipsum non iniquum est, si enim Dux familiæ aut Urbis, quod nefariè admissum est per vim studet asserere, & vindicem armis prohibeat, nemo innocens esse censetur, qui stat à partibus istiusmodi Ducis. Sic etiam in bello contra Benjamins, utut non omnes peccaverint, nihilominus cæsi fuerunt; tum quia dicunt Davidem hoc fecisse DEI impulsu. Spiritum S. enim impulsisse Davidem ad vindictam de Nabale. Sed hæc non concludunt, non 1. quia tanti non erant convitia, ut tam atrocem vindictam sumeret de Nabale, & utut fuerit designatus Imperii Candidatus David, nondum tamen gaudebat jure gladii & Majestate. Non (2) quia

Etiã illiciti Juramentum servari potest.

An Davidis Juramentum de extirpando Nabale fuerit de re illicita?
Ratio prima.
Secunda.

Ultima.

Subvertitur ratio prima.

(2) quia non ex sola innocentia injustitia inerat isti juramento, verum etiam ex aliis causis, & præterea aberat iudicium, cum temerè fuerit emissum hoc juramentum. Non 3. concludit; Nam non à Spiritu S. profectum esse hunc impulsus, patet vel ex eo solo, quod gratias DEO agit, quod à nefario incepto Deus ipsum retraxisset. Dextrè Dn. Felden Ratio, inquit, quare jusjurandum de re illicitâ non sit servandum, est, quia ob quod factum amissurus est gratiam DEI promittens ad illud faciendum sub amissione gratiæ divinz alteri securitatem præstare nequit. Aliàs Ebræi ad illud Exod. 20. v. 7. observant, quatuor modis violari illud præceptum: *Primò, cum juras quis de re nota, quæ tamen ita se non habet; de columna, verbi gratiâ, marmorea, quæ argentea est, &c. Secundo modo, cum juraverit de re nota, quæ ita se habet, ut cum lapidem vel lignum esse talia; qualia sunt, juraverit, &c. Tertio modo, cum juraverit, se hoc vel illud præceptum, cui nos obstrinxit Deus benedictus, redditurum irritum. Nam & hoc omninò vanum est: Nec enim in ejus potestate est jurare de re, cui ipsum Deus jam astrinxit, & per quem juravit de re nota, quæ ita non est. Quarto modo, cum juraverit aliquid facere, quod in viribus ejus non est, ut; quòd totos tres dies non sit dormiturus, aut septem dies nihil esurus, &c. Ratio hujus præcepti est, ut sciant homines, cordibusque suis imprimant, & fidem in cordibus suis corroborent, quòd subsistentiæ DEI benedicti, qui in*

Secunda.

Ultima.

Lex de Jurando quot modis juxta Hebræorum mentem violatur?

6615

caelis supernè vivat, & quem testem adornat, subsistentia nulla sit similis. Tenori proinde, nos & decere, quoties mentionem facimus nominis ejus magni, super facta nostra aut dicta, ejus meminisse cum reverentia, timore, tremore & commotione; secus quàm illi faciunt, qui ludicra loquuntur, aut res vanas, cujusmodi sunt ea, quae quidem sunt; sed corrumpuntur, & in subsistentia non permanent, quales ipsimet nos sumus homines, & reliqua hujus mundi inferioris creatura. Convenit igitur nos hoc negotium cordibus nostris seriò imprimere. Ut autem ejus timor sit sub aspectu nostro, nos vivamus, & digni simus, legem hanc nobis dedit, ne commemoremus nomen ejus sanctum, in vanum. Hanc qui vili pendit & transgressus fuerit, flagellationem meretur.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Per Corban Matth. 15. non Juramenti Formula exprimitur, sed votum.

Author meminit ἱερὸσὼν, & putat fuisse formulam juramenti, atque ita occurrere Matth. XV. 15. Atqui non est ἱερὸσὼν hoc quidem in loco juramentum, quasi filius juramento se obstringat, non subventurum sciturum patri aut matri quacunque re, sed est votum, prout hoc ipsum docet tum phrasís &

Vox Corban non notat juramenti formulam in loco Matth. XV.

con-

constructio. Nam ut docent Philologi facti post *קרבן* est oratio affirmativa, non negativa, est quoque pronomen relativum, non conjunctio conditionalis; tum quia subaudiendum est adverbium similitudinis *כגון קרבן*, sicut Corban, seu munus erit quicquid tibi ex me prodesse poterit, prout hoc ipsum etiam ex Rabbiniis constat; tum quia præstantissimi Viri Scaliger Maldonatus, Heinsius, & præprimis Ligfootus Anglus, agnoscunt hinc peccatum esse ab illis, qui *קרבן* pro juramento acceperunt. Quamvis non

Corban est affirmativa eauptatio.

negemus per vocem *קרבן* olim & juramenta & vota facta esse apud Hebræos, sed hinc Matth. XV. votum indicatur, juramentum verò Matth. XXIII. 18. Unde etiam Josephus libr. 1. contra Apionem introducit Theophrastum ita loquentem: Nullibi juramentum illud quod Corban dicitur occurrit, nisi apud solos Judæos. legatur Scaliger contra Serarium, Drusius lib. 2. c. 17. Rainoldus in Colloquio cum Harto, Samuel Petitus var. lect. lib. 1. c. 4. Capellus in peculiari Diatriba, Seldenus qui lib. 7. c. 2. ita pronunciat: *Ad votendi ritus rem hanc pertinere, dubitandum non est. De votis lex sacra Deus. XXIII, 24. & Numer. XXX, 3. Vota autem aut in oblationibus Numini dicendis sive victimarum, sive frugum sive opum qualiumcunque, aut in abstinentia seu actu aliquo alio futuro versabantur. Aded ut ei qui se alterutro genere obstrinxerat, id quod voverat cum religione esset præstandum inque dum ritè voto solvere-*

Vocem Corban Iuramentis etiam & votis faciendis adhibitum olim esse ostenditur.

itur.

tur. Quod ex lege interdum ubi filia aut uxor
 uoverat, à patre aut à marito fiebat; atque à
 Magistris quibusdam de re ardua nimis, re-
 meraria seu infelici qua in votum uenerat, in-
 terdum consulebatur, simile fieri aliis ex more
 fas erat. Alioquin etiamsi quis voto ipsis legis
 sacra prescriptis uelut phylacteriorum usu,
 scenopægorum ritibus, id genus aliis sibi inter-
 dixerat, ab eis omninò abstinentium fuisse uo-
 luit; pœna insuper uerberum violationi uoti
 adjecta. Quod tamen in iuramentis non ob-
 tinuit. Verbi gratia, qui iuraras se nec taber-
 naculum extructurum in scenopægiis, nec fron-
 des palmarum tunc adhibiturum, id quod ex
 precepto faciendum erat, planè iuraras se non
 facturum. Voti autem de ipsis rebus, ut di-
 ximus, expressim in uotum uenientibus, ratio
 ita se habuit, ut ipsa, ex ipsa uoti ui, interdi-
 cta, utpote res omninò consecrata, aliosque in-
 usus, iuxta sui astimationem, essent conuer-
 tenda. Etenim formula serè erat Corban, seu
 oblatio, seu res consecrata sit tabernaculum
 quod ego fecero, item ramus palma quem ego
 sustulero. Atque inde res ipsa (seu ejuce at-
 que opera circa illam impendenda presium, si
 nondum à uouente possideretur conficereturue)
 in naturam seu uoluntarij sacrificij seu obla-
 tionis transiens, precepto, ex eorum sententia,
 uelut exuebatur, uoti rationi jam tantum-
 modo obnoxia, qua nec exsolvere se fas uouen-
 ti ipsi habebatur. Jam uerò si quid honoris
 parentum nomine intelligant obseruatus, res
 fiet manifesta. Ex lege de honore loquuntur,

& de timore aut Reverentia, ut dictum est.
 Et utrunque ita explicat etiam ex veterum
 mente Salomon Jarchiu. *Quinam est timor
 seu reverentia heic filij? non sedeat in loco pa-
 tris, non loquatur in loco ejus, nec verbis ejus
 contradicat. Et qualenam heic honor exhib-
 endus? prabeat parentibus cibos ac potum &
 vestimenta, calceos induat, introducat atque
 educat. De assidua observantia loquitur. Qui
 igitur, ad formulam jam dictam, voverat, de
 rebus quibus parentibus honor exhibendus erat
 (nimirum cibo, potu ceterisque prestandis) eas
 à se Corban f. re, id est oblationem sacram, ita
 cum obstrictum volebant esse voto, ut non so-
 lum precepto parentes honorandi solveretur
 (ratione superius allata) verum etiam ut illud
 observare imposterum fas ei, voto necdum so-
 luto, non esset. Scilicet quicquid, ante votum,
 parentibus ex precepto prestandum fuisset, id
 universum, post votum, Numini sacrum ha-
 bebatur: eique tantum, sive in opera ac mini-
 steriis sive in oblationibus que honoris Parentis,
 de quo votum conceptum est, estimationem a-
 quaret, prestandum. Si nempe expressum sic
 voto diceretur. Aliter, si votum tantum es-
 set, se nolle deinceps parentem omnino honora-
 re, neque id licuit ex simplici ipsius abstin-
 entia future voto, priusquam solveretur. Unde
 & Syrus Evangeliorum interpres, Magistro-
 rum sententia formularumq; non ignarus, pro
 verbis illis in Græco sermone non ita perspicuis
 substituit. Utrunque significat, Corban meum,
 seu oblatio mea sit, quodcumque ex me tibi u-*

tile possit esse, aut possit prodesse, quod iidem Talmudicorum phrasi maxime consonum. Atque hunc esse sensum loci illius tam veteres patres Christiani, quam recentiorum doctissimi clarissimique satis adstipulantur. Fusiore ea de re doctissimamque pridem edidit diatribam Ludovicus Capellus, quam imprimis consulte. Vid. tract. Talmudicus Nedarim c. l. Mischna penult.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Moris antiqui fuit Victimam adhibere fœderibus.

Antiquus
Feriendorum
Fœderum
ritus.

Quæ sym-
bola fue-
runt Victi-
marum A-
brahami
Gen. XV.

Author agit de forma jurisjurandi & dicit huc pertinere veterum formulas antiquas, quibus mos erat victimam adhiberi, laudatque in suam sententiam locum Genes. XV. 9. Ut autem melius de illo constet, observamus (1) quod adducta fuerit vacca triennis &c. numerum autem ternarium tum animalium terrestrium tum ætatis illorum significasse tres generationes Caath, Amram & Moysis, quibus in peregrinatione essent mansuri; turturem autem significasse quartam generationem, qua ex Ægypto avolarunt, at ut gemebundi turtures in deserto manserunt; domesticam columbam tempus quo fixerunt domicilium in terra promissa; dissectionem animalium afflictiones varias; aves integras finem afflictionum; volatus volucrum ad cadavera

vera varias invasiones hostium in itinere, Abrahamum abigentem Providentiam DEI propter Abraham illos defendentem. (2) Divisa hæc fuisse per medium, ut postea inter divisiones illas transendo DEUS fœdus cum Abrahamo percuteret & quasi Juramento confirmaret, se ratam facturum suam promissionem; (3) Morem illius antiquitus apud Chaldæos & ritum instituendi fœderis obtinuisse, qua dissectione significabatur ita se disseccari velle, si fallerent, prout constat tum ex Jer. XXXIV. 18. tum ex Cyrillo & Theodoro, tum ex Livio lib. 1. decadis 1. Unde etiam Virgilius:

Quid vo-
luerit sibi
Dissectio
pangentis
in facien-
dis victi-
mis.

- - Casâ jungebant fœdera porcâ.
non malè ex Allophylis non nemo in Ge-
nes. pag. 197. Nota antiquum hîc mo-
rem sanciendo fœdera immolatione alicujus ho-
stie. Apud Romanos olim mos erat in sanciendo
fœderibus porcâ immolare, Virgilio teste 8,
Æneid. & Livio lib. 1. Decad. prima, idq; hoc
ritu teste Livio, ut imprecaretur ita à Jove pa-
pulum Romanum feriri si prior fœdus rupisset,
quomodo silice porcâ percutiebant; unde &
ferire, ac percutere fœdus dicebant. Meminit
Plutarchus in Aristide similis apud Athenien-
ses ritus in sanciendo fœdere. Cum, inquit, Gra-
ci omnes acquiescere Aristidi jurassent in per-
solvendis vectigalibus, jussit ille massas ferri igne
candentes in mare projici, Deos orans, ut sic ex-
terminarentur & sic miserè perirent extincti,
quicumque pejerarent. Nec dissimile quod in
re simili Lucius Cinna fecit, eodem Plutarcho

in Sylla teste: Lapidem is accepit, & cum Capitolii verticem ascendisset, eum projecit deorsum sibi ipsi malum imprecans, ita scilicet velle se à Jove deturbari, & à Romanis abjici, quem admodum ipse lapidem projiceret. Non absursilia refert in Timolante & Crasso. Nec admodum diversum est quod à Tongis India populis legitur apud Nicolaum Godignum in Vita V. Gonzali Silverie. Quando, inquit, aliquid stabilire juramento volunt, terra pugillum, vel incensam favillam manu sumunt, & in sufflantes demittunt in terram, tum jurorando rem affirmant, aut negant, adduntque velle se ita flavomis in pulverem reduci si pejerent. Porrò apud gentes illas gentes illas Orientalis Abrahami tempore, & postmodum etiam apud Hebraeos, ut manifestè colligitur ex Jerem, 34. vers. 18. & 19. moris fuit in sanciendo fœderibus animal aliquod mactare, illudque in duas partes dividere, relicto inter utramque partem spatio, quâ transiri posset, sanciebaturque fœdus in ipso inter utramque partem transitu: quo ritu si non verbo, nam incertum an aliqua etiam verba adjungerent ipso saltem factò significabant, se, si fœdus fregissent, eo modo velle in partes dividi, quo modo illud divisum erat. hinc à ritu illo sancire fœdus Hebrais dicitur כרת ברית cherotb berith, hoc est, dividere, discindere, vel disseccare fœdus. Huic mori se Deus accommodans voluit hic eo ritu cum Abrahamo fœdus inire. Oleaster in cap. 29. Deus. vult etiam hac verba in simili fœdere in-

*per transfundam pronuntiari debuisse: Ita dif-
focetur, qui leges fœderis prior violaverit.*

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Non satis commodè adducit Au-
thor exempla & dicta Scripturæ pro
confirmatione suæ sententiæ. Familia-
re; verò fuit Gētilibus jurare per crea-
turas; Ægyptii jurabant per Osirim,
Persæ per Mithram, Arabes per vi-
tam; Turcæ per signa Muhamedi &
alia.

Author ad Juramenta refert illa in sacris,
quando Josephus per salutem Pharao-
nis jurasse legitur ex more apud Ægyptios
recepto, Elifæus per vitam Eliaz. (2) Dicit
Christum Matth. V. hæc juramenta velle quo-
que esse licita, non minus quàm illa quæ ex-
presso DEI nomine fiunt. (3) Confirmare
suum intentum studet ex Matth. XXIII. 21.
Quod (1) concernit non fuit juramentum il-
lud Josephi juramentum strictè sic dictum,
neque, ut Author supponit, aulico more sese
accommodavit formulis Ægyptiorum: longè
enim hoc absuit à pietate Josephi, utut Cal-
vinus quoque velit Josephum fuisse aliquà
labe adpersum; & accomodasse se ad pravam
loquendi consuetudinem asserat. Juramen-
tum enim propriè sic dictum nulli creaturæ
deferri

*Juramen-
tum Iose-
phi in stri-
& signifi-
catu iura-
mentum
non fuit,*

deferri potest. (2) Non fuit juramentum illud sed obtestatio, in qua per comparationem rei gratissimæ asseveramus, non minus nobis cordi esse veritatem in illa re, quàm cordi est illud vel istud, adeoque quando Josephus dixit: *Vivis Pharaeo*, hoc voluit; quàm cara mihi est vita Pharaonis, tam verum est quod hic dico. (3) Aut hæc verba intelliguntur per modum contestationis, aut per modum execrationis; prius doceri nequit, & si obtineat per comparationem essent intelligenda: posterius si obtinet, tantum obligavit quasi vitam Pharaonis DEO tanquam rem charissimam nisi ita fecerit. aliàs certum, teste Aben Esra, usu hodiè que receptum esse penes Ægyptios, si quis juraverit per Caput Regis neque steterit promisso mortì adjudicari, etiamsi pro redimenda vita sua tantum auri, quantum ipse pendet, obtulerit. Elisæus non juravit per vitam Eliæ, sed eâ formulâ usus est & modo loquendi, quæ usus est Abner I. Sam. XVII. 55. & hoc voluit, quod Josephus in sua formula. Quod (2) concernit, Christus non vult probare licita esse hæc Juramenta Matth. V., quæ scilicet per creaturam aliquam fiunt, hoc quidem asseruit, per creaturas pejerare esse peccaminosum, sed hoc non admisit, per istas jurare esse licitum. Audiatur longè aliter dissentientem D. Heinsium: *Quia alibi jurandum à DEO, in nemine nec, dicitur, alibi mentio fit Domini; Judea gens mirifice cœcillis ac jurejurando etiam in conversatione dedita, mutabat vocem; ita ut pro nemine*

Ægyptiorum mos per vitam Regis jurantium.

Per Creaturas jurare non est illicitum.

nomine tremendo יהוה , per calum, per terram, per Hierosolyma jurarent; plerumque & cum cavillo aut noxa proximi. Dominus igitur qui de perjurio ac lege, qua hoc spectat adhuc agit, ut cavillis his occurrat, merito subiungit, $\text{Εγὼ δὲ λέγω ὑμῖν: Ὁ μὴ ὀμόσῃ ὄλως.}$ Verba non recte distincta, aut satis intellecta. Ergo hoc vobis dico, inquit; Instituto quod nunc obtinet pessimo, per calum, terramque ac similia jurari: Veto igitur ne quocumque modo sic juretis. Ut conjuncte legatur, $\text{Εγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ὀμόσῃ ὄλως, μήτε ἐν τῷ ἄροισι Ὁ μὴτε ἐν τῇ γῆ Ὁ non,}$ ne omnino, cum opus est, juretis, sed ne sic juretis, nec ullam ex his formulis (quod nunc fit) usurpetis. Quare ὄλως? nam hic cardo controversiæ. Quia sive verum est quod sic juratis, vitiosum tamen est hoc iuramentum & contra legem: Lex enim exstat, qua disertè habet, Jehovam Deum tuum timebis, & ipsum coles, ac per nomen ejus jurabis. $\text{Ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔμοῃ, Deut. VI. v. 13.}$ à qua lege abibant, qui per calum, per terram, per Hierosolyma, per caput, qui per templum, ejusque aurum, per altare denique quod in eo; de quibus *Matth. XXIII. 16.* agitur (pleni enim talibus ineptis ut diximus Judæi erant) jurare consueverant. Sive ergo verum quod juratis, vitiosum tamen iuramentum est: sive perjurium committitis, & cavillandi animo ut jam receptum est ipsum Domini vitæ nomen quod non rectè colitis, Divina tamen majestatis læsæ tenemini ac rei estis. Longè autem extra superstitionem vestram Divi-

na pator atque se extendit maiestas. Quid enim non illius cuius omnia? Sive igitur per caelum juratis, thronus DEI est; sive per terram, scabellum eius est; sive per Hierosolyman, urbs magni DEI est, DEI veri, DEI Jehova, civitas veritatis; sive per caput vestrum, hoc ita in illius potestate est, ut vestrum non sit, qui ne, capillum quidem in eo album facere aut nigrum possitis. Quare hoc totum, vel ad vitiosum iuramentum, vel ad perjurium omnino referendum est. Nam si absolute, ne omnino juretis, dixisset, & hoc separandum esset a sequentibus; primò omnium dicendum fuerat, Ego autem dico vobis, Ne omnino juretis, neque per Dominum neq; per caelum neq; per terram, neq; per Hierosolyman. Aliud autem est, per calum jurare, ac terram & per Dominum; per quem jurandum, vel Esaiam teste, cap. LXV. v. 16. Qui jurat in terra, jurabit per DEVM veracem: Quod si vetuisset, non tam interpretatus legem esset quam sustulisset. Non jurare igitur; sed vel cōtra legē manifestam, aliter quā per nomen Domini; vel leviter, ac temere, aut in familiari usu; vel cum cavillo ac perjurio, jurare vetat. Quippe cum ex animi sententia jurabant, ut ad Joielem Farchi notat. De quibus Anabaptista, & ceteri qui omne iuramentum tollunt, nunquam excogitarunt. Quod & alios nonnullos, etiam ex antiquitate, decepit. Ut jam mens sit; Lex ne pejeretis, ac ne temere juretis, sed & ne praestetis, quod in DEI nomine juratis, praecepit, Ego interpretor verus, ne ulla ratiōne vel per calum, vel per terram, vel per

Hie-

Hierofolyma, aut caput vestrum, more solico juratis veto, atque interdico. Quod (3) concernit, non potest probari, quod intendit Grotius ex Matth. XXIII, quia aliud est juramenta per creaturas approbare, aliud talia etiam si facta fuerint servanda mandare. Hoc Christus jubet, illud autem in c. V. prohibuit. Neque consequens est si talia juramenta redundant in DEUM, probari à Christo, cum etiam illa quæ DEO displicent in ipsum redundant, ut constat ex Idololatriâ. Vide thesin antecedentem circa finem.

Non omne quod intuitu DEI peragitur probandum est.

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Juramentum etiam per falsos Deos obligat.

Agit de Juramento per falsos Deos, & dicit illud etiam obligationem inducere. Deinde dicit non detulisse sanctos Viros unquam sub ea forma jusjurandum, accepisse tamen, & tandem producit exemplum ex Gen. 31. vers. 53. de Jacobo & Labane. Quod (1) concernit, certum est etiam juramentum per falsos Deos præstitum esse obligatorium. quanquam enim juramentum sit λατρεία & cultus divinus, & consequenter non supposito debito objecto, potius recedat à DEO, quàm ad DEUM tendat, nihilominus ratione obligationis effectum suum

Juramentum per falsos Deos obligat.

Satisfit Ex-
ceptioni.
Iuramen-
tum per
falsos Deos
unde fit
obligatori-
um?

Iuramen-
tum ab i-
dolorum
cultoribus
non recipi
tantum,
sed & exigi
posse;

nec propte-
rea inhibe-
ri quia ju-
rantem ad
peccatum
adigit.

habet. Dices Juramentum per falsos Deos non est Juramentum, ergò carebit etiam effectu; Ergò non inducet obligationem; respondeo, quamvis Canonistæ velint tale Juramentum esse verum, utpote procedens ex intentione jurandi cum erronea tantum applicatione, non tamen hoc admitti potest, sed rectius dicitur obligationem descendere ex illo non qua tali, sed ex conscientia erronea jurantis. Habet enim etiam erronea conscientia vim obligandi, ut constat ex Doctõribus, qui latè hanc materiam pertractant, Quod (2) spectat non solum juramentum ab idololatra potest recipi, sed etiam potest exigi. Quanquam autem pro Grotio videatur militare, 1. quod si quis exigit juramentum ab idololatra, ipsum faciat peccare; nam facit ipsum nomen DEI ducere in vanum, & tribuere Idolo, quod competit soli DEO, 2. quod hac ratione etiam aliquis à Mago possit opem implorare, & exigere auxilium, 3. quod quidem exempla sint juramenti ab idololatræ excepti in sacris, sed non exacti aut petiti à fidelibus; tamen talia non concludunt: tum quia peccatum sequitur per accidens non ex exigente juramento, sed ex jurante, qui aliter jurare posset, si vellet: quemadmodum itaque non peccat, qui necessitate quadam ab Usurario pecuniam accipit mutuo, & promittit sese soluturum usuras, utut præbeat materiam peccandi, ita etiam exigens juramentum ab idololatra non peccat, et si materiam suppeditet, ex qua peccatum sequatur.

tur. Ad 2. respondetur disparem esse rationem: nulla enim necessitas tanta est, quæ nos compellat ad opem cujusdam Magi, neque hoc censetur inter licita. Maxima autem sæpe necessitas cogit nos juramentum exigere ab idololatra, ut juri gentium illud ipsum deserviat. Ad 3. respondetur quamvis non habeantur exempla, habetur tamen testimonium Augustini cum ratione satis solida, qui ita scribit: *Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malam rem sed ad licitam & bonam, non peccato ejus se faciat, quod per demonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit; Quamquam etiam ex sacris adduci possint exempla præcipuis Maccabæorum, qui in pactis cum Romanis & aliis idololatriis, qui per falsos Deos jurabant, egerunt & juramenta exegerunt. Quod (3) concernit Laban juravit per DEUM Nachor, ubi videtur quidem idola intelligere, miscens tamen DEUM verum falsis. Hinc Jacob rejicit illos, & per solum Pavorem Patris Isaac, h. e. DEUM verum jurat permit- tens alteri, ut in isto fœdere per falsos Deos juraret. Cæterum impia est illa jurisjurandi formula, quam præscribit Justinianus, per sanctam scil. gloriosam DEI genitricem & per sanctos Archangelos Michaellem & Gabrielem, non enim nisi per DEUM jurandum Exod. 22. v. 11. Levit. 19. v. 12. Deut. 6. v. 13. Ebræi hîc strictè agunt, atque prohibent, ne quis juret per Nomen idoli alicujus, ne quidem cultoribus ejus, nec juramen-*

Respond. ad Obj. 2.

Ad 3.

Laban jurat per Deos falsos.

Notatur impia Justiniani jurisjurandi formula.

Judæorum decisio de juramentis idololatriæ.

tum per illud exigat juxta illud Exod. 23. Neque nomen Deorum aliorum memorabitis. *Finis hujus est præcepti inquirunt ad removendam omnem rationem Idololatricæ, sive opere designentur illa, sive verbo, utq; ad id ut ne quidem cor nostrum commemoratio ejus unquam subire debeat. Observârunt autem Magistri nostri, locis 44. legem ab ea nos dehortari, præ nimia rei fastidioso; prop. fastidio. Idem asserunt, ne quidem extra casum juramenti, exprimere liceat Idolorum nomina, illis exceptis, quorum manifesta in S. Scriptura fit mentio. Obstringit hæc Lex, omni loco & tempore, maris & feminas. Qui verò, transgressus eam, juraveris per quamcumque rem, in quam stulti infidelis, propter excellentiam ejus aliquam credunt, rem est verberum.*

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Effectus Juramenti est præcidere Controversias.

Effectus Juramenti quis?

Menonitarum contra effectum Juramento rum Ratio prima.

Agit de effectu Juramenti, & statuit præcipuum ejus esse præcidere cōtroverſias. Allegat in confirmationem locum Pauli Hebr. VI. vs. 16. ubi omnis disputationis finis dicitur juramentum rem sanciens, Menonitz autem à Simone Menone, quorum aliquot millia sunt in Belgio putant non rectè concludi ex hoc loco quod effectus hic obtineat inter Christianos : tum quia Apostolus dicat

dicat saltem inter homines disputationis finem esse juramentum illud, h. e. inter illos qui carnales sunt, non inter discipulos Christi & credentes; **¶** Quia Christus absolute Matth. V. prohibeat juramenta suis; tum quia Jacobus hoc ipsum confirmet præcipiens fratribus non mundo, ne jurent omnino. Verum quod I. attinet, supponitur per homines non intelligi hîc mortales simpliciter tam fideles quàm infideles, sed tantum carnales, 2. Christus non prohibet absolute juramenta Matth. V. aliàs Patri suo contraria tradidisset, solvisset legem, Scripturæ adversa dixisset Deut. XI. vs. 13. Exod. XXII. v. 10. 3. non concludit, quia itidem non simpliciter prohibet juramenta Jacobus, & hoc ipsum nihil aliud est quàm character doctrinæ dæmoniorum, quia ita prohibetur Christianis usus illarum rerum quas DEUS creavit bonas, aut quas sua institutione sanctificavit I. Tim. IV. v. 1. 2. quia ita laqueus conscientis injicitur contra intentionem Pauli 1. Cor. 7. v. 25. quia denique ita falsum censetur esse effatum Pauli: Mundis omnia munda, ad Titum I. v. 15. subtilius disquiritur num præcidere controversias & confirmare Veritatē sit Finis, vel tantum Effectus Juramēti, Effectum esse docet locus Pauli etiam juxta Cajetanum, Finem vero, quia ordinatur ad confirmationem & manifestationem Veritatis.

Secunda

Tertia

Relegatur
Prima

II.

III.

Ad

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Promissio juramento firmata hosti,
Tyranno & Latroni est servanda.

Verum ju-
ra Fides
Tyrannis
& Latroni-
bus servan-
da sūt?

Diffuade-
tur L.

II.

III.

IN hac thesi Author agit de insigni contro-
versia, & dicit juramentum non tantum obti-
nere inter hostes publicos sed inter quosvis,
adeo quidem, ut non solum hosti, sed ty-
ranno imò latroni etiam servandum sit pro-
missum juramento firmatum. Quod qui-
dem inter eruditos in utramque partem di-
sputatur: nam e. g. si aliquis pecuniam jure-
jurando addixerit latroni redimendæ vitæ
causa, putant quidam juramentum hoc non
obligare, nec servandum esse. nam (1) pro-
missio simplex metu latroni data non est vali-
da. E. etiam non juramentum metu extortum,
quia juramentum promissioni adjectum con-
firmat promissionem, si e. g. promissio est vali-
da, etiam juramentum erit validum; si invalida,
etiam juramentum erit invalidum. Nec jura-
mentum debet esse vinculum iniquitatis & vide-
tur talis solvens cooperari peccato, nam latro
accipiens pecuniam peccat. (2) quia illis factum,
quibus non licet aliquid promittere, atqui la-
tronibus non licet, cum illi propter vim illa-
tam publicè maledicti sint, & digni qui non
maleficii præmium accipiant, sed potius per-
petua egestate premantur. Ergo (3) quia
talìa juramenta non sunt voluntaria sed & me-
tu ex-

tu extorta, quæ confirmant infautores in impietate, non itaque erunt servanda & si votum Metu extortum non obligat, nec non Matrimonium, etiam juramentum ex Metu exurgens non stabit sed concidet. Verum rectè Grotius sententiam Ciceronis qui non distinguit inter Jus personæ, quod hinc deficit & Jus DEI, qui hinc maximè attendendus, rejicit, & oppositum probat: tum quia promissio certæ alicujus pecuniæ juramento confirmata est de re possibili & non temeraria, quapropter obligatoria; tum quia si licet in præsentem & numerata pecunia vitam redimere à latrone, licet, redimenda etiam erit juramento promissorio postea, ex quo utiq; obligatio, tum quia si hostibus etiam fides est servanda, erit quoque servanda latroni in tali casu, Hosti vero & Tyranno esse servandam fidem datam sub Juramenti Religione docet comminatio divina facta Regi Sedechiz. Vivo Ego dicit Dominus DEUS nisi in loco Regis, qui regnare fecit ipsum, cujus sprevit Juramentum & cujus pactum violavit apud eum in Medio Babyloniz morietur, ad quæ Verba Hieronymus: *Ex quo discimus, etiam inter hostes servandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem juraveris. Multo enim fidelior inventus est ille, qui propter nomen DEI tibi credidit, & deceptus est, Te, qui per occasionem divina majestatis hosti tuo, imò jam amico es molis insidias: Et paucis interjectis: Sententia secularis est: Dolus an virtus, quis in hoste requiratur? Quam solent nobis opponere, qui dicunt*

Persuade-
tur.

cunt hostes fraude decipiendos : Cui ut acquiescimus, multo pejus fecit Sodechias : non enim hostem decepit, sed amicum, cui fœdere domini fuerat copulatus. Ergo quam diu non iuras, & pactum non in eas sub nomine Domini, prudentia est & fortitudinis, vel decipere, vel superare adversarium, utcumque poteris. Cum autem te constrinxeris juramento, nequam adversarium sed amicum, qui Tibi credidit; & sub occasione juris jurandi, id est, Dei nuncupatione deceptus est. Propterea Scriptura nunc dicit : juramentum quod sprevis, & fœdus, quod prevaricatus es, ponam in caput ejus. Ac ne putaremus juramentum & fœdus & pactum Regis esse Babylonii, vel Sodechia qui fecerat, sequitur : In prevaricatione qua despexit me. Ergo qui contemnit juramentum, illum despicit, per quem juravit : illicque facit injuriam, cujus nomini credidit adversarium. Argumenta autem adducta non concludunt, non (1) tum quia dispar est ratio promissionis simplicis & juratae ratione radice, cum promissio descendat ex consensu libero & inde ducat suam obligationem; merus autem cadens in constantem virum tollit liberum consensum E. tollit quoque obligationem, ut talis simpliciter permittens non teneatur, promissio autem jurata obligationem accipit à juramento promissioni adjecto peculiarem, propter DEUM itaque qui in juramento non tantum ut testis & perjurii vindex invocatur, sed fidejussor sistitur, juramentum tale servandum erit; tum quia hoc
jura-

Argumen-
ta juratam
Fidem la-
tronibus &
Tyrannis,
servandam
prohiben-
tium sub-
vertuntur.
Primum.

Juramentum non est vinculum iniquitatis, non enim est iniquum solvere pecuniam pro redimenda vita, & præstare hoc, ut jurisjurandi religione se exsolvat, atque vitam redimat jurans, sed hoc est iniquum ad juramentum talem viatorem adigere, adeoque iniquitas est ex parte latronis, non ex parte invasi, tum quia hoc ipsum juramentum non est contra bonos mores; non enim solvendo pecuniam comprobatur latrocinium jurans, sed fidem servat latrocinii vitio rejecto: sed & alia Viâ est quâ obviatur huic objectioni, si scilicet dicatur juramentum tale firmare Assertionem non promissionem. Ad (2) respondetur non concludere illud, quia non verum est, non licere latroni aliquid dare simpliciter, si itaque licet dare latroni aliquid secundum quid licet etiam promittere & quidem jurato, non autem cooperatur peccato latronis exhibens pecuniam & implens Juramentum: potest enim, quâvis actio & passio sint unus Motus in uno esse vitium, ut tamen non sit in altero, neque simpliciter dat, sed vitæ servandæ Causa, & Intuitu Numinis divini ob temporale Bonum non profanandi, & quamvis non liceat dare certi finis intuitu, licet tamen dare alterius finis respectu, & consequenter etiam jurato promittere, non licet dare in sublevatione aut præmium latrocinii, sed vitæ redimendæ & conservandæ causa. Ad (3) respondetur illud non concludere: tum quia tale juramentum non est simpliciter violentum, sed aliquo modo voluntarium: quemadmodum ejectionem

Secundum.

Tertium.

cium è navi tempore tempeſtatis eſt voluntaria, utut igitur ſit violentum ratione externi principii, eſt tamen voluntarium intuitu vitæ, & comparatione inſtituta inter jaçturam ſpiritus & pecuniæ, quæ longe inferior; tum quia tale juramentum non confirmat inſoſorem in ſua impietate, ſed inſoſor ſeſe confirmat in ſua impietate, adeoque hoc ipſum per accidens ſequitur; tum quia tale juramentum ex parte promittentis habet, & veritatem, & judiciũ & juſtitiam. Quod de Voto opponitur non ſtringit, quia juxta Doctores etiam Pontificios ſtando in ſolo Jure divino & naturali, Votum metu extortum cenſetur validum, de Matrimonio autem ſi admittatur eſſe Jure naturæ irritum, ſi ex Metu proſectum diſpar erit Ratio in eo, quod illud ſit directè ad obligandum & inter homines inter quos Obligaciones per acçiones injurioſas non oriuntur in his qui per Injuriam obligari coguntur. Longè autem alia eſt quæſtio, num juramentum ſilentii latronibus factum obliget & ſervandum ſit? Quamvis enim & hîc quidam velint ob reverentiam Numinis illud eſſe ſervandum, oppoſitum tamen colligitur tum ex eo, quia illicitum eſt de imminente periculo non admonere proximum Matth. VII. verſ. 12. tum quia culpa non caret, qui ſcit & non prohibet cum prohibere poſſit; tum quia ſilentio tégens & latrones non prodens, ſuſpicionem ſocietatis occultæ cum latronibus in itæ præbet, contra illud I. Cor. V. v. 22. Cum itaque hoc juramentum impediatur majus bonum

Votũ metu
ſuſceptum
non ratum
eſt.

Juramen-
tum ſilen-
tiii latroni-
bus factum
non con-
trahit obli-
gationem.

bonum morale nempe charitatem proximi, stricte non censetur esse obligatorium. Unde etiam D. Balduinus tutius esse existimat si silentium non præstetur, sed Magistratui indicentur Latrones; quia Juramentum hoc sit de re illicitâ speciemque habeat collusionis cum latronibus & si maximè talis absit, justitiam impediat, improbos in malitiâ confirmet, proximo in discrimen vitæ incidendi Occasionem præbeat, & sic multis modis in pietatem, justitiâ & charitatē proximi peccet. Præprimis autem tunc Juramentum non stringit, si talis à Superiore potestate, cui aliquid de facto innotuit interrogetur aut lege publicâ de denunciatione in Casu delicti commissi teneatur, de modo verò manifestandi ejusmodi Latrones quibus fidēs sub juramenti Religione data disputari potest, num generalis sufficiat, an ad specialem possit fieri progressus Prudentiâ sanè hîc opus & singulari circumspeditione ne committatur aliquid quod conscientiam inquietare possit.

Ad Th. XX.

OBSERVATIO.

Superiorum Actus multum possunt circa Juramenta subditorum.

Author agit de juramentis comparatis ad Actus Superiorum, atque ostendit Superiores potestatem habere in juramenta in-

feriorum; tum irritum reddendo juramentum antequam juretur, tum postquam juratum est vetando ne impleatur, & descendit dein ad absolutiones juramentorum Principum Voluntate ab Ecclesiæ præsidibus exercitas, olim verò ab ipsis Principibus. Notum est quid Canonistæ Papæ tribuant, negent verò Principibus secularibus. Sed videtur quod nullus etiam Superior possit dispensare de juramento; tum quia sicut veritas requiritur ad juramentum assertorium, ita etiam ad juramentum promissorium de futuro. Si itaque nullus potest dispensare, ut de præsentibus vel præteritis juret contra veritatem, E. etiam de futuro nullus poterit dispensare, ut aliquis non faciat verum, quod cum juramento in futurum promisit; tum quia juramentum promissorium inducitur ad utilitatem ejus, cui fit promissio: talis autem non potest relaxare juramentum, quia est contra reverentiam divinam, E. multo minus per alium potest hîc fieri dispensatio; tum quia Episcopi in voto possunt dispensare, E. pari ratione in juramento, si esset dispensabile, Atqui hoc ipsum est contra jura, E. obtinere tamen dispensationem nihilominus rectè statuitur; Quapropter ad (1) argumentum respondetur, dispensationem juramenti non respicere ipsum juramentum, sed materiam juramenti; materia autem juramenti assertorii transit in quandam necessitatem, eo ipso quo est de præterito vel præsentis. Hinc necessarium esset ut dispensatio si fieret in tali juramento non tan-

geret

An irritum reddi queat à Superioribus juramentum Pro agente medium primum. Secundum

Tertium.

Debilitatur primum.

geret materiam, sed ipsum juramentum, ipsum Actum, quod illicitum, & contra præceptum divinum. Materia autem juramenti promissorii cum sit futurum quidpiam, quod variabile adhuc est, & aliquo in eventu potest esse illicitum, ideoque dispensationem admittit, quia respicit materiam juramenti neque contrariatur præcepto divino de juramenti observatione. Ad (2) respondetur duplici Secundum ter hominem aliquid sub juramento promittere: aut ut spectet ad utilitatem alterius. & sic ille cui promissio facta est potest absolvere jurantem, aut promittit quis aliquid quod spectat ad honorem DEI vel utilitatem aliorum, & tunc ille cui promittitur non potest absolvere promittentem, quia promissio illi non facta est principaliter, sed DEO vel in aliorum Tertium. utilitatem. Ad (3) respondetur sub juramento promitti interdum aliquid quod est liquidò honestum vel licitum, vel de quo est dubium utrum sit licitum & utile nec ne. Priori modo non fit irritatio juramenti aut dispensatio circa illud; posteriori autem modo non absurdum est, si contingat, quia est informatio conscientia, informationis indige.

Ad Th. XXI.

OBSERVATIO.

Promissorium Juramentum neque à Christo, neque à Jacobo rejicitur.

Aperitur
sensus di-
& Matth.
V. 17. & Ia-
cob. V. 12.

Amen est
Juramenti
formula.

Abutuntur Anabaptistæ & Mennonitæ adictis Christi & Jacobi damnantis Juramentorum usum, quia dicatur: *ne jurate omninò, sermo vester sit etiam etiam, non non; & tandem, quod supra hoc redundat malum est.* at dici potest Christum hoc velle, ut omninò non jurent Judæi scil. modo usitato tum temporis per coelum per terram &c. per creaturas, quo faciunt illa Heiniana supra laudata, non enim dicit, ne jurate omninò etiam per DEUM, & annon ipse Christus juravit in hoc ipso capite versículo 18. quod enim Fullerus lib. 1. cap. 2. sacr. miscell. opinatur vocem *Amen* non esse juramenti formulam, id nullis solidis argumentis confirmat & à Scriptura deseritur, quæ Juramenti vim ostendit Esaia dicente: *qui jurat in terris jurabit in DEO Amen* cap. 65. v. 16. & si ponamus Christum loqui de Juramento præscindendo à creatura, nihilominus in tantum tamen prohibebit, in quantum non requiritur. unde Augustinus cum necessitas non compellit abstinere à Juramento. Secundò circumscribit Christus sermonem cotidianum, & vult ut simplici affirmatione & negatione

tionē constet, nec ipsi Juramento hæc opponit, sed modo levitatis. Tertio *ἑταρόν* illud dicit superfluum, oppositum verborum simplicitati & veritati, sequeretur enim aliàs nihil planè posse adjeci sermoni, quod absurdum. Pelagianorum quondam fuit hic error, ut docet Vossius Hist. pol. part. II. lib. 5 sed nec noster Grotius dextro hîc incedit pede, sed peculiarem fovet sententiam, nempe verba Christi Matth. V. non ad assertorium juramentum referri, sed ad promissorium, adeoque promissoria Juramenta futuri incerti non obtinere in N. T.; quod probat (1) ex eo, quia Christus dicat: reddes Domino tuo juramenta, adeoque loquatur de juramento promissorio, ubi redditio locum habet, & huic opponere: ne jurate omninò, h. e. abstinete ab illis promissoriis juramentis (2) quia Jacobus etiam huc respiciat dicendo, non esse jurandum ne fallaces inveniamur h. e. non promittendum esse jurato aliquid, ne si eventus non sit in nostra potestate, hypocritæ & fallaces deprehendamus. (3) colligit hoc ipsum ex verbis Christi & Jacobi, quia Christus dicat: *Sermo vester sic ita ita, ne ne:* ubi *ἡδὲ* sit Rhetorica. ut in illo. *Ex illo. Corydon, Corydon est tempore nobis, & in altero simili. ad illum diem Memmius er. et. Memmius.* Verùm falsum est promissorium juramentum in N. T. fuisse prohibitum & sublatum. Si enim hoc esset, contractus omnes in societate civili abolerentur, quæ juramento aliàs obsignantur, Christianis ma-

Am Inra-
mentum
promisso-
rium sic à
Christo in-
te dictum
Affirman-
tis Grotii
probatio I.

II.

III.

Contraria
Grotio sen-
tentia sta-
bilitur.
Te rium,

Probatio-
nes debili-
tantur

I.

II.

III.

ximus injiceretur scrupulus, si nullo modo licita essent juramenta promissoria, Reges ipsi & Principes de futuris pacis conditionibus non possent convenire inter se, quæ in mutuis promissionibus consistunt Juramenta confirmatis. Neque argumenta Grotii concludunt: Non (1) quia verba Christi & assertorium & promissorium juramentum non rejiciunt, sed saltem prohibent juramenta temeraria. Putabant enim Pharisei non esse peccatum, si admitteretur perjurium, nisi ubi esset falsum, & ita intelligenda verba Lev. IX. v. 12. tanquam totam materiam de juramentis exhaurientia. Ostendit itaq; Christus non tantum peccari perjuriis contra Decalogum, sed etiam suppositam veritate temerariis & levibus juramentis; neque Pharisei perjurium tantum agnoverunt in assertorio juramento, sed in utroque tum in promissorio tum etiam in assertorio. (2) Argumentum non colligit, quia etiam fallacia cadit in juramentum utrumque, neque obstat incertitudo eventus in promissorio juramento. Non enim promittimus ipsum eventum, sed hoc promittimus, nos firmiter in animo habere id facere, quod promissimus, eventum DEO committentes. (3) Non concludit, quia Plocæ Rhetorica non potest probari à Grotio, sed hoc vult Christus, sermonem nostrum debere ita esse comparatum, ut non levibus & temerariis juramentis conspurcetur, & quod nostrum etiam debeat esse etiam, nostrum non debeat esse non, adeoque veritati respondere quod

quod affirmamus vel negamus, vel asserendo vel promittendo &c. Sermonem Viri probi esse debere verum & simplicem, prout Philo dixit Ἰσχυραὶ λέγουσιν ὅτι ἐστὶν βέβαιον, Viri justii sermo esse debet instar juramenti.

CAPUT XIV.

Ad Th, I.

OBSERVATIO.

Restitutio in integrum non descendit tantum ex Jure civili.

Author agit de Promissis, Contractibus, & juramenti Summarum potestatum, & (1) disputat, an Rex ut subditos suos, ita se quoque restituere possit in integrum, aut contractum irritum facere, aut à jurejurando sese exsolvere. Bodini sententia rejecta respondet Leges Regias non habere vim in actibus Regis qui Regii sunt, & adversus hos contractus locum non habere restitutionem, quia restitutio veniat ex jure civili, non admittendam ergò exceptionem Regum adversus contractus, quos minores fecissent. Verum (1) supponit Author ex mero jure civili descendere restitutionem in integrum, cum tamen ipsa naturalis æquitas doceat, ut fraude vel dolo circumventus, in talibus negotiis ubi bona fide agendum erat, restituatur in integrum; si itaque naturalis æquitas hoc dicat, non erit saltem aliquid descendens ex

Restitutio
in integrum
ex mero jure
civili non proficiscitur.

Rrr 5 jure

Legum Regiarum in actus Regū qua tales vis.

jure civili. (2) Supponit itidem securè Author Leges Regias nullam vim habere in actus Regis qui Regii sunt, quia communitas se ipsa superior esse nequeat, ita nec Leges Regiæ. Quamvis autem communitas se ipsa superior esse non possit, nec Leges Regiæ, non tamen necessarium est, ut restitutio semper fiat à Superiori; quod si enim superior non sit, poterit sibi ipsi jus dicere Rex, sese vindicare, sese restituere, ut exemplum analogum habemus in bello inter duos, qui superiorem non agnoscunt. (3) Quod de minoribus dicit, id ipsum non admitti potest; Nam si par ratio Regnum in minorennitate, quàm aliorum minorum, quantum ad causas, consequens est ut aliàs datur restitutio, ita etiam hîc illam obtinere.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Distinctè pronunciant Doctores de Actus Validitate contra antecedens juramentum.

Verum Actus contra antecedens Juramentum gestus sit esse ex?

Author tractat quæstionem illam: Utrum actus gestus contra antecedens juramentum validus sit nec ne? & respondent affirmativè Sylvester, Rebellus, Sanchez, ita si actus pendeat à mera facultate agentis tamen si agens contra juramentum agendo perjurus fiat, nam sic valere tamen quod agitur; & ratio ipsorum est, quia non obstante juramento pro-

to promissorio & personali contracta obligatione non faciendi aliquid, maneat nihilominus homo in naturali libertate, per quam possit facere, quod non facturum se statuit, promisit ac juravit. Exemplis illustrantur tum matrimonii, illud enim de presenti validum est, non obstantibus prioribus juratis sponsalibus cum alia celebratis, tum revocatione procuratoris, quæ valeat, tametsi qui revocat antea juraverit se non revocaturum, tum voti, quia si aliquis juraverit, se votum non edicturum inconsulto Confessario, postea autem temerè voveat, nihilominus validum fore hoc ipsius votum. Alia autem est ratio, si actus contra prius juramentum pendeat à mera facultate agentis. Nam, si actus positivo aliquo jure irritus & inefficax sit, non confirmabitur accessione juramenti editi contra prius juramentum non-agendi e. g. si mulier jurârit se non alienaturam bona dotalia, aut minor se non contracturum sine curatoris autoritate, postea non obstante hoc juramento alienent aut contrahant, quamvis jurarint se non conventuros, nihilominus contractus sive alienatio rescindi poterit tanquam jure civili inefficax; & ratio est, quia juramentum posterius cum perversum sit, & perjurii criminis confirmatorium, non est credibile, quod jus illi assistat, velitque eo contractum sive alienationem alioquin irritam aut inefficacem confirmare. Quæ contra hæc proponit Castro Palao, illa non magni momenti sunt, atque ex principiis Go-

Actus positivo jure irritus non confirmatur juramento novo priori; contraria.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Non tenetur simpliciter legibus
civilibus Rex.

An Reges
teneantur
ad Leges
municipa-
les.

Rationes
affirman-
tes.

Rationes
inficientes.

Author disputat de obligatione Regum,
quomodo scil. ipsi teneantur ad leges
municipales, atque ex Suarezio quaestionem
illam tangit: Num Princeps superior tenea-
tur etiam servare illa statuta sive leges quae
sunt municipales provinciarum scil. sibi sub-
jectarum, saltem quando in illis provinciis
moratur, vel in eis peregrinatur? Nam vide-
tur talibus legibus teneri, tum propter scan-
dalum vitandum, tum propter conformita-
tem morum, tum denique propter honesta-
tem & respectum, quem aliàs debet suis præ-
ceptis. Verùm rectius respondetur non te-
neri: tum quia talia statuta lata sunt quandoq;
ab inferiori aliqua potestate & jurisdictione,
& proinde non habent vim obligandi eum qui
in eodem loco habet superiorem jurisdic-
tionem; tum quia etiam Legatus Pontificis, dum
est in aliquo Episcopatu, non obligatur pe-
culiaribus legibus illius Episcopatus, multò
minus itaque Princeps, penes quem summa
potestas; tum quia non approbat Princeps
tale statutum pro tota sua Republica, sed tan-
tùm

tum pro determinato loco, atque ideò nulla ratio cogit Caput totius Reipublicæ ut illi subdatur.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Non satis convenienter Evangelium Matthæi græcum Interpreti tribuitur, nec dicta allegata commodè exponuntur.

AU hor hîc de naturali & civili obligatione differit, atque (1) distinctionem illam fulcire conatur ex Maimonide, addito loco Matth. XXIII. nec non differendo de natura bonitatis, judicii & justitiæ. Verùm in hoc discursu Authoris 1. illud non rectè dicitur, quòd allegando locum Matth. XXIII. tribuat eundem non Matthæo sed Interpreti Matthæi, quasi scil. hodiè non haberemus ipsum Matthæi Evangelium, quod primitus Hebraicè scriptum juxta Grotium, quemadmodum statuit in prolegomenis ad Matthæum, sed saltem versionem ipsius Hebræi Evangelii ex Græco. At hoc ipsum non potest admitti: tum quia nemo unquam fuit qui testetur sibi conspectum fuisse Hebræum textum Evangelii Matthæi authenticum, teste Erasmo in Scholiis ad Hieronymum; tum quia textum primigenium periisse tutò non asseritur, vacillante hac ratione autoritate

Evangelii
Matthæi
Græcum
non est In-
terpretis.

7)

Evan-

Evangelii Matthæani; tum quia Gentilibus
 etiam proponendum erat Evangelium Mat-
 thæi, ut cætera quoque scripta. debuit ergò
 proponi in linguâ Gentilibus familiari; Gro-
 tii autem Evangelium Hebræum, quod pro-
 ducit, & cujus testem Hieronymum lau-
 dat, non fuit Hebræum sed Chaldaicum,
 nec *αὐτῶν* sed *ἑσῶν*, nec denique
 Matthæi, sed Nazarenorum, qui in hæreticos
 degenerarunt. (2) Quod hîc obelo dignum
 est interpretatio est verborum Matthæi 23.
 minus congrua. Putat enim Christum per
μισῶν intellexisse justitiam, per *κείων* illud
 quod strictè debetur, & per *ἕλεων* æquitatem.
 Atqui hoc ipsum probare nequit Grotius, &
 longè commodior textuique conformior est
 interpretatio, si per fidem intelligamus sin-
 ceritatem in verbis, ne aliquem fallamus per-
 jurio, per misericordiam virtutem subve-
 niendi proximo & egeno, per iudicium de-
 nique virtutem, quæ sibi cavet ab injuria pro-
 ximo inferenda. Quod autem ex Proverb.
 XX. adducit, id non quadrat, tum quia vox
דמ ibi notat clementiam *אמת* autem veri-
 tatem in promissis pactis & fœderibus, &
 tales virtutes ibi designantur, quæ Regi de-
 bent esse propriæ. Denique (3) dubia pro
 certis ponit Grotius hæc ex Hellenistis ex-
 ponendo, nam tales Hellenistas, quos Hein-
 sius passim laudat, disputat Claudius Sal-
 masius in Funere Hellenistico & Ossilegio.

Vindicatur
 locus Mat-
 thæi XXIII.

Ad

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Non semper ad restitutionem ablatorum in Commodum totius Reipublicæ Princeps tenetur.

Author dicit Regem posse auferre subditis jus quæsitum etiam vi supereminentis Domini, non tantum in pœnam, sed ut id fiat, primum requiri utilitatem publicam; deinde ut, si fieri potest, compensatio fiat ei qui suum amisit ex communi. Verum (1) hîc distinguendum est inter id, quod auferitur in publicam utilitatem sub ratione pacti mutui, aut sine ipso. Priori modo utique restitutio debet fieri, fidem enim servare omnium est etiam Principis; posteriori autem modo de jure quidem Princeps tenetur respicere utilitatem publicam, interim si tollat etiam huc non reflectendo, præsertim in regno despotico, ad restitutionem non tenebitur. (2) Compensatio non est necessaria, si primum obtinuit si enim Princeps in utilitatem publicam abstulit aliquid, non tenetur ad restitutionem, cum illa ablatio tendat in bonum totius communitatis; cumque illi qui civitatem quandam constituunt vel subditi sunt in ipsa coalitione prima cum Principe jurent, se paratos esse profunderè omnes opes suas in salutem Reipublicæ, eo ipso Princeps quo salutem publicam consulit, nullius

Quomodo
Ius quæsi-
tum subdi-
tò licitè
aufertur?

nullius restitutionis onere erit gravandus. (3) Rectè autem Author addit hoc: si fieri possit. Nam quandoque non potest fieri restitutio, cum damnum tantum, ut non par sit Princeps restitutioni, si scil. omnia suburbia tempore belli destruat, omnes segetes sternat, ut hosti ita viam intercludat, aut annonæ caritatem inducat; Si itaque ad impossibile non tenetur privatus, multò minus Princeps in tali casu necessitatis & utilitatis publicæ.

CAPUT XV.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO I.

Fœdus cum Abimelecho non li-
quidò fœdus fuit cum gentili.

Author nobilem illam quæstionem tractat de fœderibus cum alienis à Religione contrahendis, & (1) exemplum adducit fœderis non nocendi contracti à Jacobo cum Labano, de Abimelecho autem subdu-
bitat. At primò vocatur quidem Berith sive fœdus Gen. XXI. v. 27. illud pactum, quod iniit Abraham cum Abimelecho, sed latissimè illa vox usurpatur, nec semper stipulationem & restipulationem complectitur mutuam, ut constat ex Gen. IX. v. 9. 10. 13. secundò videtur non tam fuisse Conventionem illam fœdus cum pari, quam homagium, quod

Quædam
inter Abra-
hamum &
Abimele-
chum fœ-
dus inter-
cesserit?

quod præstitit Abrahamus Principi terræ fidelitatis. tertio prope certum, illum Abimelechum fuisse fidelem : partim quia ipsa Scriptura Abrahamum inducit primùm dubitantem, utrum in isto loco esset timor DEI, qui ex Hebræo idiomate notat veram Religionem ; Hinc LXX. Interpretes reddiderunt Θεοσεβειαν cultum DEI, dein melius sentientem, non itaque locus ille fuit religionis expers ; partim quia Patres conspirant atque sentiunt Abimelechum non fuisse extra ambitum veræ Religionis & cultus Domini, prout hæc constat ex Ambrosio Lib. 1. de Abrahamo c. 7. & ex Theodoro à Lippomanno in Cætena Patrum citato.

Ad Th, VIII. & IX.

OBSERVATIO II.

Lex per Mosen data non prohibuit
fœdus cum Extraneis.

Auctor dicit legem per Mosen datam non mutasse illam rationem ineundi Fœderis. Probat hoc ipsum Ægyptiorum exemplo, qui fuerint idololatæ, cum tamen prohibitum sit Hebræis illos averfari, laudatque in subsidium suæ sententiæ locum Deut. XII. v. 7. ubi hæc leguntur : *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægypti-um, quia advena fuisti in terra ejus.* Atqui hæc suboriuntur dubia, I. si lex hæc esset ita accipienda, ut accipit Grotius, videatur ex pa-

Fœderum
contrahen-
derum Ias
Mosis legi-
bus non est
abditum.

Dubi um
pro adver-
sâ primam

ri causa quoque Ammonitas non fuisse odio habendos: nam etiam Ammonitæ fuerunt

Secundum consanguinei ut Idumæi. 2. quamvis fuerint alienigenæ in Ægypto Israelitæ, nihilominus gravissima servitute fuerunt pressi, malis intolerabilibus affecti; si itaque propterea non quærenda fuit pax cum Ammonitis & Moabitis, quia illi Israelitis mala intulerunt, cur non etiam cum Ægyptiis non ineundum erat fœdus, qui & infantes projecerunt in Nilum, & adultos gravissimis malis presserunt.

Tertium. 3. causa cur nullum ineundum fuerit fœdus cum Gentilibus cæteris maximè hæc erat, ne Israelitæ contaminarentur idololatriæ vitio. At ubi magis idololatria regnabat quàm in Ægypto? penes illum populum, de quo Juvenalis ait, quod vile porrum adorarint, & nefas censuerint morsu tangere allia hortorumq; plantas. Verùm ut hæc videantur obesse, non tamen obsunt. non 1. nam quamvis etiam Ammonitæ aliqua cognatione attigerint Israelitas, quia descendebant à Lotho, non tamen illo gradu sanguinis gaudebant quo Idumæi, qui descendebant ab Esavo fratre Jacobi, cum Moabitæ & Ammonitæ & remotius descenderint & alia via descenderint, quia scilicet ex Lotho nepote ex fratre Abrahami originem duxerunt. accedit quod longe benigniores sese exhibuerint Israelitis peregrinantibus in deserto, præbuerunt enim illis cibos & aquam, ut constat ex Deut. II. v. 6. Quod 2. dubiū concernit, certū quidem est Ægyptios oppressisse Israelitas; verùm hoc non factum est ab Ægyptiis

Tollitur
Dubium
primum.

Secundum

ptiis universaliter, nec tam à consubditis quàm à Rege deserviente ita in natos Israelitarum; deinde non respicitur tempus illud oppressionis in hac lege, sed tempus primæ receptionis, cum benignè adhuc dū habiti fuissent; deniq; ipse Josephus testatur, Ægyptios non fuisse promiscuè infensos Israelitis. Hinc cum illi excederent Ægypto addit: *exitum est flentibus Ægyptiis, & conversationem illam familiarem deplorantibus.* Ad 3. respondetur unam ^{vltimum} quidem causam fuisse fœderis suspendendi periculum contagionis, verum non totam. Nam aliàs DEUS discrimen non fecisset inter Gentiles extra Ecclesiam, cum omnes fuerint idololatræ; Præterea hîc non agitur de fœdere consociationis, multò minus illius intimioris quoad Religionis etiam capita, sed saltem de fœdere non nocendi.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO III.

An septem Populi absolutè fuerint Excidio devoti & à fœdere exclusi, simpliciter inter eruditos disputatur.

Author noster disputat de septē Populis, & dicit illos excipiendos esse, non enim potuisse cum illis fœdus pangi, in idololatria perstantibus & imperium detrectantibus. Hîc Author nobilem movet quæstionem de Populis illis septem, num sc. ut à fœdere re-

Quibus-
nam con-
ditionibus
Israelitis
concessam
fuerit feri-
re fœdus
cum VII
populis?

movendi, ita quoque absolutè fuerint excin-
dendi? Eunt autem Theologi & Politici in
diversas sententias. Quidam existimant le-
gem illam de excindendis septem populis
fuisse peremptoriam, absolutam & simpliciter
intelligendam; idque probare videntur ex
duabus legibus, nempe ex lege Exod. XXIII.
v. 32. & 33. & Deut. VII. v. 1. & 3. Verùm
ut quibusdam placeat hæc sententia, nobis
præfertur hîc Grotii opinio, qui putat tum
denuò non licuisse fœdus cum illis inire, si
sc. pèrstitissent in idololatria: idque proba-
mus, ut confirmemus sententiam illius, tum
ex lege Deut. XX. v. 10. ubi DEUS expres-
sè jubet Legatos mitti de pace ad omnes Civi-
tates, in quas Judæi arma paraturi erant, nulla
ullius populi exceptione indicatâ; tū quia Jos.
XI. v. 9. dicitur, nulla fuit Civitas, quæ pacem
fecerit cum Israelitis præter Havvæos & Gibeo-
nitas, cæteri omnes bello capti sunt. Indu-
raverat enim animos eorum DEUS ad pu-
gnam cum Israelitis conferendam, ut inter-
necione deleret eos, nec fieret illis gratia.
Ex quibus verbis constat, populos illos dele-
tos fuisse idèò, quia belli fortunam malue-
runt tentare, quàm in pacem consentire, alio-
quin pari eos conditione futuros cum He-
væis & Gibeonitis, qui pacem petitem vene-
runt; tum quia Rabbinii & Hebræi cæteri sta-
tuunt, etiam hos septem populos non fuisse
absolutè devotos, sed prius compellatos. Sed
de hoc puncto supra, nunc tantum addimus
illa Episcopi Inst. lib. 3. cap. 9. pag. 105. *He-
brai*

braci plerique contra sentimus, proscriptionem, istam non nisi cum eadem conditione à DEO factam esse, quæ cæterarum gentium proscriptio facta à DEO legitur: si videlicet fecialibus de pace missis auscultare venissent, & belli possum fortunam vellent tentare, quam deditionem facere, & pacem conficere in Israelitarum leges: hoc solum discrimine facto inter hos septem populos & cæteras gentes alias; quod isti, si pacem abnuerint, omnes, tam scemine & infantes quam viri, excindi debebant; cæterarum gentium refractariarum expiationi sola clades virorum sufficeret: uti Deut. 20. 16. videre est. Pro hac sententia militant duo etiam non minus speciosi loci. Primus est is qui in præcepto hoc citatur: Deuter. 20. vers. 10. ubi Deus expresse jubet, legatos, de pace mitti ad omnes civitates, in quas arma paraturi essent Judæi; nulla prorsus populi ullius exceptione; imò cum non obscura populorum etiam septem horum inclusione: uti ex pœna in rebelles expugnatosque statuta diversitate statim subjuncta apparet. Dices: Verba ista quæ ad septem populos pertinent vers. 16. sensum planè contrarium posse ferre: ita ut non significetur, istis septem populos durius tractandos quam cæteras gentes, si feciales repudient, sed aliam esse debere populorum septem conditionem quàm cæterarum gentium, etiam in eo positam, quod illis pax offerenda non esset, uti cæteris, sed absque ulla gratiæ aut misericordiæ oblatione delendi essent atque extirpandi. Fateor verba istum etiam sensum tolerare posse. Sed præterquam

quod sensus noster iis multò videatur conveni-
 entior, duo obstant, quominus iste sensus con-
 cedendus videatur. Primum, locus, (quem se-
 cundum esse dixeram) ex lib. Jos. cap. 11. 19.
 ubi sic scriptum est: Nulla fuit civitas qua pa-
 cem fecerit cum Israelitibus præter Chiveos Gi-
 beonitas. Ceteri omnes bello capti sunt. Indu-
 raverat enim animos eorum Deus, ad pugnam
 cum Israelitis conferendam, ut internecione
 deleteret eos, nec fieret illis gratia. Ex quibus
 verbis effici omnino videtur, populos illos electos
 fuisse, quia belli fortunam tentare malue-
 runt, quam in pacem consentire: alioquin pa-
 vi eos conditione futuros fuisse cum Chiveis Gi-
 beonitis, qui pacem petitam venerant. Alte-
 rum est, quod videam Rahab ob bene merita
 sua in gratiam receptam fuisse, & reliquis ho-
 rum populorum à Solomone non paritum mo-
 do fuisse, sed habitationis mansionisque jus in
 populo relictum ac concessum fuisse, sub fide
 tributi pendendi: 1. Reg. IX. 20, 21. Ex quibus
 verisimiliter constat, Legem divinam qua popu-
 los istos excidio & internecioni devovebat, ex
 Legis istius, qua ex Deut. 20. 10. à nobis alle-
 gata est comparatione esse intelligendam: cum
 hac conditione, ut locum habeat, nisi si qui po-
 puli vel sponte sua, vel moniti & per fœdales
 de pace compellati, statim sese dederent, & im-
 peratas aut oblatas conditiones acciperent; id
 est in tributum pendendum consentirent, &
 abdicata idololatria sua fœdisque moribus,
 præceptorum septem Noacho datorum (qua sic
 vocantur) religione se obstringerent, si Judai-

eam forè Religionem nondum amplecti se posse profiterentur. Qui enim oblatam pacem accipiebant, eos vectigales sive tributarios Israelis fieri necesse erat; juxta illud, Erunt tibi tributarij, & servient tibi; simulque adigebantur ad idololatriam deserendum, & ad suscipiendum septem precepta que Noacho data esse volunt Hebraei: ceteroquin enim iis inter Israelitas habitare non dabantur, propter verba Dei: Ne agant in terra tua, ne te faciant peccare. Atque hac ratione satisfit objectioni eorum, qui ex ratione qua precepto de delendis his septem populis addita est: videlicet, Ne te faciant peccare, colligunt absolutam prorsus populorum istorum proscriptionem à DEO factam fuisse. Ratio enim illa locum non habebat, si inter condiciones pacis obtinenda erat, idololatrie desertio, & consensio in observationem septem preceptorum Noacho datorum, inter quæ etiam idololatriæ interdictum est. Et habitare licuisse talibus in populo Israelis, apparet ex lege Deut. XIV. 20: ubi Judæis mandatur ut cadaver bestie suo pte fato emortua, comedendum dent peregrino qui intra portas ipsorum erat, (id est domicilium inter eos, nisi jus civitatis non habenti,) aut extraneo (id est cui domicilium extra fines eorum erat) vendere.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO IV.

Lex Moyſis vult, ut proximo benefaciamus h. e. cuique homini.

Proximus
in Moyſis legibus
quis ſit d. & uſ?

Author in hac theſi dicit legem quidem Moyſis ſpecialiter imperare benefacere Poſtularibus, non tamen inde conſequens eſſe, benefacere extraneis non licuiſſe, aut etiam id laudabile non eſſe. At i. errat hęc Grotius, quando putat legem Moyſis ſpecialiter imperaſſe tantum benefacere popularibus, cum lex Moyſis fuerit lex naturę, quę communiter imperavit omni homini, ut benefaciat proximo ſuo. 2. allegat locum, ex Lev. XIX 18. ubi jubemur diligere πλησίον ſive proximum. Author putat hęc per πλησίον ſive proximum eſſe intelligendum tantum popularem ſive Iſraelitam, quod planę Photinianum eſt. Nam (1) vox πλησίον etiam extenditur ad extraneos, ipſos Philiftęos hoſtes Judic. XIV. 20. (2) vox illa latiſſimę accipitur in Scripturis, & apud Interpretes Bibliorum Gręcos ſub nomenclatione ſua omnes homines comprehendit, prout hoc ipſum patet ex II. Sam. III. 8. Genes. XXXI 49 & Exod. XII. 16. (3) Stante hac ſententia conſequens foret Judęis licuiſſe ſe citę peccatum quosvis non Iſraelitas odio habere, cum tamen ipſe Grotius reſtringat hoc ſaltem ad ſeptem populos devotos, & qui-

quidem non absolutè, sed sub conditione non deditiois. 3. Errat, quando dicit non esse consequens, non licuisse aut laudabile non fuisse ceteros diligere, qui non fuerunt Israelitæ, non enim habet saltem rationem liciti aut laudabilis, sed rationem præcepti: tam latè enim hoc præceptum sese extendit, quàm latè proximi notio. At per proximum intelligitur omnis homo, qui est nostræ opis indigus, ut constat ex interpretatione ipsius Christi Luc. X. 30. seqq. Ergo.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO V.

Quæ pro Societate bellicâ licitâ
producentur non satis firma sunt.

Author de societate bellica disputat, an illa sit licita cum profanis Gentibus, atque illam stabilire nititur 1. ante legem exemplo Abrahami Sodomitas bello adjuvantis, post legem autem exemplo Hasmoneorum sive Maccabæorum cum Lacedæmoniis & Romanis fœdus pangentibus. Verùm an hæc sint ex vero meritò dubitatur. Nam (1) quod concernit exemplum Abrahami, non ille fœdus quoddam iniit cum Sodomitis, sed quocunque modo iuvit Sodomitas planè per accidens (2) quod ille bellum paravit adversus Reges, id non factum est per modum Societatis cuiusdam cum impiis illis & sceleratis populis, sed quia nepos erat captus & re-

Abrahamo
non iniit
societatem
bellicam
cum infi-
delibus So-
domitis.

Hasmonæo-
rum cum
Romanis
& Lacedæ-
moniis fœ-
dus impro-
batur.

& redimendus, Lothus scil. (3) de fœdere quidem mentio fit ibidem sed non cum Sodomitis, sed cum Aner, Escol & Mamre, Viris vero DEO cultu & religione sincerâ addictis: imò exemplum planè videtur non posse urgeri, quia extraordinaria in illo multa comparent. (H) Quod concernit fœdus Hasmonæorum cum Romanis & Lacedæmoniis, utut quibusdam Theologis videatur congruum, disputari tamen potest etiam ex sequentibus rationibus: tum quia illud ipsum fœdus in libris Maccabæorum saltem recensetur, non autem laudatur, ut opinatur Grotius. multa autem in istis libris recensentur, quæ non laude sed vituperio digna sunt. Quale e. g. mors Razæ, de quo vid. August. Exempla 62. tum quia probabilissimum est Maccabæis diffidentia torporem obrepisse, & hoc fœdus consequenter ex mala causa originem duxisse, quoties enim auxiliatricem DEI manum senserant, qui contritis hostibus populi sui Rempublicam oppressam miraculosâ virtute liberaverat, ut meritò jam liberati multo alacrius & confidentius auxilium ab ipso solo, non ab hostibus ejus tam religioni quàm Reipublicæ periculosis exspectare debuissent; tum quia Viri prudentes censebant subsidium Romanorum in Reipublicæ interitum & religionis noxam cessurum; uti etiam revera utrique cessit, cum contendentibus Hircano & Aristobulo fratribus, Pompejus in Judæam accersitus fuit, prout hoc ipsum constat ex
I. Mac.

I. Maccab. XII. Accedit quod Patres in nostram sententiam concedant, & fœdus illud Maccabæorum improbent, ut hoc constat ex Aug. Epist. 62. & Ruperto præpimis l. 10. de victoria verbi cap. 26. Sanè si omnia expendantur Fœdus illud videtur non probandum: nitebatur enim potentiâ Romanorum, erat cum populo gentili citra necessitatem initum, quæsitum, & expetitur erat ad auxilia mutua, ex quo facilè sordes affluere potuerunt. quoties enim bella Romanorum fuerunt injusta, & tamen per tabulas fœderales ad auxilia se obstringebant Judæi & Princeps ipsorum Jonathas, ut constat ex 1. Maccab. 8. v. 22, 23. & seq. pariter censendum de fœdere cum Spartanis inito, Jonathan enim omnia favoris indicia pandit, vult illos certos esse, quod Judæi omni tempore memoriam conservent illorum tanquam Fratrum, preces & sacrificia offerant pro illis, cum ex statu V. T. alia erat Ratio gentilium, nec tam familiaris conjunctio florentibus inprimis Judæorum rebus, stabat adhuc paries intergerinus, qui demum per Adventum Christi in Carnem fuit ruptus, & legatur totum illud caput duodecimum Maccabæorum, patebit luculenta eminere indicia fœderis non ex DEO, sed carnali Affectu consummati.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO VI.

Fœdera cautè sunt pangenda cum gentibus à Cultu divino alienis.

Fœdus Io-
saphati cū
impis pa-
ctum Regi-
bus unde
illicitum?

Author progreditur ad removenda exem-
pla in contrarium & quidem respondet
ad exemplum Josaphati, qui Fœdus iniit cum
impio Achabo & Ochozia, non venisse hoc
ex natura fœderis, sed ex personæ peculiari
quadam qualitate. Ut ut autem aliquid di-
cat, non tamen sufficienter improbatio
istius Fœderis exprimitur. Non enim pe-
pendit tantum ex personæ qualitate illa im-
probatio, verum vitiosum quoque fuit hoc
fœdus ex causa, fuit enim pactum citra neces-
sitate[m], at citra necessitate[m] extremam aut
extremæ proximam non censentur juxta sty-
lum Scripturæ istiusmodi Fœdera licita. Ut
itaque de tota natura Fœderum constet cum
illis qui sunt vel fideles vel diversæ religionis,
quid faciat ad serenandam conscientiam, sup-
ponimus semper casum necessitatis. Extra
hunc autem 1. fœdus defensivum potest
quandoque iniri, non autem offensivum cum
infidelibus sc. & hæreticis, 2. fœdus iniri
potest aliquis fidelis Princeps & infidelis, sed
non contra tertiam fidem, sed infidelem.
Hinc Franciscus 1. Galliarum Rex tantopere
deploravit, quod adversus Imperium Roma-
num, atque ita contra Christianos fœdus fe-
ceri

Quibus ra-
tionibus
iniri pos-
sint fœdera
cum infi-
delibus?

cerit cum Turcis, prout cōstat ex Sleidano lib. 15. Commentariorum. Tandem 3. Fœdus aliquod iniri potest cum in fidelibus vel hæreticis, si maneat intra ambitum actus cujusdam Politici, & meris politicis conditionibus sit superstructum; sin verò conditiones habeat quæ religionem pulsant, eo ipso nec licitum nec tutum est in conscientia, facile verò hinc peccatur si vel à DEI auxilio deflectatur ad Brachii humani potentiam, vel conditiones admittantur pietati inimicæ, vel actus interveniant idololatrici, vel ad aliorum Excidium dirigantur, quibus parcere satius esset.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO VII.

Non multum præsidii est in Constitutionibus Clementis.

Author provocat in explicatione fœderis Josaphati cum Ochozia ad constitutiones Clementis, quas aliquoties laudat. At constitutiones illas, quæ octo libris comprehensæ ex Græco in Latinum sermonem conversæ sunt à Carolo Bovio Episcopo Ostunensi & à Jesuita Turriano quoque editæ, à Stapletono autem magni æstimatæ, quod spiritu Apostolico plenissimæ sint, suppositæ sunt neq; vel Apostolorum vel Clemētis, prout hoc ipsum agnoverunt etiam ex ipsis Pontificiis Baronius tom. 1. Ann. Davius Perronius Cardinalis Gallus, Gabriel Albinus

Clementis
Constitutiones
opus adu-
lterinum est

spiritus Aurelianensis Episcopus, observ. Ecclesiast. l. 1. c. 3. & Dionysius Petavius Jesuita Parisiensis. Certè, scribit Albaspinzus, si quis esset qui canones Apostolorum, & Divi Clementis Constitutiones, Apostolorum auctoritate sancitas, publicatasque certò affirmaret, imperitus censeretur. Nam qui antiquarum consuetudinum gnari, quo quidque tempore, aut loco observari desitum sit, aut mutari coeptum norunt, de iis ne dubitare quidem possunt. Et verò, quæ mox dicam, ita clara sunt, ut ut revinci à nullo possint.

Ad Th. VIII. & IX.

OBSERVATIO VIII.

Male de promissione Victoriæ ex Legis Observatione in V. T. & sententiis Salomonicis differit Author.

Tandem circa finem Author photiniani-
zat, & dicit 1. Hebræos sub statu legis
veteris disertas habuisse promissiones victo-
riæ, si legem observarint. 2. extare & quidem
apud Salomonem sententias non paucas de
vitandis consortiis impiorum, quæ videantur
obesse confœderationibus Regum vel Prin-
cipum cum Gentilibus, Mahumetanis, vel
etiam Hæreticis; sed hæc esse prudentiæ mo-
nita non legis præcepta; tandem 3. apertius
mentem suam denudat in Commentario
ad Proverb. XX. v. 21. ubi Salomon dicit:
ne dicas reddam malum, expecta Dominum
& li.

& liberabit te. Adjeit Grotius: multa sunt in his libris monita, quæ in Evangelio sunt divina præcepta. Aliqua ultio & in lege verita, sed non omnis. Verùm errat hîc Grotius circa 1. Nam & hodie illud obtinet, ut si quis legem observet exactè promissionem Victoriæ obtineat. Pietas enim pro omni tempore utilis est, & habet promissionem bonorum hujus & alterius vitæ. Inter bona autem hujus vitæ meritò etiam recensetur Victoria I. Tim. IV. v. 8. (2) Grotius aut loquitur de observatione legis exacta & perfecta, quæ dicitur impletio legis, aut de observatione qualicunque. Si prius, impossibilis illa fuit tum in V. tum. N. T. Si posterius, sicut lex potest observari in N. T. ita etiam Victoria poterit sperari. (3) Promissio Victoriæ est promissio boni cujusdâ temporalis, E. conditionata, nec tam conditionata ex Legis observatione, quàm voluntatis divinæ dispositione, quæ etiam luculentè sese patefecit in V. T. cum adhucdum Respublica Judaica erat Theocratia, qua tunc temporis sicut jura Majestatis erant penes DEUM, ita quoque jus belli. II. quod concernit, falsum est, quæ apud Salomonem occurrunt esse saltem prudentiæ monita, non legis præcepta. nam (1) si illud censendum est obligatorium, quod parentes, viri probi, graves & prudentes, vel Proceres Respublicæ suadent & consulunt, quantò magis obligatorium erit illud, quod DEUS Pater totius generis humani & Præses Orbis monet, suadet, consulit.

Quomodo servata Lex etiamnum hodiè polliceatur Victoriæ.

Proverbia Salomonis non Prudentiæ saltem monita sed præcepta legis continent.

(2) quam

(2) quamvis quæ in Salomone occurrunt per modum cujusdam consilii & moniti proponantur, tamen non negari potest illa esse divinæ inspirationis, esse Oracula. At si imperativè loquatur DEUS ut Legislator, si ut hortator, consilium in rebus dubiis suggerens, erit illi parendum adeoque tale oraculum non pro prudentiæ monito qualicumque habendum. (3) falsissimum est non esse legis præceptum, quod occurrit in Proverb. de vitandis impiis, sic enim sequeretur Decalogum non perfectè continere ea, quæ ad vitæ honestatem pertinent, & contrarium aperte haberetur in exegesi Decalogi, quæ legitur Psal. XV. v. 4. III. quod concernit itidem errat Grotius, I. asserendo nova Evangelii præcepta, quæ in V. T. saltem sese habuerint ut monita, cum tamen æquè obligarint ac in Novo. • ultionem aliquam admittendo in V. T. permissam & licitam, quod absurdum Photinianum est, & si de privata intelligatur adversum dilectioni proximi, in Lege præcepta. 3. ultionem esse prohibitam in V. T. si privata sit, constat ex Proverb. XV. v. 21. si conferatur cum loco Pauli Rom. XII. v. 20.

Nil discrepant Evangelii præcepta ab iis quæ in N. T. velut monita prudentiæ proponantur.

Ad

ligatione manasse; secunda enim Decalogi tabula non actus laudabiles tantum commendat, sed præcipit & obligat ad actus tum negativos tum positivos: *cujus summa est diliges proximum tuum ut te metipsum.* Præceptum autem citra vim obligandi non est præceptum, non est Lex. Et falsissima est eorum opinio, qui legem putant posse quandoque consistere citra vim obligandi, modo adsit vis dirigendi. II. Laudat Tertullianum in subsidium causæ. Verum si verba Tertulliani expendantur non probant intentum Grotii, quia saltem loquitur de extensione misericordiæ sub certa qualitate & respectu, quod se nunc Gentiles possint diligi tanquam membra Ecclesiæ vel actu talia vel potentiâ, prout ultima verba hoc docent: *Exinde Christus in omnes legem fraternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miseratione, sicut in invocatione.* Ut nihil dicam securius scripsisse Tertullianum, & tandem in Montani hæresin fuisse delapsum. III. Disputat Author de Conversatione cum illis qui sunt alieni à religione, & saltem vult interdicti familiarem extra necessitatem. Respondere quoque vult ad locum Pauli ex II. Cor. VI. v. 14. dicendo ad eos pertinere, qui in idoleis convivabantur, atque ita aut idololatricam committebant, certè committentium speciem præbebant, vultque hoc probare ex seqq. ubi dicitur, *quæ consensio templi DEI cum idolis?* Sed (I.) nimis restringit dictum Pauli, cum generaliter illud ipsum sit acci-

Verba Tertulliani pro Andromeda Grotii nihil faciunt.

Quamnam cum infidelibus Conversationem intelligat Apostolus 2. Cor. 6 & 2. Theff. 1.

accipiendum. Dicit enim, *nolite jugum ducere cum infidelibus*, operis societate simul copulari vel cum Ethnicis vel cum Judæis, ne forte infidelitate sua & moribus vos inficiant.

(2) argumentum ducit Apostolus ex natura oppositorum, quod non saltem procedit in illo casu, quem Grotius ponit, sed generaliter & universaliter. Dicit enim, *qua participatio justitia cum iniquitate, qua societas lucis ad tenebras, qua consonantia Christi & Belial?*

Ubi ipsa natura oppositorum docet unum altero everti, & consequenter subsumi potest non solum determinatè in casu quem Grotius ponit sed universaliter. (3) Alia ratione potius subveniendum, locusq; Pauli accipiendus est distinctione sc. communionis politicæ sive

Civilis & Ecclesiasticæ sive Spirituális. non quidem admittendum est juxta Paulum foedus vel consociatio aliqua inter fidelem & infidelem Ecclesiastica, imò moraliter est impossibilis ex natura oppositorum; interim per-

mittitur consociatio Civilis & politica, quod ipse Paulus ostendit I. Cor. V. v. 10. scribens: si velimus nullà etiam communiõne Politica

uti cum sceleratis, flagitiosis & illo tempore infidelibus, è mundo nos exire oportere. Hinc etiam Pacis Politicæ bono gaudent Cal-

viniani ut Lutherani, & socii censentur Augustanz Confessionis, quantum ad beneficia Politicæ conditionis, non Ecclesiasticæ. Unde illud Papinii ipse tanquam generale Effatum submittit loco illi Corinthiaco Grotius

scribens in Commentario pag 481.

*Sic ubi delectos per torva armenta juvencos.
Agricola imposito sociare affectat aratro,
Illi indignantes queis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trabunt, atq; equis vincula laxant
Viribus & vario confundunt limite fuleos.*
Videatur autem de natura Fœderum cum Hæreticis & infidelibus integer tractatus Doctoris Tarnovii Prophetæ Obadiæ subnexus.

CAPUT XVI.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Æquivocationes putidum sunt quorundam maleferiatorum Commentum.

Ostenditur æquivocationum funditas.

Author agit de Interpretatione, & dicit si nulla sit conjectura quæ ducat alio verba intelligenda esse ex proprietate populari. Quo ipso cadunt æquivocationes Jesuiticæ, quibus fulcra & colores conquirit Franciscus Toletus Jesuita in Tract. de Institutione Sacerdotum l. 4. c. 21 Confirmat autem Grothii sententiam tum Scriptura Lev. XIX. vs. 11. tum recta ratio, quia sermo ideo concessus est homini, ut conceptus mentis exprimat juxta rationem Societatis, penes quam arbitrium est & jus & norma loquendi; tum denique exemplum Pauli castigantis simu-

simulationem in Petro ad Gal. II. v. 11. Habent autem (2) Jesuitæ quod Grotio & veritati opponant Nam 1. dicunt æquivocationem non passim & sine delectu esse permitendam, sed tum demum, quando justa regendi necessitas ita requirat, ut cum verè respondeas, ludas tamen ejus scientiam qui arcana sciscendi nullam vim aut jus habet. 2. Æquivocationibus posse aliquem uti, limitatione propositionis intra mentē retēta, quia addita veram efficiat Propositionem in DEI conspectu & loquentis sensu, & consequenter mendacium excludat. 3. denique æquivocationibus esse utendum non ut fallatur interrogans, neque ex studio fallendi, sed ex studio seipsum conservandi. ubi autem studium fallendi absit, ibi cessare mendacium, studium autem conservandi se esse Juris naturalis. Verum hæc non subsistunt, non 1. tum quia vera responsio non est. quæ interrogantem fallit, & aliter non potest intelligi ab audiente, quam contra Verba asserentis, tum quia etiam hosti est servanda fides, nec tam respiciendum ad illum, cui aliquid enunciamus, addito quandoque juramento, sed ad illum per quem juramus; tum quia stante hac sententia Martyres fuissent stolidi, non tantum quia potuissent hoc effugio uti, sed quia etiam hac ratione fuissent in veritatem & semetipsos injurii, cum juxta Jesuitas hæc ratio defendendi & se conservandi sit legitima. 2. nō subsistit, partim quia sermones non attenduntur secundum id, secundum

Jesuitarum
pro æqui-
vocationi-
bus Patro-
cinia.

Infamatur
primum.

Alterum.

quod parent DEO & loquenti, sed secundum quod aliquid patefaciunt audienti & interroganti; partim quia istiusmodi limitationes adjectæ non possunt concedi eo ipso quo intra mentem retinentur, cum omnis limitatio debeat Propositiõni, ut exterius sese habet, & retenta in mente contradictoria sit propositiõni prolata. Hinc si proferatur, duplex oritur proposito & quidem contradictoria, e. g. si quis quærat: esne Jesuita, & ille respondeat negando: non sum Jesuita; retineat autem in mente hanc limitationem: non sum Jesuita, ut sc. tibi indicem, duplex propositio & quidem contradictoria hinc occurrit, prima negativa: non sum Jesuita, altera affirmativa: Sum Jesuita. Nam posterior propositio saltem negat voluntatem indicandi, non existentiam & præsentiam Jesuitæ. quanquam alia quoque ratione hinc peccetur, non respondendo ad interrogata, ex quo enim quæritur num sit Jesuita, ex illo non quæritur: quo fine sit Jesuita? ut possit eludere hanc quæstionem, non sum eo fine ut tibi indicem, sed quæritur simpliciter, num sit illius ordinis: partim quia veracitas, quæ virtus est Ethica, ut justitia, respectum dicit ad proximum, & consequenter non absolvitur relatione illa ad loquentem & DEUM. ; denique non est solidum: tum quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, Rom. III. v. 8. mentitur autem talis ut se conservet, omne autem mendaciũ malũ est; tum quia pari ratione posset sese excusare fornicator, nõ concubuisse se

Postremũ.

CUM

cum hac vel illa peccandi causa, sed sanitatis vel tentationis levandæ; tum quia studium se conservandi licet sit juris naturalis, tamē ita est juris naturalis ut debito modo mediisq; legitimis & licitis debeat curari, cum aliàs etiam Pastori liceret tempore pestis aut alicujus calamitatis vitæ conservandæ causa Ecclesiã deserere. (3)

Ut de toto negotio constet, paucis quibusdam propositionibus hoc ipsum expediemus, quarū prima sit hæc. Licitū est Veritatem tegere; ratio est quia in tali casu non est abusus sermonis aut veritatis, sed saltem cessatio illius & suspensio, & quidem ex dictamine Prudentiæ; imò licet veritatē disparatam dicere, alia retenta in mente, ut constat ex 1. Sam. 15. v. 6. Secunda hæc. Licet etiam conditionem aliquam subintelligere, quæ non exprimatur verbis: ratio est, quia ipse Christus ita locutus est, atq; indicavit sese abiturum ab Emaunticis discipulis Luc. 24. sc. juxta quosdã subintellecta hac conditione, si non rogetur ab ipsis. Verum hinc distinguendū est inter conditionem facile præsumtibilem à quovis etiam mediocriter intelligente, & inter conditionem non præsumtibilem, imò oppositam quandoque sermoni exteriori; prior potest subintelligi citra vitiū, posterior artificium est Jesuiticum & contra veritatem. Tertia hæc. Veritatem etiam non potest celare ille qui vel contrahit, vel qui reus est, etiamsi judex reum interrogarit non juridicè, ratio est, quia etiam injusto Judici debetur obsequium in illis quæ sunt mediæ naturæ, & non cum jure naturali pugnant.

Celare licet veritatem.

Quomodo concessum sit subintelligere Conditionem.

Quo in casu veritas reprimi a queat?

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Ratio Legis & Mens probè sunt discernenda.

Legis sensum manifestantia.

I Verba.

H. Mens.

Author tangit illam nobilem Materiam de Interpretatione Legum, & dicit vim præcipuam habere Rationem legis, quam cum Mente multi confundant: cum Ratio unum sit ex indiciis, quibus Mentem venamur, adeoque perstringit Bartolum, qui mentem & rationem Legis promiscuè accepit. Ut ergò constet de tota hac materia, observandum tria esse quæ sensum legis manifestant (1) verba, (2) ipsam intentionem sive mentem, & (3) rationem Legis. Quod 1. concernit nempe verba, in Lege humana primum omnium attendendum est ad illorum proprietatem & propriam significationem; tum quia verba in communi sermone usurpantur in propria significatione; tum quia nihil aliàs esset certum in legibus; tum quia Lex est regula dirigens hominem & obligans ad aliquid agendum vel omitendum; non autem possunt regulari actiones hominum, si verba non essent attendenda; posset enim unusquisque pro arbitrio suo ad improprios sensus detorquere. Secundum quod concernit, nempe intentionem sive mentem legis, videtur ea quoque maximè attendenda; tum quia Mens Legislatoris est anima legis, illa

illa ergò erit vera interpretatio, per quam mentem & voluntatem Legislatoris assequimur, atque ideò illa interpretatio erit maximè amplectenda, quæ mentem Legislatoris exhibet; tum quia Mens legis est nucleus, cum verba sint cortex, ideò quacunque ratione de mente Legislatoris constare potest, secundum illam maximè Lex erit interpretanda; tum quia, sicut in Scriptura & Legibus divinis maximè attenditur ad sensum & mentem, ita quoque in legibus humanis.

3. Quod concernit, probatur illud ipsum tum ex eo, quia ratio Legis est, id quod sese causaliter habet & induxit aliquem ad talem Legem ferendam; tum ex eo, quia ratio legis habet se instar mediæ termini, ex quo conclusio pendet; tum ex eo quia aliàs ex ratione in theoreticis deducitur id & exponitur, quod venit in Controversiam. (2) Observandum est circa primum de verbis, verba esse in duplici differentia, & habere duplicem proprietatem, unam naturalem, alteram civilem. Prior vocatur naturalis, non quod voces sint à natura & non ex instituto, sed quod ex primæva & naturali impositione ita significant aliquid. Posterior civilis dicitur per extensionem, comparisonem, aut fictionem juris, sic mors primò proprietate naturali notat destructionem physicam, posteriori aliquid analogum, exilium vel aliud quid. Verba autem Legis in priori proprietate sunt intelligenda, & interpretanda juxta illam, si sc. circumstantiæ occurrentes aut aliæ Leges exten-

Ratio Legis.
§ 16.

Verborum in legibus interpretandis differentia.

tionem & limitationem ostendentes non occurrant, & si voces sint usuales, non juri propriæ, quales propriæ sunt præscriptio, usucapio & cæteræ, ut alias termini artis in alia

Legis sensus in mente non verbis residet.

arte. Secundum quod concernit, in Mentem maximè erit inquirendum Legis, quia non debet aliquis verba considerare, sed intentionem & voluntatem; non enim debet intentio verbis inservire sed verba intentioni.

Ratio interpretandarum legum expressa & adjecta.

Quoad tertium observandū est Rationem esse duplicem expressam & adjectam, vel ab Interpretibus excogitatum. Posterior ratio facit ad mentem Legislatoris assequendam, non tamen est certum indicium, sed tantum probabilis quædam conjectura; tum quia sæpe ratio non est certa, sed tantum à Dd. præsumta; tum quia non potest constare illam fuisse rationem, quæ movit Legislatorem, quam promit Doctor aliquis, cum aliâ potuerint ipsum movere; tum quia multa per Legem humanam statuuntur arbitrio potius quàm certa ratione. Prior autem, si sc. expressa sit in lege, magnum indicium est Mentis Legislatoris, & post verba secundum certitudinis locum videtur obtinere; nam tunc ratio est pars Legis, in ea enim continetur, & hoc in sensu Bartolus dixit rationem esse

Expropterea dubia de mente in interpretandis legibus, an mens quid conferat præter verba?

mentem Legis. 3. Dubia jam erunt removenda. Primum est, quomodo Mens præter verba aliquid conferat ad legem interpretandam; homines enim non possunt mentem alterius hominis percipere, nisi ex verbis eius, quomodo ergò sensus legis, qui in verbis

bis

his consistit, ex mente sumi potest, cum ipsa mens per verba tantum possit nobis innotescere. (2) Si Legislator per verba Legis suam mentem non declararet, non constitueretur Lex, nec oriretur Obligatio Lex enim non constitueretur voluntate Principis, nisi per verba legis sufficienter esset expressa. Non possumus itaque per voluntatem cognoscere Verborum sensum. Alterum dubium est, an mens Legislatoris plus conferat ad veram interpretationem legis, quam verba? & 1. videtur plus menti esse tribuendum quam verbis; tum quia Mens est præcipuum in lege; est enim anima Legis: tum quia propter quod unumquodque tale est, illud magis est tale, verba autem sunt propter Mentem, non Mens propter verba, E. præferenda erit Mens verbis; tum quia ipsæ leges civiles dicunt, non debere aliquem considerare verba sed voluntatem, cum non intentio verbis sed verba intentioni deservire debeant. (2) O-

Vtrū mens sit potior Verbis? Argumenta probantia.

Improbantia.

Responde-
tur ad du-
bium pri-
mum.

præferendum in Interpretatione quod certius est; verborum autem proprietates certa est & clara, mens autem Legislatoris saltem per conjecturas cognoscitur, in quibus sæpissimè homines falluntur, E. præferenda erunt verba per se loquendo; tum quia, si verba sint clara, mens legis facillè ex illis innotescit. Verùm ad primam dubitationem respondetur voluntatem sive mentem Legislatoris deservire interpretationi Legis, dupliciter intelligi posse: vel ita ut per mentem intelligatur ipsa voluntas interna Legislatoris, secundum se & simpliciter, vel ut intelligatur per mentem Legislatoris voluntas ex variis intentionibus, materia & circumstantiis pensitata prudenter. Priori modo si intelligatur propositio, rectè contra illam concludit primum argumentum; posteriori autem modo si intelligatur non concludit; tum quia verba nudè sumpta sæpè sunt ambigua & variis volitionibus possunt procedere, atque propterea ex adjunctis æstimandum erit, & ad intentionem Legislatoris accommodanda erit & verborum significatio & interpretatio; intelligentia enim dictorum est petenda ex causis dicendi; tum quia verum quidem est homines judicare de mente loquentis ex verbis, non tamen ex illis nudè & abstractè sumtis, sed ut conjunctis cum omnibus circumstantiis, à quibus determinari possunt ad hunc sensum potius quàm alium indicandam. Ad (2) respondetur concedi quidem legem non constitui per internam voluntatem, nisi in lege

Lege ipsa sufficienter manifestetur, prout ratio sive argumentum evincit; interim tamen ut verba legis sufficienter indicent intentionem & voluntatem Legislatoris, non est necesse, ut abstractè & nudè sumta illam indicent, sed possunt & debent ex omnibus adjunctis determinari. Ad secundum dubium & argumenta proposita respondetur comparisonem hanc non posse fieri inter verba legis, & voluntatem Legislatoris ut in se est & merè interna, cum voluntas non hoc modo cognoscatur, neque ut sic deservire possit ad intelligendam legem. Potest E. fieri comparatio vel inter verba ex una parte & alias conjecturas, quibus mentem Legislatoris indagamus ex alia parte, vel inter vim & proprietatem verborum, & Mentem Legislatoris sufficienter præsumtam per varia signa simul sumta: priori modo dicendum videtur verba per se loquendo esse potissimum Signum voluntatis Legislatoris, & illo maximè utendum esse ad Mentem Legis perspicendam, non tamen illo solo, sed simul cum aliis à quibus interdum vinci & superari potest, & hoc probant argumenta secundæ partis concludiq; potest vel ex eo, quia significatio verborum est magis expressa & certa, & quia verba sunt, quæ ex intentione Legislatoris potissimum assumuntur ad declarandam voluntatem Legislatoris. Primò itaque & principaliter verba consuli debent ad eandem voluntatem cognoscendam. Prior autem sententia sufficienter probata est itidem, & ita

Ad secundum.

in

in secundo sensu comparationis Mentem Legis utcunque sufficienter cognita sit, verbis quoque præferendam esse ex rationibus adductis concedimus.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO.

Quæ de Pactis personalibus & realibus disputat, disputationi sunt obnoxia.

Author disputat de Pactis Personalibus & realibus atque statuit, si cum Populo libero actum sit, dubium non esse quin quod ei promittitur sua natura reale sit, quia subiectum sit res permanens. (2) Si cum Rege contractum sit, non statim personale censendum. Nam plerunque personam Fœderi inseri, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstraretur cum quo pactum factum sit. (3) quod dici solet Societates morte finire, hoc pertinere ad Societates privatas & Juris esse civilis, neq; dijudicari posse jure an injuria Fidenates à Romulo, Latini à Tullo, nec nō fœdere cum illis discesserint. Verùm 1. Fœdera omnia videntur esse Personalia. Nec obstat primum illud Grotii. Nam Rex ille, qui cum aliquo Populo libero pepigit moritur; si autē moritur, tunc successor non tenetur ad fœdus, nisi velit, aut aliud quid obstat, quicquid sit de permanentia subiecti, quam Grotius obtendit. Neq; concedendum erit obligationis subiectum

Fœdera
quæ cum
Populo li-
bero con-
trahuntur
non sunt
Realia.

jectum primum esse Rempublicam, sed sub-
 jectum primum & principale est Rex caput
 sc. Reipublicæ. Sin autem populus cum po-
 pulo contrahat, videtur illud ipsum pactum
 quidem esse reale, non tamen etiam hoc in
 casu tale est; quia quamvis Respublica non
 moriatur, tamen pactum aliquod non in in-
 finitum porrigitur, sed certo annorum cir-
 culo clauditur, & proinde renovandum est.
 Secundum quod Grotius statuit, itidem non
 admitti potest, quia contractus cum Rege
 utique est Fœdus personale, Rex enim per-
 sona est, & consequenter fœdus obligat per-
 sonam illam, non autem obligat successores,
 si illi nolint. (3) Societates morte finiri
 non solum est Juris civilis neque ad societa-
 tes privatas tantum pertinet, ut ille opinatur,
 & pro nobis stant tum Fidenates tum Latini,
 quorum priores fœderi renunciarunt mor-
 tuo Romulo, & crediderunt extincto illo
 etiam extinctum esse fœdus, cum contractus
 non egrediatur personam contrahentem. Po-
 sterioribus autem post mortem Tulli idem fe-
 cere, prout deinde Hetrusci post Prisci mor-
 tem, & Sabini post mortem Servii conclusere,
 sese esse solutos fœdere. Videatur in
 hanc sententiam Bodinus l. 5. de Rep. cap. 6.
 Albericus Gentilis l. 3. de Jure belli cap. 23.
 Alia autem est ratio Fœderum illorum quæ
 cum onere sunt connexa, nam nos disputa-
 mus de fœderibus, quæ sunt meri arbitrii.

Non est
 tantum Ju-
 ris Civilis
 Societates
 morte fini-
 ri.

Ad

Ad Th. XXI.

OBSERVATIO.

Quandoque Mandatum per aliud æquè utile, vel utilius præscripto impleri potest.

Vtrū mandatum impleri possit per æquipollens?

Vox Bovis quid significet Exod. XXI. 28. & 35?

Laudat in hâc thesi Author Gellium qui Lib. 1. cap. 13. movet illam Quæstionem de re mandata, an semper faciendum omninò quod mandatum & quomodo. num verò aliquando mutatâ scenâ aut oborto casu aliquo repentino fas sit à Mandato recedere & in utramque partem rationes promit, quas apud ipsum videbis, adhibito etiam Alberico Gentili in Tractatu de Legationibus, in notis autem ad thesin præcedentem Exempla adducit de conjecturis ex quibus interpretatio petitur, & quidem quantum ad extensionem etiam illud Exod. XXI. v. 28. & 35 ubi sub nomine Bovis intelligi animâtia mansuetata omnia asserit, respiciens forsitan ad Expositionem Augustini quæst. 81. in Exodum qui vult à parte totum esse intelligendum, quicquid de pecoribus aliâs usui humano subditis infestum est hominibus, & leges aliorum extra Ecclesiam gentilium, quæ generatim Morti voluerunt obnoxia esse illa Animalia, quæ hominem percusserint ad Mortem; imò ad inanimata usque extenderunt, ut constat de Statua Theagenis, quæ cum quendam oppressisset dejecta fuit & Mari immerfa.

Ad

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO.

Commodatum ad tempus interveniente Necessitate repeti potest intra illud.

Author disputat de Commodato atque statuit qui rem ad dies aliquot commodavit, illum intra eos dies repetere posse, si ipse valde indigeat illa re, & proinde verba non ita esse premenda, & strictè accipienda. Verùm contrarium defendit Navarrus & quidem seqq. rationibus: quia (1) Commodans sua voluntate propriæ rei usum concessit, & suam fidem servare tenetur; hinc putat non posse in conscientiæ foro revocare commodatum, (2) quia quamvis Angelus & Sylvester putent posse commodatum ante tempus repeti cum damno commodatarii, si commodanti simile damnum impendat; quia Commodans ex re sua sibi potius debeat providere quàm Commodatario, neque tali in casu commodatarius justè de commodante possit conqueri, vel quòd damnum ex illius beneficio deportarit, vel quòd fuerit deceptus, cum præter commodantis intentionem eveniat, neque quando commodavit intenderit sese obligare ad commodatum in tali casu & eventu non revocandum; tamen Navarrus rationem hanc expungit dicendo: quamvis Commodans antequam ex sua liberalitate

An Commodator intra constitutum tempus re possit repetere.

Rationes obloquentes.

1.

2.

Uuu

con-

concederet Commodatario usum rei suæ, debuisset prospicere sibi potius ex ea re quàm alteri, non tamen post illum concessum; idè quod comparatum sit jam alterius ad eum usum, imò in eum usum & Commodans teneatur servare illi fidem. (3) Si quis alicui donet aliquid e. g. librum, pileum aut aliquid aliud, & postea contingat illius usum necessarium esse ipsi donanti, non tamen potest ille revocare donationem suam, E. neque revocabit commodatum, quia etiam in commodato alienatur usus rei. Verùm nihilominus pro Grotio videtur stare hîc quod Lopez, Angelus & Sylvester statuunt, & militare una atque altera ratio. (1) quia Commodator non censetur talem eventum voluisse comprehendere; si enim de eo interrogatus fuisset antea, expressè negasset. (2) quia si ei qui domum locavit, superveniat necessitas habitandi in illa sua propria domo, poterit inde expellere inquilinum & revocare proinde contractum onerosum locationis, non impediendo detrimento inquilini; multò itaque magis tum in foro conscientie tum exteriori licebit revocare contractum merè gratuitum commodati, quando ex eo quod non revocetur, æquale aut gravius damnum antea inopinatum commodanti imminet. (3) quia, si filii nascantur revocatur in totum donatio facta extraneo, idque propter voluntatem præsumtam donantis, quod scilicet in tali casu non intenderit donare, multò magis ergò in commodato, ubi non transfertur domi-

Rationes
affirmantes

1.

2.

3.

dominium, fas erit revocare commodatum.

Rationes autem adductæ non concludunt, Enervatur Obloquens Rationum Prima non (1) quia quidem fidem suam servare quis tenetur, sed manente eodem rerum statu, atq; non mutare debet voluntatem nisi ex rationabili causa, ubi per accidens saltem contingit, ut vergat illa mutatio in alterius detrimentum, non intentione detrimendi alterius per se, sed intentione vitandi proprium detrimentum. (2) Ratio itidem non concludit. Nam quamvis putet Navarrus se ita respondere posse Angelo, non tamen sufficienter respondet; quia ad voluntatem hinc respiciendum, quæ se extendit etiam si aliquid comparatum jam alterius ad eum usum. (3) Denique argumentum non concludit: tum quia commodator retinet dominium rei, & consequenter jus ad repetendum usum; donans autem non retinet dominium, sed rem omninò à se abdicat. Hinc facile perspicitur, minus jus habere donantem in rem à se abalienatam, quàm Commodatorem. In commodato enim dominium permanet apud commodantem, eique res illa debetur quoad usum. Quare cum præsumendum non sit voluisse eum ita commodare, ut si grave inopinatum detrimentum inde ipsi obveniret, non posset commodatum revocare, manifestum est non esse parem utriusque rationem. Neque fidem frangit, si commodatum revocet, nunquam enim intendit sese ad illud obligare; tum quia non censetur res aliqua donari sub hac tacita conditione, quod possit

Secunda.

Tertia.

repeti si donatori opus fuerit, in commo-
dato autem illa tacita conditio locum habet;
tum quia si ponamus, tacitam aliquam con-
ditionem in donationem, vel ex mente do-
nantis vel ex dispositione juris intervenien-
tem, etiam donatio non erit immutabilis,
sed poterit revocari, adeoque & Commo-
dantis & Donantis quantum ad hoc punctum
ex eadem causa par quoque erit ratio.

CAPUT XVII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Maleficium hic Author latè acci-
pit.

Maleficiū
quid?

Author de Maleficio differit & vocat il-
lud culpam omnem sive in faciendo si-
ve in non faciendo, pugnans cum omni
eo quod homines facere debent. At (1)
maleficium accuratè & strictè loquendo in
faciendo tantum consistit, & per abusum
quandam vocabuli ad non facienda extendi-
tur. (2) Maleficium non potest dicere cul-
pam omnem, quia aliud est culpa, aliud ma-
leficium; maleficium enim intensius quid di-
cit culpa, & ex proæresi profectum, cum cul-
pa communiter sit citra proæresin. (3) Ne-
gligentia circa aliquam rem concreditam cul-
pæ rationem habet, nondum tamen eo usque
assur-

affurgit, ut maleficii nomine etiam veniat. Præmittimus autem futuræ tractationi optandum esse & melius expenderetur dictum Joh. Hofmeisteri in Luc. 19. *ô bone Zachæe tu in multorum ore versaris & quasi populi facta es fabula. At quorumquisque est qui tua velit sequi vestigia? Omnes sumus Evangelici, sumus Christiani & nescio quid non, sed qui animum inducat, qua fraude cepit justè velle resistere, hic rarus auditur.*

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Vita hominis aliquâ ratione eadem subest, nec fama nobis naturâ competit.

IN hac thesi Author dicit natura homini competere Vitam non quidem ad perdendum sed ad custodiendum, nec non famam & honorem, & tandem ex sola aptitudine quòd jus minus propriè dicatur, & ab assignatrice Justitia spectetur, non oriri verum dominium. Sed (1) aut loquitur de vita absolute considerata, aut in relatione ad bonum publicum. Si prius, certum est vitam esse naturâ nostram non ad perdendum, cum maximû scelus sit *αυτοχρηεια*. Si posterius, sicut bonum minus & privatum debet cedere publico, etiam ad destructionem usque; ita vita nostra est tale quid, ut possimus illam perdere, partim pro amicis & fratribus, ut loquitur

Quomodo
Vita sit homini
naturâ suam.

Johannes de quo supra, partim pro Religione, ut testatur Christus Matth. 10. partim denique pro Republica & Patria, pro qua dulce & decorum mori. Est quidem homo vitæ suæ non ita Dominus ut rerum extra se, quas pro arbitrio consumere aut negligere potest, interim cum vita sit illi propria positis ponendis, etiam illam impendere potest modis recensitis quibus si alii consimiles addere velint, non repugnamus. (2) Fama & honor non competunt nobis natura; tum quia fama & honor existit interveniente aliquo, quod existimationem causatur in mentibus aliorum; tum quia proximum fundamentum veri honoris virtus est, quam non habemus à natura, sed informatione & assuefactione; tum quia illa quæ à natura sunt nobis concessa, non in alterius potestate sunt sita; honor autem & fama sita sunt in potestate honorantis. (3) Quod concernit, Author minus dextrè justitiæ assignatrici, ut ille vocat, sive distributiæ, ut loquuntur Philosophi, assignat Jus quod ex aptitudine, quæ quoque fuit ex quorundam judicio sententia Wesenbecii. Nam conductio e. g. militum & officialium in Republica qui rectissimè fungi possunt officio suo, non est actus justitiæ distributiæ, præprimis si attendatur ad salaria & stipendia, utpote quæ ipsis constituuntur juxta justitiam commutativam.

Fama & Honor non sunt homini natura-liter suum.

Jus ex sola aptitudine à justitia commutativa spectandum est.

Ad

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Distinctæ formantur Conclusiones à Moralium Doctoribus de Electione digni & Restitutione damni in hoc negotio.

Author disputat de aptitudine illa, & dicit Magistratum Reipublicæ teneri ad eligendum eum qui dignus sit, & si non faciat, resarcire teneri damnorum, quod ex talis electione accidat Reipublicæ. Adjicit de Cive exemplum, & tandem etiam de eo qui impeditur ne Legatum accipiat. Totum autem negotium tribus conclusionibus potest confici ex Moralistis. (1) Si is qui petit nullo modo est dignus sive idoneus officio vel beneficio; tum impediens non tenetur restituere ei pro illo incommodo, etiamsi hoc fecerit vi vel fraude. Ratio est, quia tunc nullum jus habebit in libera voluntate collectoris positum, poterat enim non ei conferre. Tenetur tamen talis ad famæ restitutionem & peccat. (2) Si quis dignus & idoneus, & nullam spem habeat in se fore conferendum officium, etsi vi & fraude nitatur aliquis talem impedire, non tenetur ad restitutionem. Si autem erat dignus & spem habebat, sed eam aliquis impedivit, ut conferretur digniori vel aptiori, putant quidam teneri ad restitutionem, quanti illa spes ipsi valebat.

Qui Eligens indignum tenetur.

lebat. Prius probatur, quia talis impediens conatus est inefficax, cum ex eo nullum reipsa damnum obvenerit impedito; nam æquè illi collatum non fuisset, etsi impediens non intervenisset. Alterum autem non ita certum est; nam in tali casu videtur talis impediens teneri ad restitutionem famæ: ratio est, quia officia & beneficia secundum rectam rationem, & Reipublicæ vel etiam Ecclesiæ intensionem debent conferri dignioribus, & contra rationem est, conferre illa digno relicto digniore, quando collatio est libera: imò dignissimus hîc adhibendus est, idque idè, quia in tali casu non persona privata est respicienda, sed Respublica & bonum publicum præferendum privato. (3) Si iniquè aliquis impediat dignum, ut detur indigno officium vel beneficium, tunc talis non solum tenetur digno, sed etiam Ecclesiæ vel Reipublicæ quæ inde damnum patitur, & quidem juxta damni æstimationem iudicio Prudentum faciendam: ratio est quia talis impediens est causa damni tum respectu digni, tum respectu Ecclesiæ & Reipublicæ, & pari ratione tenetur aliquis Reipublicæ vel Politicæ vel Ecclesiasticæ, si dignior quærebatur, atque vi vel fraude ille impeditur ne id fieret, quia Respublica jus habet quærendi optimos, quod jus iniquè ita impeditur; sicut, si quis optimum operarium quærens per te impediretur & deciperetur, ut acciperet minus idoneum, huic enim sanè teneberis juxta damni æstimationem.

Ad

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Damnum etiam ad fructus extenditur.

Disputat de Restitutione damni dati non non in re tantum sed & in fructibus, qui proprie rei fructus sunt. De quo ita censent Moralistæ, ut quidam statuunt, si quis furatus sit modiam tritici, qui tempore furti valebat 3. aureos, sed ante restitutionem excreverit ad quinque, deinde sensim remiserit ad tres teneri talem ad quinque, quod ipsum Gabriel & Navarrus assumunt. Ratio ipsorum est, quia quicquid incrementi accessit est Domini, hinc aliquem illud totum teneri Domino reddere, qua obligatione non sit liberatus, non enim per solutionem, nec per remissionem nec per donationem. Distinctione tamen subveniunt Medina & Covarruvias atque asserunt si res effecta sit melior vel majoris pretii apud furem, & adhuc extet, totam esse Domino reddendam, etiam cum illo incremento, & ratio est, quia illa res semper mansit in Dominio prioris Domini. Nec obstat quod apud Dominum non fuisset facta melior, vel forte periisset, quia hoc ipso quo extat Domini est, unde ratione rei acceptæ & extantis debet talis restituere. (2) Si res permanserit in eodem statu, sufficit eam uti est restituere, lucrum autem cessans & damnum emergens ex detentione Domino pen-

Damnum
& ad fructus
pettine.

sanctum est, & denique (3) si res effecta sit deterior vel minoris pretii quàm erat antea, sed idem eventurum erat apud Dominum, qui eam usque ad hoc tempus erat servaturus, satis est eam reddere uti modo est, ut si pretium frumenti rursus decrescat. Ad argumentum autem Navarri respondetur furem solvi obligatione refarciendi illius incrementi ex hoc, quod non amplius extet, & simili modo apud Dominum erat desitutum, in hoc enim casu tenetur solum ad incrementum ratione rei acceptæ, non autem ratione damni illati, quia non censetur Domino damnum illatum esse ex omissione restitutionis, quando res simili ratione apud Dominum deterior futura, aut incrementum nullius utilitatis Domino futurum.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Qui tenetur ex Charitate tenetur etiam ex Justitia certâ ratione.

Quod debetur ex regula charitatis itidem ex Justitiâ,

Author ostendit quomodo teneatur ille qui factum reticet, quod notum facere debebat. Et concludit, si debeat ex charitatis norma, peccaturum quidem omittendo, non tamen ad reparationem teneri. Putat itaque aliquem teneri vel ex justitia, vel ex charitate ad aliquid. Secutus est Grotius hîc Lessium qui postquam exposuisset quomodo quis censeatur causa damni negativè &

tres

tres Modos assignasset nempe Omissionem Clamoribus, Opibus & Manifestationibus, concludit neminem ratione damni non impediti teneri ad Restitutionem, nisi obligatus fuerit ad hoc ex officio. hęc ratione motus, quia qui nõ obligatur ad impediendum ex officio, solum obligetur ex Charitate: violatio autem obligationis ex charitatis Lege nascentis non inducat necessitatem sancienti damni, cum id proprium sit vinculi Justitię. Verum hęc sententia non est vera. Nam qui tenetur ex

Refellitur
contraria.

charitate, ille tenetur quoque ex justitia, idque ideo, quia (1) ut Charitas respicit proximum & est ad alterum, ita quoque justitia & vicissim. (2) quia sicut Justitia sese diffundit per omnia præcepta secundę Tabulę, ita quoque Charitas, ut consequenter qui peccant contra unum nempe justitiam, peccet quoque contra alterum, nempe Charitatem, denique (3) quia & Justitia & Charitas eodem gaudent fundamento, principio & basi, nempe suum cuique tribuendum esse: aliud autem est quid in foro exteriori sit consuetum, de quo non disputatur.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Tenentur tum demum concurrentes ad restitutionem si causa damni fuerint.

Laudat Author Medinam, qui Author cum non sit in omnium manibus & prolixè

U n o

hic

hîc disputet, illius discursû subijcere visum fuit commodum. *Videamus nunc scribit: an prefata restituti obligatio, soli furi, qui alienum injustè accepit, conveniat, an etiam aliis, qui furti verbo, aut opere causa fuere, quos supra diximus his verbis contineri:*

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

Currere cum fure factant, furtig, reatum.
De quibus supra etiam exempla posuimus. Inter hos autem, qui cum fure dicuntur currere, est differentia. Nam quidam currunt positivè, verbo scilicet, aut opere furi cooperantes, quales sunt, qui in sex primis dictionibus continentur. Alii verò cum fure currunt negativè, quales qui per tres ultimas dictiones prefasi versus significantur. Et iterum ex his, qui positivè cum fure currunt, quidam sunt, qui cum eo participant in actu furandi, quidam qui in re furtiva, quidam verò qui in actu simul, & in re. De quibus omnibus queri solet, an teneantur; sicut ipse fur, ad restitutionem, & an teneantur, sicut ipse fur, ad restitutionem, & an teneantur in solidum; & uno eorum satisfaciente, an reliqui eidem teneantur: & si lesus alteri eorum debitum remittat, an ceteri eo ipso sint à debito liberi. De quibus omnibus est breviter inquirendum. Primo, de participantibus in actu positivè, an teneantur, queritur. Et est communis Doctorum sententia, quòd sic, quando talis participatio est causa sine qua non ipsius furti; alio-

ti ; alioqui si est impertinens ad furti commissi-
 sionem, non inde nascitur in concurrente obli-
 gatio restituendi. Utrunq; apparet. Pri-
 mum ex cap. fin. de injuriis & damno dato.
 ubi dicitur : Si culpa tua damnum datum est,
 jure satisfacere oportet. Similiter ibidem :
 Qui causam damni dat, damnum dedisse vi-
 detur. Igitur qui causam verbo, aut opere
 dat, ut furtum committatur, tenebitur resti-
 tuere, sicut & ipse fur. Et Exo. 22. Si egres-
 sus ignis inveneris spicas, reddet damnum, qui
 ignem succenderis. Secundum etiam patet,
 quia qui nec manualiter, nec causaliter aliena
 accipit, sem detinet, non tenetur restituere,
 quod certum esse suppono. Sed contra occur-
 rit ratio, quia impertinens esse videtur, quod
 prefata participatio sit causa sine qua non,
 cum stet aliquem furi realiter cooperari ipsum
 opere juvando, & tunc non teneri : & econ-
 tra stat, aliquem non fuisse causam, & tamen
 teneri. Assumptum patet ; si fur paratus est
 multa pretiosa alicujus furari ; ego autem
 adhortatione mea, seu precibus meis ipsam me-
 veo, ut illa dimittat, & aliam rem capiat, qua
 minoris est valoris, quod ut faciat, illi opem
 praebeo, & illum juvo, rem illam secum in do-
 mum furis portando. In hoc casu, verbo, &
 opere cooperor ad furtum illud, & tamen non
 teneor. Nam ego in casu non solum non dam-
 nifico spoliatum, sed potius rem ejus utiliter
 ago, cum alioqui rebus aliis pluribus & pretio-
 sioribus fuisset spoliatus. Praeterea si ego con-
 siliium alicui do, ut rem suam pro tanto precio
 vendat,

vendat, credens hoc ipsi venditori convenire; & ita ad consilium meum rem illam vendit, in quo tamen realiter manet defraudatus; ego non teneor illi defraudato, ex quo consilium, quod dedi, fraudulentum non fuit, modo, juxta regulam juris, ex consilio, nisi fraudulentum fuerit, non nascitur obligatio, de qua in lib. 6. Et tamen in casu, verbo causaliter cooperor ad prefatam defraudationem. Præterea idem patet casu quo quis sit determinatus vestem alterius rapere, ego autem in ejus comitatu pergo animo impediendi eum, ne vestem alterius rapiat; alter verò qui per se prefato raptori, si solus iret, sufficeret resistere, videns tamen me raptorem comitari, relicta veste fugit, timens ne à nobis eunibus occidatur, jam in casu, ego meo comitatu sum causa, ut ille alter maneat veste spoliatus, qualiter si ego non irem, non maneret, & tamen non sum obligatus ad vestis restitutionem, ex quo ego in culpa non fui, sed potius ibam, ut ipsum spoliatum à damno defenderem. Similis casus poni solet de Bellatoribus, qui spolia adversariorum fugientium accipiunt, qui tamen non fugerent nisi quia viderunt multos alios cum bellatoribus ire, cum tamen illi alii non animo bellandi, sed potius bellum impediendi ibant. Tales fuerunt causa positiva prefata spoliationis, & tamen non tenentur restituere. Ex quibus, & aliis similibus apparet, non esse ad restituendum obligatum omnem, qui verbo, aut opere positivè cum fure concurrat. Quod autem teneatur quis, etiam si verbo, aut opere

per-

perpetrati furgi, seu illati damni causa sine qua non fuerit, appareat in casu, quo post damnum illatum, aut furtum commissum dominus furis, aut superior eo ratum habet, quod factum esse cognoverit: nam secundum jura, rati habitio retrotrahitur, & mandato comparatur, & tamen talis rati habitio non est causa delicti perpetrati, ut constat. Deinde idem patet casu, quo in capitulo tractatur aliquid in damnum alicujus, & omnes qui sunt in capitulo unanimiter sua praestant suffragia, ut id, de quo tractant, executioni mandetur (quod tamen ut suppono cedit in damnum tertii) unusquisque eorum tenetur, & tamen hi, qui posteriori loco suffragia praestant, non sunt causa sine qua non, illius facti, ex quo ipsis oppositum defendentibus non minus res executioni mandaretur, cum jam fuerit à majori parte capituli determinatum illud, de quo agitur esse complendum. Tertio idem appareat, si Petrus erat determinatus aliquid rapere etiamsi meus Assensus non accederet & tamen ego illi assensum praebeo, seu consulo, exhortor, aut jubeo, ut ita faciat; unde ille animum suum amplius firmat, & ob meum consilium, quod proposuerat, exequitur. Jam ego teneor resistere, ex quo fur ille ex meo assensu, seu consilio motus fuit ad furtum committendum; & tamen meum consilium, seu exhortatio, seu jussio non fuit causa sine qua non, imò & me non consulente, nec exhortante, non minus ille furtum erat commissurus. Hoc idem appareat in casu, quo Ioannes, & ego simul, vel successi-

vè ju-

vè jubemus, aut consulimus Petro, ut certum
 furtum committat, aut certum damnum ali-
 cui inferat. & Petrus ad utriusque manda-
 tum, seu consilium sufficienter se ad damnum
 illud inferendum determinasset. Iam ex quo
 utriusque mandato fuit motus ad damnum
 illud inferendum, uterque, Ioannes scilicet &
 ego, ad satisfaciendum tenemur, cum non sit
 major, de uno, quam de altero ratio; & ta-
 men ego meo mandato aut consilio non fui cau-
 sa sine qua non, prefati damni, quia me non
 mandante, nec consulente, ad solum manda-
 tum Ioannis fuisset profatum furtum admis-
 sum, ut incasu pono. Respondetur, cum cer-
 tum sit reale, seu manuale rei aliena ac-
 ceptionem, similiter & causalem, obligatio-
 nem satisfaciendi, aut restituendi inducere,
 consequens est, eum qui furi verbo, aut opere
 causaliter cooperatur, teneri ad restitutionem
 etiamsi non sit causa sine qua non, modo causa
 sit furti, seu illati damni. Id patet de his, qui
 re ipsa equaliter cooperantur ad furtum com-
 mittendum, vel aliud damnum inferendum,
 unusquisque tenetur de damno, etiamsi uno
 eorum non concurrente, ceteri idem damnum
 intulissent. Inde unus fur non relevatur per
 hoc, quod eo quiescente idem furtum fuisset
 per alium perpetratum. Nec unus usurari-
 us à culpa, & restitutione relevatur per hoc,
 quod eo non mutuante ad usuram, eadem usura
 per alium mercatorem fuisset commissa.
 Nec unus homicida per hoc, quod idem homi-
 cidium fuisset ab alio committendum; & si
 duo

duo simul ignem alterius domui apponunt, alter à satisfactione non relevatur per hoc, quòd per ignem ab altero appositum, non fuisset domus combusta. Et ita in similibus. Hujus ratio est clara, quia esto hujusmodi damnificatores non sint causa sine qua non, illati damni, sunt tamen causa, eo quòd per eorum actionem sit profata damnificatio. Ita similiter dicendum est de his, qui casualiter damnificant mandato, consilio, assensu, aliove modo, etiam si causa sine qua non, non sint. Si objicias, causa esse non possunt, nisi sint sine qua non, juxta vulgatam causae descriptionem, qua dicitur, Causa est, qua posita, ponitur effectus; & qua non posita, non poneretur effectus. Igitur si absque horum cooperatione non minus fuisset idem furctum perpetratum, aut damnum illatum, quam ipsis cooperantibus, non possunt verè dici causa hujusmodi damni. Respondetur, illam descriptionem non omni causae competere, ut patet, si duo ignes simul eidem stuppe applicentur, uterque erit causa combustionis stuppe, cum tamen neuter sit causa sine qua non, quia quocunque eorum semoto, ab altero fuisset combusta. Similiter in causis finalibus idem patet in eo, qui ad Ecclesiam vadit, tum ut divina audiat, tum etiam ut distributiones lucretur; ita ut propter quemcunque ex his finibus iret, altero secluso. De quibus constat, quòd uterque est causa illius motus, & tamen quocunque eorum secluso, non minus motus ille poneretur. Itaque illa descriptio competit causae precisa, non tamen

*universaliter competit causa sufficienti, cum
 stet, dare plures causas ejusdem effectus, qua-
 rum qualibet sine altera ad effectum illum suf-
 ficeret; licet non stet, dare plures causas pra-
 cisas, ut de se satis constat. Habet etiam pra-
 fata descriptio alias limitationes, quas ex con-
 sulto pratero. Erit igitur alia magis pro-
 pria cause praescriptio, quam Aristoteles 2. Phy-
 si. tradit, dicens: Causa est, unde est motus,
 vel à qua est motus. Et facit magis ad propo-
 situm praesens de his, scilicet, qui verbo coope-
 rantur, ut quis furtum committat, seu dam-
 num aliud inferat. Si quis de se, vel de con-
 silio, seu mandato alterius paratus erat fur-
 tum committere, & ante rem patratam acce-
 dit, seu supervenit consilium meum, seu man-
 datum, ex quo etiam ille movetur ad exequen-
 dum quod decreverat, non dubium, me cau-
 sams esse talis executionis, licet non sim cau-
 sa sine qua non. Et ita in aliis exemplis su-
 pra positis idem videre licet. Ex his patet,
 quid ad argumenta supra facta dicendum sit,
 quorum tria prima probare intendunt, non
 teneri ad restitutionem eum, qui causaliter
 cooperatur ad furtum, seu aliud damnum in-
 ferendum; etiamsi sit causa sine qua non.
 Quod concedendum est, quando causa non est
 ex parte ejus injuste data, nec poterit lesus esse
 contra eum rationabiliter invidus, ut in casu
 primi argumenti, in quo is, qui cooperatur ad
 furtum, etiam opere ipso furem juvando, nec
 in culpa est, nec tenetur ad restitutionem;
 cum tamen fur ipse culpa, & restitutioni sit
 obno-*

obnoxius. Ratio inter eos discriminis est aperta, quia fur injustè rem alienam capit, eam sibi sine domini consensu volens usurpare; cooperator verò non illo animo, sed animo majora damna vitandi auxilium præstat; idò lesus contra primum est rationabiliter invitus, & non contra secundum. Ad secundum, in quo de consilio dato tangitur, dicendum breviter. Vel consilium datum est in delicto, vel in contractu. Si in delicto, vel ergo is cui consilium datur, erat illud delictum alioqui commissurus, vel non: & dicunt multi, quòd si aliquid erat illud delictum committere paratus, non teneatur is, qui consilium dedit. Verùm hæc Responsio procedit secundum eos qui tenent, currentes cum fure non teneri de damno, nisi quando sunt causa sine qua non, illius damni. Quòd dictum est esse falsum; aliter de consilio dato in delicto distinguatur: quia vel consilium est causa delicti, & tunc tenetur consulens, sicut & agens, secùs aliàs. Loquor in foro conscientie: nam in foro judiciali ex solo consilio sine ope non tenetur, saltè secundùm leges, ut aperte habetur Insti. de oblig. qua ex delict. nasc. §. certè qui nullam opem &c. Dicitur autem esse causa, quando ob consilium ipsum movetur agens ad furandum, vel damnum aliud inferendum: secùs quando agens nil de consilio curat, sed ob aliam causam ad agendum movetur. Sed hoc fieri non potest, nisi cognito animo ipsius agentis. Et interim cum animus agentis ignoratur, ego non obligare consulentem ad restituendum, sub pœna

peccati mortalis, modo paratus sit restituere, quando sciverit se causam furto dedisse. Si autem consilium non datum est in delicto, videtur distinguendum: sunt enim multiplices, qui consilium præstant. Quidam, quibus ex officio, seu ratione eminentia, aut stipendii incumbit aliis consulere, quales sunt Advocati, Theologi, quibus fides solet ut debet adhiberi; confessores, docti, medici alique huiusmodi: & tales in consulendo tenentur prius dare operam, quatenus rectè, & salubriter consulant, alioquin si damnum inde alicui subsequatur, illis imputabitur, sive ipsi se ad consulendum intromittant, sive exacti prius. Alii sunt, qui consilia præstant, non tales, quales dixi, ut idiotæ, aut mulieres inexperæ; & in his refert, quòd consilium præbeant ante vel postquam fuerit ab eis postulatum: nam si se ad consulendum ingerant, & consulendo noceant, illis venit damnum imputandum, qui ex imperitia nocivum præbuerunt consilium, & officium alienum usurpaverunt. Nec in tali casu relevantur per bonam fidem, quæ, ubi culpa, vel imperitia, vel negligentia imputabilis adest, non excusat damnificantem: juxta cap. Si culpa tua tua, vel imperitia, vel negligentia damnum datum est & c. de injur. & dam. dat. Si autem huiusmodi persone non se ad consulendum ingerant, antequàm ab illis petatur consilium, tunc per bonam fidem poterunt excusari, & damnum petentibus imputabitur, qui cum haberent viros expertes, aut doctos, à quibus de veritate, quam quarunt, pos-

sint

sunt informari, imperitorum querunt consilium. Secus si fraudulenter, seu cum dolo datum sit. Itaque illi quibus incumbit ex officio, vel ratione eminentia, seu experientia aut ratione stipendii pro consulendo suscepti, & etiam illi, qui se ad consulendum ingerunt, si scienter, vel ignoranter, ignorantia crassa, debita diligentia ad rectè consulendum non præmissa, prout qualitas negotii postulaverit, consilia nociva præstant, tenentur de damno. Non sic imperiti, & idiotæ ad aliorum instantiam consilia dantes: nam tales faciliùs per ignorantiam excusantur. Quæ enim in aliis est vincibilis, in his solet invincibilis esse. Sed obiter objiciet aliquis, impertinens esse consilium cum dolo, aut sine dolo dari ad obligationem satis faciendi: nam hujusmodi obligatio non ex dolo nascitur, sed ex causali, aut reali damnificatione; modo autem non minus damnificat, qui sine dolo consulit, quàm qui cum dolo. Deinde videtur impertinens, quod consilium nocivum detur antè, vel postquam petatur, cum non minus sit causaliter damnificativum datum post, quàm antè. Respondetur, restituendi obligatio non ex nuda damnificatione nascitur; sed ex injusta & culpabili, qualis est, quæ per consilium fraudulentum evenit: nam tunc satis rationaliter est contra consulentem invitus; non sic quando cum bona fide datum est, maxime si prius sit postulatum. Ad tertium de his, qui damnificatores committuntur animo impediendi damnum, cum tamen inde damnum evenire contingat: Respon-

derur, in casu illo communiter distingui solet. Quia vel huiusmodi comitantes suum animus damnificato intimarunt, seu intimari fecerunt. & tunc non illis imputabitur damnum, sed laesi, qui remissione fugerunt, quibus prefatus comitatus fugiendi causa non fuit, cum esse illis intimarum, comitantes non nisi in eorum favorem alios comitari: Vel isti laesi animus comitantium prefatorum ignorarunt: atque tunc iuste poterant presumere non pro se, sed contra se adversarios comitari, & tunc tenebuntur de damno; quia quamvis eorum animus esset, rem damnificatorum utiliter agere, non tamen id prudenter & utiliter egerunt tacentes. Quemadmodum si quis verbis equivocis alteri mandat, seu consulit, ut pecunia mutuet ei, quem scit inidoneum esse ad eas reddendum, cum scias illum fugitivum esse, non significans, quo animo id maneat, aut consulat, cum ejus animus sit in oppositum, certum est mandantem teneri. Et ita hec & alia huiusmodi exempla nil infirmant, quod dictum, scilicet eum, qui causaliter injuste alterum damnificat, teneri, si ut & ipsi damnificator tenetur, secus si causaliter damnificat, sed non injuste. Ad Quartum, in quo de rati habitatione targebatur, dicendum, quod per solam rati habitationem non contrahitur obligatio restituendi in foro conscientia; nisi ipsa rati habitio causa sit alienum detinendi, aut pro damno illato non satisfaciendi. Ratio est clara, quia alias per solum rati habitationem nec realiter, nec causaliter damnificatur proxi-

mus. *Qua*, tamen is, qui prohibere debuerat ne nomine suo delictum perpetraretur, ipsumque perpetratum punire, approbavit potius, & ratum habuit, dignus est qui puniatur, ac si ejus mandato fuisset perpetratum delictum. Ad quintum, de his qui in Capitulo ultimo loco sua vota prestant, dicendum, quod non obstante, quod à majori parte Capituli sit jam per vota decretum, quid in casu sit agendum; & ex consequenti, qui ultimo sua vota conferunt, cum antiquioribus convenientes, non sint causa sine qua non, damni inde eventuri; sunt tamen causa sicut reliqui, ex quo de eorum voluntate, & suffragio seu voto, eorumque nomine id quod decretum est, executioni mandatur, ex quo ipsi cum reliquis facultatem ad rei executionem conferunt. Secus si de votis hujusmodi, que postremo dantur, nil alii current, qui prius vota sua dederant: nec etiam decreti executor curet, nisi de priorum votis: nam tunc posteriorum vota nullo modo essent causa damni prefati. Et ita videtur limitandum, quod in hoc casu ait Cajetanus in Summula. Et est casus, qui frequenter in communitatibus occurrit; uti similis inter consiliarios Regis aliquando dicitur accidisse, cum in certa lite plures eorum ad eam determinandam congregati, sententiam injustam (ut postmodum apparuit) tulissent: & quidam, qui similiter à consilio erat, post sententiam latam supervenisset, & quam latam reperit, approbavit, cui cum reliquis subscripsit: de quorum omni consensu executioni tradita est. *Qua-*

rebatur, an ille superveniens esset restitutioni obnoxius. In cuius favorem dicebatur, quod ait Cajetanus, scilicet, rē jā fuisse irrevocabiliter sententiatam, quam ipse mutare minimè valebat, quodq; non minùs fuisset injustitia illud agēdo, etiam si ipse non subscripsisset &c. Judicio tamen meo, quamvis illa non fuerit sine qua non profuta injustitia, fuit tamen causa cum ceteris, ut executioni traderetur, quod sufficit, secundum dicta, ut sit cum ceteris obligatus. Pro quo facit Innocentius de his, quae fiunt à majori parte. Capit. quod existens in Capitulo nisi contradicat, si tibi aliqua male agerentur, habetur pro consentiente, quoad peccatum, & poenam: à fortiori igitur si actus votum suum his, qui male agunt, praestat. Ad sextum, & postremum dicendum quod probat nostrum principale incertum, scilicet, non esse necessarium cooperantem seu contausantem esse causam sine qua non furci, vel damni illati, sed quod satis est, esse causam uti in casu est, ad hoc, quod restitutioni sit obnoxius. Est itaque resolutio, quod qui cum fure currit ad injustam rei aliena acceptionem, est videndum, an per se operetur cum fure, manum scilicet applicando, an solo verbo, puta mandato, consilio, consensu, &c. & quocunque modo concurrat, est videndum, quo animo concurrat, an scilicet rem propriam, vel furis curet, an ut rem lesi utiliter agat; & si rem lesi utiliter agere intendit, & id prudenter & utiliter agit, non tenetur, sive sit causa sine qua non, sive nulla causa ipsius furci. Si autem concurrat,

currit, ut rem rem propriam, vel furis agat, tenetur sicut fur, siue sit causa sine qua non, siue nuda causa. Si autem nullo modo est causa, nec nuda, nec sine qua non, quocumque animo concurrere intendat, non tenetur. Si quaeras, quando dicetur esse causa nuda, seu simplex? Respondetur, quòd quando mandato, vel consilio, vel consensu, aliòve modo mouet animum exequentis, mouet in quantum, vel novam voluntatem furandi in eo causando, vel veterem firmando, seu augendo: ita ut ipse fur inde ad furandum moueatur, etiamsi alioqui ob aliam causam esset furaturus.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Primo loco ad restitutionem tenetur Patrator facinoris.

Disputat Author ex thesi antecedenti qui primo loco teneantur, si causa fuerint damni. Et dicit primò loco teneri illos qui Imperio impulerint, dein patratores facinoris, & post eum cæteros. Verùm hinc in utraq; partem disputatur. Nam (1) videtur Grotii sententia non esse recipienda, adeoque ille qui Imperio aliquem impulit primo loco teneri ad restitutionem, quia (1) ille cujus nomine aliquid fit, est causa principalis, quæ instar finis & efficientis moralis mouet cæteros, E. tenetur ante cæteras causas. (2) quia quod Imperio aut alio modo aliquem impulit, primum motum & impulsum censetur de-

An qui Imperio aliquem impulerunt ad factum primo loco teneantur. Statut contra Grotiũ.

1.

2.

disse, & consequenter causa prima esse, in quã totum opus refundatur. (3) Quia qui commodi vel honoris vel oblectamenti sui causa vult fieri maleficium, implicite hoc ipso censetur in se totum onus restitutionis suscipere; par enim non est, ut onus & obligationem maleficij in alios rejiciat, qui sua causa id fieri postulat, ut e. gr. si quis roget quem, ut interficiat inimicum, videtur ille totum onus restitutionis in se suscipere. Verum huic Grotii sententiæ non possumus subscribere, utut hisce rationibus fulciatur à Moralisticis. Arbitramur itaque primo loco teneri ad restitutionem Patratorum. Primum argumentum non concludit, quia quamvis nomine Principalis facinus aliquod patratum sit vel damnum datum, adeoque causa principalis talis censeatur quantum ad rationem impulsus, tamen patrator facinoris causa principalis est, quantum ad ipsum damnum immediate datum, & influit duplici modo, tum moraliter tum physicè, volendo exempli gratia & damnum dando, cum ille qui mandat aut imperat saltem moraliter influat. Ad (2) respondetur non respici in tali casu ad primum impulsus, qui remotè se habet, sed ad proximam causalitatem, quæ attingit ipsum damnum immediate, & ut aliàs ad causam proximam respicitur in agendo, ita & hîc, præprimis, quia talis potuit declinare mandatum, novit enim illud ipsum esse vitiosum. Ad (3) denique respondetur, quamvis talis restitutionis onus in se suscipiat, non tamen exclu-

Rationibus
allatis refi-
statur.

Prima.

Secunda.

Tertia.

excludit patratorem facinoris, imò demonstrari nequit talem semper restitutionis onus suscipere, præsertim si executor mercedem accipiat pro maleficio committendo; tunc enim proprio nomine fecisse, in se recepisse onus restitutionis censetur. quod annectit de obligatione singulorum in solidum, non videtur esse justum, quia non unusquisque est causa totius damni. affirmativa tamen militat, quod læsus justè possit contra unumquemque illorum agere ad totius damni restitutionem, & justè per leges unusquisque possit condemnari, quod non fieret nisi unusquisque in solidum teneretur, quapropter ut componatur controversia dicimus ex Medina pag 72. *In tantum aliquis tenetur de damno, quantum fuit damnum, quod ipse suo concursu causaliter injustè intulit. Vnde sequitur, quod stat, plures cum fure concurrere, & unus teneatur in solidum, alter verò in nullo. Pateat hoc, si primus fuit causa motiva, seu activa totius damni; maxime si eo non concurrente, nullum fuisset illatum damnum, talis tenetur in solidum. Econtra verò si secundus dedit furi præceptum, consilium, seu assensum, sed omninò impertinens ad damnum datum, cum non inde motus fuerit fur ad furtum committendum, quod non minus aliqui commisisset, talis in nullo tenetur ipsi læso. Stat etiam quod unus tenatur in solidum, alter verò in parte; ut si ad unius consilium omnes simul ad furandum concurrerunt,*

& cum ad locum, ubi furtum est committendum, unusquisque certam partem rerum alienarum arripuit. jam ille, qui consilium dedit, tenetur in solidum: alii vero ab eo inducti tenentur unusquisque pro parte, quam surripuit. Stat denique, quod teneantur in solidum, quando scilicet uno solo nolente alios comitari, ceteri omnes à proposito desisterent. Tunc unusquisque suo comitatu est causa, quod omnes ad furandum eant, & ex consequenti unusquisque, etiamsi non nisi partem surripiant, tenetur in solidum, ex quo unusquisque totius damni causa fuisse in casu dignoscitur.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Tenetur homicida injustus solvere impensas factas in Medicos, & illis quos occisus ex officio alere debebat restitutionem.

Author exemplum ponit homicidæ injusti, & dicit talem teneri solvere impensas, si quæ factæ sunt in Medicos, & iis, quos occisus alere ex officio solebat, tantum dare, quantum spes illa alimentorum valebat. (2) dicit, si quis jus habuerit occidendi, sed in charitatem peccaverit, ut qui fugere noluerit, non teneri. (3) vitæ in libero homine æstimationem non fieri, secus in servo, qui

qui vendi potuerit. Quod (1) concernit, Homicidam teneri ad restitutionem damnati feritur.
 subsistit Author in solutione impensarum, 1.
 quæ factæ sunt in Medicos, & iis, quos oc-
 cisus alere ex officio solebat. Verum ulte-
 rius videtur esse protendenda restitutio, non
 tantum ad damna illa, quæ in fortunis, vel
 honore & fama fuere consecuta, sed etiam
 obligari talem homicidam præcisè de damno
 mortis corporalis, mutilationis, percussione
 &c. Probatum enim hoc tum ex lege divina
 Exod. 21. vs. 22. ubi dicitur, *si rixati fuerint*
Viri, & percusserit quis mulierem pregnan-
tem & abortivum fecerit, & ipsa supervixe-
rit, subjacebit damno, quantum maritus ex-
petierit, & arbitri judicaverint. E. etiam pro
 vita prolis occisæ debet fieri restitutio pecu-
 niæ, non tantum impensæ solvendæ erunt,
 quas Author recenset. (2) ex reãta ratione: 2.
 indignum enim esset, quod occidens bovem
 vel asinum alienum ultra peccatum commis-
 sum teneatur etiam ad restitutionem, qui ve-
 rò occidit vel mutilavit hominem melioris
 sit conditionis, cum solum debeat pœnitentiam
 agere, & ad nullam restitutionem obli-
 getur. (3) quia qui amisit equum per inju-
 riam ab alio occisum, debet ex justitia recu-
 perare pretium, & tamen idcò non habet 3.
 suum equum, E. qui amisit injustè mem-
 brum poterit ex justitia petere pecuniam, li-
 cet idcò non habeat suum membrum. Ve-
 rum opposita sententia est communis, adeo-
 que obligatio restituendi in tali casu non
 obtinet, neque ultra hoc est protendenda: In homici-
 da obliga-
 tionem ni-
 mium ex-
 tendendã
 non esse.
 tum

tum quia in illo ipso capite Exod. XXI. 18. & 19. disertè habetur: *si rixati fuerint Viri & percusserit alter proximum suum, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo si surrexerit & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percussit, ita tamen ut operas ejus & impensas in Medicos restituat.* Ex quo patet, nullam fieri mentionem de restitutione pro vulnere, sed pro solis operis & expensis, adeoque saltem respectu talium erit obligatio restitutionis: nam aliàs non innocens diceretur talis percussor illa solùm restituendo, sed teneretur etiam de damno illato ipsi membro vel vitæ; tum quia, si pro vita vel membro ablato restitutio facienda esset, non cessaret illa obligatio, etiamsi occisor ad capitalem pœnam damnaretur, utpote quæ pro culpa non pro damno; sicut, quia pro furto restituendum est etiam si fur patiatur mortis supplicium, adhuc tamen tenetur restituere, si potest, illis quos furto læsit; tum quia si esset obligatio compensandi pecuniâ debitum vitæ ablatæ, non posset unquam determinari quantitas ex obligatione solvenda: cum enim vita pretiosior sit omnibus pecuniis, nunquam tantùm solutum esset, ut adæquatè solutum esset debitum. Quapropter respondetur ad argumenta objecta (1) non concludere: tum quia illa restitutio non fuit judicialis ex sententia, sed saltem ad petitionem mariti; tum quia lex illa fuit pœnalis, secundum quam justè potuit imponi percussori aliqua multa in pœnam

Sufficit argu-
mentis
Primo.

nam homicidii casualis: non itaque hinc restitutio obtinuit sed pœna; tum quia restitutio illa non tam facta est propter injuriam Principali illatam sive infanti, quàm propter injuriam illatam parenti, quæ potuit pecunia compensari, in quantum jactura filii concepti damnum parenti intulit in bonis externis, circa spem quam habebat Pater de emolumento ex operis filiis, quemadmodum, si servus domesticus ipsi fuisset occisus. Ad (2) respondetur, non procedere hinc comparisonem ex excellentia objecti: tum quia, qui aliquem lædit in bonis spiritualibus, quæ nobiliora omnibus corporalibus, ad nullam restitutionem tenetur pro damno dato, utut injuria sit longè gravior, quàm si in corporalibus ipsum læsisset, pecunia sc. vel fama; e. g. si quis causa esset damnationis æternæ alterius: tum quia in tali casu gravior etiam injuria propter impossibilitatem restitutionis vel boni restituendi; tum quia quidem gravius peccat ille, qui in rebus spiritualibus nocet vel in ipso homine, quàm qui in bove, asino vel pecuniis; tamen minor obligatio oritur restituendi ob majorem irreparabilitatem illius excellentioris boni ablati. Ad (3) respondetur talem non habere equum suum quidem formaliter, habere tamen illum æquivalenter. nam pretio numerato potest comparare alium equum similem, non autem potest comparare membrum corporis ablatum quacunque etiam pecunia numerata. Hinc pecunia est ad bona fortunæ æquivalenter.

Secundo.

Tertio.

lenter, non tamen ad membra corporis vel formaliter vel æquivalenter. Quod (2) concernit, certum est illum qui fugere potest, & non fugerit, graviter peccare; Hinc si aliquis potest se defendere, & potest fugere commodè, melius facit qui fugit, quàm qui defendit se, quia fugiendo non peccat, si elabendi ita spes ipsi sit, non fugiendo autem sed defendendo facilè excedere potest. Tutius autem id semper est in conscientia, in quo quis non peccat, quàm in quo periculum est peccati. Quod (3) concernit, putat Author quidem vitæ in libero homine æstimationem non fieri, quod etiam ex argumentis supra adductis constat, sed quod de servo dicit, vitæ sc. servi dari æstimationem, quia Domino restituendum est, quantum servus occisus valebat, hoc ipsum admitti non potest de jure naturæ: nam de jure naturæ servus non ita sese habet, tanquam esset saltem instrumentum animatum familiæ, & æquivaleret inanimatis.

Ad Th. XV.

OBSERVATIO.

Adulter & adultera ad plura tenentur in restitutione, ut & vitians Virginem.

Author disputat de adultero & adultera, in quantum illi teneantur ad restitutionem,

nem, nec non de virgine corrupta, ad quid scilicet teneatur talis corrumpens. Quod itaque concernit adulterum & adulteram obligatio censetur, juxta Moralistas (1) in tali (adultero) esse quantum ad restitutionem pro damnis, quæ conjugii, vel aliis occasione adulterii obvenerunt, inter quæ infamia & dedecus, quod accedit marito, quæ infamia reparari debet ex justitiæ obligatione, prout infamia vel dedecus, quæ ex injusta detractione. (2) tenetur talis ad restitutionem pro expensis quas maritus facit in alimentatione proliis. denique (3) ulterius progrediuntur & putant, obligationem esse restitutionis pro iis, quæ impeditur mater lucrari bonis communibus, dum prægnans ex adulterio fuerit, & dum prolem lactaverit & educaverit, & quæ tempore partus plus infumserit, quàm alioquin infumtura foret. Cui tamen sententiæ quidam contradicunt, qui intra terminos Authoris subsistunt. De virgine autem quæ imminuta vi vel fraude, dupliciter disputari potest, aut si promissio intercesserit & eâ corporis usuram impetrarit aliquis, aut si non intercessit. Si enim non intercessit, melior juxta illos erit conditio illius, qui talem imminuit. Conveniunt autem Moralistæ in hoc, quod deflorator in conscientia teneatur compensare illa omnia damna vel ducendo illam in uxorem, vel augendo dotem, vel procurando ut æquè benè nubat. Interim tamen sunt, qui obligationem ducendi & dotandi conjunctim accipi-

Adulter & Adultera ad Restitutionem tenentur.

Ad quam restitutionem obligetur vitians Virginitatem?

unt non disjunctim : quamvis communis sententia sit ad alterum solum obligari, sed tum demum si promissio non intercesserit. Et quamvis opponi possit, si aliquis ducat in uxorem talem à se vitiatam, non tamen sufficienter damnum compensari, quia mortuo ipso nihilominus restabit macula, & majori dote indigebit talis, ut alium maritum inveniat. Tamen respondetur tunc mansuram cum dote quam habuisset, si non fuisset deflorata, & cum eadem ferè habilitate ad secundas nuptias, quia prior nota ex defloratione orta per consequens matrimonium cum eodem Viro ferè omninò fuit abolita. Advocemus Scripturam quæ lucem hîc affundit. nam Exodi 22. v. 16. dicitur: *Si seduxerit quis Virginem nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit illam, & habebit eam Vxorem, si pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere consueverunt.* Deut. 22. v. 28. & 29. dicitur: *Si invenerit Vir puellam Virginem, qua non habet Sponsum & apprehendens concubuerit cum illâ, & res ad judicium venerit, dabit, qui dormierit cum illâ patri puella quinquaginta siclos argenti, & habebit eam Vxorem qui humiliavit illam, non poterit dimittere illam cunctis diebus vite sue, denique tertio dicitur laudato loco Deut. 22. v. 25, *Si in agro reperit Vir puellam, qua desponsata est, & apprehendens concubuerit cum eâ, ipse maritetur solus. Puella nihil patietur.* primus locus agit de tali casu, ubi ex utraque parte con-*

sen-

sensus intercessit, & determinat ad quam restitutionem teneatur, qui dormivit cum aliqua, quam seduxit promissis, blanditiis, & forsitan etiam obtentu sponsaliorum & futurarum nuptiarum, nempe ad dotem & ductionem; quod scilicet talis violator nihilominus pecuniam dare debeat Virgini vitiatæ non tamen semper æqualem, sed tantam, quanta dos illius juxta statum dignitatis imò etiam ducere, si puellæ pater consentiret. Sunt qui putant tantum constitutum fuisse talem stupratorem ad pendendum 50 siclos dotis vice; sed nihil de hoc in textu, & in alio casu aliæque sub ratione fuerunt requisiti illi quinquaginta sicli: ipsi etiam Ebraei annotant, quod stuprator talis siue Virginem duceret, siue non, pendere nihilominus debuerit Virgini, quicquid Judices constituerint reparando Virginis honori & compensando damno vel corruptioni Virginitatis, siue læsæ violatæque pudicitia. illustrari potest hic casus ex Gen. 34. v. 11. alter agit de tali ubi vis intervenit, ita tamen ut consensus puellæ illam minuerit; cum scilicet vim aliquis Virgini intulit non rapiendo illam (raptus enim capitale crimen erat) sed oblatâ occasione aut arreptâ eam vel invitam, vel non omninò resistentem apprehendendo compressit: hujusmodi stuprator tenebatur ad quinquaginta siclos patri pro injuria, si Philoni fides ad dotem, tenebatur ad ductionem, & ut laboraret vel vitio corporis vel animi, nihilominus illam debebat ducere, nec poterat

terat unquam libello repudiij dato ipsam dimittere, utut aliàs hoc toleraretur in hâc Republicâ. Tertius locus talem exhibet casum ubi vis prævaluit & omnes partes complevit, in quo supplicium ultimum compresori decernitur, quod etiam lege fuit constitutum apud Ægyptios teste Diodoro Siculo lib. 1. Bibliothecæ, qui docet βιασαμένη γοναῖκα ἐλευθέρων ἀρσένεταξε ἀποκρίπτεσθαι αἰδοῖα.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO.

Qui Vectigalia legitima fraudant tenentur ad restitutionem.

An teneantur qui fraudant vectigalia. Rationes oppugnantium adferuntur.

Author agit de restitutione ad quam tenetur fur & raptor, & dicit in hanc classem referendos & illos qui legitima vectigalia defraudant. At sunt Moralistæ, qui oppositum tenent, & putant tales non peccare moraliter, nec teneri ad restitutionem, ita enim Baija, Navarrus, Angelus & alii: partim quia hæc vectigalia ordinariè imponuntur per statutum, nullum continens verbum præceptivum, sed tantùm verbum statuimus vel ordinamus, ut quilibet solvat tale quidem sub pœna cadendi in commissum, nec lex purè pœnalis obligat nisi ad pœnam, idque post sententiam, tum quia leges civiles etiam si verbo præceptivo utantur, non obligant ad pec-

ad peccatum mortale: præsertim quando ap-
 ponunt pœnam in bonis temporalibus; vi-
 dentur enim tunc satis habere illæ leges, si
 illa pœna iis, qui deprehensi fuerint, irroge-
 tur; tum quia leges & statuta, quibus vetatur
 quis, ne aurum vel argentum vel similem spe-
 ciem è regno efferat, sub pœna commissi si-
 ve amissionis rei non obligant sub peccato,
 sed tantùm tribuunt Principi jus ad rem, si
 deprehensi fuerint, Fisco vindicandam. Qua-
 re idem dici poterit de statutis vectigalium.
 Verùm hæc sententia nimis laxat conscien-
 tiam, tum quia aliud imperatur Rom. XIII,
 v. 6. & 7., tum quia ipse Christus Matth. 22.
 v. 21. vult reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris, ut
 consequenter peccet mortaliter, qui contra-
 veniat mandato Christi. Inter reddenda
 autem Cæsari maximè quoque computatur
 vectigal: tum quia Respublica ex lege justi-
 tiæ Principi debet stipendium administratio-
 nis justum, & subsidium necessarium ad con-
 servationem Reipublicæ. Quapropter re-
 spondetur ad objecta, falsum esse leges tri-
 butorum tantùm ordinare & statuere sub
 pœna cadendi in commissum, sed etiam præ-
 cipiunt quid faciendum, & determinant ju-
 stum stipendium Principi, vel subsidium ob
 onera publica ferenda necessarium. Ut ita-
 que aliæ leges pretia rerum determinantes
 obligant in conscientia, etiamsi non præce-
 ptivè sint conceptæ, ita & hîc sese res habe-
 bit. Ad (2) respondetur falsum esse leges
 civiles non obligare sub peccato mortali,

Expungun-
tur.

quando apponunt pœnam in bonis temporalibus; præter enim istam pœnam quæ culpæ adæquatur, damnum quoq; accedit Principi, quod ex restitutionis beneficio tollit.

A 1 (3) respondetur, falsum esse quod tales leges ne quis aurum & argentum efferat sub pœna commissi non obligent in conscientia sub peccato, cum contrarium habeatur discretè Rom. XIII. 5. tum quia non est consequens: pauci sunt qui sibi inde scrupulum faciunt, E. propter illorum imperitiam vel negligentiam cessat ratio obligandi sub peccato; tum quia dispar adhuc est ratio in auro & argento exportando, & in fraudatione vectigalis, quia Princeps quantum ad prius potest determinatè ponere statutum de non efferendo auro & argento sub pœna tantum commissi, ita ut ulterius nolit progredi vi suæ potestatis.

CAPUT XVIII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO I.

Quamvis Jus Legationum dici possit Juris gentium, tamen profundior radix erit quærenda.

An legationis ius in iure gentium fundetur.

A Uthor agit de Legationibus, atque refert illas ad Jus gentium, & in thesi 4. ulterius progreditur, & dicit hoc jus non ut Jus naturale ex certis rationibus certò oriri, sed

sed ex voluntate Gentium modum accipere.

Disputant tamen hoc nonnulli ex eo, quia argumen-
tum adver-
santia. jus Gentium tale non datur, quod ex vo-

luntate & consensu illarum pendeat, quale

supponit Grotius; cum talis consensus & vo-

luntas in hoc & consimilibus punctis demon-

strari non possit. 2. quia si tale jus effet, non

constans, perpetuum & immutabile erit, 2.

possent enim resilire à tali voluntate gentis,

possent mutare. 3. quia talis voluntas & con-

sensus obligationem non inducit, nec omnes

confibulat, nisi certis & immotis rationibus

sit superstructa. Negari tamen nequit jus

illud vetustum esse, & ab ipsis Civitatis pri-

mordiis duci, obtinuisse apud quamplurimas

gentes & Legatorum Nomen apud omnes

nationes sanctum semper fuisse teste Cæsare

lib. 3. de Bello gallico, gestasse etiam illos in

signum securitatis sagmina, sive verbenas

juxta Festum. sed, quid de Jure gentium sit

sentiendum supra indicavimus: quapropter

non negamus obtinuisse apud si non omnes

plærasque tamen; sed si profundiores radi-

ces desideres & causas, quæ gentes ad illam

permoverunt inviolabilitatis indulgentiam

erunt illæ tum Majestas, tum necessitas, tum

utilitas. Majestas quidem, cum enim Lega-

tus referat personam Principis sive Regis, si

Majestas est inviolabilis, ille quoque qui re-

fert ipsam, & nomine illius agit erit sanctus

& inviolabilis; quemadmodum Rex ex vica-

riatu illo DEI censetur esse inviolabilis, &

sanctus, ita Legatus ex vicariatu Regis sive

Inviolabi-
licas Lega-
torum qui-
bus funda-
mentis ni-
tatur.

Principis mittentis. Patet hoc ipsum ex veteri formula Feacialium, quæ ita se habebat: Rex facisne tu Regium Nuncium Populi Romani Quiritium, vasacomitesque meos? Respondit Rex: quod sine fraude mea populi Romani Quiritium fiat facio. Necessitas, nisi enim obtineat illud ipsum jus, societas gentium stare nequit. Denique utilitas, cum enim tutum non sit ipsam Regem aut Principem, præprimis tempore belli, se conferre ad alium, ideoque utilitate publica introductum est Internunciorum medium.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Qui mittuntur ab illis, qui summi Imperii non sunt compotes Legati accuratè loquendo non dicuntur.

An iure
communis
Legatus
municipalis
vel provincialis
gaudeat?

Author (1) disputat extra hos qui à Majestate mittuntur non gaudere jure gentium, sed jure civili regi, (2) Reges qui bello solenni victi regnoque exuti sunt, jus quoque legandi perdidisse, (3) interdum locum huic juri facere necessitatem in bellis civilibus. Verùm quod (1) concernit, Legati provinciales & municipales accuratè Legati non sunt, non enim referunt illum, qui Majestatem habet. Hinc ex eo capite non jure gentium gaudent. Jus enim Legationis

nis pendet ex Majestate. Unde etiam cum Nobiles Genuenses Stephanum, Mariam & Bartholomæum Camellinum misissent ad Philippum Hispaniarum Regē Talicarnanes, qui contrariæ fuit factionis in Republica Genuensi intercessit & dixit: *Homines privati Oratores mittere non posse.* Quod (2) spectat, non videtur jus legandi perditum esse, utut Rex solenni bello victus, & regno exutus sit. Nam 1. potest penes Regem adhucdum esse spes recuperandi regnum, tributis placandi victorem, & redeundi ad suos. In quo casu ut Majestate nondum videtur exutus omni, ita nec jure legationis, 2. potest talis Rex devictus adhucdum colligere copias & auxilia petere ab extraneis, aut etiam quibusdam qui ad ipsum tempore turbato confugerunt. 3. Sicut Dominus potest esse sine territorio Rex & Princeps, & nihilominus regium axioma adhucdum habere, ita quoque potest gaudere adhucdum jure Legatos mittendi. Quod (3) concernit, si dubium est ab utra parte stet jus Imperii, accuratè loquendo Legatos non ultro citroque mitti, sed inter nuncios qualescumque.

An Regi Bellis victo Ius mittendi Legatos intercederit

Vtrum Necessitas largiatur Ius mittendi.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Causa rejeçtorum Legatorum non sufficiens esse censetur vel Armorum vigor, vel Impietas vel suspicio.

Rejeçio
Legatorum
Causa.

Non admit
tuntur hç
causa.

Author causas rejeçtionis Legatorum ponit, & primam petit ex eo, qui mittit, si sc. hostis sit armatus, posse repudiari Legatos, (2) ex eo qui mittitur, si sc. sit atheus, impius, perfidus, (3) ex causa, quç suspecta est. Quod exemplo Rhablacis Assyrii Legati probare nititur ex II. Reg. XVIII. Cçterum hçc admitti nequeunt. Non (1) nam 1. qui hostis etiam armatus est, nihilominus Majestatem habet vel habere potest, & consequenter jus mittendi Legatos, quod Jus ipsi interverti non debet, aut sufflaminari, quia hostis est & quidem armatus, 2. stante hac hypothesi caderet ferç Legatorum missio omnis induciarum vel pacis causa missorum, 3. aut tales Legati saltem hoc habent, ut veniant ab hoste armato, aut insuper hoc habent, ut explorent castra, speculentur, moras neçtant, donec opportunum tempus hostem opprimendi. Si prius; non potest rejici talis Legatus, pacem enim an arma ferat nondum constat. Posteriori autem modo si consideretur talis Legatus, non tam non admittendus erit, quia ab hoste venit, quam

quàm quia ipse hostis & novas res molitur. Quamquàm etiam in tali casu videatur admittendus, addita tamen custodia arcta, quæ conatus intercipiat; prout Veneti Reinaldum à Maximiliano primo missum admiserunt sed custodia circumscripserunt, ne aliquem alloqueretur citra Voluntatem Patrum, securitate publicâ id exigente ut Bembus docet historiæ Venetæ lib. 7. Quod (2) concernit, non potest iterum hoc ipsum admitti: tum quia qualiscunque sit missus Legatus si vitia non intrent ipsam Legationem sed personam committentem, ipsi Legationi impedimentum poni nequit; tum quia ex pari ratione etiam à quibusdam rejici possent à Legationibus Hæretici, Judæi & alii, quod tamen non convenit; tum quia talis Legatus non est considerandus in se, sed ut refert personam Principalis Regis sc. tum quia juxta complures Exul mitti potest Legatique Officium subire ad suum Principem; utut Albericus Gentilis in contrarium nitatur, ut exemplo doceri potest ex Liv. 43. Historiarum. Quod (3) spectat, disputari hoc ipsum itidem potest Grotio: nam Rabsacem fuisse Legatum adhucdum dubium est; potius Interpretes sentiunt ipsam fuisse Ducem bellicum & venisse instructum exercitu, cui proinde tanquam hosti denegata fuit audientia & admissio in urbem. Idq; probare videtur textus allegatus v. 14. ubi hæc habentur:

Misit autem Rex Assyriorum Thartham & Rabsarin Archipincernam & Rabsacen de La-

Non impietas.

An Legati munere functus sit Rabsace 2. Reg. XVIII.

ebis ad Regem Hiskiam cum manu valida, 2.
 quia tunc temporis urbs fuit obsessa, di-
 citur enim: *in quo habentes fiduciam sede-
 tis obsessi in Jerusalem?* 3. quia Interpretes
 nonnulli ita sentiunt. Verùm nihilomi-
 nus hîc pro Grotio responderi potest, &
 quidem (1) argumentum non concludit,
 quando enim Rhabfaces dicitur missus
 cum manu valida: per manum validam non
 intelligitur exercitus validus, sed gravis lega-
 tio, minarum sc. contumeliarum plena. Quod
 ipsum patet tum ex eo, quia peracta Legatione
 statim ad Dominum rediit Rhabfaces, quod
 non videtur factururus, si exercitum secum ha-
 buisset; tum ex eo quia II. Paralip. XXXII.
 dicitur, quod Sanherib totum exercitum a-
 pud se retinuerit, non itaque illum vel par-
 tem illius tradidit Rhabfacæ Hierosolyman
 proficiscenti; tum quia manus aliàs pro pote-
 state in Scripturis ponitur, consequenter cum
 dicitur missum esse Rhabfacem cum manu gravi
 vel valida, saltem hoc indicatur, ipsum jure
 pleno gavisum fuisse, & gravi potestate sta-
 tuendi, ut vellet quod ex usu foret. Ad 2.
 respondetur illud non cõcludere, quia ex Esa-
 ia constat, Hierosolyman non obsessam fuis-
 se tum temporis ab Assyriis, Deo id serio
 promittente, cujus est illa vox: *non mittes
 in circuitu ejus aggerem, nec circumdabis
 eam munitio.* 3. Denique non concludit,
 quia profundiores Interpretes in nostram
 sententiam concedunt. Interim si secundum
 punctum Grotii subsisteret, posset dici hunc
 Rhab-

Rhabfacen non admissum fuisse non solum ex causa, sed etiam ex qualitate propria, quia fuit impius & perfidus, desertor Religionis Judaicæ, ut hodie illi qui Renegati dicuntur, quod patet tum ex eo: quia Lingua Hebræa locutus est; tum ex eo, quia ad verba ejus in DEUM maledica Proceres & Rex considerunt vestimenta sua, quod fieri non solebat, nisi quoties talia verba ab Israelitarum aliquo pronunciata fuerunt; tum ex eo quia Rabbinii communiter sentiunt, hunc fuisse Israelitam, sed Legis & populi sui desertorem. Quicquid vero sit si ponamus parte Exercitus instructos venisse, nihilominus officium Legatorum potuerunt obire Thartam Rabsaris & Rabsaces, ut admittunt diversum sentientes quibus oppositi alii Legati Eliakim, quem Josephus appellat, *Ἰὴς Βασταλείας ἐπιτροπὸν* Sobna & Joah.

Ad Th. IV.

O B S E R V A T I O.

Regulariter Legati sunt inviolabiles, possunt tamen si in Exitium intendant Reipublicæ ad quam missi prehendi, & pro Qualitate gradusque delicti puniri.

Author agit de non violandis Legatis, & varias sententias recenset, concludit autem esse inviolabiles ita, ut Jure gentium nec rei

An Legatus
puniri pos-
sit ab eo ad
quem mit-
titur.

Probatur
affirmans.

Stabilitur
Negans.

rei fieri possint, nec eorum corporibus vis in-
ferri, & si delictum sit leve dissimulandum; si
atrocius, mittendum ad mittentem cum po-
stulato, ut puniat aut dedat, &c. Sunt tamen
qui opinantur Legatum in delicto deprehen-
sum posse occidi ab eo, apud quem deliquit;
tum ex eo quia legati nomine indignum se
reddat, quicumque scelera & facinora patret;
tum ex eo quia regulariter delinquens aliàs in
loco delicti punitur & puniri potest, nec ta-
li Regi deest jus vitæ & necis, apud quem
agit talis Legatus; tum ex eo quia Alexander
Pheræus Pelopidam Legatum populi The-
bani in carcerem detrussit, ideo quia accusa-
tus fuit, quod Thessalos ad libertatem pre-
hendendam excitavit, ut constat ex Corn.
Nep. in vita Pelopidæ. Sed hîc probè distin-
guendum inter delicta Legatorum quæ tan-
gunt privatos, & inter molitiones quæ ipsum
statum petunt. Prioris generis delicta e-
runt utique dissimulanda, posterioris autem
non erunt ferenda, neque censendum erit Jus
gentium hîc cavisse, & eo usque licentiam
fecisse Legatis. (2) quàmvis videatur talem
Legatum non esse puniendum, aut occiden-
dum, quia Majestatem refert Principalis sui,
nihilominus talem pro delicti atrocitate pu-
niri vel occidi posse quidam admittunt; quia
tunc occiditur non ut Legatus, sed ut hostis
totius Reipublicæ & Regni. Sicut ergò Re-
gi licet alium Regem occidere & exercitum
ejus delere, non attenta Majestate, quia eum
intuetur ut hostem Regno & Reipublicæ

extre-

extrema intentantem, ita quoque multo magis erit licitum agere cum Legato hostem referente. Legatur Johannes Chokier lib. de legato cap. 42. (3) Argumenta autem adducta non concludunt, non 1. quia aut loquimur de facinoribus in ipsam Rempublicam grassantibus, aut in privatos. Si prius, certum est talem excidere jure illo. Si posterius, tunc nondum desinit esse Legatus, repræsentat adhuc Principem vel Regem suum, qui ut contulit ipsi authoritatem & nomen, ita etiam solus tollere potest. Ad 2. respondetur illud esse regulare, in Legatis autem occurrere aliquid ultra regulare, quemadmodum in salvo conductu, ubi non attenditur qualitas personæ, vel etiam delictum quoddam, sed cum illo & supposito illo nihilominus aliquid adjicitur. Ad 3. respondetur illud in illam exemplorum classem esse referendum, quæ adhucdum disputari possunt, num reâitudinem aliquam habeant nec ne. Et præterea si certò constitit hoc ipsum de Pelopida, fuit conatus aliquis in statum, ubi censetur talis Legatus degenerare in hostem. Consultius tamen ducimus nî extrema hoc deposcant, ut talis remittatur ad Dominum, ut ille pœnas ab ipso exposcat. consulantur Albericus Gentilis lib. 2. de Legatis cap. 18. Hermannus Kirchnerus lib. 2. cap. 2. Fridericus à Marselar lib. 2. dissert. 13. Carolus Paschalius cap. 74. & alii.

Probanti-
bus argu-
mentis sa-
tisfit.

1.

2.

3.

Ad

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Tutius dicitur Legatum transeuntem per fines hostium, non esse interficiendum.

Qui per Fines aliorum transit Legatus est inviolabilis.

Author disputat de Legatis, qui transeunt per aliorum fines, & putat tales non gaudere jure tali inviolabilitatis, imò posse interfici: quod probat exemplo Atheniensium & Illyriorum cui adstipulantur Cockier Marselar, Piccartus & alii. Verùm tutior est sententia opposita. Nam (1) Legatus representat personam Regis sui ex commisso munere, & consequenter non solum apud illum ad quem mittitur, sed etiam apud alios quorum fines pertransit. (2) Legatus si pertransit fines hostium, quandoque opus habet isto transitu, atque non tam mali quàm boni cujusdam gratia transit. (3) Aliter potest caveri, nempe non admittendo tales Legatos, non permittendo ut transeant, nisi impetrata prius venia. Quapropter aut loquimur de Legatis simpliciter talibus, aut de Legatis sub certa qualitate, quatenus illi proficiscuntur ad hostes, ut cum illis fœdus feriant, quod cedit in detrimentum Reipublicæ intermediæ. Si prius, non potest ipsis negari transitus; si posterius, potest alia ratione caveri, ut non confestim interficiantur, si sc. custodiantur, remittantur ad Regem atque causa negati tran-

transitus exponatur. Sic Alexander Legatos Spartanorum & Thebanorum ad Darium Regem interceptos non interfecit, sed rejecit, teste Arriano lib. 2. Histor.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Jure talionis si interficiantur vel malè tractentur Legati missi ab eo, qui tale quid patravit, periculosè agitur.

Agitur de jure talionis, an scil. illud ob-
tineat in Legatis, & videtur quod sic. Nam (1) aperta Regula est: frangenti fidem non esse servandam. Si itaque prius fuerunt temerata jura, poterit retaliationè hoc ipsum compensari. (2) quia, si non absurdum est, ut quicquid delirent Reges plectantur Achivi, etiam non absurdum erit tales Legatos tanquam subditos Regis durius excipere ob injuriam præcedentem. (3) quia aliàs delicta compensatione mutua tolluntur, ubi non vigent judicia, nec superior datur, qualem tales Reges non recognoscunt. Verum tutior est opposita sententia, nec rationes adductæ concludunt. Non (1) quia præstat tali violatori fidem non dare, quam post datam jure talionis illam violare, cum fides etiam perfidis sit præstanda juxta Ambros. lib. 2. de Offic. (2) Argumentum itidem non concludit, quia quando subditi puniuntur

An Legati
subjaceant
Iuri Talio-
nis?
Adstruuntur.

Destruuntur.

tur Rege peccante hoc ordinariè fit ex connexione illa capitis & membrorum; præter hoc autem jus habent Legati extraordinarium ex repræsentatione Majestatis in Rege qui misit. (3) Denique argumentum non concludit, quia delicta delictis compensari non est simpliciter verum, neque admitti potest, & Legati tales missi aut fuerunt participes prioris injuriæ, moraliter concurrentes per suasionem, approbationem aut similes influxus, aut non fuerunt; Si prius, alia jam est quæstio, & forsan contra illos procedi potest ex jure talionis. Si posterius autem, negatur. Addit Author in thesi octava & nona Jus hoc etiam porrigi ad comites Legatorum & Bona mobilia, de quo alibi.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Rectè adducitur Exemplum suscepti Belli à Davide ob Legatos malè habitos.

Bellum Davidis cum Ammonitarum Rege propter læsam Legatorum sanctimoniam justè illatum est. **P**roducit Exemplum Belli Davidis adversus Ammonitas ex capite violatorum Legatorum, posset nihilominus dicere quis contra illud & pro Ammonitis, Davidem, non debuisse Legatos mittere ad Regem Ammonitarum, quia Deus interdixerit amicitiam cum isto populo Deut. 23. vers. 3, 4, 5. & 6. quia secundo David jam subegerat Ammo-

Ammonitas, qui hac Legatione magis videtur eos exacerbasse, & cicatrices refricasse, quia tertio impii, profani & Judæis inimicissimi semper fuerint, ut constat ex I. Sam. II. v. 1. & seq. sed movit Davidem Beneficii memoria, receperat enim juxta Hieronymum pater Regis Nahas ipsum exulem. quapropter adducta non concludunt. non primum, quia ibi tantum prohibetur publica Confoederatio & societas, non qualiscunque officii Humanitas. non secundum, quia hoc potest per anticipationem accipi quod legitur in capite octavo. non tertium, quia gratitudinem etiam debemus exteris, & constat diversarum Religionum principes misisse Legatos gratulationum vel consolationum causa, sic Thou Davidi gratulatus est de victoria per Filium 2. Sam. 8. Rex Babylonis Mero-dach per Legatos de restitutâ valetudine Ezechiz, ut constat est Esaiaë 39. Capite.

CAPUT XIX.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Sepulturæ Jus & inter gentes obtinuit & divinæ debetur voluntati.

Author agit de Jure sepulturæ, & dicit illud ipsum duci ex Jure gentium. Extra Controversiæ limites verò non esse hanc Assertionem liquet, tum quia Gentiles ple-

An ex Jure Gentium oriatur Jus humani mortuorum? Dubitatur I.

beji tum etiam eruditi non attenderunt ad sepulchra & sepulturam, quod ipsum constat ex historiâ Persarum, qui canibus & avibus objecerunt demortuos, Indorum qui nulla sepulchra habuerunt, Parthorum, Bactrianorum, Massagetarum, Colchorum, de quibus videri potest Herod. l. 1. Cœlius Rhodiginus l. 18. c. 30. Bonfinius & alii de Orientalibus, populis refert Dn. Johan Albert. à Mandelslo in Itinerario Orientis lib. 1. cap. 25. quod mos cremandi Corpora passim obtineat. accessione etiam ex vivis augeatur; imo ex sacris constat Jabeſitas Saulis & filiorum Corpora cremasse, obtinuisse illum Morem apud Græcos, Romanos, Gallos, Germanos. Sarmatas profana docet Historia. Legantur Lucianus in Dialogo, Tacitus, Alexander, Ganguinus, Josephus, à Costa, Abrahamus Rogerius & alii. Ipsi autem Philosophi Anaxagoras, Socrates, Cyrenzus, Diodorus, Diogenes & alii nullam curam habuere sepulchri; tum quia teste Scriptura Ps. 24. terra est Domini & ejus plenitudo, facilisque juxta Lucanum jactura sepulchri, cœlo enim tegitur qui non habet urnam; tum quia ad salutem nihil prodest, sive quis sepultus sive inhumatus jaceat, ut constat ex Augustino libr. de cura suscipienda pro mortuis. Sed hæc argumenta non concludunt: non (1) partim quia tales populi maximam partem fuerunt barbari, partim quia non solum circa demortuos non rectè sese gesserunt non sepelendo, sed etiam, quod contra dignitatem homi-

II.

III.

Ademitur
Dubium
primam.

hominis est, vel ipsa corpora vorando, vel bestiis objiciendo; partim quia humaniores gentes longe aliter senserunt, qui ne quidem hostibus denegarunt sepulturam, prout hoc ipsum constat, exemplo Hebræorum, Græcorum & Romanorum, unde Cicero lib. 2. de L. L. *Mibi inquit quidem antiquissimum sepulture Genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur, redditur enim terra Corpus & ita locatum & situm, quasi operimento Maris obducitur, & etiam Septentrionalium, ut constat ex Olao Wormio; de Ægyptiis notum est, quid & quantum in hac materia fecerint. Quod autem concernit Philosophos, fuisse tales maximam partem Stoioi ab omni humanitate remoti & ex falsa hypothese hoc ipsum amplectentes, putabant enim corpus esse saltem vasculum animæ. Hinc Anaxarchus: tunde tunde, non Anaxarchum tundes, sed vasculum Anaxarchi. Exempla combustorum male adducuntur: ordinariè enim sepelienda esse cadavera probari potest tum quia Patriarchas cadavera suorum non cremasse sed sepelivisse regimus, tum quia in populo Israelitico Sepultura more majorum obtinuit, uti haberi potest ex parte 1. Thess. 2, tum quia etiam Apostolica Ecclesia morem sepeliendi mortuos servavit vid. Act. 5. vers. 6. 9. 10. & idem ille mos inter Christianos adhuc perseverat imò etiam inter multas gentes quæ à Christo alienæ sunt, nec DEUS cremasse sed sepelivisse corpus Moysis legitur. Deut. 34. vers. 6.*

unde etiam crematio orta videri potest ex petulantia hostiū in corpora defunctorū. Cum enim cernerent si, quibus cum aliis bellum esset hostes omne genus contumeliarum exercere in cadavera suorum, ne amplius id fieret cremanda esse duxerunt. Vid. Plin. Hist. Nat. lib. 7. c. 54. humanitati præterea convenientissimum est ne ipsi quos dileximus conficiamus, sed per se in sua principia resolvi sinamus. hinc etiam Josia ossa Prophetæ qui de ipso vaticinatus erat, attingi noluit cum cremaret ossa Sacerdotum Idololatricorum, 2. Reg. 23. v. 19. 17. II. Jabsitæ laudati à Davide frustra producuntur, nam ordinarium non erat inter Israelitas, ut mortui cremarentur, ut constat ex dictis. corpora verò Saulis natorumque ejus cum eripuissent ludibrio Philistæorum ea combusserunt, nimirum ne uti probabile est, rursus Philistæi illis illuderent aut forsitan ignominiosius quam antea tractarent. nec constat, quod David eos laudarit, eò quod cadavera Saulis & Filiorum ejus cremassent, sed quod Saulem sepelivissent, ut non dicamus, quod nonnulli non corpora ipsa Sauli filiorumque ejus, sed aromata circa corpora cremasse, non improbable esse judicent. (2) Argumentum non concludit, tum quia si verba Psaltis aliquid concluderent, consequens foret debere hominem carere vivum æde, ut mortuum loculo; sicut itaque illud dominium Domini non excludit domicilium in vivis, ita nec sepulchrum inter mortuos; tum quia terra ibidem

Secundum

non

non consideratur physicè, sed potius comparatè ad statum N. T. & regimen Messianum; tum quia cœlo quidem tegitur qui non urnam habet, honestè tamen urna tegitur, qui tegi potest. Ad (3) respondetur 1. non esse consequens, nihil ad salutem prodest hoc vel illud, Ergò non descendit ex jure gentiù. nihil enim ad salutem prodest quicquid descendit ex jure gentium nec connexionem cum illa habet. 2. quamvis non profit ad salutem sepultura, prodest tamen ad honestatem defuncti: hinc Scriptura comminatur pœnæ loco sepulturam asini, & deplorat denegationem sepulturæ David Pl. 79. v. 2. 3. non necessarium est ut ad salutem profit sepultura, quia non respicit hominem, sed solùm partem hominis, nec ipsam beatitudinem, sed quietem ad consummationem illius. Verùm hîc subsistit Grotius, & opinatur Juris gentium esse tantùm honorem sepulturæ; sed profundius inquirendum, num etiam sit Juris divini, adeoque firmiter fundamentum aliquod ponendum. Et quidem juris divini esse præter Jus gentium probatur 1. evidenter ex Gen. III. v. 19. ubi dicitur: *terra es & in terram reverteris*. Ne autem excipias hæc verba non esse præceptiva, sed prædicentia quid futurum, quapropter negamus verba de nuda prædictione esse intelligenda; tum quia nostri Theologi hæc verba imperativè accipiant; tum quia Pontificiis panderetur rima aliàs pro ostentatione corporum Sanctorum demortuorum pugnantibus; tum quia si ver-

Tertium.

Sepultura
Ius nascitur
etiam
ex Jure Divino.

ba hæc essent per modum prædictionis non præcepti accipienda, consequens foret hanc prædictionem sæpius fallere; multi enim in aliis elementis pereunt. Nisi itaque velimus admittere falsitatem in eventu & complemento, ad præceptum hîc erit hominibus propositum recurrendum. 2. quia ipsi Scholastici & Moralistæ plerique sepulturæ officium vocant officium charitatis & misericordiæ, imò ipsi Gentiles vocarunt humanitatem, Cic. in Orat. pro Quintio, Mansuetudinem Val. l. 5. c. 1. Misericordiam & religionem Quintil. l. 12. Inst. Oratoriarum c. ult. Atqui si officium charitatis, humanitatis, & misericordiæ est, non tantum ex jure gentium sed ex profundiore quodam descendit. 3. quia Syracides eo respicit c. 40. v. 1. terram matrem nostram appellando; quia mortuos nos sinu suo excipiat.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Causa introducendæ sepulturæ non fuit Feritas mandendi homines, sed partim Officii Ratio, partim Dignitas Hominis & fœtoris Evitatio.

Causa inhumandi defunctos non est Feritas mandendi homines.

Author disputat de causa introducendæ sepulturæ, & (1) ponit Molchionis sententiam, quod scilicet occasio data fuerit ex Gigantea feritate mandendi homines. Veram

rum hæc sententia subsistere nequit, quia ante tempora diluvii Adamus & reliqui Patriarchæ fuerunt sepulti, non occasione illius feritatis, nec hæc feritas obtinuit, sæper nisi apud paucos, eosque valdè barbaros. (2) Causam secundam ponit, quod homines spontè solverint debitum, quod alioquin vel ab invitis repetit natura. Hominis enim corpus ex terra ortum terræ deberi DEUM non tantùm Adamo edixisse, sed & Græcos Latinosque passim agnovisse. Hæc sententia aliquid ex vero habet, quapropter nos existimamus, si de causa præcipiente sit sermo, referendam esse sepulturam in illud præceptum Gen. 3. v. 19. supra excussum, & per traditionem ad posteros propagatum. Causam autem moventem sive finalem fuisse humanæ naturæ conditionem, quæ admonuerit homines ut corpus exanime terræ unde originem duxit, redderetur. De quo videri potest Cic. lib. 16. Epist. famil. Epist. 8. nec contemnenda est ratio de primis parentibus, quod hoc monumento spem resurrectionis voluerint consignare posteritati. Unde etiam Isidorus ad Verba Genesior 3. v. 19. donec in terram revertaris, addit: *non dicit in nihilum revertaris, neq; iterum redibis*, adeoque spem resurrectionis Exuli factam hisce tacitè & Menasse Ben Israel ex Rabi Simeone Ben Johay notat, quod dicatur non pulvis es & in pulverem *ibis*, sed *redibis*, scil. denuò hæc carne, hæc cute vestitus resurgens ex terra cui *interea* es concreditus. (3) Tertiam causam

Sed Solutio Debiti Naturalis.

Hominiæ Excellentia.

Et pesti-
lens Factor.

ponit & probat præ cæteris, quod cum homo cæteris animantibus præstet, indignum visum fuerit, si ejus corpore alia animantia pascerentur. At hæc ratio non est unica. Plures enim non tam attenderunt ad dignitatem hominis primariò & principaliter qui sepulturæ honorem detulerunt, quàm ad alia incommoda, & præprimis fœtorem arcendum, ex quo facilè infectio, & si quibusdam accedimus, horribilius est Cadaver hominis, quàm Bruti, quia mors homini ex peccato, Bruto autem naturalis, & plærunque quo quis indulgentior fuit corpori hoc magis relinquit deforme & fœtidum. Gravius inquit Ambrosius fœtent divitum corpora distenta luxurie, & fœtidius est quàm Bruti Cadaver humanum ob alimenti multiplicis diversitatem.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO I.

Rectè Author Legem divinam adducit, quæ jubet, ut suspensi eodem die sepeliantur.

Author disputat de insigniter facinorosis, & (1) statuit Legem divinam Hebræis datam jubere, ut illi qui suspensi, eodem die sepeliantur. Quæ lex legitur Deuter. XXI. 23. (2) ex Hebræorum Interpretibus adducit causam, & dicit, hanc reverentiam

tiam esse exhibitam divinæ imagini, ad quam homo sit conditus, (3) disputat de more hominierno, quando damnatorum corpora in publico conspectu relinquuntur, & non obscurè illum improbat. Quod (1) concernit nempe Legem divinam, (1) non refertur illa in textu nisi ad suspensos ex ligno; Hebræi autem putant generale hoc ipsum esse, & extendunt ad omnes mortuos suoapte etiam facto functos, ita ratiocinantes: si voluit DEUS sepeliri maleficos illo ipso die, quo suspensi multò magis cæteros. Atqui ratio adjecta juxta quosdam hoc refutat; dicitur enim: *nequaquam contaminabis terram, quam DEUS tuus dedit tibi.* Hæc enim contaminatio non fiebat à mortuo simpliciter, alioquin ob nullam causam differri potuisset demortui sublatio & sepultura. Et hæc contaminatio exponitur, vel physicè de Infectione aeris, vel ethicè de inhumanitate in mortuum & sævitiâ ultra modum. Disputant hîc Eruditi, an crucis supplicium Judæis fuerit cognitum ante tempora Christi & cùm de suspensio loquitur Scriptura aliud Genus supplicii intelligendum esse volunt: certant in hoc genere Josephus Scaliger, Petrus Faber, Bonfrerius, Malvenda & imprimis Casaubonus, qui negativam propugnant; affirmativæ verò subscribunt Cæsar Baronius, Carolus Sigonius, Stephanus Menochius, Justus Lipsius & Grezerus. priores nituntur quatuor generum suppliciorum Ebræis usitatorum sufficiente enumeratione, quæ Lapidatio, Vivi-

An qui suoapte facto emoriantur illo ipso die sint inhumandi?

Vtrum ante tempora Christi inter ludæos irrogatum fuerit supplicium crucis?

comburium Decollatio & Strangulatio, defectu Verbi ebrazi quod crucem designet, generali vocabulo Lignum in loco presentis Deut 21, num tamen rationes hæ sint solidæ meritò dubitamus; sed quia hoc extra circum, quapropter de illo alio die.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO II.

Varia quidem rationes statuti divini sunt redditæ, non tamen illa, quam Grotius ponit & cæteri, solida videtur esse.

Enarratur ratio-
nes præcepti de sepelendis facinororum corporibus.
Prima Re, Salomonis

Quod alterum concernit, Hebræi quidem referunt hoc ipsum ad reverentiæ exhibitionem divinæ imagini, prout ex Rabbi Salomone Lyra refert, sed non tantum, nec omnes, sed alii, quos refert Rickelius, idem censent hanc legem latam, ut occasio tolleretur loquendi de idololatria vel blasphemia, nec nominarentur in populo, quorum criminibus decretum erat supplicium crucis; imò quidam Hebræi putant, idem hanc legem latam, quia anima puniti vexetur à demonibus antequam cadaver sepeliatur. Ponamus verò hanc rationem Salomonis, nititur illa facta hypothese, quasi scilicet imago DEI esset vel maximè in corpore, cum tamen principaliter radiarit in anima. Sed hæc pensulatus sunt examinanda, & profundius in

cau-

causam inquirendam divini statuti. Sunt, qui
 putant cum Grotio & Solomone Jarchi pau-
 lo ante adducto hanc rationem de Imaginis
 divinæ reverentiâ esse solidam, inter quos
 est Andreas Masius qui in illo rudiore præ-
 fertim rerum divinarum sæculo dicit sepul-
 chro prohibere fuisse visum Brutis propè a-
 n. mantibus æquare hominem, quorum ani-
 mus simul cum corpore concidit, illumque
 perinde ac si ad immortalitatem nec natus,
 nec olim revicturus esset habere, planèque
 ea re magnam DEI injuriam inferre. S. nt,
 qui volunt ante Sepulturam Cadaveris Ani-
 mam à Dæmonibus exagitari nec posse prius
 quam hoc officium exhibeatur defuncto il-
 lam admitti ad Quietem & Thalamum DEI,
 unde DEUS hanc Legem constituerit, de
 quo videatur Münsterus ad cap. 21. Deut.
 Sunt denique qui existimant, voluisse DEUM
 sepeliri talem suspensum, quia voluerit faci-
 norosos omnino delori de terra, adeo ut
 ne quidem Cadavera supersint in pænam,
 uti fieri solet in illis, qui flammis traduntur,
 quæ est Cornelii à Lapide opinio. Contra
 tamen singulas unum & alterum moveri po-
 test. Primæ sententiæ obstat, quòd illo pacto
 neque suspendi posset maleficus citra Injuri-
 am DEI, Imaginis divinæ vilipendium, unde
 neque Masii Sententia, nec Toftati Abulensis
 subsistit, neq; simile R Meir à fratribus desum-
 ptum, quorum unus Rex, alter latro de quo le-
 gendus Johannes Coch in Exc. Gem. Sanhe-
 drin pag. 252. Secundæ Veritas Scripturæ, &

Secunda.

Tertia.

Valere ju-
bentur an-
tecedentes
Rationes.

com.

Assignatur
Ratio cla-
mor.

commentum esse rabbinicum omnes saniores agnoscunt. tertiæ, quod in pœnam rapiatur, quod Gratiæ deputandum; sepultura enim illa cedebat in Ignominia continuandæ præcisionem: Quapropter commodius dicitur idem sepulturam esse mandatam, quia ultra Modum non erat exasperanda pœna, cum satisfactum per suspendium Ordinationi divinæ, execratio illo die finita, qui propterea deponi debuit sub Vesperam ne amplius etiam pro populo haberetur pro maledicto & Judices sapiendo non contaminarent terram. tempus itaque deponendi suspensi erat vespertinum: Unde juxta aliquos Nomen vespillonum & funeris à funalibus, quia noctu efferebantur Cadavera. addi potest ratio typica quod Christus, qui factus pro nobis maledictum non amplius sub execratione fuerit Vespere appetente & proin non relinqui in Cruce vel abjici, sed humari debuerit legatur Zepperus cap. 7. pag. 45.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO III.

Quamvis de More illo possit disputari cum damnatorum Corpora diu in publico conspectu relinquuntur, Argumenta tamen, quæ quidam in Contrarium producant non concludunt.

An in conspectu publico Damnatorum corpora sint relinquenda?

Quod tertium concernit Grotius non obscure in negativam propendet, cui accedit

cedit Zepperus l. 5. de LL. Mosaicis cap. 7. & alii. urgent verò tum Legem Deut. XXI. tum moderationem Christianam, quæ non sæviat ultra vitam, tum humani corporis dignitatem. Verùm hæc argumenta non faciunt pro illis: non (1) tum quia juxta quosdam hæc constitutio de cadavere non per noctem in Ligno relinquendo accipitur ita, ut non intelligatur profecta ex respectu in honorem cadaveris sepeliendi, sed maledicti illius cadaveris citò tollendi & removendi à superficie terræ, ne terra sc. inquinetur: quod ipsum confirmatur ex comparatione cum ceteris generibus suppliciorum, quia per illa vel Lapidibus obruebantur maledicti, vel aquis sepeliebantur, vel comburebantur, ne supereffent conspectui hominum. Ponamus verò, ut quidem nostrâ mentem exposuimus supra hanc legem, favoris potius esse indicatiû, quàm severitatis, probandum erit illam ordinem forensiû transcendisse. (2) non concludit, quia disputari potest num semper sit sævities, non paradigma. (3) deniq; non concludit, quia si cum dignitate hominis non pugnat infame supplicium suspendii, non pugnat quoque cum illa in casu casus prostitutio ad certum tempus: & vel maximè observandum hanc legem Deut. 21. non esse moralem, sique intrinsecè esset turpe prostituere ita cadavera, David non annuisset Gibeonitis II. Sam. XXI. utut non negemus extraordinarium fuisse illum Justitiæ actum à DEO peculiariter mandatum: quanquam alii cum

Repugnantium Argumentorum

1.

2.

3.

Diluitur primum.

Secundum

Ultimum.

Rab-

Judicium
Gisberti
Voet.

Rabbinis velint Gabaonitas suspendisse illos filios Respæ, qui Lege illâ soluti fuerint cum non fuerint Israelitæ, certum autem est Gentiles passim in Exemplum Suspendos reliquisse in Cruce, de Ægyptiis constat ex Gen. 40. 7. 20. de Græcis ex Diodoro Siculo Lib. 16. de Romanis ex Suetonio in Vespas. c. 2. Adde Horatium lib. 1. Ep. 16. Martial. Libr. 7. Epigr. & ex Patribus Tertullianum Lib. de Anima, Audiamus hîc Voetium differentem Statuerat inquit DEUS Deut. 21. 33. ne cadaver suspensi pernoctaret in ligno sed ut eodem die quo supplicium sumptum fuerat sepeliretur, quia alioqui terra polluenda esset. Unde viri quidam docti existimant etiamnum corpora facinorosorum sepelienda minimè verò in patibulis relinquenda secus quàm nunc sæpe à Magistratu fieri videmus, nimirum ut cadavera sceleratorum coram sole putrescentia aliis terrori sint, verùm meo iudicio non video quomodo id ex hoc loco probari possit: nam non concedam hanc legem esse perpetuam sed dicam fuisse Politico ceremoniam, eamque in Christo suum complementum accepisse Gal. 3. v. 13. & non obligare desuisse. dicitur quidem causam legis esse perpetuam, nimirum quòd suspensi in ligno adeoque omnes malefici sint DEO execrabiles, nec manente causa legis legem antiquatam censi posse; sed Respondeo. 1. execrationem & maledictionem quæ huic legi pro fundamento subternitur non esse illam moralem quam quandoque

doque peccatum meretur & de qua agitur Deut. 27. v. 26. & Gal 3. v. 13. sed ceremoniali quondam; consistebat autem ea in summo impuritatis ceremonialis gradu, qui non permittebat ut sine contaminatione terræ in eodem aere cum viventibus hac maledictione maledicti per noctem relinquerentur sed poscebat ut ante noctem terra obruerentur, ne videlicet terra pollueretur. Agi autem hic de ceremoniali non autem morali maledictione probatur. 1. quia alioqui omnibus è ligno suspensis pereundum fuisset, quod dici nequit, quia fieri potuit ut ante suspensionem converterentur & si vivi suspendebantur jam suspensi resipiscerent, ut videmus factum in latronum altero cum Christo crucifixorum. Neque hic dici potest nihilominus in se execrabiles fuisse suspensos in ligno, licet propter Christum in gratiam reciperentur, quia id cum aliis piis commune habebant. Licet enim nulla sit condemnatio, iis, qui sunt in Christo Jesu, omnes tamen ob peccata nostra damnatione digni sumus: si nimirum in nobis ipsis consideremur 2. quia pollutio terræ quæ sequebatur ad pernoctationem suspensi in ligno ceremonialis erat, & similis, licet gradu major, impuritibus illis ceremonialibus quæ sequebantur ad contactum hominis mortui aut cadaveris animalis immundi. Num. XIX. v. 14. Levit. 11 v. 20. 28. 31. & sequentibus aliquot 3. Maledictio hæc typica erat, respiciens Christum Gal. 3. v. 13. Resp. 2. Negatur quod omnes

Lex de non
contami-
nanda Ter-
ra propter
suspensos
Ceremoni-
alis fuit.

Ceremoni-
alis etiam
Maledictio

A a a male-

malefici, in quos ultimo supplicio animadvertebatur maledictione de qua locus hic agit maledicti fuerint. Quia nusquam id Scriptura dicit, & potuit DEUS pro beneplacito suo suspensus è ligno maledictionem ceremoniam irrogare reliquis facinorosis & ultimo supplicio affectis ab ea exemptis. Eadem enim libertate etiam animalium quædam immunda; alia vero ~~im~~ munda in V. T. pronunciavit. Errat autem circa finem thesaurus Author, quando dicit quòd Goliathi caput David servaverit ostentui, id factum sub ea lege, quæ proximi nomen ad solos Hebræos porrigebat: nam quidam volunt postquam circumtulisset illud Caput David repositum fuisse Hierosolymis, non tam in ostentationem, quam terrorem, ut scilicet. Animi Jebusorum qui ad huc arcem tenebant, conspecto & coram oculis posito tanto Beneficio erga Judæos consternerentur. neque enim credibile Davidem his trophæis & titulis quærentem aliâs quæ DEI sunt Gloriam suam amplificare voluisse. Falsum verò est aliam legem fuisse moralem Ebræis & nobis latam, falsum sub lege morali proximi nomen ad solos Ebræos fuisse porrectum, cum proximus fuerit etiam sub lege Hebræa omnis homo, falsum denique objectum personale variasse quantum ad præceptum charitatis in V. & N. T.

Ad

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Honor sepulturæ non omnibus qui sibi manus inferunt denegandus, nec licita est Autophonia in casu assignato, nec Exemplis productis confirmatur.

A Uthor agit de illis, quibus denegatur honor sepulturæ, & dicit apud Hebræos regulam de sepeliendis mortuis habuisse exceptionem eorum, qui sibi ipsi mortem consciverant, & passim receptum esse juxta Aristotelem, ut ignominia aliqua afficiantur, qui sibi mortem consciverunt atq; in sententiam suam laudat Josephum lib. 3. de Bello judaico cap. 25. At hæc non simpliciter possunt admitti. Nam Propricidium aut proficiscitur ex mala conscientia, impatientia & tædio hujus vitæ, estque cum desperatione conjunctum, aut proficiscitur ex melancholia quadam, aut aliâ imbecillitate. Priori modo conceditur, si indicia extent luculentæ, tales seipso interficientes esse honore sepulturæ privandos; Posteriori autem modo non potest admitti quod Grotius simpliciter ponit, tum quia defuit principium veræ *voluntatis* in talibus, tum quia etiam in istiusmodi vis baptismi non extinguitur, & Spiritus interpellat pro illis gemitibus inenarrabilibus

bilibus Rom. VIII. tum quia si de talium salute bene sentiendum, & animæ beatitudine post solutionem, corpus quoque demortuum non erit ignominia quadam adficiendum Josephus verò hoc tantum habet in capite allegati libri decimo quarto, tales ad solis occasum insepultos abjici decretum esse. Author in eadem thesi concedit *αὐτοχρησίαν* ex mente Hebræorum in tali casu, si quis videat, se deinceps victurum esse in probrum DEI, tunc enim putat licitè posse talem se interficere, adeoque interrompere id quod metuitur, aut quod futurum est. Verùm 1. posito tolli per *αὐτοχρησίαν* vitam in probrum DEI, adeoque bonum quoddam ita constitui, non tamen propterea consequens erit, licitam esse in tali casu *αὐτοχρησίαν*, quia finis & eventus bonus etiam ex causa & medio debet esse bonus. *Αὐτοχρησία* autem tale medium est, quod nunquam probari potest. Rectè itaque contra Grotium urgetur illud Pauli Rom. III. v. 8. non sunt faciēda mala ut evēiant bona. 2. Fingitur aliquid quod moraliter impossibile, quod sc. certò aliquis prævidere possit, sese in probrum DEI victurum, quasi sc. non in singula momenta DEO varii sint modi illud probrum abstergendi, talem hominem vindicandi, gloriam suam demonstrandi. 3. Si ponamus aliquem prævidere, certò sese victurum postea in probrum DEI, non tamen illa prævisio probri est sufficiens conjectura

Utrum si quis videat se deinceps in probrum DEI victurum. exceptio fiat de lege se nõ interficiendi.

volunt.

voluntatis divinæ de semetipso interficiendo. Non enim ex eo colligi potest voluntas divina, quod in crucem cedere potest, cum opposita voluntas de non interficiendo sese sit revelata. Tertio Author in hac thesi ex epla adducit in confirmationem sententiæ suæ, Samsonis, qui ea de causa sibi mortem intulerit, Saulis, & Razis. Verum hinc multipliciter errat Author. Nam 1. falsum quandam supponit hypothesein, Hebræos sc. non tantas habuisse patientiæ leges præscriptas, quantas Christiani, & ideo certo in casu potuisse sibi mortem consciscere, quod falsissimum est; tum quia Lex eadem in N. & V. T. tum quia etiam in V. T. patientiæ exercitium satis præceptum fuit Prov. III. v. 11. Esa. XXX. v. 15. & Thren. III. v. 21. tum quia Christiani in N. T. ad patientiam animantur exemplo piorum in V. T. prout constat ex Jacobi V. v. 11. & Hebr. XI. & XII. v. 1. 2, quod concernit exemplum Samsonis, illud non quadrat nec probat intentum Grotii. Samson enim non fuit *αὐτοχρησ* & consequenter *αὐτοχρησ* non suscepit, ne in probrum DEI viveret & esset derisui; Nam (1) Samson dicitur columnas apprehendisse, ut consterneret domum & incolas; at hoc non fuit virium humanarum, sed divini Spiritus & robotis, ut ergo gladius non dicitur aliquem interficere moraliter, quia mere instrumentaliter sese habet, ita non ipse sese occidit, qui ministerium debuit jubenti. (2) quia Samson non propendebat tum temporis in mortem suam.

Eadem Patientiæ Lex & Hebræos & Christianos obstrinxit.

Responsio ad Exemplum primum. Samson non fuit *αὐτοχρησ*.

absolutè & simpliciter. (3) quia ipse DEUS eundem conservare poterat, domo saltem in Philistæos cadente, si voluisset. Deinde si ponamus ipsum Samsonem sibimetipsi manus intulisse, nondum tamen erit probatum quod probandum, quia illa illatio manuum fuit saltem actus physicus, non moralis: quemadmodum si Abrahamus occidisset filium non fuisset homicidium moraliter, sed saltem destructio physica. Tandem Simson dicitur fortiter obiisse Jud. XVI. v. 30. Atqui nullus ἀνὴρ juxta Ethicos dicitur fortis, sed ignavus, imbecillis & timidus. Secundum exemplum quod producit, est Saulis, sed in eo maximè errat: nam 1. Saul pessimè fecit gladio incumbendo, quicquid de fine sit, quem intenderat, 2. liquidum non est Saulem respuisse, contrarium patet tum expressa assertionem 1. Paral. XI. v. 13. 14. tum ex constanti Theologorum consensu, tum ex origine hujus opinionis, quæ commentum Rabbincum. 3. Rationes Grotii non concludunt. dicit Samuelis umbram prædixisse ipsi mortem, & tamen nihilominus suscepisse prælium pro Patria & DEI lege; Atqui Diabolus ipsi prædixit mortem, nec laudem meretur, quod etiam ad præviam prædictionem prælium suscepit. (2) dicit Davidem etiam ipsum præconio ornasse, atqui David non commendavit in ipso respicientiam, sed qualitates alias, quæ ipsum in vita ornabant, quid quod David putaverit Saulem ab Amalekita esse occisum, in quem etiam propterea

Responde-
tur ad e-
xemplum
secundum.

Saul non
respuit.

pterea graviter animadvertit II. Sam, I. v. 14. (3) dicit, qui Saulem cum honore sepelierant recti facti honorem retulisse, atqui hoc ipsum factum non est ex respectu ad resipiscenciam, sed ex debito gratitudinis. Jabesitæ enim præ cæteris obstricti erant Sauli ob insigne beneficiû, ut constat ex I. Sam. XI. v. 1. & 13. Tertium exemplum itidem non quadrat; nam (1) liber ex quo producitur est Apocryphus, (2) ipse Augustinus de Raziâ ita pronuntiavit: quid mirum, si tanquam homini elatio superba irrepsit, ut mallet manu propria perimi, quam post illam in suorum aspectibus celsitudinem sustinere indignam in hostium manibus sævitatem Epistola 61 ad Dulcitium. (3) Razias verisimiliter fuit Stoicæ Philosophiæ addictus, quæ tum temporis apud Judæos maximè regnabat: quapropter non mirum est, si principiis Stoicorum conformiter semetipsum interemerit. Videatur Seneca Epistola 70. Tandem 3. Author adducit exempla eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne religionem; curarent; virginum, ne pudicitiam amitterent. Verùm hæc exempla non possunt laudari, tum quia juxta Augustinum omnis qui singulla legitimæ potestatis autoritate hominem occidit homicida est, multo magis itaque qui semetipsum occidit; tum quia finis actionem non bonam facit, nisi sit ex forma talis; tum quia si tales causæ justæ essent, nihil foret melius juxta Augustinum quàm se statim post baptismum interimere, ne quis postea ad peccatum rela-

Ad exemplum tertium Razias.

beretur. Addit denique Author ob negatam Sepulturam bellum justè suscipi. At nobis aliter videtur: tum quia si comparemus denegationem sepulturæ & discrimen Republicæ, nulla proportio inter hæc duo apparet, satiusque censetur injuriam illam dissimulare corpori defuncto factam, quàm tot viventium corpora morti exponere, tum quia bellum est extremum justitiæ afflictæ remedium, quod nunquam suscipiendum, ubi ubi alia possunt fatigari media; tum quia Author hoc ipsum non probat, sed saltem exemplis quibusdam, de quibus disputatur, confirmare satagit.

CAPUT XX.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Pœnarum Irrogatio pertinet ad Justitiam commutativam.

Ad quam
Justitiæ
speciem
spectet pœ-
narum ex-
actio.

Author nobilem illam quæstionem tractat, an ad assignatricem sive distributivam, an verò ad explettricem sive commutativam justitiam pertineat pœnarum irrogatio? & (1) rectè rejicit sententiam illorum, qui statuunt pœnarum irrogationem esse justitiæ assignatricis, ut illè loquitur, sive distributivæ, quam sententiam Connimbricenses propugnant, Welsenbecius, Mynsinger & alii

ali. Sed ulterius progreditur Author & disputat, si non ad hanc speciem Justitiæ pertineat, num itaque non ad expletricem sive commutativam? & dicit nec hos, qui hanc sententiam sequuntur, magis se explicare. Ita enim negotium hoc considerare, quasi nocenti aliquid reddatur, sicut in contractibus fieri solet, decepisse eos vulgarem locutionem, qua dicimus pœnam deberi ei, qui deliquit, quod planè sit improprium. Nam cui propriè debeatur aliquid, illum in alterum jus habere. Sed cum deberi alicui pœnam dicamus, nihil nos velle quàm æquum esse ut talis puniatur. Verùm ad justitiam commutativam pertinere pœnarum irrogationem, si principiis receptis insistamus, tam evidens est, ut à quolibet etiam deprehendi possit, tum quia in pœnarum irrogatione non fit distributio aliqua boni aut mali generatim omnibus civibus, non enim pœnæ in omnes cives distribuuntur, prout aliàs onera pro proportione; si enim hoc esset, omnes cives ut oneribus obnoxii, ita pœnis quoque essent subjecti; tum quia in tali irrogatione non respicitur civis quàm civis, sed respicitur civis quàm facinorosus, quàm delinquens; justitia autem distributiva respicit cives quàm cives; tum quia non attenditur dignitas illa quam quis habet in Republica in pœnarum irrogatione, sequeretur enim magis debere puniri præstantiores in Republica, quàm ceteros, quemadmodum onera majora juxta distributionem justitiæ imponuntur opulen-

Rationes
Grotii ex-
pletrici su-
stitiæ pœ-
næ irroga-
tionem ad-
mentes.

Rationes
eidem re-
stituentes.

tioribus civibus. Et hoc ipsum Aristoteles aperte asseruit l. 5. Eth. cap. 4. (2) Perpetua instantia possunt retundi argumenta, quæ de *περὶ ἀποπέμψεως* adducuntur in pœnarum irrogatione, quasi ubi personarum respectus locum haberet, cessaret ratio justitiæ commutativæ, exemplo petito à locatione; Locatio enim procul dubio spectat ad justitiâ commutativam & tamen in locatione habetur respectus personæ. Non enim locantur ædes illi opifici, ex cujus opificio damnum facile illis accedit. Aliud itaque est persona sub ratione objecti per se, quod fit in justitiâ distributiva, aliud sub ratione objecti per accidens, quod etiam obtinere potest in Justitiâ commutativa. (3) Argumenta Grotii non concludunt. Nam 1. non absurdum est dicere, nocenti aliquid reddi, redditur enim malum pœnæ pro malo culpæ, 2. absurdum non est dicere pœnam deberi ei, qui deliquit, si enim delictum & pœna sunt relata, & ex culpa nascitur regulariter reatus sive obligatio ad pœnam, utique rectè dicetur, pœnam deberi ei qui deliquit. Quia culpa & pœna sunt relata in genere moralium, ubi unum ponit alterum, & quidem ita, ut debeat unum alteri. 3. non solidum est, quod dicit, cui propriè debetur aliquid eum in alterum jus habere, id enim procedit de personis, non autem de debito illo reali, & nexu inter culpam & pœnam. adducit etiam locum Dent. 25. v. 1. qui in Vulgata ita legitur: *Si fuerit causa inter aliquos & interpel-*
lav-

Responde-
tur ad op-
positorum.
Primum.
Secundum

Tertium.

laverint iudices, quem justum esse perspexerint illi iustitia palmam dabunt, quem impium condemnabunt impietatis, ubi Pontificii Interpretes multa de palma, quæ vel caput, vel manus ornarit iusti, cum tamen in originario nihil de illâ habeatur, sed legatur: iustificabunt iustum, & impietatis convincent impium. Non malè Themistocles Simoni-
 di respondit ut injustè pronunciaret in Iudicio petenti, neque tu Poeta bonus esses, si præter numerum caneres, neque ego Princeps probus, si contra leges iudicarem.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Natura Superiori transcribit Jus puniendi, neque illi obest Qualitas vitiosa, quæ punientem afficit.

AUthor hic multipliciter errat, (1) dicit juris hujus subjectum per naturam ipsam determinatum non esse, (2) dicit saltem indicare naturam, convenientissimum esse ut id fiat ab eo qui Superior est, & deinde de voce Superioris differit ex. Thoma, (3) dicit consequens esse ab æque nocente æque nocentem puniri non debere, juxta illud Christi Joh. 8. v. 7. Quod (1) concernit, errat quando jus puniendi non vult determinatum esse per naturam ad certum aliquod subjectum. nam i. si juxta Senecam natura com-

Ius puniendi naturaliter ad certum Subjectum restrictum est.

menta est Regem, consequens erit etiam per
 naturam determinatum esse subiectum, cui
 jus competit puniendi. 2. quia, si historiam
 evolamus ab Orbe condito, penes Principes
 familiarum fuit ut jus regendi suos, ita etiam
 corrigendi, puniendi. 3. quia, si subiectum
 non determinatum est per naturam, defecisse
 naturam in necessariis erit asserendum, quod
 absurdum. Videatur Justinus quoq; l. 1. cap. 1.
 quamvis itaque aliquâ ratione & secundum
 quid admitti posset hæc Assertio, non tamen
 simpliciter & absolutè potest ex dictis pro-
 bari. Quod (2) spectat, illud itidem erro-
 neum est: nam natura non solum indicat,
 conveniens vel convenientissimum esse, ut
 puniatio fiat ab eo qui Superior est, sed etiam
 sub ratione necessarij urget: nulla enim Res-
 publica consistere potest, in qua non sit Ordo
 imperantium & parentium. Si itaque hoc
 non solum est conveniens Reipublicæ sed
 necessarium, sequitur necessarium quoque
 esse, ut ab eo qui imperans est in Republica
 puniantur delinquentes. (2) Si vox Supe-
 rioris accipiatur eo sensu, ut is qui malè egit
 eo ipso se quovis alio inferiorem censeatur
 fecisse, non fundabitur Jus puniendi in tali Su-
 periore; Imperium enim non est ex qualicûq;
 delicti habitudine in uno ad alium, sed imme-
 diatè à Deo: Neq; qui delinquit protinus in-
 ferior est illo qui non delinquit, nisi velimus e-
 tiâ Reges subicere privatis. 3. Quod hoc ipsû
 ex Thoma depromit, id quidem non extat ar-
 ticulo primo, sed secundo in responsione
 ad ter-

Superiori
 puniarum
 exactio à
 Natura per
 modum
 necessarij
 demandat-
 tur.

ad tertium argumentum, ubi Thomas disputat, num licitum sit occidere peccantes, & in contrarium adducit illud Christi Matth. 15: *Sinite zizania crescere.* (2) rationem adducit ex conformatione voluntatis nostræ ad voluntatem divinam: si enim DEUS peccatores non vult mori, sed vult ut convertantur & vivant Ezech. 18. multò magis id homines vel- le debent, & ita conformare voluntatem suam divinæ. (3) quia occidere hominem sit per se malum, E. nullo finis intuitu esse licitum. Quæ rationes non concludunt, non (1) quia per zizania intelliguntur hæretici, non delinquentes contra leges naturales, mo- rales, & civiles; non (2) concludit, quia ju- dex non ut homo consideratur, qui confor- mat voluntatem suam voluntati divinæ in tali casu, sed ut vicarius DEI, exequens id quod facit ad Reipublicæ conservationem. Ad (3) itaque argumentum respondet Thomas, ut Grotius illud assumit, verùm non dextrè, cùm commodius dicatur, occidere hominem per se non esse malum, sed indifferens, & malum fieri ex principio, modo & fine. (3) Quod Grotius ponit itidem putidum est. Nam hac ratione facilè esset eludere omnia judicia. De Nerone pessimo homine Pau- lus dicit, ipsum esse vicarium DEI, gladium non frustra gerere Rom. 13. 2. Judex & reus non comparantur ut homines simpliciter in- ter se, ratione qualitatis peccaminosæ, sed ut vicarius DEI, & subjectus eidem vicario. 3. Quod concernit locum Christi, planè im- per-

Thomæ ar-
gumentum
I.

II.

III.

Dilatur
Primum.

Secundum

Tertium.

pertinenter adducitur. Christus enim no-
 luit Politicam agere personam, & proinde
 dixit: *non Te condemno, non autem Te absol-
 vo.* Nec malè Arias Montanus ad hunc lo-
 cum: *Quædam exempla in lege populari fu-
 rore vindicanda permiffa fuisse, afferit, in
 quo genere fuerit adulterium quoque. Per-
 mittebatur autem vindicta hujusmodi crimi-
 num populo ad exemplum, ut unusquisque
 ejusmodi pœnz spectaculo feipsum judica-
 ret, & custodiret ab illius generis flagitiis;
 ideoque testes primi erant, qui lapides con-
 jicerent, detestati flagitium illud. Itaq; per-
 miffio illa popularis lapidationis magis spe-
 ctabat populi ipsius & spectatorum admoni-
 tionem, quàm damnati capitis supplicium,
 quod aliàs per Judices constituto judicio &
 peracto carnificis opera sumi poterat. Igitur
 sapientiffimè Christus respondit, & eadem
 opera Mosis mentem aperuit, & confirmavit,
 & tentationem ita superavit, ut tentantes à
 se pudefactos dimoverit, & miseram fcemi-
 nam peccati jam pœnitundine ductam ad vitæ
 correctionem revocarit, quanquam illa
 Montani à quibusdam dispu-
 tentur.*

Ad

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Nec DEUS nocentibus condonat, nec citra finem præfixum punit Jure supremi Domini in creaturam, nec per hoc ab homine puniente se discernit.

AUthor disputat de fine pœnis proposito, & repetit illud falsum, licitum tantum esse punire, non necessarium. Vult autem probare hoc ipsum, quia multis nocentibus multa & DEUS & homines condonent.

Nocentibus nec DEUS aliquid condonat.

Atqui (1) DEUS nocentibus nil condonat, non enim potest hoc eo ipso, quo justitia vindicativa eidem est essentialis. (2) si GROTIUS hanc sententiam tueri vult, vix respondebit Socinianis, contra quos tamen scripsit in hæc ipsa materia. Illi enim defendunt, DEUM posse nocentibus condonare culpam.

(3) Quod de hominibus dicit, & illos posse multa condonare, hoc itidem falsum est, si sermo sit de hominibus in autoritate constitutis, & potestate publica armatis; contrarium enim disertissimè habetur PROV. 87. v. 15. ubi *justificans impium & qui facis impium justum, ambo abominatio dicuntur ipsi Jehova.*

Nec homini gerenti potestate licet.

2. Author de DEO disputat quid ille possit, nempe citra finem præfixum posse punire, non quidem Jure Justitiæ, sed Jure summi domini, quod probare satagit ex Pro-

DEI Actiones, quæ nituntur ipso summi Domini Jure ci-

verb. 16.

in propo-
sitū finem
nunquam
sunt.

verb. 16. At (1) dicere DEUM punire Jure summi Dominii, contradictoriè dicitur, puni- tio enim non est actus Dominii supremi, sed justitiæ, qui semper supponit culpam. (2) Jus illud summi Dominii, quod Grotius hic ponit, confictum est, & quamvis integro tra- ctatu illud propugnarit Moses Amyraldus, satis tamen congruè scoriis rejectis, quæ ex Sectâ homini adhæserunt, ipsi respondit Ste- phanus Curcellæus in Vindiciis. Hinc etiam nostri Theologi omne Jus, quod DEUS sibi vindicat in creaturas ut æquitate temperatum, ita niti aliquo DEI in creaturas beneficio statuunt. (3) Falsum est, actiones DEI in afflictione hominum posse tales esse ut nul- lum finem sibi proponant. DEUS enim in omnibus suis actionibus pro fine habet suam gloriam, & in istiusmodi punitivis aut affli- ctivis demonstrationem Justitiæ, & veritatis in comminationibus. Nec benè dictum il- lud ex Proverb. 16. adducitur, quia longè re- ctius ita accipitur: *Deus omnia disponit ad re- sponsiones suas*, adeoq; omnia ordinat, ita ut sin- gula respondeant sibi invicem. Nec rectè di- citur Deum nullo alio fine facere si impium puniat, quàm ut puniat, & voluntatem capere ex impiorum malo. Hoc enim non in- telligendum est per modum affectus, sed per modum effectus, in quantum tali- bus subducit ex quæ faciant ad ipso- rum commodum & salutem, ipse novit ab Ar- minianis phrasin propter seipsum diversimo- dè accipi, ut vel causam notet impulsivam; quia

Explicatur
locus Prov
XVI.

quia videlicet DEO ita placet; sive quia DEUS nulla alia re extra se, sed sola propria sua voluntate aut consilio, motus operatur, ut conveniat cum eo quod dicitur, Ephes. 1. v. 11. DEUM πάντα ἐνεργεῖν κατὰ τὴν βουλὴν τῆς θελήματός αὐτοῦ. & ad Rom. XI. v. 35. πάντα εἶναι ἐν τῷ Θεῷ καὶ εἰς αὐτόν. Item Apocal. IV. v. 15. Sive, ut causam finalem notet, Propter gloriam suam, idest, vel ut gloriosas & excellentes naturæ suæ proprietates manifestas faciat ac declaret, quo sensu dicit DEUS ipse apud Esaiam XLIII. v. 25. Ego Ego sum, ò Israel, qui delevi iniquitates tuas propter meipsum. & Esa. XLVIII. vers. 11. Propter me, propter me faciam, nam quomodo esset pollutum nomen meum? gloriæ quoque meam alteri non dabo, Daniel. IX. v. 17. Nunc igitur exaudi DEUS noster, orationem servi tui, & deprecationem ejus, & illustra faciem tuam super sanctuarium tuum desolatum, propter Dominum versu. 19. Domine exaudi, domine parce, domine attende & fac, ne moreris, propter te met ipsum DEUS meus. Similiter David à DEO petit Psalm. XXV. v. 11. Propter nomen tuum parce, Domine, iniquitati meæ, quia multa est. Nomen enim DEUS & DEI unum & idem sunt, vel ut ab hominibus proprietates istæ divinæ celebrentur, & gloriose prædicentur quo sensu David dicit Pl. LXXIX. v. 9. Adjuva, nos DEUS salutis nostræ propter gloriâ nominis tui, & erue nos & propitiare peccatis nostris propter nomen tuum.

B b b b

Uk

Ut quid dicent gentes, ubi est DEUS eorum? &c. quasi dicat: libera nos ut prædicemus bonitatem tuam & potentiam, & gentes causam non habeant à nobis, & propter nos, consilii & auxilii tui prorsus inopes, insultandi sancto nomini tuo, quod nos in necessitatibus tuis non modo non velis, sed nec possis juvare, aut ex manibus eorum liberare. Sive, jam, phrasis *propter semetipsum* hoc aut illo modo accipiatur, sententia loci plana ac pia est. Neque pro ipso faciunt, quæ petit ex Deut. 28. v. 63. Esaia I. v. 24. Proy. I. v. 26. cum hæc non ita sint intelligenda ut ipse opinatur, quasi delectetur poenâ & in illâ delectatione subsistat, sed effectivè. lætari enim dicitur ut pro bona operatione remunerans, ita pro peccato puniens, nec quæ de induratis & damnatis opponit, cum & Induratio possit fieri in *ἠδύδαιγμα*, & extremum Judicium gloriam pandat, ut Misericordiæ in beatos ita Justitiæ in damnatos videatur locus Esaia 66. v. 24. III. Dicit homo cum hominem sibi natura parem puniat, aliquod sibi debere habere propositum, aliter quàm DEUS, & adducit Thomam, qui concludit, vindicationem ortam ex animi livore contra peccantem esse illicitam, non autem si procedat ex Charitate. Et hoc vult, in vindicatione considerandum esse vindicantis animum; si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit & ibi quiescat, esse omninò illicitam punitionem & vindictam, quia dele-

Vindictio
quibus mo-
dis sit lici-
ta?

ctari

dari in malo alterius pertineat ad odium, quod Charitati repugnat, qua omnes homines juxta legem moralem diligere debemus; nec aliquem excusari, si malum intendat illius, qui illi injustè intulit malum; sicut non excusatur aliquis per hoc, quod odio habet sese odio habentem. Hoc enim est vinci à malo contra monitum Apostoli Rom. XII: Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, sc. ad emendationem peccantis, vel ad cohibitionem ejus, vel ad quietem aliorum, vel ad justitiæ conservationem & Dei honorem, censet Thomas licitam esse vindicationem talem, aliisque circumstantiis debitis servatis. Sicut autem hoc rectè dicitur, ita malè Grotius existimat, homines quidem debere aliquod sibi habere propositum bonum in punitione eorum, non autem DEUM, qui est ipsa justitia. addamus hîc quæ non nemo hæc Grotianis non malè opposuit: *Non deunt, qui dum dominantibus applaudere obsequiumque approbare student, plus iisdem arguuntur, quam aut recta ratio, aut publica utilitas postulat: quos inter Hugo Grotius lib. 3. de jure bell. & pac. c. XX. N. 4. et seqq. junctis cum N. 21. & seqq. ita de hoc re ratiocinatur. I. Naturam non precare, ut delinquentes puniantur. Sed non vere quo minus id fiat. Resp. Lex Natura fundenda prohibet, ut adulterium, cadem, furtum, &c. frustra si gladium, furcam, virgas non tra-*

dat. iudici, quibus puniri transgressores imperet: *Et licet natura non iubeat exerte, homines sceleratos è medio tollendos, tamen quod illa docet obscurius, Sacra Littera id multis sanctionibus clarum & perspicuum reddiderunt supra in aicatis locis. II. Tres exigendarum pœnarum fines esse: Emendationem peccantis, Vendicationem laesi & exemplum in vulgus, ex Senec. 1. de clem. XXII. Aul. Gell 6. noct. Attic. XIV. Quibus consequenter reo pœnam remitti posse autumat Grotius, si aut tres illi fines pœna cessent, aut alii fines ex opposito occurrant non minus utiles & necessarii, aut fines propositi alia via obtineri possint. Primi casus exemplum esse putat in peccato paucissimis cognito, cuius proinde publica traductio necessaria non sit. Secundi in eo, qui bene merita aut sua, aut parentum, repensari digna, culpa opponit. Tertii in eo qui verbis emendatus est, aut laeso verbis satisfecit, ut ad fines antepositos jam pœna opus non sit. Resp. Tribus pœna finibus enumeratis addendus quartus, nempe, ut malus tollatur è medio; ut ne terra inquinetur flagitiis. Et qui probabit Grotium, evenire posse, ut tres isti fines cessent eodem tempore, eademque in persona & admissio? Fieri quidem potest ut citra pœnam emendetur peccans: at, ut reipublice satisfaciat, citra exemplum in vulgus fieri nequit. Paucorum porro conscientia, & merita rei non sunt iusta indulgentia causa. Incestus à Thamarè clam & nemine conscio admissus erat, tamen flammis rea subijci iubetur. Joabi nonne magna in*

Regem

Regem & Regnum Hebraeorum fuerunt merita? Cade tamen duorum civium contaminato nequaquam parendum censuit David 1. Reg. 2. v. 32. III. Ratiocinationi sue firmanda loca quadam ex aliis Autoribus descripta adducit Grotius, d. c. XX. n. 22. & n. 4. imprimis Augustini, Seneca, Sopatri. Resp. Non auctores numerare, sed rationes atque argumenta ponderare decet, & tamen si auctoribus certare libet, non desunt quos opponamus sunt P. Martyr. 4. locor. commun. 14. n. 24. Phocylides, Sapientissimus Poetarum Plato. lib. 9. de legib. Cicero in L. Pisonem. Vellejus lib. 2. histor. Bodinus. 1. de Rep. 10.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Punitionem cuivis licitam esse non demonstratur ab Authore, nec quæ de Verberibus prodit simpliciter admitti possunt, dictumque Johanneum non satis commode adducit.

Author (1) punitionem, quæ fini antea indicato inservit, naturâ cuivis esse licitam, qui iudicio valet, & paribus vitiis non enetur, censet, respiciens ad Thomam ad quem quoque provocat. Disputat autem Thomas utrum correctio fraterna solum perlineat ad personas Ecclesiasticas, & movet dubia pro affirmativa: tum ex eo quia illud

Verû Correctio fraterna uni-
cè pertinet ad personas Eccle-
siasticas
Argumentum L

I **II** **III**

Matth. XVIII. si peccaverit in te frater tuus
 corrige ipsum, maxime pertineat ad illos, qui
 maximè curam habent aliorum; tum ex eo
 quia externa correctio est quædam eleemo-
 syna spiritualis: sicut ergo eleemosynam cor-
 poralem faciunt, qui sunt superiores divitiis,
 ita etiam superiores in spiritualibus corre-
 ctionis illud jus tantùm habebunt, tum ex eo
 quia qui corrigit alium movet illum admoni-
 tione sua in melius, inferiora autem mo-
 ventur à superioribus. Sed rectè quidem asse-
 ritur, correctionem ad omnes pertinere, ve-
 rum sub distinctione. Correctio enim vel
 est actus charitatis, quæ spiritualiter tendit ad
 emendationem fratris delinquentis per sim-
 plicem admonitionem, & talis correctio uti-
 que pertinet ad quemvis, urget enim hunc
 actum dilectio proximi imperata, periculum
 participationis ut in culpa, sic in pœna Levit.
 XIX. v. 16. vel est actus justitiæ, per quem
 intenditur bonum commune, quod non tan-
 tùm procuratur per admonitionem fratris,
 verùm etiam per punitionem, ut alii à pec-
 catis desistant dementes, talis correctio pro-
 pria est Superiorum. Argumenta autem su-
 pra posita non concludunt. non (1) quia non
 exclusivè dictum illud intelligendum est, imò
 gradatio suadet oppositum, nempe in primo
 gradu correctionem illam fraternam, quæ est
 actus charitatis. (2) non concludit, quia
 quemadmodum qui habet unde corporali-
 ter subvenire possit, quantum ad id dives
 est, ita qui habet quo subvenire possit per
 sanum

Correctio
 fraterna
 qua ratio-
 ne omnes
 respiciat?

Solvuntur
 Argumen-
 ta contra-
 ria.

1.

2.

sanum rationis judicium, ex eo quasi superi-
 or est, & potest alterius delictum corrigere.
 ad (3) respondetur non solum superiora age-
 re in inferiora, sed etiam inferiora in supe-
 riora, adeoque dari mutuam relationem. (II)
 Dicit Author in verberibus & aliis quæ coa-
 ctionis aliquid continent discrimen inter
 personas quibus id liceat vel non, non esse
 factum à natura, sed à Legibus. At hoc ip-
 sum admitti nequit: tum quia si à natura sunt
 Superiores qui regunt, etiam à natura erit
 discrimen personarum, quibus licet aut non
 licet emendare; tum quia ipse Grotius agno-
 scere cogitur, parentes in liberos habere e-
 jusmodi juris usurpationem, at hoc ipsum à
 natura est; tum quia falsi hypothese nititur,
 quasi sc. imperium non esset à natura, quod
 tamen cum ipsa natura cepit. (III) Author
 de incorrigibilibus in hac thesi locum Jo-
 hanneum quosdam accipere dicit, & esse qui
 hos ipsos esse putant, quos Johannes Apo-
 stolus ait ad mortem peccare. Verum ita
 nimium tribuit Arminianis, è quorum se-
 cta fuit, qui ita hunc locum acceperunt. Sed
 per peccatum ad mortem intelligitur peccatū
 in Spiritum Sanctum; tum quia peccatum ad
 mortem hinc oppositur omnibus, quæ non
 sunt ad mortem; hæc autem oppositio *is non*
ad mortem & is ad mortem, in eo consistit,
 quod posterius sit mortale infallibiliter actu
 mortem inferens, quod soli peccato in Spiri-
 tum Sanctum competit; tum quia de tali pec-
 cato agitur, ex quo peccator exclusus est à

3.
 Natura ad-
 signavit di-
 scrimen
 eorum qui-
 bus in pu-
 nitione ce-
 gere licet
 & non li-
 cet.

Locus I.
 Joh. V. 16.

precibus, atqui hoc est peccati in Spiritum Sanctum; tum quia de tali peccato loquitur quod dono discretionis vigentis potuit agnoscere esse ad mortem, quodque non tam circa Mores quam doctrinam cælitus revelatam fuit occupatum & illi contumaciter obstrepere, quale est peccatum in Spiritum Sanctum.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Quæ de Ultione disputat sana censerī nequeunt.

Author modos præscribit, ne qui læsus est ab aliquo, ab eodem malum patiat; & primum ponit, si tollatur qui deliquit. At cum Author loquatur de malo futuro, quod imminet læso ab eo, qui antea ipsum etiam læsit, ideoque eidem subscribi nequit: nam cum malum futurum sit in incerto, non licet illud occupare sublatione illius, à quo quis metuit. (2) Dicit ad hos fines & intra æqui terminos, si dirigatur vindicta etiam privata, si jus nudum naturæ i. e. abductum à Legibus divinis & humanis, non esse illicitam. Verum 1. falsum est vindicationem privatam non esse illicitam, eo ipso enim quo deficit authoritas publica, & potestas illa gladii, juxta quam dicitur aliquis vindex esse ad malum Rom. 13. deficit ratio liciti, 2. non potest vindicta privata locum habere, etiam ex eo, quia pugnat cum amore proximi,

• quæ priva-
ta vindica-
tio sit licita?

mi, qui est juris naturalis & moralis, 3. quod de jure nudo naturæ dicit hîc, ma è dicit; jus enim nudum naturæ, quale hîc Anthor fingit, non datur, eo ipso, quo dicitur esse abdu-
 ctum à Legibus divinis, à quibus non recedit, sed quibus potiùs consonat. (3) Allegat pro confirmatione sententiæ suæ de vindicta privata Samsonem & Maccabæos, quorum prior dixerit, se malo affecturum illos vicissim, qui antea affecerint. Verùm incommodè hoc dicitur, nam 1. apertè contrarium decretum est Prov. XXV. 29: *ne dicito quemadmodum fecit mihi, ta & faciam ei.* 2. Factum hoc Samsonis, hac sententia quasi firmatum, fuit extraordinarium, quod consequenter in ordinem & classem ordinariè licitorum tanquam exemplar quoddam non potest adduci. 3. Falsum esse fuisse privatam vindicationem. Samson enim non fuit privatus, sed Judex populi Israelitici & vindex tempore Theocratias, prout ceteri, quos DEUS suscitârat populo suo. Quapropter hæc sententia Grotii planè non potest admitti, quasi scil. nec Jus naturæ nec Jus gentium prohibeat sese ulcisci: hoc enim Soci-nianum est, & vindicta ex corruptis gentium moribus & naturæ vitio pendet, non convenit cum lege naturæ aut gentium. Hinc etiam Seneca l. 2. de irac. 32. *inhumanum verbum, inquit, est ultio, & à contamelia non differt, nisi tantùm ordine; qui dolorem regerit, tantùm excusatus peccat.* Et Musonius: *fera, inquit, non hominis est iâ cogitare, quo-*

An Samson
 flagaverit
 studio pri-
 vate ultio-
 nis

modo remordeat quis mordentem, & nocenti nocent. Vid. etiam Dion apud Plutarch. & Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. Epist. 10. De Maccabæis non multum debemus esse solliciti, quamvis & hoc dici possit, ipsos publicam personam sustinuisse. Cicero verò aut Rhetorum more loquitur, aut vindictam publicam laudat, aut de improprie sic dictâ differit, & quomodo hæc consistunt cum illis thesi quintâ hujus capituli, ubi scribit Grotius: *Talis appetitus non convenit parti rationali cuius est imperare affectibus, ac proinde nec juri natura, quia id est dictatum nature rationalis ac socialis qua talis est: dicitur autem ratio homini nihil agendum, quo nocetur homini alteri nisi id bonum aliquod habeat propositum. In solo autem inimici dolore ita nudè spectato nullum est bonum nisi falsum & imaginarium, ut in divitiis supervacuis multisque aliis rebus ejusmodi.* (4) Author dicit ademptam esse cæteris libertatem, quam natura indulserat, per constitutionem judicium, & putat naturali libertate licitam esse vindictam, sublatam autem per Judices, At (1) falsum est, ita enim licitum esset malum. (2) Judicium constitutio non extinxit naturalem libertatem, sed reliquit illam, saltem honestate circumscriptam. (3) spectè Quintilianus contrarium docet, scribens injuriæ compensationem non solum juri esse inimicam, sed & paci, esse enim legem, forum, judicem, nisi quem vindicari jure pudeat. Tandem (5) Author circa finem theses

Ab Maccabæis

Vindictæ libertatem nec natura indulsit nec judicia submovent.

seos confirmare hoc satagit ex Lege Hebræa, quæ propinquo occisi permiserit, ut extra Asyli loca homicidam interficiat, quæ lex habetur Num. XXXV. 19. Verum 1. disputari potest, num illa permissio sit permissio tantum respectu pœnæ in foro exteriori, quod scil. talis occisor impunis; an verò etiam permissio sit respectu culpæ, quantum ad sublationem peccati in foro conscientiæ. 2. quando propinquo occisi conceditur homicidam occidere, non conceditur vindicta privata, sed conceditur talem interficere post cognitionem causæ, & cum jam judicata est illa, ubi carnificis officium implevit talis propinquus, prout intelligit Augustinus quæst. 65. & ex Chaldæo Interprete satis constat, qui ita habet: *propinquus occisi homicidam interficiet, quando condemnatus fuerit in judicio*; nec non Abarbanel docet, Synedriam sententiam prærequirere. Si verò statuamus licuisse Vindicti sanguinis talem interficere extra Urbem Refugii, ut Jonathan vult, talis egrediens illam privilegio contempto luit, quod lex Contemptori statuit. 3. Posito Legem Hebræam permisisse, ex hoc ipso erit consequens, illam sublationem homicidæ non fuisse ex vindicta privata, sed legis permissione & relaxatione. sed de hoc supra.

Propinquo occisi non simpliciter permittitur fuit privata ultio per Hebræam legem.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Juris hujus potestatem naturaliter esse penes unumquemque frustra dicitur.

Uindian-
di potestas
non est pe-
nes unum-
quemque.

In quo vi-
sum sit Do-
minium in
Bestias?

Author (1) falsò supponit Juris hujus potestatem naturaliter esse penes unumquemque: tum quia ipse restringit deinde ad virum bonum, tum quia repetit falsam illam hypothesin & eidem inædificat, quasi ipsa natura non constituerit ordinem imperantium & parentium; tum quia hac ratione confusio stabiliretur, quæ nunquam in Republica admittenda. (2) Disputat de jure in bestias, an scil. prisca homines viri probi destruxerint bestias & comederint carnes. Verùm hîc probè distinguendum est inter jus & inter exercitium Juris. Jus destruendi bestias & comedendi carnes evidenter patet ex dominio cōcesso in illas Gen. I. v. 26. Nec obstat, si dicas, homini saltem ita concessam esse experimentalem quandam notitiam de naturis bestiarum habendam, cum longè aliud sit usus qualiscunque, aliud dominium, nec 2. si dicas dominium Adami & Evæ fuisse limitatum per præscriptionem herbarum & olerum, quibus debebant vesci. nam ex præscriptione certi generis in cibo, non colligitur limitatio juris & domini in reliqua, sed, si multum, saltem limitatio exercitii hu-
jus

jus juris in deligendis certis cibis; nec (3) si
 dicas, dominium in bruta posse consistere,
 quamvis non comedantur, quia multæ spe-
 cies sint, à quibus abstinemus sponte. Pari
 enim ratione concludi posset: dantur plantæ
 quædam, utpote venenatæ, à quibus spontè
 abstinemus, E. jus comedendi, E. domi-
 nium in alias non est à DEO concessum. Præ-
 supponitur enim Objectum dominii capax
 esse destructionis in Usus & Esus, habilitas
 illa, quæ in quibusdam aliis ex interveniente
 causa cessat. Alterum autem nempe ipsum
 exercitium Juris probabiliter etiam obtinuit:
 si enim antediluviani ovium pellibus uteban-
 tur ad vestitum, lacte ad cibum, cur non car-
 nibus & ad sacrificium etiam & ad usum?
 Tandem (3) Author etiam in hac thesi agit
 de iudicio zeli, & illud ipsum confirmare sa-
 tagit inter alia ex instituta lapidatione in Ste-
 phanum. Verùm 1. illud iudicium zeli se-
 ris demum temporibus fuit introductum, &
 malè refertur ad Phineam; Phineæ enim factū
 fuit extraordinarium, à nullo privato imitan-
 dum, 2. iudicium illud zeli non fuit iudicium
 quoddam merè privatum, sed aliquo modo
 publicum. debuit enim peragi præsentibus
 ad minimum decem Israelitis. (3) Iudicium
 illud zeli non potest stabiliri ex lapidatione
 Stephani, quia illa non facta fuit juxta iudi-
 cium zeli, sed juxta iudicium publicum. Illi-
 quidum enim est suppositum, quod Grotius
 & alii tenent, nempe tum temporis, cum
 Stephanus lapidaretur, *αὐτοπόλητες* non man-
 sisse

Iudicium
 zeli non
 prodit reli-
 quias pri-
 vati & pri-
 vati iuris
 ulciscendi.

fisse penes Judæos; contrarium enim docet Richardus, Montacutius Anglus; contrarium jus cudendi monetas adhuc reliquum; contrarium denique illud ipsum Johannis VIII. 59. de quo inprimis videri potest Marquardus Freherus in Dissert. Theologico-Historica ad cap. 22. Matthæi. quam benè autem cesserit hoc judicium zeli ex Josepho discitur, qui refert, quosdam se nominasse Zelotas, ac si optimis rebus studuissent, & non pessima facinora usque ad nequitiz summum, zelo affectassent lib. 4. de Bello Judaico cap. 12.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Quæ Author de Lege Evangelica præmio æternæ Beatitudinis dilectione proximi ingerit ex schola Pseudo-Prophetarum sunt hausta & reprobanda.

THesis hæc sentina quædam est errorum. Nam (I) statuit Legem Evangelicam libertatem illam arctius circumscripsisse. Atqui non datur Lex Evangelica, ut pluribus ostensum est: neque de illa dici potest, quod libertatem illam arctius circumscripsit, nec libertas illa sub V. Fœdere obtinuit. (II) Dicit, non mirum esse, quædam quæ naturâ & per leges civiles licent, vetari lege divina, eaque perfectissima, & præmium promittente hu-

te humana natura majus, ad quod consequendum virtutes requirantur, quæ sola naturæ præcepta excedant. Verùm præmium æternæ beatitudinis 1. non est præmium humana natura majus, est enim proportionatum ipsi, cum finis naturalis hominis conditi sit beatitudo, ut non solum Scriptura docet, sed etiam prolixè Cornelius Jansenius ostendit. 2. Ad præmium illud dicit virtutes requiri. At si de consecutione per viam legalem sit sermo, non tantum virtutes requiruntur, sed omnium virtutum apparatus, & præter hunc interna sanctitas, integritas & perfectio omnium facultatum. Si verò loquamur de consecutione, ut nunc se habet, præmii æterni, ad illam virtutes nullo modo requiruntur, neque per modum causæ, neque per modum meriti, neque per modum conditionis, sine qua non; idque ideo, quia ut Scriptura soli fidei tribuit justificationem, ita quoque eidem soli salvationem. 3. Dicit requiri tales virtutes, quæ sola naturæ præcepta excedant. Quod ambiguit iterum dictum. Nam aut loquitur de præceptis naturæ in statu integritatis; quatenus talia non tam erant præscripta homini integro, quam inscripta, per communicationem perfectæ sanctitatis, refulgentis in omnibus animæ facultatibus; aut loquitur de præceptis naturæ, in statu corruptionis, prout jam se habent, & inveniuntur in quibusvis Gentilibus, etiam pessimis; Si prius, falsum est ad consecutionem beatitudinis requisitas fuisse

Beatitudo æterna præmium est proportionatum Naturæ.

Quomodo ad beatitudinis æternæ consecutionem requirantur virtutes.

Ad consequendam Beatitudinem requiruntur virtutes naturam excedentes cum distinctione admittitur.

fuisse virtutes, quæ præcepta naturæ exceſſerunt. Adamus enim ſi impleviſſet præcepta naturæ in ſtatu integritatis, ſi juxta illa juſtè fuiſſet operatus, conſecutus fuiſſet ita beatitudinem. Si poſterius, ad conſecutionem præmij æterni utique requiruntur virtutes, quæ excedunt naturæ præcepta, poſito, quod virtutes requirerentur; Ratio eſt, quia præcepta naturæ ſunt imperfectiſſima in ſtatu corruptionis, & virtutes Gentilium, ut loquitur Auguſtinus, nil niſi ſplendida peccata. (III) Author legera Hebræam non modo vetare odium in proximum, hoc eſt popularem, ſed & communia quædam beneficia inimicis talibus impendi præcipere. dicit, 2. dicit, Evangelium præcipere, ut etiam benefaciamus, non modo, ut non noceamus inimicis, 3. legem Hebræam graviores injurias permiſſiſſe ulciſci, addito judice, Chriſtum autem non permittere, vi loci Math. V. v. 38. & 39. ubi vetus permiſſio, ut imperfectiori tempore congruens, rejiciatur. Verùm hæc omnia erronea, falſa & photiniana ſunt. Nam 1. Lex Hebræa quando vetat odium aſſervari in proximum, per proximum non Popularem tantum intelligit, Judæum ejusdem generis & gentis, ſed intelligit omnem hominem, explicante ipſo Chriſto Luc. X. v. 20. ad 29. neque talibus inimicis hoc eſt popularibus communia vult impendi quædam tantum beneficia, ſed etiam ſpecialia, & quidem non tantum inimicis popularibus, ſed omnibus. 2. falſum eſt,

Proximi
notio non
reſtringi-
tur ad ſo-
lum Hebræ-
um.

est proximi nomen in Evangelio fuisse ampliatum & extensum, requisitumque, ut beneficiamus etiam inimicis indistinctim, quasi illud ipsum non requisitum fuisset in V. T. Contrarium enim patet, tum ex Exod. XXIII. v. 4. Prov. XXV. v. 21. tum ex Legis Moralis constantia & immutabilitate, quæ utpote perfectissima, nullam accessionem passa fuit; tum denique ex ipso rectæ rationis dictamine, quod etiam Gentilibus aliquo modo ostendit, inimicos esse diligendos. Hinc Seneca Epist. 53. Ideo, inquit, diligendi mali, ut non sint mali, quemadmodum, non ut permaneant, sed ut sanentur à Medicis diliguntur ægroti.

3. falsissimum est, Legem Hebræis graviores injurias permisisse ulcisci, Christum autem nobis non permittere. Aut enim loquitur de ultione illa, quæ fiebat autoritate publica, sed ut ille loquitur, adito iudice; aut de vindicta privata, quæ fiebat manu, vel etiam adito iudice ex vindictæ flagranti studio. Si de priori; illa etiam permessa est in N. T. & quando Christus sese opposuit Pharisæis dicentibus: oculum pro oculo, dentem pro dente, non opposuit sese his verbis, negando compensationem in iudicio, sed retaliationem factam à privato. Si de posteriori etiam in V. T. non fuit permessa, sed prohibita, & falsum est, permissam fuisse illam talionem, ut imperfectiori temporis congruentem. Quicquid enim sit de tempore, Lex super & uniformiter mansit perfecta. (IV.) Author pergit & dicit huc

Ampliore
ulciscendi
libertatem
Lex Hebræa
non indul-
sit.

Nos Iu-
dentibus
est remit-
tendum.

Cccc

per-

pertinere, quod Christus à nobis indistinctè exigit, ut omnibus remittamus, qui in nos deliquerunt Matth. VI. id est ob sensum mali nostri malum illis nec procuremus, nec optemus. At 1. Author noster hinc Photinianis accedere videtur, 2. si ideo non obtinet compensatio in iudicio, sive contra passum, ut loquitur Aristoteles V. Eth. V. ubi usurpat vocem ἡ ἀντιπένοντος, quia indistinctè vult ut omnibus remittamus, qui in nos deliquerunt, sequitur neque potestatem summam neque Magistratus inferiores posse punire, sed potius debere remittere, atque ita impunita relinquere, quæ tamen vel maximè sunt punienda. 3. ambiguè loquitur & explicat, quando dicit, ob sensum mali nostri malum nos nec debere procurare lædenti, nec optare: aut enim loquitur de procuratione per modum vindictæ, aut per modum ordinariæ viæ juris. Prius quidem in vitio est, posterius autem neutiquam. (V) Author in hac thesi de Ultione disputat, non quatenus præteritum respicit, sed quatenus in futurum cavet, & dicit, etiam hanc condonari velle Christum: primum, si qui nos læsit, probabilia testimonia det pœnitentis animi, & 2. positò etiam quod absint talis pœnitentiæ signa, si damnum haud nimium grave sit. Verum hinc iterum errat Grotius, 1. quia hæc ultio, de qua ille loquitur, propriè non est ultio, sed est præcautio, & si ille, qui nos læsit, testimonia det pœnitentis animi, non opus est, ut multum solliciti simus, eo ipso quo lædens

De Ultione
quæ cavet
in futurum.

lædens animum mutavit, nec retinet illum in læsionem pronum. 2. quod de damno dicit, si absint pœnitentiæ signa, & animus præsumitur in ulteriorem læsionem pronus, potest utique læsus sollicitare Magistratum, ut sibi in futurum caveat, 3. quod de damno haud nimium gravi dicit, hoc ipsum ex præcepto Christi de dimittenda tunica, non potest excusare: quia propositio Christi non est absoluta, nec damnum grave aut leve propriè respicit, sed comparata, & hoc vult: potius esse dimittendam tunicam, quàm ad lites descendendum, non urgendum nimium jus, sed cedendum, salvis tamen juribus judiciorum.

(VI) Author disputat de talione, an apud Hebræos fuerit in usu, sc. Pythagorica, & negat eam obtinuisse, & quidem rectè. Disceptant autem super hoc argumento Karræi si ve Judæi Scripturarii & Rabbanitz; priores ^{יהודים} urserunt in Lege divinâ paulo post citanda; posteriores autè exposuerunt de Compensatione damni per certam æstimationem à Judicibus imponenda lædenti & dandi læso quapropter intentum demonstrandum. Probatum autem tum ex eo, quia talio ista vix est possibilis, nam si daretur talio, tum membrum rumpi possent ad alterius rupturæ æquilibrium, & vulnus illatum vulnere nec majore nec profundiore compensari deberet. At quis talionem ad amissum ita æquiparet, aut in libra expendat; tum quia talio talis est periculosa, ut si is qui vulneravit infirmioris temperamenti & tenuioris

Rejicitur talis Pythagorica.

constitutionis sit, vulneratus autem vegetæ & robustæ valetudinis; hic mutilatus est sine ullo periculo aut dispendio vitæ: iste si ex lege talionis mutiletur, periculum mortis incurret, & talio non erit; tum quia ex iniquo non parum trahit, & Reipublicæ admodum noxia est. Quid si enim qui læsit privatus sit, & læsus Consul vel Princeps, an talio æqua erit, si par læsio fiat? noxiam autem Reipublicæ esse, constat vel maximè, quia ita mutilis, cæcis, claudis, cicatricosis & infamiæ illatæ notas palam circumferentibus plena erit. Unde etiam R. Levi Ben Gerson ex hoc ipso capite ejusque versiculo 26. & 27. argumentatur. *Quemadmodum, ait, circa cadens factam nulla est differentia pœnæ inter Dominum servum suum occidentem, & quemvis alium, sed ei quoque mortis pœna denuntiatur, ita æquum esset, ut eadem sit ratio circa Damna alia in corpore illata: Atqui pro Damno illato servo, legimus impositam esse multam pecuniariam, nam Dominus à Talionis pœna absoluitur pro oculo eruto, aut dente excusso; quod si verò Lex Talionis secundum literam esset intelligenda, esset illi eadem pœna subeunda. Et, ut Grotius observat, rectè Hebræi legem illam Exod. XXI. de talione, acceperunt non Pythagoricè, sed de compensatione damni juxta arbitrium judicis, pro qualitate personarum & ratione circumstantiarum pecuniâ æstimati, si sc. reus solvendo erat. Ratio eorum erat, quia ex vi præcepti istius v. 18. percussor non tenebatur*

tur nisi ad compensationem cessationis & medicamentorum; hinc consequi ajunt, quando postea dicitur: dandum esse livorem pro livore &c. non nisi de pretio livoris accipi posse. Addunt ad hanc rationem, quod Deus Num. XXXV, districtè prohibeat, pretium animæ accipi ab homicida. Colligunt itaque mutilationes & vulnere, quæ citra mortem sunt, pretio redimi & pecuniaria multa ex arbitrio judicis compensari potuisse. (VII) In hac thesi Author adducit exempla Josephi, & dicit, quia justus fuerit, ideoque non voluisse traducere Mariam: ubi Ambrosius addat ab accusationis severitate alienam esse justæ personam. Verum 1. per vocabulum Justus intelligitur Vir animi moderati & benigni, quo etiam respicit Aristoteles 5. Eth. 14. quanquam non necessarium sit hoc ipsum, cum etiam justus hinc notare possit stabilem, rectum & firmum, ut sensus sit: Josephus noluit statim re nondum perspecta & cognita, sponsam suam in jus vocare. 2. disputat Salmasius, quid remiserit Josephus, atque cum vocabulum Græcum sit ambiguū, & velquandā notationem motet, vel prostitutionē & infamationē & Desideriū punitionis, posteriorē significationē præfert. 3. aliud est licitum, aliud est expediens quandoque; pro ratione circumstantiarū; ab accusationis severitate abstinere expediens quidem quandoque est, & hoc etiam observavit Josephus. At licitum nihilominus est accusare, imò quandoque necessaria est severitas illa, quam Grotius ponit, &

An accusare iusto non conveniat exemplo Josephi?

quidem ita ut videatur negare ipsum actum accusandi.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Malè de Misericordià divina tempore N. T. & Pœnitentia philosophatur Grotius.

Misericordia divina quomodo spectet peccata.

IN hac thesi Author refutare vult Photinianos, Anabaptistas & Wigelianos. Iterum nihil sani. Nam (1) quod de misericordia divina concedit, illam præcipuè spectare peccata contra primævam legem, aut etiam contra legem Mosis commissa ante acceptam Evangelii notitiam, in eo tripliciter errat, 1. Misericordiam divinam variabilem constituendo pro ratione V. vel N. Fœderis; cum tamen illa sit æquè ut justitia divina immutabilis. 2. de Misericordia asserendo, quod præcipuè spectârit præcepta contra primævam legem, aut etiam contra legem Mosis commissa; Nam si per legem primævam intelligit præcepta Noachidarum, ista lex non fuit primæva sive naturalis; tum quia pendebat ex revelatione, tum quia ultra præcepta naturæ progrediebatur, tum quia ratione reliquorum dictaminum non exhauriebat ipsum jus naturæ. Per legem Mosis autem si intelligit universam legem tum moralem, tum ceremonialem, tum judicialem, neque de lege

lege illa primæva, neque de lege Mosis dici potest, quod misericordia divina spectârit transgressiones contra illas præcipuè; partim quia misericordia divina nullum habet respectum ad peccata ante satisfactionem, in quantum sunt peccata; partim quia dici non potest præcipuè spectâsse peccata contra primævâ legem; quia illa maximè adversa erant justitiæ divinæ; partim quia quod de lege Mosis additur, id non potest subsistere, quia si misericordia divina, præcipuè spectavit peccata contra primævam legem, & contra legem Mosis, spectavit omnia peccata, non præcipuè quædam tantum. Lex enim naturæ & Mosis suo ambitu omnia peccata complectitur. 3. dicendo DEI Misericordiam spectâsse peccata ante acceptam Evangelii notitiam, Evangelii enim notitia non restringenda est ad tempus N. T., sed cœpit confestim post lapsum, cum dictum est Protoplastis: semen mulieris conteret caput serpentis. Gen. III. Nec obstat locus ex Act. XVII. &c. non enim dicitur ibi misericordiam divinam spectâsse peccata, sed ignorantia tempora fuisse à DEO dissimulata, usque ad promulgationem illam solennem Evangelii. II. Errat Author quando dicit, quæ post Evangelii notitiam committuntur peccata, comminationem habere judicii multo severioris, quàm illud fuit, quod per Moysen est institutum. Nam ita tempus N. T. non esset tempus gratiæ, sed severitatis, 2. Mosis judicium est severissimum, quo con-

In peccata post Evangelii notitiam severior non est animadvertitio.

sequenter severius dari nequit, dum **DEUT.** XXVII. legatur : maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus, quæ in lege scripta sunt, 3. locus ex Epistola ad Hebr. non concludit, quia pro intensione peccati ex manifestationis latitudine saltem vult intēdi pœnā, quod etiam fit secundum iudicium Mosis, scilicet ut geminato peccato etiā duplicetur pœna. III. Pessimè iterum statuit, talium facinorum indulgentiam non solere impetrari, nisi ipse homo de se quasi pœnas exegerit, I. ad Cor. XI. & quidem 1. gravi mœrore, II. ad Cor. non XI. ut citat Author sed VII. v. 8. seqq. & denique 3. **DEUM** ipsum non semper pœnitentia ductis omnem remittere pœnam, quod vel Davidis exemplo appareat 1. est erroneum: tum quia homo, non pœnas de semetipso exigit in pœnitentia, hoc enim est Pontificium; tum quia etiamsi exigeret pœnas à se, non moveretur tamen **DEUS** propterea ad facinorum indulgentiam; tum quia si facinorum indulgentia subsequitur, præsupponitur homo pœnitens & contritus quæ contritio non est ab homine, ut eliciente quoddam opus, sed à **DEO**, malleo legis in cor ejus agente. 2. erroneum est, quia quantuscunque sit mœror ille, quem homo peccator habet, non tamen pœnæ rationem habet, ut Author supponit. 3. planè papisticum est: cum enim culpa & pœnæ sint relata, & relata se mutuo ponant & tollant, impossibile est, si dicatur: **DEUM** remisisse culpam, non etiam asserere, **DEUM**

Pœnitenti-
bus non est
opus exa-
ctiōne pœ-
næ à semet
ipsis.

DEUM remisisse pœnam, quod vel ex ipso Authore confirmari potest, qui in Th. 1. pœnã dicit esse malum passionis, quod infligitur ob malum actionis: si ergo cessat malum actionis in conspectu divino, cessat quoque malum passionis. Quod concernit exem-

Nec exemplo Davidis evincitur.

plum Davidis, quo confirmare vult suam sententiam, id non est contra nos. nam aut respicit locum II. Sam. XII. de morte filii ob adulterium cum Bathseba, aut respicit locum II. Sam. XXIV. v. 10. 11. 12. ubi populus pestem sensit, ob peccatum Regis, qui numeravit illum. Si prius: quamvis mors filii occasione peccati Davidici fuerit inflicta, non tamen fuit pœna Davidis proprie sit dicta, post remissam culpam; quia omnis pœna est à Judice irato ad vindictam & satisfactionem justitiæ; remissa aurem culpa DEUS non judicis irati, sed Patris castigantis respectum induit, ideoque non tam fuit pœna quam castigatio paterna & medicinalis. Si de posteriori sit sermo, itidem non fuit pœna, quæ vindictam respexit, quod vel ex eo probari potest, quia ipse David elegit pestem, ut incideret in manus DEI potius, quàm hominum, quia multæ sint ejus misericordiæ, v. 14. Si ergo horrendum est incidere in manus DEI irati, Hebr. 10. v. 21.

utique debuit David manum DEI placati & misericordis intelligere.

Ccce 5

Ad

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Photinianis adhinnit Author
contra pœnas capitales.

Capitales
pœnz è
Christiano-
rum Repu-
blica non
sunt emo-
vendæ.

Author aliquo modo hîc videtur photi-
nianizare: nam dicit, non abs re fore
Christianis Rectoribus, saltem ex parte ali-
qua imitandum proponere exemplum Saba-
conis Ægyptii Regis, à quo capitales pœnz
in damnationem ad opus mutatæ fuerint, fe-
licissimo successu. Nam i. paria dicunt Pho-
tiniani, posse scil. sine capitalibus suppliciis
consistere tranquillitatem Reipublicæ, expe-
rientiam testari, quod supplicium capitis non
sit recta ratio homines à malo cohibendi,
neque utilem esse Reipublicæ sanguinis effu-
sionem: inde quasdam Respublicas & Regna
facinorosos non facîle mulctare capite. Quæ
Ostorodi asserta gemella videntur esse Gro-
tiano. Prælusit Ostorodo Socinus in Epi-
stola ad Eliam Arcissevium scribens: *Ad ea
qua ex me exquisitis breviter sic habeto. Magi-
stratum, quantumvis summum, gerere homini
Christiano, licere existimo; modo alioqui Chri-
stiana charitati in eo gerendo non controue-
niat. Sontes capite plectere, aut membris mu-
tilare, vix arbitror ullo modo per Christianam
charitatem ei licere. Nec, me auctore, quis-
quam Christianus qui Magistratum gerat,
audebit id facere. Difficilior mulctæ est qua-*
fit

fio de bello, nec ne defendendo. Utrum scilicet homo Christianus, qui supremum Magistratum gerat, possit, sine Christiana charitatis offensione, ad id eorum opera uti, qui suam ipsi operam locare velint, quamvis ita statuam, Christiano homini privato, non concedi quenquam, etiam per occasionem propulsandi belli, interficere, membrove aliquo corporis mutilare; Magistratu licet supremo, id ut fiat, jubente. Cateroquin armari, & una cum aliis ad impetum in vadentium hostium reprimendum, sine cuiquam cade, proficisci, tunc crediderim homini Christiano licere, ubi prius omnia tentaverit, quominus ipse proficisci cogatur; sed pecunia suam eiusmodi profectio-nem redimere queat; quod si obtinere seu impetrare non possit, praestat iudicio meo, aliquod periculum futuri scandali infirmorum in fide incurvere, quam certissimè sibi suisque ruinam accersere, ut nihil dicam de scandalo, quod non minus, imò multò magis datur, cum quis Magistratui supremo parere recusat, cui tamen in iis, quae aperte contra Christi praecepta non pugnant, parendum omninò esse inter omnes constat. Verùm malè hoc dicitur: tum quia impunitas malos reddit audaciores, & cedit in innocentium oppressionem; vix coercebuntur, si tollamus supplicia, latrones & alii desperati homines; tum quia, quamvis finis non obtineatur apud omnes, non tamen propterea cessare debet supplicium capitis ab ipso DEO probatum; tum quia David agnovit utilem esse Reipublicæ sanguinis effusionem,

nem,

nem, Ps. 101. 8. add. I. Reg. II. 31. & quamvis subscribamus Grotio, non facile esse mulctandos capite, si alia possint, & quidem faciliora remedia haberi, nihilominus de licito nulla potest moveri quæstio. Imò ut necessario, quando Chirurgus ad cauterium urgetur, ita etiam iudex civilis ad extremum illud supplicii capitalis.

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO.

Ambiguè de Officio Magistratus ambiendo loquitur Grotius.

Author dicit minimè consultum esse homini verè Christiano, ac ne ipsum quidem decere, ut ad munera publica, quæ de sanguine iudicium habent, sua sponte se ingerat, jusque vitæ ac necis in cives sibi tanquam omnium excellentissimo, & DEO cuidam inter homines deferri æquum existimet atque profiteatur. Laudatque in confirmationem suæ sententiæ Christum, hoc ipsum reprehendentem Matth. VII. 1. Cæterum meritò hic in Grotio reprehendimus insidiosam ambiguitatem. Dicit neminem sua sponte ingerere se debere, qui sit verè Christianus, ad munera publica, quæ de sanguine iudicium habent. Quod quidem verum est, si dextrè intelligatur. Nam obtrudere se Republicæ, involare jura, arripere, injustum & indecens est. Verùm plus hac phrasi occul-

occultat Grotius, præprimis, si causam spectemus: nam idèd vult aliquem Christianum non spontè se debere ingerere, quia iudicium sanguinis & periculosum sit Christiano, & illum non decens. Quod affine est assertioni periculosa Anabaptistarum & aliorum, qui putant Christianum non posse Magistratum gerere ob sanguinis effusionem. 2. Reprehendimus, quod jus vitæ & necis deferri iniquum existimet, alicui homini tanquam DEO in his terris, ita enim falsum erit, quod dixit Apostolus Rom. XIII, 4. gladium non frustra gerere Magistratum, esse ministrum DEI, ipsum summum Imperatorè accinxisse. Et sanè si summa potestas est vicarius DEI in his terris, si Deorum nomine coronantur Principes in ipsa Scriptura Ps. 82. hæc Grotiana non subsistunt. 3. Reprehendimus merito, quod pervertit mentem Christi Matth. 7. Non enim Christus agit de iudiciis publicis, sed de privatis, iniquis, temerariis, superciliosis: quod patet tum ex toto contextu & explicatione v. 3. & seqq. tum ex testimonio Patrum, præprimis Hieronymi, qui ita in hunc locum: *Si iudicare prohibet, qua consequentia Paulus in Corinthe iudicat fornicantem, & Petrus Ananiam & Saphiram mendacii coarguit?* tum ex eo quia scopus Christi est reprehendere illud iudicium, quod ex meris suspicionibus est ortum, ex proximi contemptu profectum, nullam habens rationem infirmitatis humanæ, adeo-

Cognitio-
nes Capita-
les Christi-
anis dero-
gandæ non
sunt.

que

que reprehendit Christus illos nasutulos, de quibus Horatius l. 1. Satyr. 3. scribit:

Cum tua pervideas oculis mala lippus in-
untis,

Cur in amicorum vitis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurinus.

Ad Th. XIX.

OBSERVATIO.

Ad Peccatum non requiritur Libertas semper, ut sentit Grotius.

Author iterum graviter errat, actus inevitabiles naturæ humanæ peccatorum censui eximendo, dicit enim dubitari posse, an hæc rectè & propriè peccata dicantur, cum libertatem quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerata non habeant. Errat 1. quando illud quod inevitabile peccatorum numero eximit; peccatum enim originale est inevitabile, nobis insciis adnascitur, & tamen est propriè sic dictum peccatum. Concupiscentiam enim originalem Apostolus apertè peccatum appellat Rom VII. v. 7. & qui rationem peccati non haberet, cum definitio peccati illi competat, nempe deviatio sive recessus à lege? nec in Christo fuerit, qui tamen omnia habuit consimilia nobis præter peccatum. 2. Errat, quando ad peccatum requirit libertatem non solum in specie, sed & in genere. Sanè, si hæc hypothesis staret, sequeretur irrogenitos & induratos

Peccatum inevitabile verè peccatum nominandum est.

Peccatum esse potest quod non sit liberè.

duratos non peccare, quia sunt arbores malæ, & consequenter nō possunt nō malos fructus ferre, neque liberè peccant, si de libertate etiam generica sit sermo: etsi enim hoc, illud, & istud peccatum liberè designent, generatim tamen semper & necessariò peccant. 3. quando Author dicit, esse quædam hic & nunc inevitabilia peccata, ob corporis concretionem in animum transeuntem, aut adultam consuetudinem, quæ tamen puniri soleant, non tam in sese, quàm ob culpam præcedentem, malè hoc ipsum dicit: nam ubi consuetudo peccandi accessit, ibi sanè etiam ad illam attenditur, & puniuntur istiusmodi peccata in sese, eo ipso, quo geminantur & consuetudine roborantur.

Ad Th. XX.

OBSERVATIO.

Etiam quæ non videntur ita incur-
rere in societatem vitia, nihilominus
puniri possunt.

Author dicit 1. non esse punienda pec-
cata, quæ nec directè nec indirectè spe-
ctant ad societatem humanam, excipiendas
tamen esse pœnas emendatorias, & tandem
punientos quoque non esse actus oppositos
virtutibus, quorum natura coactionem om-
nem repudiat. At (1) vix dari pos-
sunt peccata, quæ nec directè nec indirectè
spectant

Peccatum
omne lædit
aliquo mo-
do societa-
tem homi-
num,

spectant ad societatem humanam. cum enim homo sit animal sociale natura, cum constituat membrum alicujus Reipublicæ, peccando utique etiam in se, peccat indirectè in Rempublicam. (2) Si ponamus tale peccatum, quale e. gr. fuit olim masturbatio apud servos, mutilatio proprii corporis, tamen istiusmodi delicta ita sunt comparata, ut quamvis alium hominem non lædant, puniri tamen possint; imò eo graviora esse censentur, quo non egrediuntur suppositum, & alterum diversum lædunt, sed propriæ naturæ vim inferunt. (3) Ipse Grotius agnoscere cogitur in tali casu pœnas etiam locum habere, licet ratione finis dicat emendatorias. Quicquid autem sit de fine, manet tamen pœnam hîc locum habere posse. Nec enim omnis pœna omnem finem intendit. quid? quod talia vitia quæ supra recensuimus, noceant utique exemplo, honestati publicæ, quam Respublica tueri debet, sunt inimica & noxia. Tandem quod dicit de actibus oppositis virtutum, quarum exercitium liberum e. g. misericordiæ, liberalitatis, gratitudinis, non esse punibiles aut puniendos, id ipsum non est admittendum: tum quia hæc est imperfectio Juris humani, quod tales actus non castigentur; tum quia, si quis per immisericordiam potest eo usque negligere proximum ut moriatur, tunc manet illud Augustini: *Si non pavisti, occidisti, & censetur talis neglectus misericordiæ homicidiû virtuale, læditq; Rempublicam*; tum quia observantibus Anglis

Scripto-

Scriptoribus apud gentes etiam prudentiores istiusmodi actus severè puniuntur, præprimis Ingratitudinis, apud Sinenses maximum Asiæ populum.

Ad Th. XXI.

OBSERVATIO.

Rectè dicitur interdum licitum esse ignoscere.

Author disputat, an ignoscere liceat interdum, & contra Stoicos disputat, qui contrarium tuentur. Videtur autem pro Stoicis militare; tum quia interest Reipublicæ crimina non manere inulta; tum quia pœnæ persecutio Legis authoritati reservatur, tum quia, qui omittunt punire peccato commertum faciunt, & adjuvant, atque sunt in causa, ut plures sub spe veniæ peccent. Hinc Bodinus l. 3. c. 5. de Republica scribit: *Gravius peccat Magistratus commiserationem affectans, quàm si crudelis videatur, quoniam hæc cives in officio, metu legum & pœnarum continet; illa mores ac leges Civitatis solvit, peccandique licentiam impunitate proposita solet afferre.* Verùm ut hæc videantur concludere, non tamen concludunt. Non 1. quia interest quidem Reipublicæ, sed non semper, ordinariè sc. non extraordinariè ob rationem quandam idoneam, quæ suadet à rigore recedere. 2. non concludit, quia pœnæ quidem persecutio Legis authoritati re-

An liceat interdum ignoscere? Tuentur negativam Stoici.

Refelluntur.

Ddd

fer-

servatur, sistendo intra legis septa; justum tamen aliquid potest esse etiam si recedat à lege ex rectæ rationis dictamine ob causam quandam prægnantem. 3. non concludit, quia nos non probamus frequentem illam veniam, sed raram, & rationibus certis subnixam; utut autem Author rectè contra Stolicos disputet, malè tamen statuit pœnam non esse debitam, sed licitam tantùm, prout hoc ipsum supra excussimus.

Ad Th. XXII.

OBSERVATIO.

Quæ de pœna ante legem pœnalem, respectu ad parentum merita habito repugnantia cum Justitia proponit, cum grano Salis sunt accipienda.

Author (1) dicit ante legem pœnalem constitutam dubium non esse, quin pœnæ locus esse possit, sed non ideò sequi debere eam exigi, probat hoc ipsum, quia hoc pendeat ex connexionem finium, addit exempla, peccatum paucissimis cognitum, peccatum bonè meriti, & tandem subjungit, facile pati rationem abstinere à pœna, quia etsi justitiæ non repugnet, tamen repugnare Charitati. Atqui 1. non potest ante legem pœnalem constitutam pœnæ locus esse, sicut enim ubi nulla lex, ibi nulla prævaricatio, ita ubi nulla lex pœnalis constituta est, pœ-

An ante
constitu-
tam Legem
pœnalem
pœnæ lo-
cus?

na locum habere non potest, loquitur autem Author non de Lege naturæ, sed de lege positiva, ut tum phrasis docet, tum collatio hujus thesios cum thesi 24. (2) quod dicit ex connexionione finium pendere, id quidem aliqua ratione concedi potest, sed non absolute: nam potest pœna esse debita vel licita non tam ex connexionione finium, quàm ex ipsâ dispositione Legislatoris, qui vult in transgressionem animadvertere. 3. Quod concernit exempla, illa non sunt extra controversiam: quia (I) quamvis delictû aliquod sit occultum, sufficit, si læsus sit proximus, ex qua læsione necessaria est compensatio. (II) ad benè merita propria vel parentum respicere, non est Judicis, qui secundum Justitiam commutativam agit in inflictione pœnarum. (III) Falsissimum est facile pati rationem abstinere à Punitioe, quia Punitio Charitati repugnet; tum quia, quod charitati repugnat, quæ proximo debet amorem, illud quoque repugnat Justitiæ, quæ assignat unicuique suum; tum quia, quod repugnat Charitati, repugnat Decalogo. Charitas enim DEI & proximi diffusa est per totum Decalogum: quis autem dicet pœnam justam repugnare Decalogo, quæ transgressoribus Decalogi debetur? tum quia, si, ut ipse Grotius asserit, pœna quædam emendat, quomodo potest adversa esse Charitati, cum actus Charitatis sit corrigere & emendare proximum devium?

Parentum
meritis lu-
dex justus
non attendit
Abstinere
à Punitioe.
ne ratio nō
patitur.

Ad Th. XXVI.

OBSERVATIO.

Causam extrinsecam liberantem aliquem à pœna legis non commodè explicat, & malè de peccatis Ignorantiæ per hostias expiatis loquitur.

Author agit de causa extrinseca liberandi aliquem à pœna legis, & dicit illam esse vel ex merito aliquo, aut alia re commendante, aut etiam spe magna in posterum: quod causæ genus, inquit, tum maxime sufficiet, si ratio legis saltem particulariter cesset in facto, de quo agitur; addit in V. fœdere delicta per ignorantiam hostiis fuisse expiata, at in N. Fœdere DEUM verbis & exemplis testatum, se ad talia resipiscentibus condonanda esse facilem Luc. XXIII. 34. Verum

In delictis
non expi-
at Legis
ratio.

(1) si ratio legis cessat in facto aliquo, de quo agitur, tunc non opus est dispensatione aliqua, quæ dicit relaxationem legis publica autoritate factam; nam ratione legis cessante, cessat ipsa lex, & potest ostendi hoc ipsum, & non opus est autoritate publica in tali casu, sed declarari & exponi potest sufficienter, Legem in tali casu non stringere. (2) Observandum hîc, quia *ἡμεῖς*, interpretatio, & dispensatio confunduntur à Scripturibus, ideò confusè quoque hîc locutum esse Grotium, cùm tamen hæc accuratè sint distinguenda. Nam *ἡμεῖς* est virtus, quæ mentem

Quid *ἡμεῖς*
est?

mentem Legislatoris potius quàm verba considerans, indicat legem tali vel tali casu non obligare. Hinc in tali casu lex non obligat eo ipso, quo Legislator hunc vel illum casum particularem vel non voluit comprehendere, eo quod non præviderit, vel, si prævídisset excepturus fuisset. Ut, si tempore belli prohibeatur, ne ulli injussu Magistratus portæ aperiantur, interim cives ex agris hoste eos persequente ad Urbem confugiant, æquitas dicat utique absque mora aperiendas esse portas. Vid. Cajetanus, Sotus, & Castro Palao disput. 5 de Legibus, puncto 3. §. 2. Interpretatio autem prout ab *Interpretatio* distinguitur, est benigna legis quoad sensum verborum in particularibus casibus cum prudenti moderatione explicatio, & vel authentica, facta ab eo qui habet potestatem interpretativam, vel usualis, facta per legitimam consuetudinem, vel doctrinalis, facta per declarationem Dd. & Jctorum. Dispensatio autem est juris alicujus relaxatio, sive actus *Dispensatio* Jurisdictionis, quo quis in particulari eximitur à legis obligatione. Hinc 1. dispensare est saltem illius, qui habet potestatem & Jurisdictionem ordinariam vel extraordinariam, 2. per relaxationem non intelligitur passiva, quæ potius est defectus dispensationis, sive immunitas subditi ab obligatione, sed activa, quæ est actus Jurisdictionis, vinculum legis relaxans, (3) colligimus, dispensationem differre ab absolutione tam à culpa quàm à pœna, item à licentia simplici, item

Dddd 3.

ab

Male di-
citur,
quia per i-
gnorantiã
committe-
batur in
Iocunde V.
per hostias
expiata.

ab irritatione, abrogatione, *ἄμεκεια*, & pri-
vilegio. (3) Absurdissimus est Author in fi-
ne thesæos; tum quia in V. T. non saltem pec-
cata ignorantiz, sed & cætera fuerunt ho-
stias expiata, tum quia DEUS in N. T. non
aliter est facilis ad condonanda peccata, quàm
in V. T., neque in illo Lucae XXIII. igno-
rantia allegatur, ut causa remissionis, sed sal-
tem proponitur ut qualitas subjecti, cui re-
missio petitur: tum quia in V. & N. T. omne
peccatum non nisi sanguine Christi fuit ex-
piatum, in V. quidem typicè per sacrificia,
in N. realiter, prout hoc ipsum constat aper-
tè ex Epistola ad Hebræos IX. 22.

Ad Th. XXIX.

OBSERVATIO.

Ἐπιθυμία quam Jacobus sistit diver-
sa est ab illa, quæ ab Authore propo-
nitur.

Ἐπιθυμία
quid Iaco-
bo II. 13.

Author hic iterum errat (1) *Ἐπιθυμίαν*
sub nomine appetitus in theatrum pro-
ducendo. Nam *Ἐπιθυμία* in loco Jacobi non
notat appetitum aut inclinationem naturalem
homini in prima creatione inditam: Omnia
enim à DEO fuerunt bona condita; nec no-
tat appetitum in natura lapsa, in quantum di-
dit facultatem naturalem; talis enim ad ip-
sius naturæ conservationem est necessarius;
sed notat concupiscentiam, peccatum origi-
nale,

male, proclivitatem ad vitia, quæ per lapsum est introducta. (II) errat Author appetitus nomine talis declinandi mali impetum comprehendendo, & honestissimum vocando. Talis enim sub nomine *Injuriæ* non comprehenditur, & dato ex occasione saltem ipsum ita ampliare vocabulum, distinguendum tamen erit inter metum, qui cadit in virum constantem, & dicendum, quòd metus prior cadens in virum constantem aliter explicari debeat in ordine ad evitandam culpam, aliter in ordine ad evitandam obligationem ex promissione aut contractu; nam ut metus factum alioquin illicitum, cujus causa existit, à culpa excuset, necesse est ut sit majoris mali, quàm sit illud, quod metus causa suscipitur, juxta Sotum & Covarruviam, secundum quam acceptionem metus etiam gravissimi mali e. g. tormentorum & mortis, non censetur justus, si ob eum aliquis in peccatum quamvis minimum consentiat; quælibet enim mala potius tolerare vir fortis debet, quàm in peccatum consentire, quia peccatum etiam minimum omnibus malis majus est, teste Aug. l. i. de C. D. c. 18. Hinc idem Aug. definit: neque pro tuenda vita propria vel propria vel proximi mentiri fas esse. (III) Author in hac thesi dictum Johanneum adducit, & tres appetitus notari dicit, primum Voluptatum, secundum Opum sive divitiarum, & tertium Gloriz sive honoris. Verùm

An habendi cupiditate si-guet Oculorū Con-

cupiscen-
tia. I. Ioh.
II, 167

liquidum est, ut quidem certò supponit. Nam per cupiditatem oculorum Augustinus, Beda & Glossa ordinaria intelligunt vanam illam omnia videndi, cognoscendi & experiendi curiositatem, Beza autem per concupiscentiam oculorum intelligit libidinem, idque conformiter dicto Christi Matth. V. 8. Verùm pro Grotio tamen facere potest unum & alterum argumentum. Patrum quippe sententia non subsistit, quia non probabile est Curiositatem, quæ vitium mentis, hinc fuisse inter vitia appetitus recensitam. Bezae autem sententia non subsistit, quia libido ad primum membrum pertinet, nempe ad concupiscentiam carnis. Pro Grotio autem facit & ejus explicatione (1) quod ipsa Scriptura avaritiam sive cupiditatem habendi sæpius per concupiscentiam oculorum exponat, prout constat ex Eccles. IV. 8. Proverb. XXVII. 20. & Ecclesiast. XIV, 9. (2) Avaritia commodè vocatur concupiscentia oculorum, quia præcipuè per sensum oculorum intrat in animum, quemadmodum concupiscentia carnis sive gula & luxuria intrat per duos maximè carnales sensus, gustum scil. & tactum. (3) quia ipse Christus remedia contra hæc tria proponit jejunium scil. adversus carnis concupiscentiam, eleemosynam contra avaritiam, humilem orationem contra vitæ superbiam Matth. XVII, 20. Luc. XI. 41. Et sanè hæc tria vitia sunt illa, quæ communiter homines pro summo bono habent. Hinc Baptista Mantuanus :-

Am.

*Ambitiosus honos, & opes & sæda voluptas
Hæc tria pro trino Numine mundus ha-
bet.*

Ad Th. XXXII.

OBSERVATIO.

De Talione rectè pronunciat,
quanquam circa Legem Deut. 19. 19.
disputari possit.

Author agit de Talione, cujus naturam
supra etiam juxta Hebræorum senten-
tiam satis expendimus. (2) Probat talionem
non constituisse in illa Pythagorica compen-
satione, sed proportionali, quia furta qua
druplo aut quintuplo fuerint punita in Lege
Hebræa, omnium perfectissima. At 1. Lex
illa Hebræa de restitutione quartupli & quin-
tupli non fuit Lex moralis, sed forensis. 2.
absolutè perfectissima dici non potest, sed
saltem comparatè & secundum quid, attem-
peratè scil. ad Rempublicam Judaicam. 3.
Theodoretus rationem quidem diversitatis
reddere voluit, cur quinq; boves & quatuor
tantùm oves restitui debeant, hanc, quia gra-
viori delicto gravius supplicium debeatur,
quo stante Grotius nil probaret. Verùm gra-
vius esset supplicium etsi solùm quatuor bo-
ves redderet. Hinc dici potest rationem di-
versitatis esse, quia majus damnum infertur
domino in furto bovis quàm ovis, propter
utilitates quas interea attulisset bos, arando,

An quæ da-
tur in Ta-
lione pro-
portionalis
compensa-
tio consti-
tui possit
ex Lege de
restitutio-
ne quadru-
pli aut
quintupli?

An ex Deu-
ter. XIX. 19?

vehendo & ceteris operis. (3) Author in hac thesi colligit hoc ipsum, quia etiam delicta quædam non consummata duriter puniantur, & laudat in hanc rem legem Deut. XIX. 19. Verùm an hæc lex faciat pro Grotio disputari potest, tum quia saltem in certo casu hæc lex locum obtinebat, nempe in casu Apostasias, atque ita erat concepta, si sc. falsum testimonium aliquis dixerit contra fratrem suum, in casu religionis, quòd scil. à vero DEI cultu ad idololatriam voluerit deficere. Hinc etiam quidam putant hanc legem esse appendicem legis contra idololatrias promulgatæ Deuter. XVII. 2. 3. tum quia nondum evictum est à Grotio, quod talis falsus testis capitali supplicio fuerit afficiendus. Dicitur enim saltem *auferes malum de medio tuo*, quod non necessario accipiendum est personaliter, sed accipi potest realiter, quasi diceretur: auferes malum illud, scelus scil. falsæ accusationis. Quo sensu acceperunt LXX Interpretes; tum quia in sequentibus additur, versu sc. 21. *animum pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exigas*, quibus talio potius stabilitur, quàm tollitur. Loquitur autem juxta complures Interpretes lex de tali teste mendacii, qui est testis violentiæ, quærens actu ipso violentam Proximi oppressionem, actu accusans, & contendens omnibus modis & nervis, ut innocens opprimatur.

Ad

OBSERVATIO.

Quæ ex Exodi 22. v. 1. & 9. producuntur ab aliis aliter conciliantur.

Author adducit legem ex Exod. XXII. v. 1. & 9. & docere vult ob facilitatem legem divinam Hebræis datam gravius punire furtum de pascuo quàm de domo. Verùm hæ leges allegatæ aliquid habent in recessu, & videntur adversis cornibus pugnare; Lex sc. v. 1. & lex versiculi 9. allegati. Nam v. 9. jubetur Fur tantum duplum rependere, Versu autem 1. jubetur pro bove ablato quinque boves, pro pecude minore quatuor, nisi istæ bestię etiamnum integræ in Furis manibus deprehendantur; Eo enim in casu duplum sufficit, v. 4. & Levit. VI. 4. saltem ablatum restituere, & quintam ejus superaddere jubetur. Respondetur itaque Legislatorem in v. 1. & 4. loqui de quibusvis pecoribus, quæ in pascuis relinqui solent, quia horum furto auferendorum occasio semper est in promptu, v. 9. de iisdem pecoribus sed concreditis, quorum quia furtum præcaveri potuisset, puta, si alteri pecora concredidisset, pœna levior; Lev. autem XVI. sermonem esse de eo, quem furti pœnitet: Dicitur enim v. 6. arietem offerre, tanquam qui dolens delictum suum vult expiare; leviori autem pœna lex illum afficit, quem delicti pœnitet, quàm qui pertinaciter occultat vel defendit, & non nisi nemum convictus confitetur, vid, locus Num.

Componitur Verius Primus & nonus Exod. XXII.

V. 7. & quæ habet Constantinus L'Empereur de Legibus Hebræorum forensibus, ita scribēs: c. 7. §. 1. *Verba legis de omni re interversa de bove de asino, de parva pecude, de vestimento, de omni re amissa, quum dixerit illum ipsum esse ad ipsos magistratus finito negotium amhorum, quem condemnabunt Magistratus, rependito duplum proximo suo. Huius Talmudici, in omnibus rebus pœnam dupli in solis bubus & parvis pecudibus pœnam quadrupli & quintupli obtinere concludunt, nam duplum & quadruplum in eisdem rei furto exigi potest pro diverso furandi modo, concredita enim quæcumque sint duplo rependuntur; at bos & parva pecus si nō concredantur, sed surripiantur, bos quintuplo parva pecus quadruplo compensatur. Nisi ista bestia etiamnum integra in furis manibus deprehendantur, eo enim casu duplum sufficit, ut legimus Ex. 22. v. 4. quia autem hoc v. 4. asinus etiam commemoratur, nimis à Judæis com. 1. coarctari existimo quum primū & quartum inter se collata quavis pecora intelligenda esse suadeant, qua in pascuis relinqui solent. Hac enim videtur augendi pœnam ratio, quod ista animalia furandi occasio semper in promptu sit, qua propter ne querum tantus est usus & necessitas (qua altera ratio est temere & frequenter) quia factu facile sit furto auferantur vel adducantur tanta sancita fuit multa. Ideo enim v. 9. duplum tantum exigitur, quia tale præcaveri furtum potest, puta si alteri pecora non concredamus, de hoc enim ibi sermo est. Deinde usum & utilitatem istarum bestiarum*

fiarum etiam spectari inde liquet, quod si
 bos ovis &c. ad huc vivi in furis potestate sint
 non nisi ad duplum teneatur vers. 4. quando-
 quiaem eo modo Dominus nullum damnum in
 istius pecoris corpore percipit, quare etiam bos
 quintuplo rependitur, quia ejus usus major.
 Hec igitur duplex ratio spectanda. Unde de
 sim. libus simile judicium ferendum est. Verum-
 enimvero ut alia loca conciliantur. distinguen-
 dum autumo inter eum, qui invitus deprehen-
 ditur, & culpam agnoscere cogitur, & eum qui
 sponte pœnitentia ductus culpam fatetur &
 deprecatur. *Levit. 16, v. 4.* ita legitur, restitues
 rapinam ipsam, quam rapuit, aut ipsam rem
 dolo interversam, aut depositum ipsum quod a-
 pud se depositum erat: aut ipsam rem amis-
 sam quam invenit vers. 24. aut de quocunque
 juraverit mendaciter rependes illud quanti
 fuerit & quintam ejus superaddet ei. Hic
 multa minor injungitur, quare *Exod. 21.* cum
 tamen furtum ibi 1. & vers. 9. descriptum hic
 inter alia contineatur. Sed ex adjuncta expia-
 tione ad quam arietem afferre dicitur vers. 6.
 de pœnitentiam agente agi, constare judicio.
 Quem enim facti pœnitet ideoque expiationem
 querit, minus lex condemnat, quam pertinacem
 furem, qui non nisi convictus vi ad resti-
 tutionem cogitur, quod de pœnitentia dixi è
Num. 5. v. 7. magis confirmatur siquidem in
 hac verba **DEUS** loquitur: si confitebuntur
 quicq; peccatum suum quod fecerunt, tum re-
 stituens reatum suum quanti est, quintam ejus
 superaddet ei, dabitque ei in quem rem est.

Ad

Ad Th. XXXIX.

OBSERVATIO.

De Concupiscentia in Decalogo prohibita non theologice pronunciat.

Lex de non concupiscendo motus animi etiam internos spectat.

Author gravissime errat, scribendo illud *non concupisces* quod in Decalogo est, si scopum spectes, spirituale est, & vult nos esse mente purissimos, si ipsum præceptum externum sive carnale mandatum, ad motus animi pertinet, qui facto produntur, & putat se hoc probare posse ex Marci X. nec non ex Michæ II. v. 2. Verum (1) errat quando illud *non concupisces* putat spectare ad motus animi qui facto produntur, cum tamen si de nono præcepto sit sermo pertineat ad motus quoque animi inter nos, intra viscera mentis adhuc conclusos, si verò de decimo ad causam concupiscentiam habitualem, peccatum sc. originale. Quod ipsum patet tum ex eo, quia ultimum præceptum ita conceptum est: non facias te concupiscere, E. prohibita est in illo illa concupiscentia, quæ facit concupiscere se ipsam peccatura peccans, seminarium illud omnis mali, tum quia sic 9. & 10. præceptum cum 6. & 7. præcepto confunderetur, quæ actum istiusmodi externum notant; tum quia omnes orthodoxi Theologi cum Patribus non ita acceperunt legem illam de non concupiscendo, quasi motus externi saltem in isto essent prohibiti.

hibiti. (2) errat quando Legem Decalogi moralem distinguit consideratam secundum spirituale & scopum, & secundum carnale si-
ve præceptum externum. Nam 1. præceptum externum est illud quod indicat mentem Legislatoris; mens autem Legislatoris est, ut simus vi istius Legis latæ mente purissimi, 2. nunquam in Scripturis Lex moralis dicitur εντολή σερικη, ut Grotius loquitur, si-
ve præceptum carnale, sed Lex Ceremonialis ita tantum dicitur Hebr. VII. v. 16. idque ideo, quia in ceremoniis externis occupabatur Levitici sacerdotii, in carnalibus atque externis actibus, quæ durare debebant usque ad tempora correctionis. Hebr. IX. v. 15. 3. aperte Apostolus Paulus contrarium dicit, de Lege enim morali quanta quanta est dicit illam spiritualem esse, omni carnali oppositam Rom. VII. v. 14. (3) Errat adducendo Marcum & Micham. Marcus enim non facit pro Grotio: tum quia alii hoc verbum accipiunt ut octavi præcepti partem; tum quia Marcus non respicit septimum præceptum, prout Grotius opinatur, sed juxta quosdam ipsum 9 & 10. Decalogi; tum quia generaliter accipi potest in ratione læsionis, quæ prohibetur & dilectionis proximo impendendæ quæ præcipitur. Locus autem è Micha adductus contra Grotium militat, & contrarium exhibet. Rapere enim ibidem à concupiscentia, è qua erat oriundum, distinguitur, ut sensus est, ubi insederit Cordi eorū secundum Christophorum Castrum agrorum, dome-

Lex moralis non dicenda est carnalis.

Rapere quid in loco Michæ II. 2.

domorumq; fratrum suorum Cupiditas statim
 Vi in eos involant sibi que eripiunt. nec male
 hic Tarnovius. *Hi sunt, qui concupiscunt
 agros, quos rapiant, & domos, quas adimant,
 opprimentes virum cum domo ejus; & unum-
 quemq; cum possessione ipsius & vi & technis &
 possessionibus suis ipsos excutiunt, in homines
 ipsos & bona eorum grassantur, Mar. si libet,
 licet, & si tenentur desiderio aliquarum rerum,
 mox occupant illas aut vi, aut astutia quadam.*
Vatabl. διασειοντες καὶ συνοφασκύντες Luc. 3. v.
14. Vide & confer cum hoc loco Amos. 2. v.
3. 5. & 3. v. 9. 10. & 4. v. 1. & 5. v. 11. 12. &
8. v. 5. 6. Esa. 5. v. 8. Hab. 2. v. 5. ubi eadem
hec insatiabilis habendi cupiditas, & illi con-
juncta violentia reprehenditur. Ut enim fe-
bricitantibus nullus arrior lectus, sed ex hoc in
illum deportati in nullo possunt conquiescere;
ita avari omnes agros & omnes domos appetunt
cum tamen has omnes, imò ullam rectè & tran-
quillè inhabitare nequeant, sed velut hydropi-
ci siti insatiabili semper excruciiati miserè po-
rennt, & quibus vix regia sufficere poterat, hos
exigua urna, & parva terra portiuncula ca-
pit, sicut de Alexandro M. dicebat. Poeta:

Unus Pelleo juveni non sufficit orbis,

Astuat in felix angusto limite mundi.

*Cum tamen à sigulis munitione intraverit
 urbem,*

Sarcophago contentus eris, mors sola fatetur,

Quantula sint hominum corpora sepulcra.

Juvenal. Satyr. 10.

Ad

Ad Th. XL.

OBSERVATIO.

Jus Regum in quosdam non sub-
jectos non commode explicatur.

Author disputat de jure Regum, & qui
pares Regibus, & asserit (1) illos ob eas
injurias quæ ipsos peculiariter non tangunt, &
in quibusvis personis jus naturæ aut gen-
tium immaniter violantibus jus obtinere pœ-
nas poscendi, & quidem habere non pro-
priè qua aliis imperant, sed qua nemini pa-
rent, subjectionem enim aliis id jus abstulif-
se. Probat hoc ipsum exemplo Herculis,
proinde naturale in tales barbaros bellum
esse. (2) approbat sententiam Innocentii
Pontificis contra Moralistas Franc. Victori-
am, Vasquium, Azorium & Molinam, qui
statuit bello peti posse eos, qui in naturam
delinquant. Et tandem (3) refutare cona-
tur Moralistas ex eo, quod falsa hypothefi
nitantur, cum sentiant puniendi potestatem
esse effectum proprium Jurisdictionis Civi-
lis, cum hoc falsissimum sit, & potius statuen-
dum sit, puniendi potestatem venire ex jure
naturali; addit & alia, quæ breviter per-
stringemus. In primo puncto errat Groti-
us, tum statuendo Reges jus habere pœnas
poscendi etiam ab illis, qui non sunt subditi,
cum contrarium sit verum; Qui enim non
est subditus, ab eo pœnas Rex aliquis non
E e e e potest

Non potest
exigere pœ-
nas Rex ni-
si à Subdi-
to.

Potestas
Regum ex-
sequendi
fundatur
in aliquo
positivo.

Morali sta-
rum sen-
tentiã in-
fertur

potest exigere, eo ipso quo non est iudex il-
lius: Imperii enim & iudicii effectus est exi-
gere pœnas ab hoc vel illo delinquente, nisi
delinquatur in loco territoriali, vel aliquid a-
liud accedat; tum causam allegando non ge-
nuinam nec sufficientem, violationem sc. ju-
ris naturæ; possunt enim populi barbari vi-
vere barbarè, nec tamen propterea Regi fas
erit illos invadere ex ea causa; tum potestatem
exequendi Regibus tribuendo, non propriè
qua aliis imperant, sed qua nemini parent.
Punire quippe subditos & bello invadere ex-
traneos est effectus positivus, qui in causam
positivam refunditur, nempe imperium & po-
testatem, ut ipse Author dein inscius confir-
mat, cum dicit subjectionem aliis id jus ab-
stulisse; subiectio enim & imperium sunt re-
lata. Quod de Hercule subijcit, id tantam
molem non potest sustinere, cum & fabulo-
sum hoc sit maximam partem, & si verum,
præter factum nihil indicaret, & tandem sco-
pum non tangit, quia hinc non disputatur jam,
quid aliquis facere possit in auxilium ab alio
vocatus, sed quid per se possit. (II) punctum
quod concernit, 1. sententiam Moralistarum
non candidè refert, ut constabit ex exami-
ne tertii puncti. 2. rectè Molina statuit, ne-
que Imperatorem esse Dominum orbis, ne-
que summum Pontificem, hinc consequens
esse, ut nationes quæ Romano non parent
imperio, vel infideles sint, non possint peti
bello, aut ulla ratione ad fidem cogi. 3. quam-
vis Major, Alphonsus à Castro & alii sentiant
idolo-

idololatriis justè inferri bellum posse, idque probare satagant ad mentem Innocentii ex eo, quòd DEUS propter ejusmodi peccatum præceperit filiis Israel, multas delere gentes, nihilominus oppositum verum esse: tum quia ad punitionem & vindictam requiritur causa aliqua sufficiens, qualis hæc non est; tum quia sicut ad Hispaniarum Regem non spectat punire ea peccata quæ in Gallia fiunt, ita quoque non pertinent ad Regem punire eorum peccata, quæ solùm cedunt in offensam DEI ipsorumque peccantium perniciem; tum quia par est ratio de uno peccato contra legem naturæ atque de reliquis, quæ non cedunt in injuriam alterius. Atqui Imperator vel Pontifex non potest punire peccata infidelium, fornicationis, furti, ebrietas &c. prout constat ex I. Cor. V. v. 12. Ep. Quod autem objectionem factam concernit, respondetur ad illam, causam Principalem invasionis istorum populorum non tam fuisse peccata, quam jussum Domini speciale, suasoria potius causæ rationem habuit mensura scelerum, de quibus Lev. XVIII. v. 25. accessit titulus repetundarû, juxta Epiphani-um hæresi 66. de quo supra. Quod (3) concernit, ponunt quidem Moralistæ puniendi potestatem effectum Jurisdictionis, sed non strictè sic dictæ, & Civilis propriè talis, sed latè sic dictæ & imperii, 2. ex jure naturali quod dicit Grotius pendere istiusmodi puniendi potestatem, utique concedendum erit eo ipso, quo diximus naturam Regem com-

Et quod in illa sanum non recidit.

Quo sensu Moralistæ dixerint puniendi potestatem effectum Jurisdictionis.

mentam esse, 3. quod dicit stante illorum sententia hostem in hostem puniendi jus non habiturum, id ipsum est quod amplectimur, punitio enim requirit subjectionem ejus qui punitur.

Ad Th. XLIV.

OBSERVATIO.

Delicta in DEUM commissa Causam Bello suscipiendo in vindictam illorum non subministrant.

An ob delicta in Deum bellum suscipi possit?

Author quærit num delicta quæ in DEUM committuntur talia sint, ut ad ea vindicanda bellum suscipi possit, & affirmativæ accedit, idque ideo, quia prout in rebus Ecclesiæ Episcopi aliquo modo universalis Ecclesiæ curam acceperint, ita Regibus quoque generalem pro humana societate curam incumbere. At hæc sententia subsistere nequit, tum quia omnes gentes è persuasione suæ Religionis ita damnaturæ essent alias gentes, bellisque replendus esset totus orbis; tum quia quocunque modo DEUM offendunt, sunt tamen possessionum suarum Domini, Dan. II. v. 37. I. Pet. II. v. 13. à quibus sine speciali DEI jussu deturbari non possunt, tum quia ipse Augustinus in sententiam nostram concedit in verba Christi Joh. XVIII. v. 56.; comparatio autem nulla est, tum quia Episcopi saltem limitatè universalis Ecclesiæ curam

curam acceperunt, proprie enim illa spectabat ad Apostolos; tum quia longe alia ratio est corporis mystici, alia Reipublicæ politicæ, quæ in diversa collateralia regna & Civitates dispescitur; tum quia generalis Regibus cura pro humana societate non potest dici incumbere, nisi quatenus unusquisque pro parte sua debet vigilare, & ita conferre ad publicam utilitatem. Videatur Rovenius de Missionibus, Aosta, Franciscus de Victoriâ, Marquardus de Susannis & alii.

Ad Th. XLV.

OBSERVATIO.

Nec Religio quatuor illis pronuntiatis innititur, nec Sabbathi Violatio dicit abnegationem Mundi à DEO creati; nec difficile iter naturale est ad DEUM cognoscendum ex operibus.

Pergula Pictoris, veri nil, omnia ficta si totum hanc thesin percuramus: (1) Dicit religionem veram, quæ omnium ætatum communis est, quatuor prætipuè Pronunciatis niti. Atqui illa Pronunciata quatuor non sunt fulcra veræ Religionis univoce sic dictæ, sed saltem Religionis æquivoce, quæ vera Religio non est. (2) in ipsiis pronunciatis hallucinatur. Nam secundum pronunciatum ita est comparatum, ut in primo

De Notitiis
de DEO
communibus.

includatur; quartum autem absurdè ponitur
 postremo loco, cum debeat esse tertium,
 prius enim credendum est DEUM esse opi-
 ficem rerum omnium, dein curari ab ipso res
 humanas. Ut enim creatio præcedit provi-
 dentiam, ut productio rei ejusdem conser-
 vationem, ita quoque hæc capita essent ordi-
 nanda. (3) errat, quando dicit hæc quatuor
 totidem Decalogi præceptis explicari; pri-
 mo enim tradi DEI unitatem, secundò na-
 turam ejus inconspicuum, propter quam i-
 mago ejus exstrui vetetur Deut. IV. 12. Ve-
 rum hîc supponit secundum præceptum esse
 in Decalogo illum appendicem de imagini-
 bus, cum tamen totum hoc pertineat ad pri-
 mum præceptum, 2. ita multiplicat Verba
 Legis, & divisionem ejus malè tradit, cum in
 primam Tabulam tantum tria, in secundam
 autem septem conjicienda sint mandata, pro-
 ut accuratè docet Augustinus Epist. 182. 3.
 Dicitur illud Deuter. IV. prohibet quidem
 imaginem DEI, verum non absolutè & uni-
 versaliter imaginem symboli, in quo se DE-
 US aliquando præfecit. (3) errat, quando
 de Sabbatho dicit, illius violationem ex in-
 stituto continuisse abnegationem Mundi à
 DEO creati. Nam 1. hoc Rabbinicum est
 commentum Maimonidis Josephi Albo, I-
 saci à Rama, Menasse Ben Israel, 2. aliæ quo-
 que rationes adducuntur, quæ Sabbathum
 suadent colendum in Scripturis, præprimis
 liberatio ex Ægypto præter creationem
 mundi, 3. commemoratio creationis omni-
 um ra-

Sabbathū
 cur institū-
 tum
 Violans
 Sabbathum
 ex institu-
 to non ab-
 negat Crea-
 tionē Mūn-
 di.

um rationum, omnis præcepti, omnis obedientiæ primum & generale motivum est, quia enim DEUS creavit nos, idè tenemur ei tanquam Authori & Domino omnium obedire in quovis præcepto Act. XVII. 23. 24. (4) errat, quando dicit rationem ex rebus factis non esse tam facilè, ut ex illa colligant homines esse DEUM; Ita enim reclamatur Paulo, qui de Gentilibus universaliter pronunciat Rom. I. 20: ex creatura cognoscere posse Creatorem. (5) errat, quando ad traditionem se confert; traditio enim non est sufficiens fundamentum, ut enim fama est veri & ficti tenax, ita traditio quoque indifferenter se habet. Denique (6) errat, quando notitiam DEI dividit in congenitam & acquisitam ex traditione. Nam, sicut congenita datur & fundatur in Rom. I. 19. ubi dicitur manifestum esse in Gentilibus DEUM esse; ita acquisita datur, sed non tantùm ex traditione, sed vel maximè ex creaturarum contemplatione, prout hoc constat ex Rom. I. 20.

Cognitio
DEI oritur
ex operibus.

Non æquè
ex traditio-
ne,

Notatur
inepta ejus
Divisio.

Ad Th. XLVI.

OBSERVATIO.

Locus Ebr. XI. v. 6 sinistrè ab Authore adducitur.

Author pro confirmatione sententiæ suæ de notionibus universalibus necessariis ad religionem adducit dictum Hebr. XI. 6. verùm præposterè, Nam (1) in dicto illo

Vindietur
dicta Ebr.
XI. v. 6.

non agitur de accessu illo Philosophico per notiones communes, sed de accessu Theologico, cum quis vult uniri DEO; ad DEUM autem non patet accessus nisi per Mediatorem Christum, quia extra illum est ignis consumens, hinc ipse Christus dicit Job. 14. v. 6: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* (2) in toto illo capite agitur de fide illa quæ est salvifica, sine qua DEO placere est impossibile, non de apprehensione aliqua naturali, (3) Objectum illius fidei constituitur non DEI existentia, ut est lumine naturæ nota & benignitas in præmiando, sed DEI existentia ut ex revelatione patet, quod scilicet unus sit in essentia & trinus in personis, & remuneratio gratuita quærentibus DEUM per Christum; in quo omnes promissiones sunt Ita & Amen, II. Corinth. I. 20. quod agnoscunt Deo dati, Galli, Belgæ, Parzus & præprimis nostri Theologi.

Objectum
Fidei sal-
vantis.

Ad Th. XLVII.

OBSERVATIO.

Malè de DEI unitate, Gentiumque excusabilitate pronunciat Grotius.

Par est evi-
dentia V-
nitatis &
existentiæ
DEI.

ERRat Author (1) quando notionem de DEI unitate non dicit habere evidentiam æqualem cum DEI existentia, contrarium patet, tum quia Apostolus dicit, non Deos sed DEUM esse, h. e. unum, esse Gentilibus mani-

manifestum, & ex creaturis conspici Rom. I. 19. 20. tum quia recta ratio docet, non posse consistere duo actu infinita, & duo principia simpliciter prima; tum quia ipsi Gentiles Orpheus, Socrates, Pythagoras, & imprimis Plato Epist. 13. ad Dionysium illam unitatem agnoverunt & propugnarunt. (2) Errat, quando dicit excusabiles esse, qui astrorum & aliarum rerū naturalium virtutes &c. in rebus aliis colunt. Falsissimum hoc est; contrarium enim testatur Apostolus Rom. I. & II 1. philo Sapien. XIII. v. 1, 2, 3, 4, 5. (3) Errat, quando dicit tales legem à DEO nō accepisse, & proinde ab hominibus nō esse puniendos, nec summi DEI cultum deserere. Nam 1. acceperunt legem naturæ, quæ & DEUM ostendit & cultum ejus urget, Rom. II. 14 2. ab hominibus certè possunt puniri, quia non peccant hæresi, contra mysteria, quæ sunt inevidentia, & rationis captum superantia, sed peccant cōtra lumen insitum, & vim faciunt dictaminibus naturæ. 3. falsissimum est, si talis cultus obtineat summi DEI cultum non deserere, contrarium patet ex Jerem.

Non est excusabilitas gentium.

II. 13.

Ecce 5

Ad

Ad Th. XLVIII.

OBSERVATIO.

Auxilia Gratiæ quæ occulta dicuntur Authori & Legislatio Christi; nec non Nomen Fabulæ parabolis Christi tributum sapiunt ingenium erroribus imbutum, & inter scorias sunt deputanda.

Author (1) statuit veritatem Christianæ religionis non esse bello promovendam. Doctrinam enim hanc niti secretis DEI auxiliis, quæ aliquibus negentur aut minus largè concedantur, ob causas plerumque nobis incognitas. (2) Christo novæ legis authori, omninò hoc placuisse, ut ad legem suam recipiendam nemo hujus vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur. Et (3) non obstare illud in fabula de nuptiis, quod quidam jubeantur cogi intrare, cum instantia vocatoris tantùm significetur. In primo Author Arminianum prodit genium: tum quia ambiguum est, quod dicit, doctrinam revelatam niti auxiliis divinis; auxilii enim vox dicit concursum adjuvantem, ubi ex aliqua parte etiam is cui auxilium dispensatur, concurrere potest. At DEUS in conversione non adjuvat hominem, sed simpliciter omne & totum agit; tum quia secretorum auxiliorum mentionem injicit, quod iterum ambiguum. Secretum enim illud est, quod

Auxilium
quid?

Secreta vel
occulta

occult

occultum & à verbo discretum. At talia non sunt auxilia conversionis, dispensantur enim in & per verbum, quod efficacissimum conversionis organon; tum statuendo aliquibus negari ista auxilia, & si negentur vel minus largè concedantur, fieri ob causas nobis incognitas. Atqui auxilia gratiæ prævenientis sunt universalis, neque ulli negantur, ubi ubi prædicatur verbum, & si negantur alicui, non negantur ob causas incognitas, sed si de auxiliis in progressu denegatis sit sermo, id ipsum est ex causa hac, nobis cognita, nempe ex excussione primæ gratiæ, & morosa resistentia adversus operationem divinam. Et meritò miramur Grotium hæc scripsisse Arminianum, qui aliàs hac in parte cum cæteris tam cordatè contradixit doctrinæ Calvinianorum, quæ hoc cothurno incedit. (2) itidem erroneum est; tum quia Christum constituit novæ Legis authorem, tum quia putat in N. T. obtinuisse ne quis ad religionem vi cogeretur, pœnis & metu adigeretur, cum etiam in V. obtinuerit, tum quia supponit tacitè Evangelium in V. T. non fuisse prædicatum. In (3) itidem errat, dum parabolam de nuptiis vocat fabulam, quod impium: partim, quia juxta Scripturæ ductum in malam partem accipitur vocabulum fabulæ & opponitur veritati I. Tim. I. 4. II. Pet. I. v. 16. II. Tim. IV. 4. partim, quia apud Patres vocabulum hoc in sequiorum partem legitur acceptum, præprimis apud August. qui l. 2. soliloquiorum fabulam

Gratiæ Auxilia in sensu Grotii rejiciantur.

=

)

Parabola de nuptiis impie dicitur Fabula.

vocat mendacium, & l. 2. de Sermone Domini aperte distinguit inter historiam & fabulam; partim, quia etiam apud profanos Scriptores ita hæc vox occurrit, sic Cic. l. 1. de Invent. fabula, inquit, est, in qua nec veræ nec verisimiles res continentur. Quis autem hoc Christo tribuat primæ ac summæ Veritati? Præterea illud: *Compelle intrare* non tantum instantiam vocatoris notat, sed etiam persuasionem & tractum quendam, nec non principiorum Fidei propositionem.

Ad Th. L.

OBSERVATIO.

Non supplicio affiendi sunt, qui in Religione errant, quamvis, quæ de Sadducæis Author addit, non sint solida.

Quæ circa religionem hallucinantur supplicio affiendi non sunt.

Author (1) vult probare suppliciis non esse affiendos, qui in Religione non rectè sentiunt, exemplo Sadducæorum, qui rejecerint dogma resurrectionis verissimum quidem, sed in Lege Hebræa obscure & sub verborum involucris traditum. Cæterum rectè quidem hoc enunciatum se habet, unde etiam Salvianus: *Hæretici sunt, sed non scientes: denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt: Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæresica pravitatis infament, quod ergo illi*

illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos illos injuriam divina generationi facere certi sumus, quod minorem patre filium dicant. Illi nos injuriosos patri existimant, quod aequales esse credant. Veritas apud nos est, sed illi apud se esse præsument. Honos DEI apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem Divinitatis, quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant esse veram pietatem. errant ergò, sed bono animo errant, non odio sed affectu DEI, honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant, rectam fidem, illi tamen hoc perfectam DEI estimant charitatem, & qualiter pro hoc ipso falsa opinionis errore, in die judicij puniendi sint, nemo potest scire nisi judex. Interim idcirco eis, ut reor patientiam Deus commodat, qui videt eos esse non rectè credere, affectu tamen pia opinionis errare. Legatur insignis Disputatio Andree Osiandri de toto hoc Argumento, cujus titulus Inquisitio Catholica de tractandis hæreticis opposita Inquisitioni, Hispanicæ, ejusque crudelitatis Authoribus & Defensoribus scripta ad Magistratum Reipublicæ Christianæ quæst. secunda à thesi 58. usq; ad 205. ubi inter alia hæc habet. Nō fuit Esauitica sententia à Christo & Apostolis in N. T. probata. Esienim Christus & Apostoli flagrantissimo zelo gloria Dei & veritatis cælestis arderent, ad id quidem ut Christus super Scribas & Pharisaos, hæreticos, sapè illud repereret: Va vobis, eosque audacter filios gehennæ diceret, Matth. 23. 13. Filios Diaboli

boli Johan. 8. 44. Et D. Paulus optaret excindi eos, qui labefactabant Galatas (erant autem heretici) Galat. 5. 12. Et D. Petrus tales appellat perditos & damnatos, 2. Epist. c. 2. 1. 3. 12. 17. tamen nusquam legitur in toto N. T. quod vel Christus vel Apostoli modum illum animadvertendi in hereticos, qui sit per corporale & capitale supplicium, probarent vel facto suo proprio imitando, multò minus mandando. Contra: Christus & Apostoli modum illum iudaicè animadvertendi in hereticos assequarunt & correxerunt: aliis mitioribus ostensis & propositis mediis & pœnis, de quibus suo loco agemus. Nunc tantum negativè ostendemus ex preceptis & exemplo Christi, modum illum hereticos in N. T. occidendi non esse à Christo probatum. Huc referimus 1. illud Matth. 13. 30. Sinite pariter crescere zizania & triticum usque ad messem, v. 29. ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum. Hac de hereticis precipuè dicta esse (qui per zizania intelliguntur) & evidentiâ textus docet & Patres, tum plarique interpretes, à quibus Papistis dissentire non licet: quorum explicationes mox contra Neotericos patres Romanos, Jesuitas & Monachos proferemus. Hinc ita concludo: Si zizaniorum in agro Domini violenta eradicatio fieri non debet: sed conjuncta est cum maximo periculo, sequitur nec hereticos ex Ecclesia per mortem esse tollendos. Atqui prius est ex verbis Christi: Ergo & posterius. Ratio connexionis in propositione est, quia per zizania intel-

liguntur

liguntur heretici : quicquid igitur de zizaniis
 dicitur, id etiam de hereticis dici debet. Di-
 citur verò expresse. 1. quòd non sint eradicanda.
 2. quòd non possit fieri sine periculo evul-
 sionis boni seminis seu tritici h. e. internecone
 bonorum, probo ex D. Chrysof. Homil. 47.
 in cap. 13. Matth. cujus verba hæc sunt: Quid
 autem est, quòd eradicabitis simul cum ziza-
 niis etiam frumenta? Certè, aut quia si arma
 capietis, inquit, necesse est, ut cum hereticos
 trucidatis, multos Sanctorum simul interire:
 aut quia ab ipsis zizaniis multa commutata
 in frumenti conditionem seipsa converterent.
 Si ergò prevenientes evulsetis, ea frumenta de-
 peribunt, quæ à commutatis zizaniis proveni-
 rent. De his plenius thes. 88. & seqq. Argumen-
 tum etiam sumitur ex Luca IX. c. v. 54. Cum
 enim Christus hospitium petiisset à Samarita-
 nis, illique jus hospitii inhumaniter recusassent
 propter religionis disparitatem, discipuli indi-
 gnabundi Christum ad puniendum sollicitant:
 Vis (inquiunt) Domine, dicamus, ut ignis de
 cælo descendat, & consumat eos, ut & Elias
 fecit? quibus Christus respondet per correctio-
 nem: Nescitis cujus Spiritus vos estis? Filius e-
 nim hominis non venit ad perdendum animas
 hominum, sed ad servandum. Concludo: Si
 Christus ideo non voluit Samaritanos igne coeli-
 tus revocato perdi à suis discipulis, quia disci-
 puli essent sui filij, qui non venisset ad perden-
 dum, sed ad servandum: sequitur nec à reliquo
 populo Christi in N.T. hereticos esse interficien-
 dos. Ratio connexionis est, quia Samaritani &
 heretici

*heretici aberrant à vera religione, eamque oblatam ingratiè spernunt : Et reliquus populus Christianus, adeoque ipsi Magistratus, sunt filij Christi. Quare quicumq; aliter tractant hereticos, illi manifestè Produunt se non esse filios Christi & Spiritus Evangelici, nec posse discernere inter tempus Elie & Christi, hoc est, inter V. & N. Testamentum, nec intelligere regimen Ecclesia Christi, quod est per ministerium Evangelij hominũ dura corda ad pietatem & pœnitentiã fl. Etere &c. An verò quod annectit sit solidũ meritò dubitamus. Nã (1) quod pœnis non subdiderunt Sadducæos Judæi, id non factum quasi non potuissent illos excindere, si sui juris fuissent, sed ideò hoc factum est, quia nutate jã Republica tales tolerare cogebãtur inviti, 2. malè & Photinianis cõformiter dicit Author dogma resurrectionis obscure & sub verborũ involucris fuisse traditum in V. T. Nam ut de cæteris dictis taceamus ex Exod. III. Christus satis luculenter ostendit dogma resurrectionis Matth. XXII. usq; ad confusionẽ & convictionem Sadducæorum, quod non potuisset, nisi solidè fundatum fuisset in illo 3. Hodierni Judæi Sadducæos maximè averfantur, nec tolerant, utut moderni Sadducæi, quos Caræos appellant, fateantur esse resurrectionem. Veteribus illud Jobi occinentibus cap. 7. v. 9. *Deficit nubes & abit, sic qui descendit in sepulchrum non ascendit.* Legatur Josephus lib. II. cap. 12. Origenes in Matthæum & Drusus.*

Cur Sadducæorum hæresis tolerata sit à Judæis.

CAPUT XXI.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Civitas illum qui culpæ est compertus aut punire debet, aut arbitrio interpellantis permittere; quanquam Fundamentum ab Authore adductum & exemplum non quadrare videantur.

Author disputat de deditioe, & statuit Civitatem, apud quam degit, qui culpæ est compertus aut debere ipsam interpellatam punire nocentem, aut permittere arbitrio interpellantis. Addit exemplum ab Israelitis petiitum, qui à Benjamitis petierint deditioem facinorosorum Jud. XX. Rectè verò (1) disjunctivam proponit, si Civitas pro merito enim puniat nocentem, non est necessarium, ut permittat eum arbitrio interpellantis; an autem (2) illa deditio fundetur in tacito consensu primorum civium coactionem in aliquam Societatem de mutua defensione & in casu casus punitione & rescissione, quod videtur Grotius supponere, nondum est liquidum, potius fundatur in Majestate, adeoque in Imperio in personam & potestate in caput. Hinc Princeps vel ipse potest occidere talem ex illo jure Majestatis, vel potest occidendum alteri relinquere. (3)

Cujusnam arbitrio relinquendus sit, qui culpæ compertus.

Ffff

quod

quod concernit exemplum propositum, putat quidem Josephus Legatos missos fuisse ad Gibeæ Cives, ut supplicium poscerent, quod idem magis faceret pro Grotio, quia de Civitate loquitur, apud quam degit qui culpa est compertus. Verum, si res recta iudicii lance aestimetur, non fuerunt missi Legati ad Gibeenos, sed ad tribum Benjamin, cui suberant Gibeeni, & quidem missi Legati per universam tribum, omnesque domos qui nihil tamen pacati retulerunt.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Afyla non possunt improbari, constituta pro illis qui innoxiaæ cædis Authores, abusus tamen in Papatu maximus invaluit.

Author hic tangit Jus Afylorum, & dicit hæc illis prodesse, qui immerito odio laborant, non qui commiserunt aliquid quod Societati humanæ aut hominibus aliis sit injuriosum. Rectè autem hoc dicitur; Nam (1) Jus Afylorum, quamvis obtinuerit apud Hebræos, non tamen obtinuit nisi penes illos, qui, sine ulla culpa fuerunt, ut constat ex Deut. XIX. 5. vel si 2. cum aliqua culpa fuerint, non tamen habuerint culpam latissimam, quæ malitiæ & dolo equiparatur, sed tantum negligentia vel imprudentia. 3. qui

Afylorum
Iura quibus
Hebræorum
proferantur?

volunt.

voluntariè quidem occiderunt aliquem, sed defendendo vimque vi repellendo, nam & talem juxta Doctores recipiebant Urbes refugii, & ex iis, quò libuisset abire poterat, postquam Judicium sententiâ fuisset absolutus. Præter hos nulla erat securitas voluntariis homicidis, Stupratoribus, Adulteris, aut qui aliud quoddam scelus designassent, cum omnibus hisce sua fuerint supplicia constituta, neque *ἀσυλία* ex Loco, ut constat ex Num. 35. v. 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22. (2)

De Asylis apud Christianos constitutis quidam disputant & putant, si originem consideres, absurdè illos constituisse, neq; imitatos DEUM de hoc ipso in lege sua aliquid disponentem, sed profanos Gentiles; quia enim Gentiles varia Asyla constituerint, statuas Imperatorum, signa, aquilas, malè conclusisse illos, dedecere Christianos, plus à Gentilibus honoris falsissimis Diis & Principibus adhiberi, quàm veræ Religionis compatibus summo DEO. de Conditore Urbis Principis Ovidius lib. 3. fastorum:

An in Christianorum Civitatibus locus illis dandus sit? Disputatus pro negativa.

*Romulus ut Saxo Lucem circumdedit alto,
Quilibet huc inquit confuge tutus eris.*

Unde etiam Romani populi natales falsè ridet Juvenalis scribens Satyra 8.

*Et tamen ut longè repetas, longèq; revolvas
Nomen, ab infami gente deducis Asyllo.*

Cum tamen DEUS prohibuerit ne Gentiles imitemur Deuter. XII. 30. Urgent præterea, quod ratio Asylorum cesset in N. T. Republica

blicâ Judaicâ collapsâ, cum enim licuerit Cognato interficere, atque ita etiam potuisset occidi is, qui casu quendam sanguine junctum Vindici interfecisset, quapropter Asyla constituta esset tum temporis: cum verò hodiè talis Vindex sanguinis non detur, nec licitum sit ulli privato Cognati interfecti sanguinem eade interficientis vindicare, quapropter non opus quoque fore Asylis eo fine institutis existiment. Speciosè hæc dicuntur, num verò solidè disputari potest. Nam primò posito, quod à Gentilibus occasio data sit Asyla constituendi Christianis, non tamen omne illud quod ab ipsis profectum in rejiculis habendum, ipso Lumine naturali dictante æquitatem quandam esse adhibendam delictis quandoque non ex profundo proficiscentibus; neque improbat tam constitutio Asylorum in Gentilibus, quàm dilatatio, & ut aliàs finis etiam negotia discernit, ita quoque varietas illius & hîc aliam atque aliam inducit Asylis faciem: unde Augustinus improbat lib. 1. de Civitate DEI cap. 34. ex scopo spurio & laxitate illud institutum scribens: *Romulus ut auget Imperium ab omni noxa libertatem concessit, & quandam quasi ponriopolim exedificavit.* Frequentem autem & penes omnes ferè populos Asyli privilegium invaluisse docet Alexander ab Alexandro, cujus hæc sunt pag. 159. *Ephesi templum Diana id jurâ habuit: ut ad illud confugientes mancipio solverentur. Quod Alexander ad stadium protulit:*

Contenditur pro affirmativa.

duxit: postea ab Augusto sublatum, ne proposita impunitatis spes facinoribus causam daret. Primum enim Cadmus dum Thebas conderet, asylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine servi aut liberi, ab omni poena tuti erant. Nonnulli a prognatis Hercules asylum Athenis primo institutum ferunt, ad quod à patribus oppressis confugere fas erat: Post quod in Rhetheo litore fuit Aiakis asylum, & in Sigæo Achillis: quorum exemplo Romulus & alij asylum aperire, quò accedentes impunitate donabantur, apud Molossas, Samothracas, Crotonatas & Messenios ac plerosque ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est: velut Ithacensibus Jovis Servatoris ara: delictis enim non voluntariis refugium esse aras putaverunt, Atheniensibus Thetidis sepulchrum id juris habuit, ut servi ad illud confugientes nexu solverentur. Et Sparte Chelicecum Minerva templum ad quod Pausanias fugiens, obstructo aditu, morte exultatus fuit: & aliud Chalcicon, ad quod Agis confugit. Et in Tanaro Neptuni fanum ad quod Cleombrotus: & in Calvaria insula in Aegeo etiam Neptuni templum, ad quod Demosthenes quum aufugisset, ab omni violenta incursione Archia mansit illatus: atque in Thracia Diane templum inter Clitorium & Cynatham, & in Aspendo Pamphylis, Thetidis statua pro asylo fuit: sicut Diane Leucophriene oppressis perfugium inviolabile fuit. Palladis quoque templum velut asylum Lacedaemony venerantur, in quo nocentes, etiam captis damnati: incolumes fiunt. Et in

Aphrodisio, & Papho Veneris, apud Stratonicensis Jovis & Triviae templa, Siciliae Salisfiera, in Peloponneso Hermonia fanum sacrum Cereri & Proserpina, in Epbeso Artemisium, Pergami ades Aesculapij, in Graecia Calydoni Palladis templum, tanta dignationis fuerit, ut capitalem fraudem ausi, aut pecunia judicati, qui ad illa confugissent, noxa pecuniaque exolverentur. Apud Scythas qui ad Riphæos confugissent, tanquam sacrosanctos, sui juris & arbitry erant: sicut in Aegypto & Osiridis asylo juxta Saim: in Conopo Hercules templo, ad quod servi confugientes, si initiati forent, opprimi aut vi cogi non poterant. Traditumque memoria est, in Lybia oppidum fuisse, ad quod si quis servus lapidem importasset, liber & sui potens erat: & Dulopolin in eadem id juris habuisse, ut qui servus ad eam aufugisset, omni nexu solveretur. Cinna verò civili manente bello cum per praconem edixisset, ut servi ad eum confugientes velut ad asylum, liberi forent, illosque ad pileum vocasse, magnas servorum & perditissimorum manus coegisse fertur. secundò quamvis Vindici sanguinis nullalibentia in N. G. & periculum non tantum, non tamen cessat omne periculū; præterea apud Ebraeos constitutæ fuerunt Urbes Refugii, ut innocentiae auxiliū & præfidiū aliquod esset, ut quam serio in homicidium inquirendum & animadvertendum esset, ministraret Dominus, denique ut propinquorum iræ dolori & vindictæ subtraheretur materia, novarumque rixarum & cædium auferentur occasio,

flo; at num hæ rationes non adhuc militant ?
 num non ex illis constitui potuerunt Asyla ?
 Tertio ponamus à Gentilibus deductam esse
 Originem Asylorum inter Christianos, ces-
 sare etiam illam permissionem, quæ in V. T.
 obtinuit in Vindice sanguinis, nondum ta-
 men sinistrè erit sentiendum de Asylis in u-
 niversum, quum nitantur auctoritate illorum
 quos DEUS voluit esse Vicarios suos in his
 terris. Notum enim est, quid constituerint
 Theodosius & Valentinianus. Verba illorum
 ad Antiochum Præfectum Prætorii & Con-
 sulem ita se habent; *Cum illi, qui idola ado-
 rabant, & in maximâ veneratione in eâ va-
 nitate versabantur Aras certis Sacerdotibus
 commiserint & templa, quasi terris eminen-
 tiora constituerint, quantum magis decet nos no-
 stram Religionem colere ? Quid constitutum
 Lege Honorii & Theodosii, quæ legitur Co-
 dicis lib. 1. Tit. 12. lege 2. Sancimus, dicunt
 Augusti, nemini licere ad sacrosanctas Escho-
 las confugientes abducere, sub hæc videlicet de-
 finitione, ut si quisquam contra hanc legem
 venire tentaverit, sciat, se Majestatis crimine
 esse retinendum. Sed nec illud liquidum non
 respexisse Imperatores Christianos ad Indul-
 gentiam V. T. ad Asyla à DEO ipso consti-
 tuta, quis enim illos tam ignaros credat re-
 rum divinarum, ut nihil de hisce sciverint,
 ex Ministrorum etiam Ecclesiasticorum con-
 versatione nihil de hac re acceperint, ex le-
 ctione Scripturarum tantum non didicerint,
 Asylorum constitutionem ad minimum esse*

ex genere licitorum, cum Dominus ipse de his disposuerit, qui mala intrinsecè talia nunquam probavit. audiamus Wilhelmum Zep- perum ita de hoc argumento differentem lib. 1. cap. 7 pag. 42, 43. *Asyla politicum aliquid fuerunt, ut involuntarij homicida tutum haberent receptum contra vindicem sanguinis propinqui occisi, (quemadmodum vindex ille impune ulisci potuit cognati cadem, si in homicidam incidere) & ne terra innocenti sanguine hoc pacto pollueretur: interea tamen iudices legitime cognoscerent, an voluntaria fuerit cades, nec ne. Iudices enim, ad quos cognitio pertinebat, sub fide publica homicidam è civitate refugij adduci ad se curabant, de causa cognituri. Reum verò purgatum, fide publicà in civitatem receptus remittebant. Sin purgare se non poterat, ab altari etiam suo avelli Deus voluit, ut moriatur, Exod. 21. vers. 14. Ceremonialiter verò asyla illa Christum, figurarunt, in quo per fidem tutum habemus receptum & refugium contra diabolum, sanguinem nostrum sitientem, atq; eternam mortem. Quò pertinent illa Prov. 18. v. 10. & Zachar. 9. v. 11. 12. &c. Idem Christus verè pontifex ille summus est, cujus morte omnium offensarum expiationem, reditumque in pristinam illam patriam celestem habemus. Ampliatione autem quàdam lex inter illas quoque pertinet, quas morales, ceremoniales & forenses simul dixi. Morala enim hic porro & perpetui juris est, homicidas non temerè, sed causà probe cognitâ prius, ulciscendos esse: qui verò*

nullo

nullo animi proposito quempiam occiderit, à morte vindicandum, & innocentis, aut saltem non planè nocentis vita consulendum esse. Hoc legis hujus genus morale, quod juris forensis universalis est, etiamnum manet. Hinc patres ecclesiastici & concilia quadam præclare adhuc de asyly sentiunt, ut videlicet innocentibus, & immeritò pressis tuta sint perfugia, neque sanguis innocens effundatur: ita tamen, ne frequentia hæc asyla sint, sed contracta, quemadmodum in tota Palastina sex tantum fuerunt. Immunitatem autem & impunitatem per illa quibuscvis sceleratis, transfugis, oberatis, otiosis ventribus, proditoribus, rebellibus, & sic deinceps largiri & concedere, contra Deum, justitiam & bonum publicum est. Qualia perfugia prisca Imp. Christiani & ipsi, ethnicorum more, voluntariis homicidiis tribuerunt, ut Honorius, Theodosius, Arcadius. Qualia etiam adhuc hodiè in Papam asyla sunt templa, domus Episcoporum, etsi templis conjuncta non sint, & Deus ille impanatus, quando in sua pompa vel processionibus circumfertur, à quibus neminem rapi voluit, quantumvis gravia commiserit, & liberatos pœnâ corporis non amplius multari. Id quod Ecclesiarum suarum immunitatem vocant; Extra tit. de immunit. eccles. Verùm Ecclesia improbis asylum esse non debet, ne spelunca latronum fiat. Unde Deus fontes ab altari etiam suo avelli voluit, ut moriantur. Quemadmodum accidit Joabo, 1. Reg. 2. v. 29. At quam legem divinam Justinianus prædecessorum suorum leges

Asyla He-
bræorum
qualia ?

Abarba-
nelis sen-
tentia

*de asylis reformavit & correxit, homicidia vo-
luntariis, raptoribusque virginum, atque aliis
perfugia ista denegans.* (3) Penes ipsos He-
bræos asyla non erant talia loca, quæ omni-
nò pœnæ omnis reatum tollebant, autho-
remque innoxie cædis planè liberum atque
immunem faciebant ab omni supplicio, sed
veluti carceres, in quos compingebantur, aut
insulæ in quas relegabantur, & exulabant à
domo sua usque ad mortem summi Pontifi-
cis, adeò ut interim ex illis ne pedem qui-
dem efferre liceret sine periculo aut metu
vindictis sanguinis effusi, Num. XXXV. 25.
Disputat quidem hoc Abarbanel, & putat
non fuisse pœnam homicidii casualis illam
relegationem in Urbem refugii: tum quia
auctor cædis talis non commiserit homici-
dium illud voluntariè, tum quia pœna infli-
gatur ad emendandum & cautum reddendum
vel eum qui peccatum commisit, vel alios, ut
ab eo abstineant, quod frustra in peccato
casuali queratur, utpote quod præcaveri non
possit; at ut in beneficium cessit asylum con-
tra Vindictam sanguinis, ita non videtur ne-
gandum habuisse aliquid molesti & pœnæ
loco fuisse illud exilium, illam tam arctam cu-
stodiam, adeoque temperatum quid ex sup-
plicio & beneficio hîc observatur, unde etiam
non potuit remitti vel pecuniâ redimi, ut
constat ex Num. 35. v. 31, 32, 33. & ipsi Ebræi
notant rationem & fundamentum esse præ-
cepti Num. 35. v. 25. quia homicidium sit
peccatum longè gravissimum, per quod Mun-
dus

dus destruitur, idcirco æquum esse, ut is qui
 aliquem etiam per errorem occidit, quia tantum
 scandalum per ipsum contigit, dolore &
 calamitate exilii afficiatur, quod propè æqui-
 polleat morti ipsi, dum homo per illud sepa-
 retur ab amicis & propinquis suis, ut & à
 sua patria & cum peregrinis conversari cogatur.
 Nec rationes motz obstant. non prima
 cum etiam illa peccata quæ ex ignorantia fi-
 unt, nihilominus formalem rationem peccati
 habeant & principium est Judæorum mo-
 dernorum aliorumque in Ecclesiâ hæretico-
 rum falsum, non nisi illa subesse pœnæ, quæ
 à sciente & volente proficiscuntur; non alte-
 ra cum etiam casualia ita sint comparata, ut
 pœnâ statutâ cautiores reddantur homines,
 ut circumspectè cum telo, Ligone & aliis
 instrumentis versentur, quibus proximus
 potest lædi vel interfici. Hinc maximus in-
 telligitur abusus asyloꝝ penes Christianos,
 & laxissima illa indulgendi ratio juris Cano-
 nici, quod hinc portam aperit etiam illis, qui
 rei & digni supplicio; vid. decretum de im-
 munitate Ecclesiæ cap. 1. Sanè hoc ipsum est
 contra voluntatem divinam Deut. XIX. 11.
 est contra exempla I. Reg. II. 19. II. Reg. XI.
 2. est contra rectam rationem, scelerato e-
 nim debetur supplicium, nec quidquam ab-
 surdius, quàm quævis Cœnobîa, Claustra, a-
 ras & templa imò Domus Episcoporum fa-
 cere Asyla & receptacula facinorosorum.
 Unde etiam Tacitus lib. 3. in Græcorum Ur-
 bibus improbat, quod flagitia hominum ut

Asyloꝝ
 abusus no-
 tatur.

cærimoniz Deum, protegantur, Franciscus
 I. Rex Galliz Asyla sustulit, imitatus Exem-
 plum Arcadii, Andreas Masius publicè con-
 questus fuit: *Posteritas partim gloria cupidini-
 ne ac superba arrogancia ut suam ipsa Maje-
 statem amplificaret alii imprudente, Religio-
 nis opinione jus tñ auctoritas apud statuas, apud
 quavis templa apud ipsa etia cæmeteria, apud
 Episcopos & nescio ubi non constituerunt; & ha-
 berent quidem fortassis ista tam frequentia a-
 syla majoris misericordia speciem, si innoxiorum
 hominum salutis gratia instituta essent. Ve-
 rùm quod homines cuius flagitio obnoxios imo
 omnibus sceleribus coopertos tumentur, id mihi
 certe videtur longe indignissimum esse & Ro-
 muli instituto quam DEI legibus istis magis
 consentaneum, sed publicos latrones & noctur-
 nos depopulatores agrorum excipit Innocentius
 scilicet ut alius nemo quantumvis sceleratus
 qui modo ad passim obviam Asyla confugerit, no-
 xæ dedi possit, sed quantumvis grave & impium
 scelus admisit impunitatem corpore saltem ha-
 beat. Parum clementer scil. dictum a DEO est
 si quis studio occidit proximum suum ab altari
 voco auellat eum ut moriatur. Melior profectò
 in Republ. ut certe nunc morati homines sunt,
 sanctio Justiniani est, Anih. de mandat. Princ.
 §. Neque autem, quæ sceleratos homicidas &
 adulteros virginum Raptores ab asyliis distra-
 hendos supplicioque afficiendos esse censet. Quis
 enim a quo animo ferat. DEUM ipsum homici-
 cidii, quo nullum facinus magis detestatur, pa-
 tronum defensorumq; statui, aut principum qua-*

rum munus erat facinorosos meritis pœnis occu-
 sere facinorosorum receptatores, protectoresque
 esse. Certe res ipsa clamat indulgentiores istas
 legumlatores dum clementia Laudem ex sce-
 lerum impunitatâ affectaverunt optimos quos-
 que atque innocentissimos hominis maleficio-
 rum libidini exposuisse: cum nulla sit peccandi
 illi cebra major, quam impunitatis spes, adeo ut
 iam ea que ipsa etiam horrere deberet natura
 flagitia assiduitate & consuetudine peccandi, vix
 gravia esse videantur, & pro delinquendi licen-
 tia quæ a deo multi ne ad Asyla quidem etiam si
 atrocissime peccaverint, festinandum sibi pu-
 sent, ut frustra Tiberius si ad imperiû ex inferis
 redeat, asyla omnia sublatura possit videri. Cui
 jungimus diversæ Religionis Theologum
 pariter declamantem: Ex quo colligere prom-
 ptum est, quam fœde Christiani isti impingant
 in divinam legem, qui non quinq; aut sex ur-
 bes refugii innoxii hominum percussoribus, sed
 omnia penè loca sacra, cœmiteria, cœnobîa, re-
 ligiosas & Ecclesiasticas domos, hospitalia, &c.
 asyla faciunt, qua voluntaria cadis auctores,
 imò cuius flagitio obnoxios, omnibusque scele-
 ribus coopertos tumentur, atque ab omni noxa
 prestent immunes. Nempe quanto DEO ip-
 si pretiosior est sanguis hominis, tanto illi vili-
 or est. Parum clementer scilicet dictum à
 DEO est; Si quis studio occidit proximum
 suum, ab altari meo avelles eum ut moriatur.
 Nempe clementiores isti DEO suo sunt & lon-
 gè indulgentiores, dum jus aulias etiam sce-
 leratis percussoribus concedunt. Sed revera

dum

dum clementia laudem ex ista impunitatis concessione affectant optimos quosque atq; innocentissimos homines sceleratorum libidini exponunt cum nulla sit peccandi illecebra major, quam impunitatis & tam facile parabilis spes. In probos crudelis est, qui erga improbos mitis. Nos, inquit Varro, barbari sumus vobis quod innocentes in gabalum suffigimus homines: vos non barbari, quod noxios absolvitis. Utrumque barbarum: utrumque DEUS execratur, & qui absolvit nocentem, & qui innocentem condemnat: Proverb. 17. vers. 15. Et crudelis hac clementia tanto detestabilior videri debet, quod eandem non modo non indulget hereticis, quos vocant, idest hominibus nulla sua culpa errantibus, & vita integris scelerisque omnis puris; sed (quasi contraria omnia DEO agere constituissem) quod eosdem non aliter quam olim DEUS voluntarios homicidas ab asylis avulsos interimi volebat, ubique persequantur, & dignos judicent de quibus mereat carnifex, & in quos omnibus exquisitissimis suppliciorum generibus saviatur absque ulla gratia & venia. Quid est jus totum divinum evertere, si hoc non est? Heticus enim vir bonus est, & si errore suo inficit alios eosque interficit heresi sua, ad summum tamen non nisi inter homicidas involuntarios referri meretur, & qui per ignorantiam aut errorem animas innocentium occidunt: nihil enim minus cupiunt quam alios seducere aut occidere, imò salvare & in rectam viam eos ducere propositum habent. Cui itaque hoc jus

αὐτῶν non datur, uti à DEO olim datum est innocuis percussoribus? Scelerati verò percussores & occidunt & deliberato consilio occidunt sequi eo ipso peccare, & poena dignos esse fassentur. Cur hic asyla dantur aut serviant, cum DEUS ea iis dari vetet? hoc sane est θεομαχῆν. Qui plura desiderat legat Anastasium Germonium, Petrum Gambarcurtam, Paulum Fagium, Johannem Seldenum de Jure Naturæ & Gentium lib. 4. cap. 2. & novissimè hoc Argumentum pertractantem Nobiliss. Dn. Mylerum.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Delicti Rectorum participes fiunt subditi, vel communitatis qui ejus Membra.

IN hac thesi Author disputat, an singuli ob delictum Universitatis citra consensum suum ea amittant, quæ ipsorum propria sunt, & putat hoc esse injustum. At hinc Moralistæ dissentiunt, & dicunt, non tantum licere innocentes per accidens occidere in bello, verum etiam quod attinet ad bonorum spoliationem, quia tota Respublica seu communitas quæ deliquit hostis censetur, fas esse per se atque ex intentione omnia ejus membra in bonis fortunæ punire, e. g. bonorum spoliatione, imposito generali & perpetuo tributo, vel abductis in captivitatem mulieribus ac infan-

Moralistarum
Disensus.

infantibus, quamvis quod ad captivitatem spectat, eam solum velint locum habere in infidelibus, Christianos vero à Christianis captos servos non effici, ob diuturnam consuetudinem vim legis obtinentem, sed interdum pecunia, tanquam in præmium victoriæ oblata, redimi solere.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Quamquam pœna possit exigi ob Delictum Universitatis, Jus tamen divinum non commodè à quibusdam allegatur.

An pœna ob delictū Universitatis semper exigi possit?

MOvetur hîc Quæstio: An pœna ob Delictum Universitatis semper possit exigi & respondet Author posse, quia idem Corpus maneat. Supra Alpheni Verba laudavimus, quæ Author in subsidium præduxit, quibus quidem se opposuit Hermolaus Barbarus sed frustra, ipse admittens in moralibus five Civilibus hæc Locum habere. Quidam pro Confirmatione sententiæ, quam Author hîc defendit urgent etiam Jus divinum. dicitur enim Dent. XIII. v. 12. 13. 14. 15. 16. *Si audieris in unâ Urbium tuarum, quas Dominus DEVS dabit tibi ad habitandum dicentes aliquos, egressi sunt filii Belial de medio tui & evertent habitatores Urbis suæ; atque diruent*

*vunt: Eamus & serviamus Diis alienis quos ig-
 noratis, quare sollicitè & diligenter rei verita-
 te perspectâ: si inveniris, certum esse quod dici-
 tur & abominationem hanc opere perpetratim
 statim percuties habitatores Urbis illius in Ore
 gladii, & delebis eam, omniaque qua in illa
 sunt usque ad pecora; quicquid etiam supelle-
 ctilis fuerit congregabis in Medio platearum e-
 jus, & cum ipsa Civitate succendes, ita ut uni-
 versa consumas Domino DEO tuo, & sit tu-
 mulus sempiternus, non edificabitur amplius.*
 Sed non quadrat hoc, partim ex eo, quia hæc
 Lex obtinuit in V. T. ubi Ecclesia arctiori
 circumscripta termino; partim quia ex causa
 Idololatriz tantum tanta severitas debuit in-
 tegram civitatem sternere; partim quia etiam
 juxta quosdam Theologos infantes ab Exci-
 dio non fuerunt excepti ob rationem Ana-
 thematis. vide Grot. in Deut. ad h. l. Recte
 itaque Author, extinctis illis per quos ad U-
 niversitatem meritum deducebatur ipsum
 quoque meritum extinguitur, & pœnz debi-
 tum regulariter, ita Gedeon ob denegatum
 Commeatum primores oppidi Suchot pu-
 nivit Judic. VIII. v. 14. 15. & seq. neque mul-
 titudo sine auctoribus facile delinquit, in
 quos animadverti potest salutariter ut
 pœna ad paucos, Metus ad omnes
 perveniat.

Refutatio
 rationum
 allatarum.

Gggg

Ad

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Non tantum Dominii divini Eminentia, sed & Justitia nititur visitatio peccatorum in filiis, neque Exempla conducunt quæ Grotius adduxit, nec sine Erroris nota hanc thesin absolvit.

Expenditur quæstio an culpa unius transeat ad alterum.

Ratio 1.

2.

3.

Refutatur error.

TRactatur difficillima & nobilissima quæstio, quæ probè expensa lucem affundit toti huic capiti, nempe illa: in quantum culpa unius transeat ad alterum? Et (1) Author statuit DEUM paternam impietatem in posteris vindicaturum se se minari & vindicare non vi justitiæ sed jure dominii plenissimi. (2) Exempla illius juris dominii exerciti allegat liberos Achans, Saulis, Jero-boami & Achabi, adducto loco Exod XXV. qui tamen legitur Exod. XX. & tandem (3) dicit DEUM non uti hac graviore vindicta nisi adversus scelera proprie in suam contumeliam perpetrata, ut falsos cultus, perjurium, sacrilegia. Factum autem illud DEI hominibus imitari non licere. Hinc pios Reges etiam in perduellibus non ob parentum facta liberos mortis pœna affecisse, eamque Legem valde laudare Josephum & Philonem. Quod (1) concernit, supponit Grotius, DEUM jure Dominii, paternam impietatem in filiis persequi, non enim tam ex ratione Dominii illius universalis, quod DEVS

DEUS habet in res nostras & vitam, quæ quovis tempore auferre & quando vult potest, quam vel maxime ex ratione Justitiæ, secundum quam pœnas & præmia distribuit, hoc ipsum provenire patet partim ex eo, quia quæ pœnæ respiciunt antecedentis peccati meritum & gravitatem, & propter illud irrogantur à DEO, illæ sane ex ratione justitiæ irrogantur; tales autem sunt pœnæ quæ pro alienis peccatis infliguntur, Ergo: partim quia in ipso loco, quem Grotius allegat. Exod. XX. in Decalogo sc. cùm DEUS minatur se visitaturum parentum peccata in liberos, rationem ponit & causam, Zelum suum, ideo sc. se visitaturum, quia sit Zelotes, justissimus sc. vindex scelerum, non autem rationem petit ex eminentia Dominiæ absoluti; partim quia ipsi Gentiles ejusmodi pœnas divinæ justitiæ adscripserunt. Ut patet ex Hesiodo, Virgilio, Ovidio, & illo Horatii:

Quicquid delirant Reges plebsuntur Achivi.

Loquimur autem de filiis peccato communitibus ad Mentem Legis divinæ Exod. XX. v. 5, quæ restringit illud Judicium divinum ad odientes DEUM, quæ additio non tam parentes, quam filios respicit, docente hoc præfixo; constructione ipsâ; patrum Consensu, Hieronymo & Theodoro, Augustino lib. 20. contra Adiamantum cap. 7. & Gregorio lib. 15. Moral. cap. 31. unde etiam ex Judæis Menasch Ben Israel ita differit: *In Gemara Berabot scriptum est, Deum, quando liberi parentum pravitatem imitantur, in illis non*

G g g g 2

propria

propria modo, verum & parentum delicta punire. Quâ in re distinguere oportet. Etenim si filii parente peiores sint, castigatio ad tertiam generationem extenditur; ut in stirpe Zimri evenit: at si pravitate pares sint, ad quartam generationem. Cujus rei exemplum in Jebu stirpe habemus; quemadmodum R. Obadiah Sphornus colligit ex versu, in nepotes & abnepotes. Sed hoc, ut dixi, in pravis filiis locum habet; qui sibi sint, verum, est quod altero loco dicitur; nimirum, nec filium ob parentis, nec hunc ob filii peccata mori. Eadem in opinione fuerunt divini viri Jonatan ben Uzziel, & Anquelos a-ger; paraphrastice transferentes בני מרדן filii rebelles: quibus verbis ostendunt, patrum delicta in pravis filiis castigari. Quin is sensus ex ipsis S. Scriptura verbis peti videtur, cum ait, visitans delicta patrum in filios, in nepotes, & abnepotes eorum, qui oderunt me. Eandem opinionem sequitur R. Selomoh, & doctus Aben Ezra: quando, inquit, filius, nepos, & abnepos in pravitate perseverant, respiciens universa peccata, quartam generationem extirpat; adeo ut nulla ejus memoria maneat; unde in Levit. Etiam propter iniquitates patrum suorum cum ipsis tabescent. In Gemara Sanbedrin similiter legimus, quando liberi pravi sunt, DEUM delicta parentum in iis punire: at cum nec patrem propter filium, nec filium ob patrem moriturum dicitur, significari, judices neque patrem ob testimonium filii, neque hunc ob parentis accusationem, capitis damnatos; quia,

ut Libae

ut *Ishac Agravanel ait, nature illud adversa-
 zar; cum patris & filii sit invicem defendere;
 quod & in aliis propinquis locum habet, ut in
 Siphra traditur. Eam conciliationem R. Ba-
 bie, R. Levi ben Gerson & R. Levi ben Habib in
 Questionibus suis amplectuntur.* (2) Quod e-
 xēpla concernit, quæ Grotius adducit, de istis
 universaliter & simpliciter pronūciari nequit,
 DEUM non in ipsos jure justitiæ egisse sed jure
 Domini. Nam 1. quod concernit exemplum
 liberorum Achanis, patet communicasse in
 isto peccato non solum liberos sed etiam po-
 pulum, tū quia dicitur in textu *Israelē peccasse,*
 c. 7. v. XI. non autē dici hoc potuisset, nisi pec-
 cato communicasset totus populus, tum quia
 filii Achanis pertinebant ad familiam illius,
 quæ pars Patris; neque probari potest illos in
 participium furti paterni non venisse quocūq;
 modo vel positivè consentiēdo, vel negativè se
 habendo & reticendo, ut hoc in textu nō ex-
 primatur cum non probabile aliās tam severā
 in ipsos fuisse decretā sententiā, tum quia hoc
 pertinere debebat ad exemplum & ingentem
 terrorem severitatis justæ in DEO indicium,
 ut nihil dicamus de Hebræis quibusdam; qui
 putant, supposito quòd fuerint innocentes filii
 Achan deductos esse in vallem non ad mortē
 patiendam, sed ut videntes mortem paren-
 tis admonerentur abstinere à similibus, vel
 ut eò magis doleret Achan lapidandus in fi-
 liorum gementium conspectu, vel ut totus
 Israel hoc Exemplo moneretur de divina Pu-
 ritate & Justitiæ Severitate, cujus contrari-

Responde-
 tur ad Ex-
 exemplum
 L

um colligitur ex v. 15. & 25. quanquam & ad hoc respondeant, qui patrocinantur Innocentia filiorum illorum, nempe dici in textu: *Obruerunt eum scil. Achanem, & statuerunt super eum acervum lapidum*, ut intelligatur in ipso terminatum fuisse supplicium, illa autem Verba, & *combusserunt eos igne*, accipiunt de argento pallio & virgâ aureâ furto sublatis, nec non tabernaculo, supellectile, Vasis, aliisque utensilibus Achani & antecedentia & *lapidarunt eos*, de bobus, asinis & pecudibus ipsius intelligunt. Ipse Grotius in Commentario eò inclinatur, scribens: *Potest exponi eos adductos ut cum omni populo simul ab Josua erudirentur, monerenturque sibi à talibus cavere: non ut interficerentur cum patre. Qui sic sentiunt, id quod sequitur lapidarunt eos (ita enim habet textus Hebraeus, non eum) intelligunt de Achane & jumentis ejus.*

Ad II.

Quod 2. secundum exemplum spectat Saulis, respondetur illos patre non fuisse meliores, & gentis sanguinaris II, Sam. XXI. v. 1. Vanum enim quod Veteres quidam Rabini dixerunt filios Saulis fuisse innocentes & contra Legem morte affectos, peccatum Davidi tribuentes, cum hæserit in reis, non Judice; non tantum enim illos filios consensisse in Gibeonitarum Excidiû, sed & adjuvasse patrem in eade colligunt Interpretes ex eo, quia causa famis non tantum dicitur Saul, sed & sanguinaria illius domus sive familia, quæ Gibeonitas interfecerat II Sam. XXI. v. 1. (2) aliquando necessarium est in severiorem partem

tem ire, quod etsi trahere videatur aliquid ex iniquo, utilitate tamen publica compensatur.

(3) Gibeonitis olim promissum fuisse etiam adhibito juramento, fore ut conservarentur, quæ autem cum aliquo populo conventa sunt ea jure gentium posteros omnes obligant, quamdiu manet eadem Respublica, quanto magis ergo ad universum populum pertinet id quod geritur à summâ potestate; tenebatur ergo populus universus illo reatu obstrictus ob publicam fidem violatam. Quia ergo

perjurium illud erat expiandum vel intermissione populi, vel paucorum supplicio, posterius jure & prudenter fuit apprehensum. 3.

Ad III.

tertium exemplum Jeroboami posterorum nihil facit pro Grotio, tum quia Jeroboami posteritas viam impietatis paternæ fuit ingressa I. Reg. XIV. v. 13. tum quia expediebat ad eruditionem totius Israelis, ut peccatum illud singulariter vindicaretur; tum quia communio hæc obtinuit naturalis, de qua in seqq.

4. Exemplum Achabi consimile est priori exemplo Jeroboami, ita de Ahasia successore Patris & Regni hærede dicitur I Reg. XXII. v. 53. & 54. quod malum fecerit in oculis domini & ambulavit in via patris sui & in via matris suæ & vers. 54. provocasse DEUM Israelis ad Iracundiam juxta omnia quæ fecerat pater ejus. De septuaginta filiis Achabi, qui Samariæ erant, quis non credat vestigiis patris Achabi, fratris Ochoziæ, patruï Jehoram & Matris Jezebel institisse, utpote provectoris jam ætatis & inter Baalitarum agmi-

Resp. ad IV. exemplum.

na, Idololatrarum sub Inspectione educatos? II. Reg. X. v. 12, 34, 56. 78. (3) Author recte quidem dicit DEUM in tali Casu gravius punire parentes & Exod. XX. v. 5. dici DEUM visitare iniquitates parentum in filiis in tertiam & quartam generationem, quia ad illam usque conspiciendam possit, vel potuerit tum temporis pervenire humana ætas, quam si citâ Morte etiam abripiantur parentes impii filiorum consimilium pœna nihilominus illos attingere possit metu fatigante illos circa extrema præsertim ex prædictionis veritate de sorte illorum, quos reliquerunt. In fundamentum etiam paulo penitius hujus Judicii erit inquirendum, cur DEUS hîc non agat jure domini absoluti sed jure justitiæ. Fundamentum autem istius punitionis est conjunctio aliqua, sive unio inter tales, ex qua unione fit, ut peccatum etiam illos aliquo modo attingat, nec plane alienum sit. Triplex autem est talis unio sive conjunctio, naturalis, ut e. g. inter Patrem & filium, politica: ut e. g. inter Regem & subditum, moralis sive voluntaria ut e. g. inter reum & fidejussorem. Quod ipsum probatur tum ex ipso Grotio, qui illam unionem agnoscit th. 17. tum ex Scriptura, quæ utut multa exempla proponat, ubi unum peccatum etiam alteri fuit imputatum, nunquam tamen posuit tale, quod esset extra communionis hujus terminos. Nunquam leges in Scripturis Babyloniis esse imputata peccata Judæorum, Persas esse punitos propter Ægyptios

Fundamentum punitionis potestotum est triplex.

gyptios peccantes, idque ideo, quia illæ gentes nullo nexu specialis conjunctionis inter se copulantur : Sed hoc leges, imputata esse Parentum peccata liberis, Regum subditis, quam ob causam, nisi ob conjunctionem? tum quia ipsi Gentiles hoc agnoverunt, prout ex Plutarcho constat. Quemadmodum verò illud fundamentum est remotius, ita propinquius assignare non erit difficile in Exemplis quamplurimis nempe vel sce- rum Imitatio, vel Consensus in illa, vel Con- niventia & in univèrsum illa Causarum Mo- raliùm Series, quam DD. ponunt & recen- sent in sequentibus versiculis :

Proximum
multiplex

*Jussio Consilium, Consensus palpo recursus
Participās, mutus, non obstans, non manifestās.*

Secundum punctum quod concernit 1. Au- thor putat Legem Exod. XX. minas ultra ab- nepotes non extendere, quia parentes tum temporis eo usque protrahebant vitam & pu- niebantur tali spectaculo. Sed præter hanc alia etiam dari potest & dici, DEUM exten- disse ad proximas, tertiam sc. & quartam ge- nerationem ideo, quia eousque communiter adhuc viget scelerum memoria in hominum circulis, ut qui viderunt delicta, etiam vindi- ctam videant. 2. non potest probare Author Deum hac graviore vindicta non uti nisi ad- versus scelera in suam contumeliam per- petrata : contrarium patet ex ipsa Scriptu- ra, peccatum quippe quod perpetravit Cham non fuit peccatum aliquod in contumeliam ipsius Dei, sed parentis, & tamen fuit puni-

II. punctum.

Graviter
vindicat
Deus scele-
ra licet nō
in sui con-
tumeliam
patrata.

Gggg 5 tum

tum in descendens ab ipso, Gen. IX. v. 25. peccatum Davidis fuit Adulterium & tamen ex eo aliquid ad natum dimanavit II. Sam. XII. v. 15. Principum Persiæ fuit accusatio iniqua, Crudelitas, & studium excindendi Danielem, & tamen liberi illorum unà cum illis ex ea causa facti sunt Esca Leonum Daniel VI. v. 24. 3, quod differit ex Plutarcho, Æliano & Strabone, id ipsum non firmat ipsius sententiam, tum quia Gentiles hi fuerunt & cæci; tum quia hæc ipsa non exclusivè sunt accipienda, tum quia possunt opponi contraria. Tertium punctum quod concernit, in eo Author itidem multipliciter errat. Erroneum est I, quando dicit in N. Fœdere nullam extare comminationem personarum peccantium egredientem. Nam aut per Novum Fœdus intelligit fœdus gratiæ sive Evangelicum oppositum fœderi Legali, aut intelligit tempus N. T. vel fœderis. Si prius, non tantum in N. Fœdere nulla extat comminatio personarum peccantium egrediens; sed etiam nulla comminatio personarum peccantium attingens: est enim fœdus gratiæ, ignoscens peccatoribus, Evangelium spirans solatia, non minas, & hoc fœdus gratiæ etiam in V. T. obtinuit. Quicquid itaque pœnarum est, id ex ratione fœderis Legalis pendet. Si vero posterius, falsum itidem est, nam etiam in N. T. manet verum DEUM esse Zelotem, visitantem iniquitatem Patrum in filiis &c. sed vi Fœderis Legalis, prout ipsi visum est vel nunc remissius vel nunc rigidius. Photi-

III. Pun-
ctum.

Novum fœ-
dus dupli-
citer acci-
pitur.

nia-

nianismum verò spirat illud, quod in N. fœdere apertius quam olim declarata sint supplicia æterna, quod propterea nulla comminatio extet in illo personas peccantium egressi, quod minus aperte eo spectet dictum Ezechielis Capite decimo octavo: Nolo mortem peccatoris &c. 2. erroneum est quod concludit ex lege Deut. XXIV. v. 16. & exemplo Amaziar. Nam quod concernit legem illam Deut. XXIV. non potest ostendi illam esse moralem, sed potius judicialem esse constat, quia ipse DEUS aliud præscripsit in causa septem populorum Deut. II. v. 34. Rex autem Amasias in filios illorum, qui Regem Joasum patrem suum occiderant extremum supplicium decernere noluit, ideo, tum quia apud Judæos æquum erat ex LL. judicare, quæ ipsis latæ fuerunt; tum quia nihil erat periculi, ne ex leviori illa punitione aliquid damni Reipublicæ crearetur; tum quia metuebat Amasias, ne si summo jure ageret aliquid turbarum concitaret in eo Regno, quod nuper & Athaliæ tyrannide quassatum, & Syrorum oppressionibus accisum fuerat. 3. Erroneum est quod de Josepho & Philone producit: Nam Philo & Josephus quidem in tantum accedunt Grotio, in quantum de humanis judiciis agitur; interim tamen ad DEI dispensationem non respiciunt, quo si Grotius extendat errat; Judæi enim senserunt posse peccata parentum in filiis puniri. Quod ipsum constat tum ex ipsa Scriptura, Christi enim discipuli uti-

que crediderunt pœnas paterni criminis in filios derivari, alias non quæſivissent Joh. IX. v. 2. *Magister quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cœcus nasceretur?* tum quia ipsi Judæi dicunt, *sanguis Christi sit super nos & super filios nostros* Matth. XXVII. v. 25. tum quia ipse Grotius ad c. Matth. XX. & v. 28. adducit pro hâc sententia Josephum Albo Hispanum, Jachiadem, Abarbanel, & vid. Menasse Ben Israel in Conciliatore quæst. 43. in Genesin.

Ad Th. XV.

OBSERVATIO.

· Locus ex Danielis sexto capite petitus intento non convenit.

An qui in crimine perduellionis participant pœnam luere debeant.

Accusat Author Leges Persarum & Macedonum, quæ devoverunt etiam propinquorum capita in crimine perduellionis, & vel alio in Regem commisso & allegat executionem descriptam Daniel. 6. v. 22. At primò, si aliquando luit integra Civitas ex nexu cum facinorosis, cum propinquorum capita magis attingant sceleris Authorem, quidni certo in casu etiam illa possint depositi ad supplicium? sanè Virgilius lib. 1. Georg. agnovit Romanos antiquissimi criminibus Trojanorum pœnas expendere:

*Jam dudum sanguine nostro
Laomedontea luimus perjuriam Troje.*

& Ænei-

& Æneidos lib. I. scribit:

Pallasne exurere classens

*Argivūm, atq; ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.*

Secundò, quicquid sit, incommode illud Exemplum ex Danielis 6. adducitur. Fuit enim justum Judicium, DEO ipso probante illud: cum vix coniecti in locum Satrapæ cum proquinquis in ipso descensu, antequam ad foveæ fundū pervenerint, comprehensifuerint & ita lacerati, ut ossa etiam comminuta fuerint. Tertiò probabile est Uxores & propinquos non liberos fuisse à criminis participio, & vel illas instigasse maritos, vel hos fuisse delationis conscios, consiliarios, approbatores, unde justa illa executio, si non ex Lege illa quam Grotius innuit, ex facti tamen Qualitate, quod eousque sese extendit, ut consequenter non quadret illud ad propositum illius. Josephus lib. 10. Antiq. cap. 12. scribit: *Accusatores cum viderent nihil Danieli à Leonum congressu & quasi contubernio obvenisse mali excogitasse rationes novas, quibus adhuc perluaderent Danielem fuisse in culpâ & vim extenuarent miraculi; sed cui fidem præter Scripturam loquenti nolumus adhibere,*

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO.

De peccato Davidis, quæ Author proponit, non sunt liquida.

Author agit de peccato Davidis, atque **A**DEUM ob Davidis peccatum populum

An ob peccatum Davidis tantum populus contemneretur.

lum pestilentiam confecisse innocentem, quia in vitam ipsorum jus habebat plenissimum, iterumque de jure Domini differit. Verum (1) errat, quando consensui opponit contractum, inter corpus & caput. Rex enim non est caput ex illo contractu, sed ex constitutione divina immediata, quæ præprimis re-
 luxit in Davide. (2) errat, quando putat populum fuisse innocentem. Quamvis enim illa, quæ allegatur à quibusdam culpa, quòd cum numeratus fuerit & nomina singulorum in tabulas relata dimidium siclum non penderint contra Legem Exod. 30. v. 12. & Numer. 1. vers. 2. non probetur, cum ne vestigium illius in sacris occurrat; nec eo fine fuerit suscepta illa numeratio, quo illa præcepta in locis citatis, nec ad illos sese extenderit, qui etiam sub Lege divinâ aliâs comprehenti, alia tamen qualiscunque subesse potuit. Sanè apud Scholasticos ut supra notavimus causæ morales recensentur: *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.* At num non aliquo horum modorum peccatum fuerit, num non in numerationem consenserit aliquo modo populus, atque ita participarit, quis negabit? Hinc etiam dicitur in textu: *Furorem Domini exarsisse adversus Israelem.* II. Sam. XXIV. 1. non autem potuisset exardescere furor Domini adversus Israelem, nisi in Israele fuisset fomes furoris, nempe peccatum: non enim DEUS nisi peccanti irascitur. Imò, si concedatur non

Populus à Davide numeratus non fuit innocens.

non communicasse populum in illâ ipsâ peccati specie cum Davide: probabiliter tamen aliqui conjiciunt, pœnam fuisse ex justo Judicio divino in populum ex conjuratione Sebæ cui undecim tribus accessere, de quâ 2. Sam, 20. v. 2. in hoc tempus dilatam & jam executioni datam ex occasione peccati Davidici adeoque ex suppositione peccati. (3) erroneum est quod putat innocentem esse populum ex illa forsân ratione, quia David dicit oves istæ quid fecerunt, quasi sc. miratus fuisset quòd populus puniatur, sive oves, cum tamen peccatum hæserit in pastore sive Rege. Verba enim illa Davidis, oves istæ quid fecerunt, nec omnimodè excusant populum ab omni peccato, cum David hoc scire non potuerit, nec tam ostendunt, quale Davidis judicium fuerit de peccati alieni imputatione, sed potius quanta ipsius charitas erga populum, cui præfectus à DEO fuerat; Perire ipse cum suis non recusabat; sed populum tam tristibus plagis propter se plecti nolisset, & orat proinde, ut manus DEI potius sit contra se; considerat etiam populum illum non vulgarem esse, sed delicias DEI.

Quid velint ista verba: Oves istæ quid fecerunt.

CAPUT

CAPUT XXII.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Rectè ex Augustino asserit Grotius populos non molestos sola regni cupiditate conterere nihil aliud esse quàm grande latrocinium.

Suasoria
Causæ bel-
lorum non
sunt justi-
ficæ.

Asserit Author bella, quæ suasorias causas habent non justificas esse prædonum, & illustrat hoc testimonio Augustini petito ex lib. 4. de Civitate DEI c. 6, quod ex Lumine Naturæ, confirmat Seneca Controversiâ 9. scribens: *Quæ tanta vos fert Ira, cum una stirps idemque sanguis sitis, vel quæ furia in mutuum sanguinem egerunt? quod tantum malum humano generi vel sorte vel fato inuectum? an ut convivium poculis exstruantur, & tecta auro fulgeant, parricidium, tanti fuit? magna enim verò & laudanda sunt, propter quæ mensam & lacunaria sua potius quam lucem innocentes intueri maluerint. An ne quid ventri negetur libidinique, Orbis servitium expetendum est?* Ratio insuper stabilit, quæ tantum tres causas novit inferendi belli justas de quibus supra. Unde etiam Doctores Pontificii illum qui sine causa iustifica aggreditur alterum, eique bellum infert, asserunt peccare non tantum contra charitatem, sed & iustitiam & proinde teneri ad omnium damnorum Compensationem.

Ad

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Qui populi etiam rationis usu aliquo destituuntur, non tamen dominio carent.

Author dicit, hoc posse defendi, si qui populi omninò destituti à rationis usu, eos dominium non habere, sed ex caritate tantum iis deberi, quæ ad vitam sunt necessaria. Verum (1) Author hîc ponit hypothesin moraliter impossibilem, tales enim populi destituti omnis rationis usu non inveniuntur in tote Orbe. Etsi enim populi dentur hebetioris ingenii cæteris, tales tamen non dantur, nec, si unus aut alter vel major pars ingenio non valeat, omnes propterea pecudibus erunt pares. (2) Posito quod tales populi dentur, penes quos exiguus rationis usus, non tamen sequitur propterea illos debere dominio carere. Dominium enim non fundatur in majore vel minore intellectus perspicacia, sed est facultas quædam moralis à DEO concessa. (3) Quomadmodum phreneticus aliquis paterfamilias non desinit propterea Dominus esse respectu servorum, ut ut usu rationis non valeat, ita multò minus rationis usus imperfectior apud tales populos eosdem privabit dominio. Latius autem progrediuntur Major & Sepulveda, qui opinantur Barbaros posse invadi ex eo, quia

Refellitur
Author.
Fundamen-
tum domi-
nii expen-
ditur.

Compara-
tio.

Hhh

incon-

inconvenienter se regant, cum nunquam hoc admitti possit, nisi tales Barbari occidant innocentes, injurias inferant vicinis, lædant proximum, quo ipso cessat prior titulus & alius ostenditur, nec bellum tale aggressivum, sed defensivum potius erit dicendum, & quamvis Aristoteles primo politicorum capite primo in Grotii videatur inclinare sententiam aliter tamen pronunciandum esse ex dictis constat.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Qui in servitute devenerunt contenti esse debent sorte suâ.

Author concludit, qui legitima causa in servitute sive personalem sive civilem devenerunt, contenti sua conditione esse debent, ut & Paulus Apostolus docet I. Cor. VII. 21. An autem locus ille ita sit accipiendus ut accipit Grotius, disputari potest. Nam Paulus non solum dicit, *servus vocatus es ne id te torqueat, verum addit etiam si potes fieri liber, magis utere, h. e. potius utere libertate, tanquam bono per se desiderabili. Quo respexit etiam Syrus juxta Tremellium. Interim nihilominus pro Grotio dici potest, (1) hunc sensum repugnare Pauli scopo, quia versatur in eo, ut vitæ conditionem non esse mutandam suadeat, (2) verba illa posteriora possunt ita accipi, etiamsi possis assequi liber-*

Examina-
tur locus
Pauli 1.
Cor. 7.

libertatem, magis tamen utere servitute & permane in illa, majoris boni causa, scil. ad tuam exercitationem, & Domini tui salutem. Nam ex tua servitute, si liberaliter & christianè servis, major spes erit Dominum tuum lucrificandi Christo, quàm ex adepta libertate, (3) quia versiculus vigesimus secundus hunc sensum confirmat. Hinc etiam Chrysostomus hanc sententiam prætulit alteri.

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

Non qui servilis ingenii, armis confestim subigi potest.

Author dicit iniquum esse armis aliquos subigere velle, quasi dignos qui servant, quos & naturaliter servos interdum Philosophi vocant. Respicit sc. Aristotelem & Interpretes qui I. Pol. V. & VI. servum naturalem dari existimant. Et quidem rectè; hoc enim ipsum admitti nequit, tum quia servus natura talis non est servus accurate loquendo, sed saltem servile habet ingenium, cum servitus dicat aliquid morale, vel potius civile; tum quia quandoque illi qui maximè sunt servi natura tales, h. e. servili ingenio, imperant aliis longè perspicacioribus & prudentioribus, de quo videri potest Salomon Ecclesiastis X. 7. tum quia natura non deficit in necessariis, & unicuique sui regendi facultatem licet sub diversa mensura concedit: Sique daretur

Explicatur
Auctor.

Servus natura
talis non datur.

Hhhh 2

servus

Aristoteles refutatur. servus naturâ talis, h. e. si ille esset servus, qui hebeti ingenio, consequens quoque foret dari imperantem naturâ talem, h. e. illum debere imperare, qui prudentia instructus naturali. Malè itaque Aristoteles potentiam ad servitutem supposuit tanquam fundamentum, ex quo servus aliquis posset dici.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

De titulo Imperatoris contendunt Jurisconsulti & Politici: interim nec expediens esse, nec justum ut unus omnibus imperet rectè asseritur.

Author de titulo Imperatoris disputat, qui mundi Dominum se vocet, & examinat fundamentum illud ex sacris petatum Lucæ II, ubi dicitur: *Exiit decretum à Cesare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* Addit etiam Imperatori tale jus non competere, & si expediat, jus Imperii non sequi, ut quod nisi ex consensu, aut pœna nasci nequeat. Sanè negari nequit usurpasse hunc titulum Constantium, Antoninum Pium, Justinianum, imò Imperatorem Fridericum primū. Sed fundamentum illud (1) ex sacris petatum nullum est, partim quia Syrus Interpres dextrè expressit verba Lucæ, exiit decretum à Cesare Augusto, ut describeret universum populum Imperii sui, partim quia universus Orbis non notat totum Orbem, cum non Persis, non Indis, non Orienti ultra Euphratem,

Explicatur
dictum
Lucæ II.

tem, non Americano Orbi imperarint, imò ne Europæum quidem possederint Romani Imperatores, sed notat limitatè universum Orbem Romanum, prout vox *ὁ ὅλος ὀρβος* accipitur. A&. XI. 28. partim, quia Spiritus Sanctus hac voce voluit perstringere factum Romanorum, qui putabant totum Orbem sibi obnoxium esse, & juxta quosdam ejusmodi quid in Edicto Imperatoris super descriptione illa indicabatur. Unde ipse Maldonatus in Commentario ad hæc Verba: *Synecdochen esse, qua major pars pro toto accipitur, omnes movent, & res per se manifesta est. Nec enim totus orbis Romani Imperatoris jussu describi poterat, cum totus ejus non pareret Imperio. Totus igitur orbis, id est, ea orbis pars, que sub Romanis erat, describi jussus est. Similia exempla passim occurrunt, ut, & commota est universa civitas, & tenebra facta sunt super universam terram, & aliis in locis. Sunt qui existiment, ne totum quidem Romanorum Imperium fuisse descriptum, sed solum tantùm Syriam, in qua tunc Judææ censebantur. Sed probabilius est, idque omnes fere auctores tradunt, totum descriptum Imperium. Qua enim ratione, aut quo jure una pars potius, quam altera describeretur? Invenio, qui dicunt hæc ipsa edicti fuisse verba: *Jubemus, ut universus describatur orbis. Crederem, si edictum legisse dicerent. Quapropter cum se Imperatores appellarunt *κυβερνήταις τοῦ κόσμου*, Dominos Mundi, restrictè hoc acceptum voluerunt, prout Petronius scripsit:**

Universus
Orbis limitatè accipitur.

H h h h 3

Orbens

*Orbem jam totum Victor Romanus habebat
Quà mare, qua tellus, qua sidus currit u-
trumque.*

Vindictatur
Author.

Nec expediens est
totum Or-
bem ab u-
no regi.

ita tamen ut addat & penitus divisos Orbe,
Britannos, & loquendo comparatè ad pla-
gas Orbis, non singulas partes vel cum
respectu ad primos Imperatores præcipuas
Asiæ, Africæ & Europæ partes possiden-
tes. De expedientia autem & jure (2)
rectè sentit Grotius, & vanæ sunt specu-
lationes de Imperatore, quas passim prodit
nonnemo. Rectè enim urgetur locorum di-
stantia, rectè urgetur impotentia unius ho-
minis ad tantam molem sustinendam, cui
impar, neque unquam ab Orbe condito fuit
quisquam Imperator aut Monarcha, qui im-
perarit toti Orbi, rectè definita mensura,
modusque etiam in moralibus & civilibus
DEO omnibus suum constituyente terminum
Sap. XI. v. 22. Act. 17. v. 14. ex quo colligi-
tur, juxta providentiam divinam ordinariam
id non conveniens esse. Rectè urgetur po-
pulorum genius. Asiatici enim apti nati sunt
ad Dominatum, Europæi eundem ferre non
possunt. Cum itaq; subjectum sit inhabile ad
unum aliquod Imperium ex ipsa natura, ex
ipso DEO formante ingenia hominum, tale u-
niversale Imperium fingi non debet. Optimè
Augustinus lib. 4. de Civit. Dei c. 15. *Videant*
(inquit) ne forte non pertineat ad viros bonos,
gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim
eorum, cum quibus justa bella gesta sunt, re-
gnum adjuvit, ut cresceret: quod utique par-
vum,

nam esset, si quies & Justitia finitimorum, contra se bellum geri, nulla provocaret injuria, ac felicioribus sic rebus humanis, omnia regna parva essent, concordie vicinitate letantia. Et ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe domus plurima civium. Et (3) rectè concludit & dextrè Grotius, quòd si expediens esset, non tamen propterea jus statim esse fundatum, quod præter utilitatem titulum aliquem requirit.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Ecclesiæ Jus non est armis invadendi populos peregrinos nec Christus fuit Rex temporalis.

Author disputat contra illos, qui Ecclesiæ jus asseruerunt in populos Americanos. Et (1) urget locum Pauli I. Corinth. V. 12. (2) modum juris Apostolici, cui fuerit cœlestis non terrestris ingenii, non per arma, sed per verbum, per vindictam non naturalem, sed spiritualem, & (3) producit exemplum Christi, qui non fuerit Rex temporalis, & negaverit regnum suum esse de hoc mundo Joh. 18. qui etiam quicquid fecerit pro jure suæ potestatis, non fecerit humana sed divina virtute. Addit spiritum & oleum quod adhibuefit, fuisse signum medendi non remedium. Sed hinc miscentur putamina baccis. De ipso Controversiæ principalis puncto ita rectè pronunciat noster

Jus Ecclesiæ in Barbaros nullum.

Thummil
sententia.

ster B. Thummus pag. 75. & 76. *An bellum contra barbaros & infideles populos, à quibus nulla injuria fuimus affecti, tantum ob infidelitatem ac cultum idololatricum susceptum, sit legitimum? Respondemus ad hanc negative, non esse legitimum, sed, (quia 1. nusquam in S. Scriptura mandatum legimus, quod infideles ac barbari populi, ad Christianam religionem amplectendam, vi externâ seu armis corporalibus, [Locus enim Luca 14. 23. vi legis ac ipsius annexarum poenarum ceu armis spiritualibus, idololatrâ ac poenitere nescia corda esse debellanda asserit] cogi debent. Hoc enim, ut inquit Tertull. Apol. & ad Scap. ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicare divinitatis opinionem: ut non liceat mihi, colere, quem velim, sed cægar etiam colere, quem nolim. Atque adeo & Egyptiis permissa tam vana superstitionis prestantia, a vibus, & bestiis consecrandis, & capite damnandi, qui aliquem hujusmodi Deum, occiderit: Neque fides imponenda, sed suadenda, inquit Bernhardus Cant. serm. 6. Hac tria enim, ex nihilo aliquid facere, futura scire, & conscientis dominari, Deus sibi reservavit, ut Polonia Rex Stephanus dicere rectè solebat, nemoque cogi potest, ut credat invitus, ut inquit pientissimus Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 2. Epist. 28. 2. Christus & Apostoli, neque ipsimet Judeos ac Gentiles, Evangelium spernentes, oppugnasse, neque aliis licentiam oppugnandi armis corporalibus, tradidisse, leguntur; Fides quippe, ut inquit Tho-*

m. 46

mas, non tollit jus naturale aut humanum, ex quo dominia sunt profecta: quodque vult, ut homo homini non infidetur. Hinc bella religionis, solum propugnanda causa suscepta, plerunque cadunt in perniciem, ut exemplo esse potest bellum Alexandri Ducis Lituanorum, Vitoldi primum dicti, qui Christianam religionem amplexus, in Tartaros propaganda religionis ergo supra centum millia equitum peditumque eduxit. Et primam quidem atque alteram pugnam 300000. Tartarorum caesa, tertiam vero, Alexandri exercitus fusus, ac penè totus ad internecionem casus, Alexandro vix cum septem comitibus evadente, ut tradit Crantzius lib. 9. Vandalia, c. 39. 3. Omnes cause impulsiva legitimum bellum suspiciendi, communi omnium consensu approbatae, absunt, (neque enim lesi sumus, ut ulciscamur juste, neque illi nostri sunt subditi, ut puniri à nobis debeant: pariaque sunt. punire innocentem & nocentem, quem tu punire non debes, Didacus Alexand. 6. conf. 225.) & ut S. Augustinus lib. 4. de Civ. Dei, c. 6. loquitur, grande latrocinium. Hinc Belarminus in scripto suo contra Venetos, pag. 26. insignis alioquin & famosus meretricis Babylonica Patronus, disertè fateri, Christianos Principes non posse Ethnicos Barbaros oppugnare, si non ledant Imperia, ac cōtradicere cogitur autonomo illi personato Fracisco Burchardo, & Jobanni Genesio Sepulveda, qui integro libro Rome excuso, causas justae cōtra ludos belli gerodi contexit, cujus meminit Thuanus lib. 54. hist. Primū verò quod cōcernit, locus ille nō vide-

H h h 5 tur

tur militare pro Grotio, quia quando Apostolus dicit, quid mihi de his qui foris sunt judicare, vocabulum judicare non accipit politicè sub ratione actus aut effectus Jurisdictionis cujusdam, vel Imperii, sed ecclesiasticè. Hinc etiam ipsi Pontificii quidam hinc judicium discretionis & prudentiæ agnoscunt indicari. Ita enim Guilielmus Æstius: *Quæro, quærit, Ecclesia non judicat de iis qui foris sunt, quando judicat aliquem admittendum ad baptismum vel non admittendum? Responsio: non judicat tanquam potestatem jurisdictionis super eum habens: nec enim punire eum potest dum nondum est baptizatus: sed tantum admittit vel rejicit judicio discretionis ac prudentiæ: quomodo respublica quempiam externum supplicentem recipi in civitatem, recipit aut non recipit, nondum habens super eum jurisdictionis potestatem.* Quod secundum concernit, certum est jus Apostolorum fuisse cœlestis non terrestris ingenii, sed quod de vindicta annectit exercita in Anania, Elyma, Hymenæo & aliis, illa non erat ordinaria ipsi Ecclesiæ, sed extraordinaria Apostolis, pro certo alioquo tempore Ecclesiæ sc. plantandæ; unde ipse Franciscus Suarez Pontifici negat Titulum in infideles & ita decernit: *Tertium titulus est dominii supremi in temporalibus: astruunt nimirum dicti authores infideles, aut veros dominos non esse verum quas possident, aut Imperatorem Christiana-*

num

Jus Apostolorum Ecclesiasticū quale.

num, aut certè summum Pontificem habere directum dominium temporale totius orbis, sed hac omnia sunt vana, & conficta, ut in materia de dominio, & de legibus tractatur. Deinde esto in re talis titulus existeret, attamen neque infidelibus sufficienter ostendi posset, neque possent cogi ad credendum subsistere tali dominium, ergo neque cogi ad obediendum. Tandem eo titulo jam posset Papa, vel Imperator agere bellum contra omnes Principes Christianos. Quocirca animadvertendum, quamvis Pontifex indirectè habeat potestatem supremam in temporalibus, eam tamen per se loquendo, semper supponere potestatem directam in spiritualibus, ideoque illam potestatem indirectam, per se loquendo, non posse extendi ad infideles, in quos directa potestas in spiritualibus non datur in ipso Pontifice. Dico autem per se, quia per accidens contingere aliud potest, ut statim dicam. Tertiù valdè controvertitur inter Pontificios, qui statuunt Christum hominem fuisse verè & propriè Dominum & Regem totius Orbis proprium atque adeo temporalem, quemadmodum Philippus IV. Hispaniarum Rex, in qua sententia Alphonsus Mendoza, Gabriel Vasquez, Franciscus Suarez, Ægidius de Connink, Nazarius, & Tannerus Ingolstadiensis. Hinc Comitoli ad dictum Joh. XVIII. ab Authore allegatum excipit non fuisse Christi regnum de hoc mundo h. e. per electionem mundanam, neque sub formâ & more mundanorum Regnorum, quæ ex-

Exceptio
Comitoli
ad dictum
Joh. XVIII

ercitibus, ærario, ministris & præsidibus gubernentur, 2. regnum Christi non esse de hoc mundo, quia regna mundi tunc omnia fuerint ferè vel usurpatione dominii, vel vi & armis vel fraudibus acquisita, injustis Legibus, & idololatriæ ritibus gubernata; cujusmodi regnum Christi non sit, 3. non esse de hoc mundo, hoc est non esse portionem tantum globi terreni, ut sunt regna mundi, sed completi cœlum, terram & omnes Creaturas. Addit regna mundana esse purè temporalia & extinguibilia, tale autem non esse regnum Christi. At has quisquillas & Atomos nebulosas facile dissipat Sol veritatis cœlestis; nam primò Christus non de se Rege loquitur, sed de suo Regno & negat illud esse de Mundo: omne autem Regnum temporale in his terris sive Rex eligatur sive succedat utique de hoc Mundo est sive mundanum; & si fuisset mundanum utique etiam Ministrorum Numero fulsisset teste ipso Christo dicente: si ex hoc Mundo esset Regnum meum, Ministri mei decertarent, ut non traderer Judæis. Secundò omnia illa quæ Comitoltus refert de regnis accidètaliter se ad illa habent; de Mundo autem aliquid esse dicitur ratione originis, formæ & finis; si itaque Christus negavit Regnum suum esse de Mundo non negavit ratione illorum quæ Comitoltus ponit, sed Originis formæ & finis, hoc est, negavit esse mundanum & temporale simpliciter. Tertio negavit Christus ita Regnum suum esse de Mundo, ut non Auxesin intenderit, sed Remotio-

Refutatur
Comitols.

Regnum
Christi de
mundo nõ
est triplici-
ter.

motionem simpliciter talem, neque voluit includere Cælum & cæteras creaturas, quod fuisset illudere Pilato, suspicionem affectati Imperii augere, sed Veritatem dicere & inconueniens negare, atq; eo ipso si voluit Regni sui æternitatem, innuere temporalitatem, mundanam qualitatem & formam voluit tollere. Rectè ergò statuitur contra

Christus non fuit Rex temporalis.



Pontificios Christum quàm hominem in diebus vitæ suæ non fuisse Regem temporalem, quia Rex temporalis formaite ab eo denominatur, quod sc. in tempore regnet, certum temporalem terminum regnandi habeat, regnet jure humanitus sibi acquisito, temporalem denique felicitatem Reipublicæ procuret, & tanquam scopum sibi præfigat, quale quid in Christum ejusq; regnū non cadit. (2) ambiguum est quod dicit, quicquid Christus facerit jure potestatis suæ fecisse, non humana sed divina virtute. Cùm enim humana natura acceperit totam opulentiam divinitatis, ideoque quicquid humana quoque fecit natura divinæ fuit virtutis, quod Damascenus egregiè explicavit exemplo gladii igniti, quod incidendo urit & urendo incidit. (3) falsum est sputum Christi fuisse solum sicut

sputum Christi non solum sed remedium fuit.

gnum medendi, non autem remedium. Nam sputum illud quo usus fuit in curatione cæci fuit sputum planè singulare & virtutis divinæ. Cæcus enim ille non carebat tantum lumine, sed etiam ipsis oculis instrumento visus, & sputum illud fuit adhibitum ad efficiendos oculos, prout hoc ipsum constat ex tota antiqui-

tiquitate, & patribus ferè omnibus, qui videri possunt apud Dan. Heinsium in Aristarcho Sacro, cujus sunt sequentia cap. 8. pag. 782. *Sanè sic de cæco hoc veteres senserunt, ut non visum modo illi datum, sed & oculos à Domino formatos ac creatos dicant.* Cyprianus, *Spirito oculos Christus fabricavit. Et Asterium, κηθλιῶαι in hoc homine στῦ αὐτοχελις ὀφθαλμῆς καὶ ἀσκηθλιῶαι αἰ.* Idem, *ἰν' ὄφεν τὸ ὄλον κατ' ἀρχαῖς ἐπλαῖθη ζῶον, καὶ τὸ μέγθ δειξῆ πλατῆμον, Ut ex quo (pulvere nimirum) totum initio formatum est, partem nunc ostenderet formatam.* Eodem Chrysostemus ad 14. *Matthai respexit, cum miraculum, de quo hic agitur, δημιεργίαν ὀφθαλμῶν vocavit, qui, ὅτε, inquit ὀφθαλμὸν ἐδημιεργησε, cum creavis oculum.* Et Theophylactus, eum eodem modo, quo protoplastus, formatum atque conditum fuisse ait. *Διὰ τῆς καὶ ἀπὸ πηλῆς πᾶ ὀμματῶ δημιεργεῖ, ἐκείνῳ τρέπω τὸ δημιεργεῖας, ὡς καὶ τὸ Ἀδάμ ἐδημιεργησε.* Augustinus, seu quicumque autor, *Sermon De Temp. Recepit hic quidem (de altero cæco) oculos. alter accepit: & quod natura non dederat, manus Christi formavit.* Inposuit enim fronti pulverem, spiritu conspersum, & ad tacitum sacra manus operis disciplina festinans, luciferas gemmas orbibus perforatis infixit, & quod natura non dederat, Christus artifex integravit. *Eundem pulverem quid voluit cum κενεῶνα χόνιον vocavit? Ita enim mox sequitur:*

Καὶ

Και χρονω κενεων πεφημερον αφρον ελιωσαν.
 Et κενεων  quidam vocem, varie a nostro κ-
 στραρι, norunt qui praesertim ejus Bacchica
 legerunt. Nunc cum ait, Dominum εν χρο-
 νω κενεων  ε αφρον, id est, spuro, lucum hic
 fecisse, quo caesus ille, cujus facta mentio, inun-
 gereur, terram aut pulverem intelligi, resip-
 isa docet.

CAPUT XXIII.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Fides in loco Pauli ex Rom. 14. ad-
 ducto non tam notat dictamen Con-
 scientiae, quam fidem veram & salvi-
 ficam.

Author docet, quod etiam si quid justum
 sit, si tamen aliquis id injustum esse exi-
 stimet, fieri ex eo actum vitiosum. Et pro-
 bare hoc nititur ex Rom. XIV. ubi Paulus di-
 cit, quicquid non ex fide est, peccatum est.
 Fidem autem putat Grotius hic notare ani-
 mi judicium, dictamen conscientiae, quo quis
 censent tale quid sibi hic, nunc, & sic licere.
 Non dextrè, praeripis si exclusivè loquatur.
 Nam (1) vocabulum fidei nusquam in uni-
 versa Scriptura ita pro dictamine conscientiae
 accipitur, (2) ipse textus repugnat, tum quia
 Apostolus agit de fratribus infirmis & robu-

Fides non
 accipitur
 pro dicta-
 mine con-
 scientiae.

stis

Expenditur locus
Pauli.
Rom. 14.

Quod ex
dictamine
conscientiæ
fit, peccatum
sæpe est.

stis in fide quales soli fideles, v. i. seqq. tum quia cognitionem hanc de qua hîc loquitur per Christum se habere testatur v. 14. ut sensus sit quicquid non est ex fide Christi JESU, in quo unice cognoscimus, quæ communia sint & immunda & quæ non, illud peccatum est, tum quia ita peccatum est quod non fit ex fide, ut non sit peccatum quod fit ex fide. Atqui non omne id, quod fit ex dictamine conscientiæ, non est peccatum: sæpè enim datur dictamen conscientiæ errantis, & obtinet illud dictamen conscientiæ etiam in Gentilibus, quorum tamen omnia opera peccata sunt. (3) Grotius ita recedit ab antiquitate Orthodoxa. Non enim de dictamine conscientiæ, sed de fide accepit hunc locum Aug. l. 4. contra Jul. c. 3. & de gratia Christi c. 26. Prosper l. 3. de vita contemplativa c. 1. & 5. Bernhardus, Anselmus Laudunensis in Glossa ordinaria, & Anselmus Cantuariensis in Comment. ad h. l. Hinc etiam in Apologia Augustanæ Confessionis & nostris libris Symbolicis passim hoc sensu occurrit usurpatum & applicatum hoc dictum. Rectè Prosper. *Hac si possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono DEI, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari in tantum, ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sint aliquas per corpus virtutes (id est, virtutum opera) operati: quod eas nec a DEO suo se accepisse crediderunt, nec ad eum qui est*
finis

finis omnium bonorum, referre voluerunt. Es quid dico, nihil eis profuerunt? Imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est: non dixit: Omne quod non est ex fide nihil est: sed dicendo: omne quod non est ex fide peccatum est, declaravit, quod omnia bona aut ex fide gesta virtutes sunt id est, opera virtutum, & bona, qua profecto justificant; aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, qua non juvant suos operarios, sed condemnant, inflatosq; precipitant, atque à finibus aeternae salutis eliminant. Sed quid ego hac de infidelibus unde nullus ambigere videtur, ex aggero?

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Conscientia probabilis est inter opiniones, quarum quæque nititur Rationibus vel firmioribus vel infirmioribus, ubi tutior pars semper eligenda & Conscientia ita in hanc vel illam partem inclinans mediis quibusdam est vincenda.

UT in antecedenti egit de conscientia dubia, ita hinc agit de probabili. Describitur autem Conscientia probabilis. Conscientia probabilis est, quæ ex principiis, seu motivis probabilibus, seu vero similibus tantum, practicè certò dicitur aliquid licere, vel non licere. Juxta comunè Doctorum sententiã. Ex

Definitur
Conscientia
probabilis.

principiis probabilibus seu vero similibus tantum applicatis scilicet per opinionem probabilem dicitur. Quemadmodum enim quando sub principio synteresis ratio subsument aliud principium certum, vel pro certo creditum, nascitur conscientia recta vel erronea, ita quando eadem ratio assumit per opinionem probabilem principium incertum quidem cognitum, & cui forte falsum subesse possit, attamen certo verosimile ac probabile, nascitur conscientia probabilis seu opinativa, & ipsa quidem incerta speculative, omnino tamen certa practice: idque hac ratione. Quia opinio applicans principium probabile ad inferendam conclusionem practicam, non est solum iudicium veritatis absolutum, non enim absolute dicit aliquid esse verum vel falsum: sed involvit simul iudicium probabilitatis per modum enunciationis modalis; dicens nimirum; probabiliter aliquid esse verum: seu esse probabile, quod quidpiam ita sit vel non sit: quamvis ergo dicta opinio simpliciter sit incerta quo ad iudicium veritatis, seu an res ipsa ita sit vel non sit: est tamen, & debet esse certa quo ad iudicium probabilitatis (saltem alicujus tandem) quod nim. opinio probabiliter sit vera; & res vero similiter ita sit. Certum rursus est Conscientiam posse sequi opinionem probabilem in praxi: & hinc sequitur conscientia probabilis practice omnino certa. Patet in hoc discursu. Omnis contractus justus lici-

licitus: sed census germanicus probabiliter est justus, ergo probabiliter est licitus. Ubi minor, & conclusio opinativa etsi incertæ quoad veritatem, certò tamen probabiles sunt: Et quia rursus certum est, conscientiam posse sequi opinionem probabilem, hinc sequitur conscientia practicè certa: Ergo & mihi hîc & nunc licet inire hunc contractum, exigendo annua quinq; pro centum, salvo capitali. dicitur practicè certò dictare Et verò conscientia probabilis in praxi tutò sequenda debet semper formari per modum judicii resoluti, & practicè certi, uti cum Navarro, Suarez Lessio & communi DD. notant Layman hîc l. 1. c. 5. §. 1. Marchant Tribun. p. 1. Tract. 5 tit. 5. Ratio est. Quia Conscientia etiam probabilis debet esse regula actionis humanæ honestæ, atque operantem practicè & moraliter securum reddere de honestate suæ actionis, quòd sc. sic operando non peccet: alioquin imprudenter ageret, & se periculo peccandi exponendo, re ipsa peccaret: Atqui nullo modo posset esse regula actionis humanæ honestæ, aut operantem ita securum reddere de honestate actionis suæ, nisi per modum judicii resoluti ac practicè certi dictet hîc & nunc licere sic operari, absque practica formidine de opposito, ne fortè non liceat sic operari hîc & nunc, ne fortè peccet &c. Nam eo ipso, quo quis ita practicè formidat de opposito, censetur practicè dubitare: cum conscientia autem practicè dubiâ nunquam licet operari: ergo conscientia

Defin Opinio.

probabilis debet esse esse iudicium resolutum & practicè certum: quantumvis maneat incertum speculativè & cum actuali etiam formidine vel dubitatione speculativâ de opposito: ne fortè res ita non se habeat ne fortè erret in iudicio v. g. ne fortè census germanicus revera sit injustus: ne fortè res hæc sit aliena: Si habeas probabilem opinionem, quod non: practicè certò concludes licere tibi sic contrahere, rem retinere. Atq; ita exponimus Conscientiæ probabilis definitionem & differentiãtùm ab aliis conscientiis tum ab ipsa opinione: quæ defini solet: Assensus rationis ad alteram partem contradictionis ex motivo probabili seu verosimili tantum. Opinio enim speculativa est & universalis etiam in practicis, ideoque semper habet annexam formidinem de opposito: conscientia autem opinativa ex opinione ducta practicè practica est, & practicè certò, sine formidine, dicitur operari in particulari, Observandum autem hîc est (1.) quòd quandoque contingat, ut de rebus agendis oppositæ sint opiniones, ita ut altera neget esse peccatum si quis agat, una autem dicat esse peccatum. Ubi difficultas est, qualiter quisque inter eas se gerere debeat, ut habeat aliquod iudicium singulare conscientiæ de rebus agendis, quod absque peccato amplecti possit. Ubi observandum inter opiniones quandam esse tutiorem, quandam vero minùs tutam. Tutior autem dicitur, non quia probabilior, sed quia qui illam sequitur

tur non potest peccare, ut e.g. Si sint opiniones contrariæ de restitutione faciendâ, ea tutior est quæ dicit restituendum esse, quia in faciendâ Restitutione non pecco, contraria verò est minus tuta, quia in non faciendâ restitutione potest fieri ut peccem. Præterea (2) inter opiniones alia est probabilior, alia minus probabilis; probabilior est quæ meliora habet fundamenta, minus vero probabilis, quæ licet non habeat fundamenta meliora, tamen fundamenta ejus non sunt sufficiente probabilitate destituta. Contingere ergo potest ut minùs tuta sit probabilissima opinio, & contra ea, in qua nullum est peccatum sit minùs probabilis, prout exemplum de restitutione docet. (2) incertitudo in conscientia duplex est vel speculativa, dubia sc. in ipsorum eligibilium cognitione, vel practica, anceps sc. in ipsa electione. Si ergò certum sit te alterutro modo peccaturum, neutrum est eligendum. Si verò incidit incertitudo speculativa, tunc pars alterutra suscipienda non est etiam, nisi discussa caligine. (3) Observandum, ut conscientia dubia vincitur precibus ad DEUM fufis, 2. prudentiâ propriâ, cùm sc. eligimus viam tutiorem, & 3. prudentiâ alienâ, si alios scil. consultamus, ita quoque probabilis hac ratione vinci potest. Videatur nostra Theologia moralis, ubi latè de Conscientia

egimus.

Incertitudo Conscientiæ duplex.

Modus Conscientiam dubiam vincendi.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Etiam in mediocribus rebus non est præcipitanda Electio.

An liceat
in Consci-
entiâ sequi
opinionem
verè proba-
bilem in-
trinsecè ta-
lem.

Author differit & dicit ab utraque parte posse probabilia se ostendere argumēta, quæ vel intrinseca vel ab aliorum auctoritate & id cum accidit, si res mediocres sint, videri vitio carere electionem posse. Disputant autem Doctores moralium, & ita decernunt. Licitum est in Conscientiâ & operatione sequi opinionem verè probabilem intrinsecè, non item extrinsecè tantum ex sola auctoritate extrinsecâ, absque ulla saltem præsumpta probabilitate intrinseca. hæcque est communis & in his terminis certissima doctrina. in quâ consentiunt omnes, & ratio est. Quia quidquid rectè & prudenter creditur licitum, etiam licitè fit: quandoquidem rectum & prudens iudicium sequens nemo peccat: atqui opinio verè probabilis intrinsecè, nixa scil. motivo rationali, etsi incerta speculativè, rectè & prudenter iudicat aliquid esse licitum: & Conscientiâ inde formata est verus actus prudentiæ: etsi enim unâ cum suo motivo maneat incerta speculativè, est tamen certa practicè: Neq; verò ad virtutem prudentiæ requiritur, ut in regulando semper sit vera & certa speculativè

lativè ex parte objecti, cum in rebus plerisque moralibus ob innumeras circumstantias particulares vix unquam possit haberi veritas & certitudo speculativa: sed sufficit quòd sit vera & certa practicè ex parte motivi rationabilis ac probabilis: alioquin vix unquam haberemus quietam conscientiam: Ergo licitum est in conscientia & operatione sequi opinionem verè probabilem intrinsecè saltem. Opinio verò probabilis vulgò dicitur illa, quæ nititur ratione alicujus momenti, (& sic vocatur probabilis intrinsece) vel autoritate gravi & sic vocatur probabilis extrinsecè. Jam verò prætermiſſis variorum de vera intrinseca probabilitate opinionibus, ex mente Marchanti sic exponitur. Opinio verè probabilis intrinsecè est, quæ principiis legis divinæ naturalis ac positivæ, atque in his fundatis justis legibus humanis conformis est, vel non repugnat. Ratio est. Quia omnis opinio practica, ad hoc ut censeatur probabilis practicè in ordine ad operandum, necessariò debet apparere conformis, vel saltem non dissona regulæ ac mensuræ actionum humanarum: ut patet ex terminis: atqui omnis & sola mensura ac regula extrinseca actionum humanarum, est lex divina naturalis ac positiva atque in his fundatæ justæ leges humanæ, Politicæ: ergo omnis & sola his conformis vel non repugnans opinio censei debet verè intrinsecè ac practicè probabilis: eòque probabilius, quò magis conformis, & uni-

Opinionis
probabilis
signa &
conditio-
nes.

nus dissona: minus verò probabilis quò minus conformis magisque dissona: omninè autem improbabilis, si omnino dissona appareat, vel repugnans dictis legibus. Opinioni ergò verè probabilis conditiones & signa potissima sunt: si sit conformis, vel non dissona. 1. Juri divino innato, scripto, tradito, ob rationem datam. 2. Sacræ scripturæ. Nam, quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Et Scriptura legem divinam aut significat, aut declarat, aut exemplis demonstrat. 3. Actionibus Christi humanis ordinariis. Quia ipse est via, veritas & vita. 4. Sensui Ecclesiæ & Conciliorum. 5. Doctrinæ SS. Patrum: Qui sicut splendor firmamenti ad justitiam erudiunt multos. 6. Doctrinæ Theologorum in Ecclesia communiter auctoritatè fortitæ. Nō licet verò sequi opinionem extrinsece tantum probabilem, &c. Hoc volumus dicere. Auctoritas quorumlibet Doctorum sc. sola formaliter non fundat opinionem probabilem practicè, sed solum vel concomitanter, vel præsumptivè. Navarr. Man. c. 27. n. 283. Azorius tom. 1. l. 2. c. 16. Arriaga de Act. Hum. disp. 24. sect. 3. Carpens. de Consc. disp. 3. sect. 1. Marchant. cit. Tit. 5. q. 4. Bardi. cit. c. 2. alii communiter. concludunt hoc ex utroq; jure. c. Nicæna synodus d. 32. Sententia Paphnutii præponitur sententiæ plurimorum in eodem Concilio intervenientium. Et; penult C. de veteri jure enucleando, inquit Justinianus. Sed neque

neque ex multitudine Auctorum, quod melius & æquius est, judicatore: cum possit unus forsan & deterioris sententia multos & majores aliqua in parte superare. Hæc ibi Imp. Et sanè experientiâ constat, multos alioquin doctos alicui opinioni subscribere, non alio ductos motivo, nisi quia alii sic senserunt: unde tot opiniones olim, à sapientibus etiam receptæ, postea, rationibus ponderatis, judicatæ sunt improbabilis, ac etiam falsæ. Ergo, &c. Ratio à priori & fundamentalis est. Quia nulla opinio potest censi verè & practicè probabilis, nisi appareat conformis vel non repugnans rectæ rationi, vel Legi, præsertim divinæ: sed ex sola auctoritate Doctorum quorumlibet formaliter non apparet conformitas ulla opinionis ad rectam rationem vel legem, nisi hæc aliunde sciatur vel supponatur: ergo sola auctoritas quorumlibet Doctorum non fundat opinionem practicè probabilem formaliter: sed solùm, vel concomitanter simul cum rationibus ab ipsis allatis, quas quis examinavit, atque probabiles seu rationi rectæ vel legi conformes esse judicavit; auctoritas enim Doctorum adjuncta rationi, multam habet energiam, ad firmandam opinionem & conscientiam probabilem: vel præsumptivè; quia, cum de veritate vel falsitate non constat, ipsa auctoritas Doctorum facit præsumtionem pro probabilitate: quia præsumere debemus tot graves auctores non esse hallucinatos, sed rationes meliùs penetrasse, quàm nos capiamus. At-

Castigatur
aliquate
nus hæc
sententia.

que hac ratione, præsumptivè nim. Aristoteles definivit 1. Top. 1. Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis. Non satis tutò hoc ipsum pronunciat Author universaliter & simpliciter. tum quia conscientia est res tenerrima & serenanda, proinde etiam in rebus mediocribus serenanda quantum fieri potest; tum quia in rebus mediocribus etiam peccatur, si apprehendatur oppositum bono, licet non tanto cum excessu peccetur; tum quia in re minima committi maximam posse injustitiam David ostendit II. Sam. XII. pronuncians reum mortis, qui oviculam tantùm suffuratus erat. Et hoc ex lumine naturæ Melanopus quoq; agnovit, accusando Callistratum, quòd eos, qui templum exstruebant, fraudasset tribus semibolis sacris.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Salubria sunt, quæ hic Author subministrat sopiendarum Controversiarum Media.

Medium
componen
di Contro
versias qua
le?

Alterum quod suadet Medium componendi Controversias ne erumpant in bellum Authori est Compromissum, salubre sanè, cujus frequentior usus omnibus votis expetendus. Probat hoc autem à comparatione, cum enim Paulus suaserit ne Christiani Tribunalia fatigaret gentiliùm, sed arbitris

tris delectis negotia componerent, multò magis id faciendum in causis ad bellum vergentibus, quas Ilias incommodorum sequatur, de quo loco Pauli ex 1. Cor. 6. v. 1. & seq. supra egimus. Commendat deinde Concilia Potestatum Christianarum, in quibus per arbitros controversiæ definirentur, quod utiq; esset laudabile, tandè adducit Molinam, qui ita disputat disp. 103, §. 2, 3, 4, 5, 6 p. 419. *Quando inter Principes aliquos oritur controversia circa rem aliquam distinguendum est, quoniam vel unus exat in legitima possessione illius, ita quod bona fide absque dubio quin ad se pertineret, cœpit illam possidere vel neuter erat in tali possessione, sed morte cujusdam tertij res vacavit & contendunt ad utrum eorum pertineat, aut certè si alter eorum cœpit possidere id non fuit sine controversia aut dubio, num ad se vel ad alterum pertineret. In primo Eventu interim dum certum non est, ad quem res pertineat, sed dubium & rationes sunt pro utraque parte, neque qui est in possessione, tenetur tradere totum aut partem: neque qui est extra possessionem potest vel bellum movere, vel quicquam rei illius occupare, sed rationibus duntaxat potest experiri jus suum, aliisque non solum tenetur eas audire, sed etiam moralem adhibere diligentiam, ut sciat an res ad se vel ad alium pertineat, si via aliqua occurrat, unde id possit deprehendi. Ita Victor de jure belli à numer. 25. Exemplum habemus accomodatum in Insulis Moluccis antequam hoc regnum Lusitaniae cum Regno Ca-*

*stella conjungeretur. Cum enim Johannes III. Lusitania Rex in pacifica illarum esset posses-
 sione, dubium oriri coepit tempore Caroli quinti,
 an juxta divisionem illam orbis occidentem &
 orientem versus auctoritate Alexandri VI.
 inter Reges Castella & Lusitania factam In-
 sula illa ad eam partem Orbis pertinerent,
 qua Reges Castella, an vero ad aliam qua ad
 Reges Lusitania spectat, qua in re dico. Inte-
 rim dum certum non erat, ad quam partem
 pertinerent, neque Regem Lusitania teneri tra-
 dere eas, aut partem earum, neque Regem Ca-
 stella licite potuisse movere bellum, aut partem
 earum occupare: sed rationibus tantum nego-
 tium fuisse transigendum, ut re ipsa per actum
 antequam lis ad certum tempus pro certa au-
 reorum summa inter Carolum V. & Johan-
 nem III. componeretur. Regem tamen Lusita-
 nia teneri moralem facere diligentiam, ut sci-
 ret ad quam partem pertineret. Primum &
 secundum eorum qua asserta sunt ex eo pro-
 bantur, quod in dubio melior sit conditio possi-
 dentis, eaque de causa quid est in legitima pos-
 sessione; interim dum omnino sibi non constat
 rem ad alium pertinere, neque teneatur seipsum
 ea privare neque alius, esto is iudex sit, possit
 licite eum ea aut parte illius spoliare. Atque
 hinc ortum habuit eum regula illa II. de regul.
 juris lib. 6. cum sunt partium jura obscura reo
 favendum est potius, quam auctori, Is vero, qui
 possidet rem est comparatione illius, qui est ex-
 tra possessionem & contendit rem ad se perti-
 nere. Tum etiam regul. 65. que habet: In
 pari*

pari

pari delicto vel causa potior est conditio possi-
 dentis. Præterea si is qui est extra possessionem
 posset in dubio movere bellum adversus eum,
 qui possidet, sequeretur existente eadem cog-
 nitione in utroque bellantium de justitia utriusque
 partis dari bellum justum ex utraque parte.
 Nam quæ ratione is, qui est extra possessionem
 posset justè rem istam bello occupare, eadem
 imò longè majori posset eam defendere qui est
 in possessione illius, quippe cum dubium aequè
 utrique faveat meliorque sit conditio possiden-
 tis; id autem concedere sanè esset concedere ju-
 stum bellum formaliter & materialiter ex u-
 traque parte, quo nihil absurdius affirmari po-
 test. Tertium eorum quæ asserta sunt, proba-
 tur, quoniam orso dubio verisimilique ratione,
 an res quam unus possidet ad alium pertineat:
 fas est ei qui est extra possessionem experiri jus
 suum coram communi iudice, si illum habeat;
 neque possessori ullam in ea parte facit injuri-
 am, iudexque tenetur causam examinare, ut
 quotidianus usus testatur; cum ergò Principes
 iudices sint ad invicem in causis quas unus ha-
 bet adversus alterum, consequens profectò est,
 ut unusquisque eum proponere possit alteri
 rationes, quas adversus eorum habet, & ut alius
 teneatur illas audire & expendere, illisque sa-
 tisfacere. Quartum verò ex eo est manife-
 stum, quod rei alicujus possessor, eo ipso, quo
 dubitat, an res, quam possidet sua sit, & negli-
 git veritatem inquirere, si qua via diligentia
 adhibita occurrat veritatem deprehendi desinit
 possidere bonâ fide, exponitque se suâ sponte peri-
 culo

culo detinendi injustè alienum invito domino
 eaque ratione peccat contra proximi charita-
 tem. Liset enim in dubio non teneatur præ-
 ponere proximum sibi, spoliando sc. re quam
 possideatamque illi tradendo; tenetur tacere ad
 moralem diligentiam, ne illum gravet detinen-
 do quod illius est.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Ut non rejicimus sortem simpli-
 citer in casu Controversiæ compo-
 nendæ, ita locus ex Solomone addu-
 ctus non videtur stringere.

Sors est me-
 dum com-
 ponendi
 bellum.

Enucleatur
 locus Prov.
 18. v. 18.

Postquam Author modos proposuit bel-
 lo obviandi & illud declinandi, (1) col-
 loquium, (2) compromissum, (3) sortem,
 confirmare hoc ipsum nititur ex Prov. XIII.
 18. ubi verba ita se habent: *Lites cessare facit
 sors, & inter fortes dividet.* Ubi Author
 noster respexit ad vocabulum fortes sive ro-
 bustos, quasi Salomon diceret, non solum
 inter plebejos aut privatos, sed etiam inter
 robustos h. e. exercitus, & eorum Duces sors
 dividet. Verum num satis probet Author,
 quod præbandum penes Interpretes nondum
 liquidum est, tum quia vox Atzumim fortes
 potest referri juxta Rabbi Salomonem ad ar-
 gumenta, ut sensus sit sors dividet inter for-
 tes h. e. inter eos, qui fortibus argumentis
 contendunt: quanquam alii malint per At-
 zumim

zumim intelligere lites obscuras petitâ significatione à Radice Atsam, quæ significat obthurare & claudere, ut sensus sit sortem in rebus dubiis, obscuris & clausis esse Medium, ut in manifestis Ratio & Consilium; tum quia si referatur ad multitudinem robustam non necessariò notabit exercitus, sed tribus, quales erant Israelitarum, vel Principes & Nobiles; tum quia hîc videtur agi de tali divisione, quæ est extra bellum, occupata circa paternas regiones atque Urbes. Quanquam nolimus refragari, si quis accomodet hanc sententiam & extendat etiam ad Controversias bellicas inter Principes contendentes. Unde Auctor Catenæ Græcæ sic explicat: *Sors quæ Matthia obrigit, oborsam deo Juda Iscariota successore controversiam sedavit: & potentibus, nempe Apostolis, quem eligere deberent, præsinivit. Sunt qui loco κληρῶ legant σρηγὸς, ut sit sensus, Lites & contentiones undecumque exortas hominem pati ntem & taciturnum facile sedare: cùm ex adverso litem & rixam exacuunt, qui litiganti responsant & obloquuntur. Aliàs vinatoria. Divisoria illa est, quæ adhibetur quoties non apparet ratio, cur aliquis alteri debeat præferri, vel in bonis dividendis, & hanc probat Augustinus Epistola 18. ad Honoratū etiam in sacris. Dux verò reliquæ species non malè rejiciuntur à quibusdam; tum quia sors consultatoria dicitur tentationem DEI, tum quia divinatoria accedit Magiæ.*

Sortis species tres. rejiciuntur: à quibusdam

Exem-

Exemplum hujus ostendit Henricus Salmuth in Pancirollum scribens: *Veneti hodie, si quid agendum est, ita sortitionem efficiunt. Veluti si fingamus in Senatu de ratione belli agendum esse, neque inter Senatores convenire, ad cujus Urbis expugnationem primum debeat deduci exercitus, (quod accidit temporibus Michaelis Trigesimi quinti Venetorum Ducis. Hadrian. Barlan. de Ducib. Venez.) ad divinas Sortes recurrendum censet. Nomina quidem expugnandarum Urbium in urnulam conjiciuntur: ea rudis quipiam puerulus manu miscet: inde unam ex chartulis, quae singula singularum Urbium nomina continent; ad Principes defert, ab eaque oppugnanda bellum inchoari debet: ut scriptum reliquit Claudius Coteravi, de Jure Militum lib. 3. cap. 8. Hinc verba Salomonis de sorte divinatoria commodè accipiuntur. Audiamus Thomam secundæ quæst. 95. art. 8. pag. 179: Respondeo, dicendum, quod sicut supradictum est: sortes proprie dicuntur cum aliquid fit, ut ejus eventu considerato, aliquid occultum innoscatur. Et quidem se queratur iudicio sortium, quid cui sit exhibendum, sive illud sit res possessa, sive sit honor, seu dignitas; seu poena; aut actio aliqua, vocatur fors divinatoria. Si autem inquiratur quid agere oportet, vocatur fors consultoria. Si vero queratur quid sit futurum vocatur fors divinatoria. Actus autem hominum, qui requiruntur ad sortes, non subduntur dispositioni stellarum, nec etiam eventus ipsorum. Unde si quis ea intentione sortibus utatur, quasi*

bujm-

*hujusmodi actus humani, qui requiruntur ad
 sortes, secundum dispositionem stellarum forti-
 antur effectum, vana & falsa est opinio, &
 per consequens non carens demonum ingestio-
 ne, ex quo talis divinatio erit superstitiosa &
 illicita. Hac autem causa remota, necesse est
 quod fortialium actuum expectetur eventus,
 vel ex fortuna, vel ex aliqua spiritali causa
 dirigente. Et si quidem ex fortuna, quod lo-
 cum habere potest, solum in divisoria sorte non
 videtur habere, nisi forte vitium vanitatis, si-
 cut si aliqui non valentes aliquid concorditer
 dividere, velint fortibus ad divisionem uti,
 quasi fortuna exponentes quam quis partem ac-
 cipiat. Si verò ex spiritali causa expectetur
 sortium judicium, quandoque quidem expecta-
 tur ex Demonibus, sicut legitur Ezech. 21.
Quod Rex Babylonis stetit bivio, in capite dua-
 rum viarum, divinationem quarens, commi-
 scens sagittas interrogavit idola, & exta con-
 sultit, & tales sortes sunt illicita & secundum
 canones prohibentur. Quandoque verò expe-
 ctatur à DEO, secundum illud Proverb. 16.
Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino tempe-
 rantur, & talis fors secundum se non est malum,
ut Augustinus dicit. Potest tamen in hoc qua-
 drupliciter peccatum insidere. Primò quidem
si absque ulla necessitate ad sortes recurratur.
Hoc enim videtur ad DEI tentationem perti-
 nere. unde Ambrosius dicit super Lucam: Qui
sorte eligitur, humano iudicio non comprehen-
 ditur. Secundo, si quis etiam in necessitate abs-
 que reverentia DEI fortibus utatur. Unde*

Kkkk

super

super Actus Apostolorum dicit Beda : Sed, si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hos ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fufis egisse. Tertio, si divina oracula ad terrena negotia convertantur. Vnde Augustinus dicit ad inquisitiones Januarij. His qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum sit, ut id potius faciant, quam ut ad demonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo ne negotia secularia & ad vite hujus vanitatem, divina oracula velle convertere. Quarto, si in electionibus ecclesiasticis, que ex Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur. Vnde sicut Beda dicit super actus Apostolorum, Matthias ante Pentecosten ordinatus sorte quaritur, quia scil. nondum erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia effusa. Septem aut Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati. Secus autem est in temporalibus dignitatibus, que ad terrena disponenda ordinantur, in quarum electione plerunque homines sortibus utuntur, sicut & in temporalium rerum divisione. Si verò necessitas imminet, licitum est cum debita reverentia sortibus divinum iudicium implorare. Vnde Augustinus dicit in epistola ad Honoratum : Si inter DEI ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempora maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia : A hac disceptatio aliter non potuerit terminari,

quar-

quantum mihi videtur, qui maneat, & qui fugiant, sorte legendi sunt. Et in primo de doctrina Christiana dicit: Si tibi abundaret aliquid quod oporteret dare ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel erga te necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset quod dari utique non posset.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Singulare certamen potest acceptari in casu necessitatis, ut medium terminandæ litis.

Author agit de duello, & putat, si pro publico bono fiat, etsi non rectè à suscipientibus fiat, à Civitatibus tamen posse acceptari ut minùs malum. Verum ordinariè in bello non licitum esse duellum Cajetanus, Valentia & Sanchez statuunt, quia qui injuriam vindicat debet esse agens, & consequenter fortior patiente puniendo, ut penes illum quasi certæ victoriæ spes existat, at hoc in duello non apparet: In bello autem defensivo naturalia agentia imitari oportet, quæ modo quàm fieri potest efficacissimo contrariis suis resistunt. Inefficax autem modus est resistendi per unum. Licitum tamen erit duellum, tum ex parte etiam suscipientis (1) si hostis exercitui duellum offerat, idque

Quomodo
duellum
licitum sit,
disputatur
Dissensus
quorundam.

Duellum
licitum
quando-
que.

ab aliquo acceptari ad avertendam ignominiam, animos hostium debilitandos, suorumque confirmandos necessarium videatur, exemplum enim est in Davide I. Reg. XVII. (2) si ad experiendos & debilitandos adversariorum militum animos, finemque belli & victoriam facilius consequendam opportunum medium Duci videatur, (3) si ad Reipublicæ bonum, belli exitum, securitatem ab hostibus consequendam, imminente belli conflictu magis expedire Ducibus videatur, ut totum bellum ad duellum vel paucorum certamen revocetur. Non tantum verò sub ratione liciti hæc duella defenduntur à Politicis, sed etiam sub ratione Medii laudabilis & convenientis, imò quandoque necessarii. Nam primò, qui ita pugnat, pugnat auctoritate publica, jussu summæ potestatis, ut igitur licitum est exercitui pugnare, multis militibus collectis contra Exercitum sub Umbone auctoritatis publicæ, ita etiam licitum erit uni ire adversus unum. Secundò, qui ita pugnat, aggreditur hostem Reipublicæ; paratum ad quævis mala inferenda patriæ, intentum in Excidium civium. Tertiò, qui ita pugnat, eo laborat, ut inter duo mala majus evitetur, quanta enim bellum flagitiorum Agmina post se ducit, quæ objectu unius capitis præciduntur & in initiis sternuntur, intendit Patriæ Salutem, pro quâ etiam mori dulce & decorum, defensionem concivium, securitatis publicæ Bonum; tandem ut fortitudinis est specimen, documentum virtutis illa

Medium
laudabile.

illa pugna singularis, ita quoque existimationis fulcimentum, si enim detrectatur illud certamen, cadit illa quæ aliâs ex militibus relucere debet fortitudinis bellicæ opinio, muliebris timiditas præsumitur, Insolentia hostis increfcit, & dignus fit meticulosus miles ut inscribatur illius sepulchro, quod Lacina mulier Filio:

Hunc timidum Mater Damatrimon ipsa peremit

Nec dignum matre, nec Lacedæmonio.

tandemque necessitas quandoque exigere videtur hoc duellum cum impares in numero Vires; ita enim ad æquitatis quasi quoddam temperamentum, reducitur illa inæqualitas, & vel vincit jussus à Principe pugnare, vel cadit, si prius quantum obtentum est unius periculo, si posterius præstabit unum occubuisse, quam totum Exercitum dissipatum & deletum fuisse. Nec obstat, si dicatur, nihilominus illas dimicationes esse duella adeoque ex genere prohibitorum, esse periculosissima, neque prudenter in unum caput tantam causam poni, participare aliquid de ostentatione: primum enim depellit Autoritas publica, alterum summa necessitas, ipsimet enim concedimus esse opus plenum periculosa alæ, nisi post fatigationem omnium aliorum Mediorum & rem penè desperatam amplectendum; tertium deniq; & Autoritas & Necessitas, quæ hîc concurrere debent. Audiamus hîc Conimbricensis Academiæ Professorè primariû qui ita: *Primò qui inducit tale*

Kkkk 3 duellum,

duellum, si justè agit bellum, consequenter invitat alterum, & provocat ad id, quod non potest sine peccato acceptare: ergò inducende peccat. Secundò exponit innocentes periculo mortis, quod per se videtur malum. Tertiò astringitur ad non defendendos suos, si vincantur ab adversariis, aut sint in evidentissimo periculo; hoc autem videtur militare contra jus natura, quo tenemur defendere innocentes. Ad primum dicendum est, illum Principem non provocare ad malum, sed ad minus malum; namq; directè petit jus suum, quod, quia peccat alter, potest ad vitandum maximum bellum petere, ut commutetur in minus malum, quale est pugna periculumque paucorum. Ad secundum dices: pro communi bono id fieri interdum posse. Nam etiam in integro bello, multò plures innocentes exponuntur periculo mortis. In individuo tamen cavendum est ne sine magna causa fiat, & quoad fieri potest periculum minuat. Ad tertium, sicut defendere innocentem, non est preceptum, quia pro semper obliget, sed tunc eum commode fieri potest, ita è contrario, obligare se ad non defendendum innocentem, in casu aliquo non est intrinsicè malum: sed tunc licere potest, quando cum iis sit circumstantiis, ut prudenter censetur quispiam non posse illum defendere, quia videlicet non sine magno, & communi incommodo defendet, ita verò est in proposito argumenti eventu. Unde etiam qui aliàs hinc discedunt in contrarium, agnoscunt, utut tale duellum

duellum probari non possit, permitti tamen posse ad evitandam Innocentium stragem.

Ad Th, XI.

OBSERVATIO.

Magis tenetur, qui petit, quam qui possidet, quære conditiones belli devitandi.

Author statuit, conditiones, quibus bellum vitetur, magis incumbere illi qui petit aliquid, quam qui possidet. Disputatur autem ulterius, si neuter sit in possessione rei, de qua est controversia, vel alter ingressus sit possessionem altero contradicente, aut in dubio an res ad se pertineret? Hic pronunciant, si re diligenter discussa adhuc maneat dubium, ad quem duorum pertineat possessio, dividendam esse inter utrumque pro quantitate dubii, aut faciendam esse compensationem in aliqua re alia, si res commodè dividi non possit. Unde Molina allegatus ab Authore ita definit pag. 421. §. 10.

In eventu supra proposito, nempe quando neuter est in possessione rei, de qua est controversia, vel alter ingressus est possessionem altero contradicente, aut in dubio, an res ad se pertineret, dicendum est, si re diligenter discussa, adhuc maneat dubium, ad quem duorum pertineat, dividendam esse inter utrumque pro quantitate dubii, aut faciendam esse compensationem in aliqua alia re, si res commodè dividi

Vtri magis incumbat quære conditiones belli devitandi contentur.

vidi nequeat. Quod si alter eorum renuat; erit injustus, poteritque eo ipso moveri justus bellum adversus eum. Probat, quoniam in eo eventu neutrius illorum est melior conditio, eo, quod neuter cœperit bona fide possidere: cum ergo constet rem ad alteram pertinere, & dubium sit ad quem eorum pertineat, dividenda erit inter utrumque pro quantitate dubii, idque sanè docet recta ratio, pronuntiaretque quicumque æquus ac justus iudex, si ea de re contenderent, qui communem aliquem haberent iudicem: quo fit, ut idem facere teneantur Principes, qui iudicem communem non habent. Præterea, si in eo eventu fas esset cuique eorum occupare sibi eam rem totam, daretur bellum justum formaliter & materialiter ex utraque parte, quod est absurdum.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Bellum potest esse utrinque justum certâ ratione.

An bellum possit esse utrinque justum examinatur?

MOvet Author hîc quæstionem illam controversam. An Bellum ratione habitâ eorum qui principales Belli motores sunt, utrinque justum esse possit & distinguit varias acceptiones Justis probeque antiquitatem evolvit & determinat, tantum anno tamus (1) rectissimè dici Justitiâ ad rem ipsam relaxa Bellum utrinque justum esse

NON

non posse, manet enim firma inter justum & injustum oppositio, neque si in justum accipias specialiter ut in Ethicis ad specialem virtutem pertinet sive generaliter pro recto dari potest medium, aut admitti justum non excludere vi oppositionis injustum & obliquum, & longè aliud est posse probabiles causas allegari justis utrinque dissidii, ut quis alteri in Justitia præferendus sit hæreas, aliud ipsum Bellum in se utrinque esse justum. Secundo nihilominus admittimus ob intervenientem Ignorantiam posse fieri ut uterque bellantium non injustè agat, prout Author illustrat Exemplo litium in foro civili. Unde Constitutione quâdam Græca Zenonis victus, qui habuit justam litigandi Causam à præstatione expensarum excusatur. Verba illius ex Basilicis refert Cujacius 12. Obs. I. cum bona fide utrinque litigari possit, ob probabilem Ignorantiam quæ agentem in bonâ fide statuit. Tertio dicimus quamdiu principes sibi adversantes ignorant penes quem Justitia sit causæ justam tamen Causam se fovere credunt probabiliter, non poterunt Injustitiæ accusari in belligerando. Unde egregiè Cicero de Cæsare & Pompeio. Erat obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos Duces, multi dubitarunt quid optimū esset, multi, quid sibi expediret, multe quid deceret, nonnulli etiâ quidliceret. Conspirant Scholastici, juxta quos. *Bellum tribus modis potest esse justum. 1. formaliter tantum. 2. materialiter tantum. 3. utroque modo simul, tunc*

Bellum tribus modis justum esse potest.

est justum formaliter tantum, quando est justum in conscientia gerentis, non tamen ex parte rei, id est, quando is qui bellum gerit, prudenter & practicè indicat se habere justam causam: Et tamen ex parte rei est aliqua injustitia, qua illum latet. tunc est justum materialiter tantum, quando est justum ex parte rei, non tamen in conscientia gerentis; ut si gerens bellum, revera habeat justam causam sed tamen putet se habere in justam: Tunc est justum utroque modo quando & habet justam, causam, & practicè judicat, se habere ita ut si contrarium judicaret, nollet persistere in Bello hoc posito hanc formant Conclusionem, bellum ex utraque parte potest esse justum formaliter tantum, & sapè est, nam fieri potest, & sapè fit, ut utraque pars practicè & prudenter judicet se habere justam causam; etiamsi altera non habeat, & hoc solet fieri ex invincibili ignorantia; ut si uterque Princeps, inter quos bellum est, bona fide procedat, & ne diligenter examinata non reperiat, ullam injustitiam ex sua parte; etiamsi ex alterutra parte sit aliquid occulta injustitia, qua ipsum lateat; sic factum est in bello Israëlitarum contra Chananeos. Nam Israëlita justo titulo, nempe titulo veteris possessionis ac hereditatis, repetebant terram palæstinam, tanquam suam; Chanansi, quia nihil sciebant de hoc titulo & putabant suam esse hereditatem, quam actu possidebant, bona fide defendebant se: & sic utrinque erat bellum justum formaliter. Ex parte quidem Chananeorum formaliter tantum; ex parte

verò

verò *Israelitarum formaliter & materialiter simul. Vide Serarium in cap. 6. Josua, quest. 2. & 3. præmiali. Valentiam questione decima sexta, puncto secundo. Molinam dispus. 102. addunt alteram. bellum non potest ex utraque parte materialiter esse Justum. Nam fieri non potest, ut uterque Princeps, inter quos bellum est, foveat justam causam à parte rei. Sic bellum *Israelitarum* contra *Chananaeos*, tametsi & si ex utraque parte fuerit justum formaliter, ut dixi, non tamen materialiter. Nam terra *palestina* revera non debebatur *Chananaeis*, sed *Israelitis*: ac proinde ex parte *Israelitarum*, non autem ex parte *Chananeorum*, erat bellum materialiter justum.*

CAPUT XXIV.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Sæpè remittendum de Jure ut Bellum vitetur.

PRudenter hîc consulit Grotius & suadet, ut potius jure nostro cedamus, quàm confestim arma corripiamus: attendendum enim ad Belli incommoda, pacis fructus, sumptuum gurgitem & alia quæ hæc bellua exposcit & consumit. Unde rectè noster B. Thummus pag. 73. *Non bella movenda I. Si res injustè ablata, non magni sint momenti,*

Remittendum quandoque de Jure.

Thummus allegatur.

quia 1. insania esset, ob res leves amissas, utpote-
 ob captum ceruicem, ob percussum subditum u-
 num aut alterum ad arma statim profilire; cum
 sumptus futuri bellici sint, ut supra osten-
 sum, maximi, & parum à nihilo vix distet, se-
 cundum Aristotelem. 5. Polit. & cur non magno
 morbo magnum medicamentum? 2. Ob quod-
 cunque detrimentum leuissimum bellum sus-
 cipientem, justè agere, nominem, affirmatu-
 rum existimo, qui perpendet, in bello omnem
 ferè affectum ac amorem exui, pietatem ex-
 spirare, leges filere, equitatem nullum habere lo-
 cum, humanitatem rideri, religionem ablegari
 in exilium, corrumpi omnium vitiarum omni
 genere iuventutem, stuprari virgines, sacra pro-
 fanis, profana sacris misceri, summam, leges
 diuinas, humanas, naturales, penè dixerim,
 naturam destrui ac aboleri. II. Si is qui inju-
 riam intulit ac laesit, est viribus superior. Prae-
 stat enim tàm, injuriam dissimulare, quia 1.
 temeritatis merces plerumque est damnus; &
 proinde 2. de jure suo cedere, sapè maximum
 lucrum. 3. Victoria plerumque: si inferior vi-
 ribus ac potentia vincit est cruenta, & conti-
 git illud, quod est in Sibylla Erythraea Oraculo.
 Κλαίει νικηθής, ὃ ἢ νικίους ἀπίλωλεν. III. Si in-
 juria Magistrati aut est à plebeio illata, aut
 non intolerabilis & notoria, qualis erat illa Da-
 uidi illata ab Hanon Rege Ammonitarum,
 quam etiam justè vindicauit, 2. Sam. 10. v. 4.
 Nam 1. decet generosum animum, non quas-
 vis, nec quorumvis vulgarium & nibili homi-
 num injurias ac lacras acceptare, sed potius

contemnere. 2. Sedulo cavendum, ne innocentes alienam culpam luere cogantur. IV. Si hostis ad satisfaciendum se offert, vel iudicio, vel pacificatione amica. Satius enim est, conditiones huiusmodi honestas admittere, quam bello decernere, satius est equitate, quam sanguine, causa, quam armis amissa recuperare, cum in eum, qui iure agere & satis facere paratus est, nefas sit bellum movere tanquam in injurium, juxta Thucydidem, & experientia attestetur, plerumque eos, qui propria potentia aut roboris fiducia temere & superbe res periculosas & non necessarias movent, nec oblati aquis pacis conditionibus, placabiles se exhibent adversariis, bello superari, & ita pertinacia poenas luere gravissimas. Exemplo potest esse Burgundia Dux, qui potentissimus licet, cum in universum omnes supplicantium Helvetiorum preces respuisset, ab iisdem, armis ac potentia multum inferioribus, cum omni suo exercitu oppressus fuit; Lenecius observ. 341. Hinc Romani asseriebant, bellum non nisi contra illos esse suscipiendum, qui legibus nequeant coerceri, ut testatur Demosthenes de Chers. ac exitus bellorum illorum, qua cum tamen superiore uti, ac per disceptationem decertare licuisset, suscepta fuerunt; infelices perpendentes provocare solebant, ut verbis & iudicio controversia finirentur, non ad arma iretur, teste Dionys. ecl. de lega. Hinc Reges Francie & Anglia, Carolus IV. Polyd. Ang. 13. 20. Reges Castella & Navarra, Regem Anglia, Jov. lib. 7. Reges Aragonij & Rex Gallus, Roma-

num

num Pontificem, Jov. lib. 8. judicem sibi tul-
 runt. Hinc Cyrus, Assyrium coram Rege In-
 dorum, Zon. Dio. frag. Samnites, Romanos,
 coram omnibus amicis, Liv. lib. 8. in dis-
 ceptionem provocarunt. Hinc Ardeates &
 Aricini, Neapolitani & Nolani, à populo Ro-
 mano controversis dijudicari voluerunt, Liv.
 3. Dionys. ult. Cic. 1. de Offic. Concludimus ergo
 iterum, contra hostes, ad satisfactionem, vel ju-
 dicio vel pacificatione amica, se offerentes, bella
 moventes, à justitia, ab humanitate, à probis
 exemplis refugere; Si verò certum, certum,
 inquam, hostem, satisfactionem vel legitimam
 causa cognitionem offerendo, dolose agere, e-
 xemplo Nicanoris, 1. Maccab. 14. videmus,
 bellum suscipere liberum est. V. Si res per
 bellum recuperanda, (ut sunt bona in hosti-
 um territorio recepta vel sita) facile rursus
 mitti ac eripi per hostem sublesta fide potest.

An autem Author rectè dicat maximè Chri-
 stianis hoc convenire, ut vitæ curam honestè
 deferant in alterius Commodum, & multò
 magis nè res debitas prosequantur dubitatur.
 nam ita videtur virus suum Photinianismi in-
 spargere, quasi aliquid conveniret Christia-
 nis, ad quod ceteri non essent ita obstricti,
 quamvis enim concurrant plura in Christia-
 nismo, quæ ad pietatem movent, tamen quæ
 præcepti sunt communia sunt, præcepti au-
 tem moralis est in casu casus vitam impende-
 re, alteri relinquere Res proprias vel debitas,
 nec hoc Officium Charitatis tantum à Chri-
 stianis, sed & omnibus quotquot in Orbe
 sunt

Taxatur a-
 liquatenus
 Author.

sunt hominibus exigitur. secundò Exemplum Christi adducit ex Rom. 5. v. 6. Commodè nec nè dubitari potest : dicitur enim Christum ὑπὲρ ἀσθεῶν pro impiis, hoc est, vice & loco impiorum mortuum esse, notaturque substitutio vicaria, at quando quis tenetur vitæ jacturam facere pro fratre, non tam vicariatus exigitur, quam finis respicitur, ut ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν sit bono & commodo fratrum, ut Interpretes accipiunt Joh. 3. ψf. 16. tertio ita Christi Exemplum nos excitat, ne res nostras aut nobis debitas persequamur cum tanto aliorum incommodo, quantum secum ferunt bella, ut tamen etiam intelligamus hoc esse præceptum & sub mandato.

Evolvitur
locus Rom.
5.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Jus ad pœnas non simpliciter & semper remissius est exercendum.

Author (1) dicit ad pœnas omittendas multa sunt quæ nos hortantur, quod exemplo Patrum illustrat. At 1. severissimum præceptum divinum obstat, quod vult ut malum tollatur ex Israel. 2. qui Judicis partes sustinet, ille legis latæ debet esse severissimus custos: Si itaque lex pœnam dicit, non suassione probabili recedere debet. 3. Salomon planè contrarium pronunciat, qui dicit, & illum esse abominationem Domino,

Jus non
semper re-
missius ex-
ercendum
contra Au-
thorem.

qui

Exemplum
non qua-
drat.

Perfringi-
tur Autho-
ritas.

qui absolvit nocentem, quemadmodum ille, qui punit innocentem Proverb. XVI. Exemplum autem illud non illustrat, quia longè aliud est Patris personam præ se ferre, in quo *supra* naturalis prædominatur, aliud autem est iudicis personam sustinere, qui debet esse sine affectibus. Quod si extendatur hoc ad hostem facilior erit via. Cum enim bellum tam ferax sit malorum, cum qui in nos peccavit, non subsit nostræ Reçturæ, cum DEUS etiam in talibus tarditatem supplicii gravitate compenset: ideoq; ad tales pœnas, ut ille sæpiàs loquitur remittendas multa esse quæ hortetur, nõ negamus. (2) Disputat & dicit, interdū eas esse rerum circumstãtias, ut jure suo abstinere non tantum laudabile sit, sed & debitum. Quod ipsum confirmat Molina in Principe, qui justam belli causam habet, si adversarius satisfactionem offerat, & argumentis probat quæ tamen rursus dissolvere conatur. Verum in hoc errat Grotius, quod caritatem putat repugnare juri, etiam prout illud ipsum consideratur sub publicis judiciis, aut in bello. 2. quod caritatem duplicem fingit, cum non nisi una sit vera & propriè sic dicta caritas, & tandem 3. quod caritatem quandam propriam facit Legi Evangelii, qualis Lex Evangelii non datur.

Ad

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Quamvis cujusvis Christiani officium exigit facilem condonationem, non tamen hoc simpliciter etiam de illis enunciandum erit, qui gladium non frustra gerunt, Vicariis scil. DEI in his terris.

Author (1) de pœnis differit, officii nostri esse ut facile condonemus, quæ in nos commissa, sicut nobis DEUS condonat. At hoc non spectat Principes, Reges & Judices, quæ tales pœnas decernentes aut Principes bellum moventes quæ tales, sed privatos. Neque enim Apostolus Ephes. 4. v. 32. Regulam præscribit peculiariter summis potestatibus vel Magistratibus, nec misericordiam & condonationem opponit Justitiæ, sed amaritudini cordis inflationi iræ & peccaminosis Affectibus illorum, qui ut Augustinus loquitur, potius congelascunt rigore inhumanitatis quam rationis tranquillitate serenantur. (2) adducit exemplum Moſis ex Num. XI. non ut posuit, sed XII. v. 11, 12, 13. orantis pro Miriam. Verùm hoc exemplum non concludit, tum quia Moſes hoc ipsum faciebat, ne occasionem præberet suspicionis de se, quasi morosam indignationem conceperit: locuta enim erat Maria & Aaron contra Moysen. ut itaque fratres qui oran-

Condonatio non ab omnibus simpliciter exigenda.

Exemplum Moſis expenditur.

tem audiebant ex tam pio Officio intelligerent illum aut nullam indignationem concepisſe aut depoſuiſſe jam, nec tam ſuâ quàm delinquentium cauſâ doluiſſe, ideoque intercedit; tum quia ſoror erat & quidem illa, quæ ipſum in flumine expoſuit & ſervavit, tum quia non ſimpliciter voluit removere pœnam, ſed potius voluit ut præcedens DEI correctio cederet in eruditionem & emendationem, ulterius autem ſe non protenderet. (3) quod concernit exemplum Davidis quod adducit, id quoque non videtur facere pro Grotio, quia David illud toleravit in exilio, nec tam ad maledicentem reſpexit quàm ad DEUM, & pœnam non ſuſtulit ſed diſtulit.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Non piè loquitur Author adducendo Verba Chriſti dum Fabulam illa appellat.

Refutat
Author.

IMpiè 1. Author Sermonè Chriſti fabellam vocat; nam fabula in ſignificatu famoſiore & communiffimè notat rem falſam oppoſitam veritati, ut docet partim Scriptura, quæ paſſim in hâc ſignificatione hanc vocem uſurpat, veritati opponit & inter retrimenta refert 1. Timoth. 1. v. 4. cap, 4. v. 7. & 2. Timoth. 4. v. 4. nec non ad Titum 1. v. 14. partim Uſus patrum. ita Auguſtinus lib. 15. de

de Civitate DEI cap. 23. Opiniones de Gigantibus *Falsas* vocat *fabulas*, definit per *mendacium* lib. 2, Soliloquiorum cap. 11. & disertè distinguit inter *historiam* & *fabulam* lib. 2. de Sermone Domini; partim definitio ipsius Ciceronis lib. 1. Rhet. dicentis: *Fabula est, in quâ nec vera nec verisimiles res continentur: cuiusmodi est: Angues ingentes alites juncti iugo:* adde Quintilianum, Senecam, Tacitum & alios. Differunt verò parabola & fabula; unde etiam illa à Suida definitur, quòd sit Oratio ænigmatica quidem & occulta, sed ad utilitatē ducens, Figura Veritatis. 2. Verba Christi ad quæ respicit, leguntur Luc. 14. v. 31. & 32. *Quis Rex, inquit Salvator proficiscens ut committat praelium adversus alterum Regem, non prius consultat, confidens an possit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus venit adversus ipsum, alioquin quum adhuc ille procul est legatione missâ rogat ea quæ ad pacem spectant.* Nihil autem intimatur à CHRISTO principaliter, quam βέλησιν Consilium præcedere debere negotium suscipiendum, imprimis Christianismi Amplexum, in quo spinæ rosæ semper sint intermixtæ. tertio, ut in ἀποδίωξι non nimium extendenda est hæc parabola; ita & πρέπαισ dextrè est accipienda; non enim ut legationem mittit Rex & rogat ea quæ pacis sunt, nobis cum Dæmonibus aut vitiis periculi gerendum sed ἀσπιδον πόλεμον potius gerendum.

Def. Fabula.

Differunt fabula & parabola.

Ad Th. X.

OBSERVATIO I.

Rectè Author præfert pacem Libertati.

Pax liberati præferenda.

PROBAT intentum suum Author ex rectâ ratione, quia vita sit omnium Bonorum temporalium & æternorum Occasio, ideoque plurius faciendam esse, quàm Libertatem; ex Scriptura, quæ pro beneficio imputet, quòd DEUS vitâ relictâ in servitutem tradat ex 2. Paral. 12. v. 78. & Jerem. 27. v. 13. accedit, quòd status illa mutatio sæpius faciat ad populi utilitatem, & si oppositum eveniat ex providentiâ divinâ solatium supersit immutandæ rerum scenæ. Sanè si juxta Tibullum lib. 2. Eleg. ult.

Spes etiam duro solatur compede victum:

Crura sonant ferro, sed canit inter opus

Consimile spei fulcrum sustinebit populum,
ut si

Est bene non possit dicere dicat erit.

& si DEO servire libertas est, num si transeat status popularis in monarchicum, Vicario DEI servire indignum erit? num non sæpè melius, quàm cum licentiâ omnes situs deteriores vivere sine fræno, & facere, pro lubitu, quæ cœca ratio & impetus carnis dicant. Videatur Cicero ad Atticum Epistola 4. Philipp. 13. & Ayala lib. 1. c. 12.

Ad Th. X.

OBSERVATIO II.

Rectè Author mala bellorum exaggerat, non satis commodè verò Exemplum Davidis adducit.

Author dicit, si DEUS à Davide, qui pia bella gessisse dicitur, ideò templum suum ædificari vetuit, quòd multum sanguinem fusisset, maximè bello abstinendum. Respicit scil. Author locum I. Paral. XXIII. 8. Verum an hoc faciat pro Grotio meritò dubitamus; bellorum enim gestio & sanguinis effusio non allegatur sub ratione alicujus vitii obstantis ædificationi templi, sed sub ratione alicujus occupationis, quatenus qui distentus est bellicis actionibus non ita potest promovere pacis opera, & ea quæ in quiete peragenda; quod ipsum patet tum ex eo, quia alias David fuisset Vir sanguinarius, cum tamen fuerit Vir juxta cor & animum DEI Actor. XIII. 22. tum ex eo, quia David apertè dicitur gessisse bella Domini, manus itaque & instrumentum DEI potius fuit, nec vitium fuit in ipso bello, quod DEUS per ipsum gessit; tum quia bella & victorias suas prophético Spiritu deprædicat & commendat Psalm. 60. v. 8. 9. & seqq. Gesta enim sunt contra populos devotos ab ipso DEO, & juxta voluntatem illius partim excindendos partim subjugandos.

Exucleatur
locus I. Pa-
ral. XXIII.

CAPUT XXV.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Bellum rectè suscipitur pro subditis, & ut ut difficultates potuissent retardare Josuam, generosè tamen hoc Negotium suscepit.

An bellum pro subditis suscipiendum?

Bellum justè suscipi pro subditis Author probat ex eo, quia quæ causæ justæ sint, ut meruear, illas etiam militare in auxilio pro aliis, & assignat primam causam belli necessariam curam scil. pro subditis sive qui familiari, sive qui civili subsint Imperio, Exemplum etiam ex sacris petit Josuæ 10. vers. 6. primum aliis perpendendum relinquimus, cum non par sit ratio, nec latitudo me meaque defendendi; arcendi ea quæ incommodant, & alterius, ut simpliciter hoc admitti

Exemplum Josuæ penitus.

nequeat. Illustre autem est Exemplum Josuæ pro Gabaonitis movens; plura enim erant, quæ remorari potuissent Josuam. primò ipsa Urbs Gabaon erat magna ejusque habitatores erant viri fortissimi, quæ obsidionem ferre poterat, Specimen edere fortitudinis & constantiæ citra auxilia, secundò fides Gabaonitarum nondum erat satis explorata, recensque erat circumventionis Specimen. tertio milites Exercitus Israelitici non erant benè alacres pro illis ad pugnandum,

nihilò-

nihilominus autem Josua relinquens stativa in Galgalis celeriter advolat *de Deo*, ut Josephus loquitur, repente, super obsidentes hostes irruit, illos sternit, Urbem liberat. sed accessere aliæ causæ, quæ curam illam quam Author ponit, fulserunt, odium scil. in Gibeonitas ob acceptam Religionem Ebræorum: unde illud Seleuciæ Episcopi Oratione 15. secum animo volvit Josua: *DEO contumelia dicitur, ecquis in pugnam non armetur?* Oraculum quoque divinum, dixit enim Dominus ad Josuam: *Ne timeas eos, in manus enim tuas tradidi illos, nullus ex iis tibi resistere poterit.* Ut de Josua verè dici potuerit: *Congressui tuo nullus nisi qui laudibus adæretur occurrit. Militavit trophæis, qui restitit voluntati. nam semper aut pietati tuæ peperit subiectus Gloriam, aut qui presumpsit Tela, virtuti, qui te in acie conspexit superatus est; qui in pace nihil timuit.*

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Subditus innocens hosti dedi non potest, ut periculum evitetur.

Author disputat nobilem illam controversiam, an scil. deserri aut tradi etiam possit hosti civis innocens ad evitandum totius Reipublicæ excidium. Et videtur quidem hoc ipsum posse obtinere, tum quia juxta Authorem Rectoris officium est magis

An ut imminens periculum declinetur innocens hosti tradit possit?

circa totum quàm circa partes versari ; tum quia salus Reipublicæ summa lex est ; tum quia ipsa natura hoc monstrat, abscinditur enim membrum, ut servetur totum corpus. Unde etiam Proceres Samarizæ occiderunt 70. filios Achabi metu belli, quod Jehu illis minabatur, ut constat ex 2. Reg. 10. & factum illud DEO non displicuisse constat ex Historiâ & Consensu Interpretum : si itaque occidere licet, civem principalis sanguinis in tali casu, multò magis poterit tradi hosti eum desideranti. At quamvis Grotius existimet non solùm deseri sed & tradi posse talem, non tamen eidem subscribere possumus, tum quia per se iniquum est innocentem tradere occidendum, de hoc enim casu est quæstio : periculo quidem objici potest civis e. g. in bello pro Patria, sed morti adjudicari nequit, qui innocens est, tum quia periculosissimum hoc est Reipublicæ, potest enim hostis bono cive tradito occiso alium petere & porro alium, cum tamen ipsi qui tuentur hinc affirmativam negent plures esse tradendos, imò aut petet civem gregarium aut aliquem qui consilio vel auxilio maxime Reipublicæ conducit. Prius non est probabile, & si petat talem, nihilominus innocentia obstabit petiti ; si posterius, absurdum erit tradere illum, qui meritis in Rempublicam inclytus, qui fulcrum, qui membrum principale, quo sublato Respublica collabescit ; tum quia in moralibus non respiciendum est ad id quod utile est vel publico vel privato,

Afferitur
Negativa.

privato, nisi supposita prius honestate vel
 licentia ipsius actionis. Magistratus certè est
 potius defendere, quam deserere civem, co-
 gitare illud in utroque Lumine fundatum:
 Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Et
 sanè talis Respublica se hoc ipso proderet in-
 firmissimam, neque faceret quod esset faci-
 endum, potentiore scil. in auxilium sollicita-
 to, si ob negatam deditioem vellet talis ho-
 stis bellum inferre. Argumenta autem non
 concludunt, non (1) quia Rectoris officium
 est, utut magis circa totum, tamen etiam cir-
 ca partes versari, & quidem ita ut in nullam
 partem Reipublicæ peccet, nec principalem
 patiatur removeri, ex quo contingat Spiritus,
 quem tot millia trahunt, expectatio. (2)
 non concludit quia salus publica est quidem
 suprema lex, sed debitè consequenda, stabi-
 lienda & legitimis mediis servanda. (3) De-
 nique non concludit, quia natura quidem
 docet, abscindere partem ne pereat totum,
 sed vitiosam, infectam, ob metum gangræ-
 næ. Exemplum verò de Proceribus Sama-
 riæ non premit, quia est res facti, nec illi
 Proceres fuerunt Viri integri, scelerisque
 puri, quia Judicium divinum intervenit &
 probabile, juxta quosdam Jehu Proceribus
 illis indicasse Voluntatem Domini de excin-
 dendâ domo Achabicâ, videatur locus 2 Pa-
 ralip. cap. 22. unde etiam liquet, quid senti-
 endum sit de decisione Molinæ, qui Tomo
 3. Tract. 3. Disp. 10. pag. 559. ita scribit: *Di-*
sensum est, posse tunc rempublicam tradere

Exceptio-
 nibus fa-
 tisfit.

Molinæ
 sententia.

illum tyranno, ut tantum commune periculum ac damnum evitet. Possè verò Rempublicam tradere tunc illum tyranno, non quidem eo fine, ut interficiatur, sed, scientem fore interficiendum, ad idque à tyranno peti, posse illum tradere eo fine, ut ipsa tantum suum damnum evitet: quod tractatu precedente disp. 115. copiosè explanavimus ac ostendimus, posse captivos Christianos remigare in triremibus Turcarum, quando Turca Christianos insequuntur, non quidem eo animo ac fine, ut Christiani capiantur, aut interficiantur, sed animo ac fine evadendi propria damna ac mortem, qua ipsis, nisi remigent, imminet. Ratio autem, cur utrumque liceat, est. Quoniam neque remigare, versus Christianos ad Turcarum imperium est de se malum, sed indifferens, quo Turca uti possunt ad bonum, & ad malum, aut ad indifferentem finem, tametsi intelligatur, Turcas id precipere ad malum, finem: neque item tradere tyranno innocentem ad illius petitionem est de se malum, sed indifferens, cum tyrannus accipere illum possit ad bonum, & ad malum, aut ad indifferentem finem, esto intelligatur eam petere ad injustè illum interficiendum: fas autem cuique est facere rem indifferentem bono fine ex parte ipsius, hoc est, ad evadenda damna gravia propria, aut reipublice, non curando, quod alius sua malitia id precipias, aut accipiat, ad malum finem: quoniam facere id ex parte sua eo bono fine, non est malum, sed bonum.

Alia autem est quæstio num subditus innocens

An subditus innocens

necessarius ad pugnandum est & resistendum hosti: quia tunc est per se necessarium medium: non autem quando tantum est necessarius ex malitia alterius. Quoniam cum homicidium per se non sit bonum, nunquam fit licitum nisi ex fine cuius est per se medium. Et innocentis mors nunquam est hoc modo reipublice necessaria. Quare sicuti, ut paulò ante meminimus, non licet tibi iubente tyranno eruere tibi ipsi unum oculum, ut alterum servas: ita neque tunc reipublica innocentem morti tradere. Nam, ut superius dictum est, non est absolute domina vita civium, sicut Deus: & ideo in innocentis vitam solus Deus potestatem habet. Sunt qui licet diffiteantur reipublicam tunc iussu tyranni posse eum occidere, fateantur tamen posse ipsum eidem tradere ad occidendum. Porro autem idem est utrumque, prorsus, atque adeò neutrum licet. Posset nihilominus eum illo casu non defendere: quia reipublica cum sui periculo non tenetur defendere privatum civem. Quod si contra similitudine arguas: Si quis mihi mortem comminaretur nisi manum aut linguam abscindendam illi offerrem, possem membrum tradere ut vitam servarem: licet medium illud non sit necessarium nisi ex malitia alterius: ergò similiter posset reipublica civem suum tradere. Negatur consequentia: quoniam membrum non habet esse distinctam ab esse totius: neque ullo modo est propter se, sed propter totum: neque per se est capax juris vel injuria. Homo autem quamvis sit pars reipublica, est nihilo-

minus

inimicus & suppositum propter seipsum existens,
 atque ad id per se capax injuria, quam repu-
 blica non potest illi irrogare. Unde ad secu-
 ndum supra objectum argumentum responde-
 tur, quod quamvis ipse teneatur tunc proprio
 se offerre periculo ut publicum caveat: non
 tamen ad id jure cogi potest: quoniam tenetur
 non de justitia, sed de charitate. Sicut stat-
 me in gravi necessitate ad eleemosynam teneri
 ad quam cogi non possum. Alius dubitandi
 casus est in bello: & quidem in communi ag-
 gressu, ubi permisti sunt innocentes cum nocen-
 tibus, non est dubium quin liceat hostes inva-
 dere, cum innocentum periculo. Sed dubium
 est in singulari certamine. Video militem in-
 me irruentem quem scio innocentem esse: puta
 qui certo credit bellum justum contra me ge-
 rere. Videtur ratio suadere quod tunc non
 possum illum occidere. Nam bellum non po-
 test esse justum ex utraque parte. Si ergo ille
 juste contra me pugnatur, non possum ego juste
 me defendere. Respondetur nihilominus licere.
 Primum quia juste ambo pugnare possumus ex
 ignorantia, quando uterque putat se justam
 defendere causam. Praterea licet tunc in con-
 flictu uni militum constaret justitiam ab al-
 terius parte stare, potest se defendere: quia non
 tenetur illam pati mortem. Quare non solum
 tunc ex falsa presumptione (ut quidam ajunt)
 nempe quia uterque putat alterum esse nocen-
 tem, sed etiam si sciat esse innocentem, licite
 tunc pugnat. Non posset autem alterum oc-
 cidere nisi in suam defensam. Sed rogat, ut

TRUM

trum miles possit alterum aggredi quem scit esse innocentem? Respondetur, quod si bona fide, credat: justum se gerere bellum, etiam si alium putet esse innocentem, puta quia vel idem ipse credit, vel invitus in exercitu retinetur, potest illum aggredi: tum quod aggressus ipse in bello est defensio: tum etiam quod unus princeps sui habet aggrediendi alterum. Qui autem miles crederet bellum se gerere injustum, aggredi non posset.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Tenetur homo subvenire homini in periculo etiam manifesto.

Extremè periclitantibus subveniendū est.

Author disputat, an teneatur homo hominem, populus populum ab injuria defendere. Et primò Platonem laudat, atque Ægyptiorum Leges, quæ in affirmativam concedunt. Posterius confirmat Carolus Borelius Juris Professor, qui dicit, apud Ægyptios majestatis reos fuisse, qui injuriam patienti opem non ferrent. Confirmat Ambrosius scribendo: qui socium non defendit ab injuria cum potest, tam est in vitio quam ille qui facit, l. i. officiorum cap. 36. stabilire videtur ipsum exemplum Mosis Exod. II. qui juvando socium jure Ægyptium occidit, qui eundem opprimere volebat. Sed controversum est hoc Exemplum, quamvis enim Ambrosius excuset illud jure defensionis

Factū Mosis Exod. II. evoluitur.

nis cum Moderamine inculpatæ tutelæ; quam-
 vis Cajetanus dicat fuisse præfectos illos pu-
 blicos Hebræorum hostes: non tamen pro-
 bari potest aliter non potuisse eripi tyrannidi
 fratrem Ebræum, quàm cæde illius, & vide-
 tur Mosen illum potius deliberato occidisse
 animo. Secundò posito fuisse Præfectos illos
 hostes Ebræorum, num tamen licuit privato
 talem interficere, cæde tollere & quidem ta-
 li, quæ nihil confert ad liberationem populi
 oppressi, unde alii culpant hoc factum, com-
 parant cum facto Petri auriculam Malcho
 abscindentis, cum nondum Jurisdictionem
 habuerit Moyses vel in Ebræos vel in
 Ægyptios, nullum mandatum vel affligen-
 di Ægyptios vel liberandi Ebræos, ex-
 asperari magis Præfectos adversus fratres,
 facilè præsumere potuerit, Ægyptius ne-
 minem occiderit, circumspexit ex mala
 Conscientia, & Exilio multatus fuerit qua-
 draginta Annorum. Rectius dicitur factum
 fuisse heroicum ex impulsu divino & prolu-
 sionem Vocationis singularis ad liberandum
 populum pressum, ut testimonium Stephani
 docet Act. VII, v. 24. Audiamus hic ex Al-
 lophylis non neminem ita differentem:
*Et cum vidisset quendam injuriam patientem
 Syriacæ sic legimus, והוא לחרמו בני שרבתה
 vebahaze lechadmen bene scharbethed, id est, & vi-
 dit quendam ex filiis sua profapia, vel, generis
 sui. Forsan respectum habuit ad locum Exo-
 di, in quo ille quidam dicitur de Hebræis fra-
 tribus suis, Hebraicæ, איש עברי ממהו hisch hbi-
 bi*

Mosis fa-
 ctum he-
 roicum,

bri] mœchan id est, vir Hebraeus de fratribus
 suis. Attamen fratris dictio latius patet,
 quo etiam pacto illam Philo in vita Moſis, te-
 xens hanc ipsam historiam, usurpavit. Inju-
 riam patientem. Adhuc eò id est, injuria affe-
 ctum & vexatum, In Exodo: Vidit virum
 Ægyptium percutientem quendam de Hebra-
 is fratribus suis. Que percussio fuerit, non ex-
 pri mitur, inquit ibi Cajetanus, an mortifera
 vel castigationis, seu parva lesionis. Tyrannus,
 & abulensis, ex Hebraeorum sententia, refe-
 runt hunc fuisse Salomitam mulieris pulcher-
 rime maritum, quem Ægyptius summo ma-
 ne ad opus evocarat, ut clam tanquam mari-
 tum abuteretur illa, quod is ubi cognovisset, ar-
 guebat eum: Ægyptius autem ipsum gravi-
 us affligebat, & percutiebat. Sed Carthusia-
 nus, ex Rabbi Paulo, docet hanc esse fabulam.
 Philo cum commemorasset intolerandas arum-
 nas, quibus Ægypti Hebraeos affluebant, nil-
 que Moſem deprecando, monendove profecisse,
 subjicit fuisse unum aliquem immaniorum ope-
 rarum Perfectum, quem preces etiam exacer-
 barent, miseros autem Hebraeos ni celeriter
 jussa facerent, verberaret, excruciatque: hunc
 à Moſe interceptum, ac jure quidem, cum is
 viveret in perniciem hominum. Hoc nimi-
 rum est quod sequitur. Vindicavit illum: &
 fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, per-
 cussio Ægyptio. Syrus sic reddidit, למצור
 וְחַבְּבֵהּ וְכַהֲנָן גַּעְגָּדָה דְּהַדִּינָא וְקַטְלָהּ
 ad lab dina vekatleb lemi tseria, id est, & ultus
 est eum.

est enim, & reddidit ei jus, & interfecit *Aegyptium*: sic percussorem, interemptionem reddidit, quam textus: *Exodi* aperte ponit his verbis: Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum *Aegyptium* abscondit sabulo. Verbum *παύσασεν* de ingenti pulsatione dici solet cum grandi strepitu, ac verberatione, proprie loquendo: quamvis ex adjunctis varias habeat significaciones, ut percutere gladio, lingua, cecitate, percutere civitatem. Ex his circumstantiis bene refellit *Abulensis* signum Rabbi *Salomonis*, quod *Moses* edito nomine *Tetagrammaton*, *יהוה* interfecerit *Aegyptium*: quid enim *Moses* circumspiciebat, ane cur sepeliebat, quem, si illo modo periisset, constaret non ab alio, quam à *DEO*, vel causa interna periisse? *Philo* Episcopus refert ex traditione illum *Aegyptium* infectum, fuisse unum ex prefectis. *Clemens Alexandrinus* ait solo verbo infectum esse, sicut à *Petro* *Ananiam*, & *Sapphiram*: *Sulpitius* caece percussum. Videtur *Ambrosius* hoc factum approbare &c. Author limitat & dicit, si manifestum sit periculum non teneri aliquem socium defendere, posse enim suam vitam & res alienis præferre. Atqui quandoque etiam manifesto periculo existente tenemur, juxta illud *Johannem* supra expensum, quòd diligere debeamus fratres etiam moriendo pro illis. Imò quo manifestius videtur esse periculum, eo magis ut opis necessariz indigus, ita magis defen-

Mmm m den-

dendus erit. (3) dicit, ne tunc quidem tene-
ri, si oppressus nisi morte inuasoris eripi non
possit. At oppositum vero magis est conso-
num. Quod si enim occidatur inuasor, luit
quod meruit; & num non satius est servare
innocentem, quàm opprimentem, si utrius-
que mors in balance ponatur?

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

An, si nulla alia sit Causa præter Sæ-
vitiam in subditos, Princeps vicinus
possit Bellum inferre, ut illa arceatur,
meritò dubitatur.

Non licere
armis aver-
tere Tyran-
nidem vi-
cino Prin-
cipi.

A Uthor disputat, an justa sit belli causa
pro subditis alienis ut ab iis arceatur
imperantis injuria, & pronuntiat tandem, si
manifesta sit injuria, eaque in subditos exer-
ceantur, quæ æquo nulli probentur, tunc
præclusum non esse jus humanæ societatis,
& si daretur, ne in summâ quidem necessitate
arma rectè à subditis sumi, non tamen inde se-
cuturû non posse pro ipsis ab aliis arma sumi,
impedimentû enim esse ex personæ qualitate.
Verùm hîc multa supponit Grotius. Nam (1)
posito quod Busris aliquis sæviat in subditos,
quid hoc ad alium? (2) si status Reipublicæ sit
despoticus, ipse respondet etiam crudeliùs a-
genti esse corpora & jugulos exhibendos. (3)
sic facili ratione Reges prætextum quærerent
in vicinos, ut castigarent modum imperandi
illorum severiorem. **¶** Dubitat & ponit sal-
tem,

tem, num subditis non sit concessum in summa necessitate arma sumere adversus superiores, cum tamen hoc supra contra Pareum luculenter ostensum sit, & concludit hoc dato, non tamen esse consequens, non posse pro ipsis ab aliis arma sumi. At utur hoc ipsum non sit consequens simpliciter, in tantum tamen est consequens, in quantum tales alii subditos quasi repræsentant. III. Impedimentum in tali casu non provenit tantum ex personæ qualitate, sed etiam ex causa: quia alter Rex, non læsus à tali tyranno, nihil juris in ipsum habet, sed ambo immediatè sunt sub DEO, & in tali statu nihil reliquum est subditis, nisi libelli supplices, deprecationes pro averfione hujus vel illius actus tyrannici, preces ferriæ ad DEUM pro immutatione animi sævienti, qui non patitur tentari ultra posse, sed aut mutat talis Tyranni animum, aut vitam tollit.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Rectè Author statuit Prædæ aut stipendii causâ militare vitiosum esse.

SI hodierna spectetur Militia, in illâ, etiam hoc inter vitia deputandum, quod aut unice, aut præcipuè spectatur Stipendiû & præda. Conquesti sunt olim apud Tacitum lib. 3. Historiarum cap. 19. milites se pro labore & Stipendiâ ac prædâ non sunt iusta Belli Causa.

M m m m 2 vulne-

vulneribus Clementiam ac gloriam inania la-
turos, sed opes Cremonensium in sinu præ-
fectorum Legatorumque fore. Eadem hodie
querela, quia militatum abeuntibus non re-
spondent ex Voto stipendia & prædæ: lici-
tum verò esse accipere stipendia ut medium,
non autem illa deberi præfigi ut finem recte
colligitur ex I. Cor. IX. non decimo Capite
ut ipse allegat constat quia Apostolus dicit.
Quis militat, hoc est militare solet suis Sti-
pendiis? Augustinus confirmat, Chrylосто-
mus illustrat scribens: Non dicit ex mili-
tiâ suâ non ditescit, quia pastores tantum ne-
cessaria exigere debêt ab ovibus suis. In græ-
co occurrit vox ὀψώνιον, quia in annona fru-
mentaria dñim militibus solvebatur.

CAPUT XXVI.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Si constat Civi Bellum esse inju-
stum abstinendum erit.

Quo casu
contra Ma-
gistratus
Imperium
subditus à
bello licitè
subduca-
tur
A Uthor agit de illo dubio, quid sc. faci-
endum sit, si edicatur Civibus ut mili-
tent, si certum sit ipsis, injustam esse belli
causam. Et rectè suadet abstinendum. (2)
si dubitet subditus, num licita sit res nec ne,
an parendum Magistratui, & censet esse pa-
rendum. (3) Adrianum Belgam Pontificem
addu-

adducit, contrariam defendentem sententiam. Et tandem addit, Abrahamum instruxisse prius milites suos de belli justitia, atque ita viros quosdam eruditos interpretari verbum quod legitur Gen. XIV. vers. 14. Ut autem constet de primo prænotamus invitos quondam electos milites apud Romanos, adeo ut si non responderint lecti pro proditoribus fuerint habiti & capitali supplicio obnoxii & si pater filium Militiæ subduxisset in pace fustibus fuerit cæsus, belli verò tempore Bonorum parte multatus, filiusque in deteriorem datus militiam, quod tamen postea mutatum. Præsentem autem Quæstionem quod attinet primò de milie pronütianandum erit, quod si Miles prudenter opinatur, Principem aliquem justè movere bellum, tunc militare potest; ratio est, quia nulla est lex aut ratio, quæ hîc specialiter prohibeat, militem sequi prudentem suam opinionem, Militare itaque potest, quando actiones intrinsecas approbat, quibus Rex motus est, & si illas ignorat, si tantùm novit Principem, qui Bellum indicit, esse moratæ conscientiæ & prudentem, nec seduci à Consiliariis pravis. Econtrariò non potest militare, si non habeat opinionem probabilem, cum occisio hominum soleat esse injusta, nisi ad sit causa juris proprii vel alieni defendendi contra injustum invalorem, aut puniendi malefactum. Videantur Diana, Mascardus, Rodericus ab Arriaga. Unde si evidens est Militi, injustum esse bellum, depo-

M m m m 3 nenda

nenda erunt ei arma, cingulum erit solvendum. Nam primò ut Author concludit DEO magis obediendum quàm hominibus. secundò ad nullum turpe, nullum malum, nullum peccatum ulla est obligatio. tertio si servus non tenetur Domino, iniqua moraliter talia imperanti, etiam Miles ad illud extremum usque non obligabitur. Secundo de loco allegato ex Eph. VI. v. 1. notandum accipi phrasin in Domino diversimodè ab Interpretibus; quidam referunt ad parentes & intelligunt Apostolos ut sensus sit: Obedite parentibus, qui vos in Domino genuerunt, quidam ad Causam moventem referunt ut sensus sit: Obedite in Domino, h. e. Domini Amore & reverentia, qui dixit honora patrem, quibus stantibus Expositionibus Grotius non concluderet, sed præferenda est illa Expositio, ut in Domino idem sit, quod secundùm Domini legem & præceptum, si scilicet illi præcipiant conformia, quam etiam Author ex Hieronymo probat in Commentario ad hunc locum. Tertio locus ex eadem Epistola & capite versiculo octavo rectè adducitur quanquam nullius mercedis fiat mentio sed Apostolus simpliciter dicat: *singulos, quisquid fecerint boni hoc reportaturos à Domino siue servus fuerit siue liber*, sc. vel in hoc vel in futuro seculo, ut observant Interpretes, de Thebæa Legione legatur Henricus Spondanus ad Annum 297. Sed progredimur ita, qui ad Principis consilium vocantur vel admittuntur, inquirere & examinare tenentur justitiam

Sensus Ep-
ci Eph. VI.
b

stitiam belli, adeò ut si eorum malitia aut culpabili negligentia bellum injustum inferatur, restituere teneantur damna omnia inde secuta. ratio est, quia qui impedire potest damna gravissima, quæ bello injusto proximis inferuntur mortaliter peccat, nisi illa impediatur.

(2) Subditi minores de Republica non tenentur examinare causam belli, sed tutò pugnare possunt, committentes se defensionis Principis: ratio est, quia nec fieri potest, nec expedit, ut ratio negotiorum publicorum omnibus de plebe reddatur, nec perfectè obediens disputat, sed paret. (3) deniq; in dubio subditorum an bellum sit justum, licitum est nihilominus juxta quosdam illis pugnare: tum quia Augustinus aperte hoc asserit contra Faustum c. 75. tum quia in dubio judicium practicum erit sequendum; tum quia accedunt Doctores plerique, Victoria, Cajetanus, Driedo, Major. Adrianus autem Pontifex non advertit, aliud esse dubium speculativum aliud practicum. In presenti negotio dubium speculativum est, utrum bellum quod Princeps gerit justum sit; practicum verò utrum dum de justitia hujus belli dubius sum, fas sit adjuvare meum Principem. Concludunt ergò, manente priori dubio fas esse subditis adjuvare in eo bello, ac proinde non esse dubium, sed certum id licere. Sicut enim insurgente dubio speculativo, an quod hætenus bona fide possedi meum sit, necne, possum licitè illud retinere, quia cum in dubio sit melior conditio possidentis, simul

cum eo dubio est certum, licitè me illud retinere; ita etiam cum subditus suæ Reipublicæ ac Principi sit devinctus, bonumque illius præponere debeat bona cuiusvis alterius, sanè interim dum illi non constat de iniustitia suæ Reipublicæ, debet illi favere, eamque adjuvare. Audiamus Moraliū Doctores, qui ita: Cum conscientia formaliter & extrinsecè dubia, stâte, scilicet, dubio practice pratico seu dubio juris particulari de honestate actionis hîc & nunc exercendæ, vel periculo peccati annexo, nunquam licet operari, sed semper peccatur pro ratione materiæ & dubii. Est certissima apud omnes. Significat Apostolus Rom. 14. Quod non est ex fide, peccatum est. Hoc est, Quod non fit ex certa credulitate seu determinato iudicio intellectus, licitum esse, quod hîc & nunc agitur, peccatum est. Ratio fundamentalis est. Quia omnis sciens & volens, exponens se periculo peccati, peccat, & quidem eodem genere peccati, cuius periculo se exponit; uti docet communissima Doctorum cum D. Thoma. quod l. 8. a. 13. Scoto in 3. d. 25. q. un. & alibi. Navar. in c. Qualitas. d. 5. de pœnit. Ex illo Eccl. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Atqui agens cum conscientia intrinsecè seu practice dubiâ, de honestate actionis hîc & nunc exercendæ, vel saltem periculo peccati annexo, is sciens & volens exponit se periculo peccati, elegit enim actionem indiscriminatim, sive bonam sive malam, quasi dicat, sit peccatum vel non sit, perinde est: ego volo agere,

Quomodo
peccatur in
Conscientia
formaliter &
extrinsecè
dubia?

agere, &c. ideoque eo ipso implicite cense-
tur eligere malum : ergo eo ipso peccat, pro-
ratione materiæ, de qua agitur : & pro ra-
tione dubii. Ut si dubitet an talis actio vel
omissio, sit peccatum mortale, & tamen ope-
rans vel omittens, peccabit moraliter : si ve-
vò dubitet de venialit tantùm venialiter. Quòd
si dubitet generatim & indistinctè, an sit
peccatum vel malum, pariter erit pronun-
ciandum, ut de conscientia erroneâ.
Atque hic maximè locum habet, & commo-
dè explicandum venit, celebre illud di-
ctum, In dubiis tutior pars est eligenda.
Quod habetur variis locis juris Cano-
nici: c. ad audientiam, c. Significasti c. peti-
tio tua. Tit. de homicidio. Ubi in dubio de
facto homicidio à Clericis, & irregularitate
inde contractâ Pontifex semper respondet:
Tutius eligendū esse. Itē c. juvenis de sponsali-
bus, in alio casu matrimonii dubii: respondet
Pontifex, in his quæ dubia sunt certius est te-
nendum. Dictū hoc inter pontificios univer-
saliter & semper certum est, quantum ad con-
siliū & perfectionem, semper enim con-
sultius & perfectionis est, in quovis dubio
eligere partem tutiorem : at certè non semper
necessarium, seu de præcepto, vel obligatione:
hoc enim nullus illorum dicet. Unde ante
omnia in dicto illo 7 tutior pars, non debet
accipi comparativè ad positivum, scilicet tu-
tior pars, quam tuta: quasi sensus esset, quan-
do utraque pars dubii est tuta, adhuc tutio-
rem partem eligendam esse. Quod quam-

pars tutior
in Dubiis
eligenda
est.

vis sit perfectionis, non tamen potest esse necessarium, cum liceat in operando sequi quam libet partem verè tutam. Sed t̄ tutior accipiendum est comparativè ad oppositum, scil. tutior, quàm non tuta, non segura, periculosa, &c. Ut sensus sit. Quodcumque una pars dubii est certa, tuta, segura, verum scilicet peccati periculum excludit, altera autem pars non est certa tuta segura, sed dubia vel periculosa de peccato, ejusve periculò, tunc illam tutiorem eligendam esse. Et sic apud illos certum est. Quemadmodum etiam, si utraque pars dubii appareat periculosa de peccato, ut contingit in sacerdote, qui ex officio tenetur baptizare, dubitat an non infans æger aquâ conspersus moriturus sit, minus malum, & periculum eoque quasi tutius eligendum est, scil. mortis corporalis potius, quàm damnationis. Certum deniq; est apud omnes, necessariò tutiorẽ partem eligendam esse in dubio propriè seu practicè pratico, scilicet de actionis hinc & nunc exercendæ honestate, an hinc & nunc aliquid liceat, nec ne: v. g. hodie comedere carnes, &c. stante enim tali dubio, una tantum pars tuta est: sc. abstinere: altera autem pars: sc. comedere carnes, simpliciter est non tuta, sed periculosa de peccato: Certum etiam esse debet; tutiorem partem eligendam esse in dubio speculativo, versante circa valorem vel efficaciam actionis exercendæ. Ulterius etiam tutiorem partem esse eligendam

In quibus dubiis necessario tutior pars sit eligenda.

dam in aliis dubiis speculativis juris & facti (excepta materia justitiæ ubi melior est conditio possidentis) adeò, ut stante dubio speculativo v. g. an hodie indictum jejunium: necessariò aut jejunandum sit, aut dubium speculativum deponendum, docent Vasquez. Furrianus, Sayrus, alii apud Sanchez. l. 1. Moral. c. 10. n. 10. Ratio est. Quia alioquin adhuc te exponeres periculo peccati. Deinde Pontifices in Canonibus citatis in resolvendis casibus allegant illud dictum: in dubiis tutior pars, via, semita tenenda vel eligenda est, tanquam regulam universalem. Sed stante dubio speculativo juris vel facti, v. g. an res hæc mea sit, an matrimonium validè contractum, an census germanicus sit licitus, &c. si post diligentem inquisitionem dubium superari nequeat, absque ulla speculativa resolutione, poteris eligere partem minus tutam: sc. rem dubiam detinere: matrimonio dubio uti, hæcque est communior, & jam recepta sententia Doctorum. Suarez. de Censuris. disp. 40. sect. 5. Sanchez. l. 1. Moral. c. 10. n. 11. Ratio est. 1. Quia opposita sententia nimis dura est, & difficilis in praxi, ergo sine sufficienti fundamento non asserenda. 2. Lex in vincibiliter ignorata, vel non sufficienter proposita seu intimata non obligat, secundum omnes: atqui idem est, de lege post sufficientem inquisitionem dubitare, ac eam ignorare, ergò, in dubio juris non est obligatio ad tutiorem partem. Miles de

In dubiis speculativis non necessariò tutior pars eligenda est.

iustitia belli dubius, potest nihilominus mi-
 litare. c. Quid. culpatur. 23. q. 1. ergo idem
 dicendum de aliis ejusmodi dubiis. 4. Se-
 cundum omnes, etiam adversarios, in dubio
 circa materiam justitiæ, v. g. An res, quam
 hætenus bona fide possedi, sit mea, nec ne,
 non est necessariò tutior pars eligenda: sed
 licet eam retineo, licet id minus tutum sit:
 atqui peccati periculum non minus vitandum
 est in materia & lege justitiæ, quàm in mate-
 ria & lege cujuscunque alterius virtutis: er-
 go, sicut non obstante dubio ejusmodi spe-
 culativo in materia justitiæ, potest occurrere
 sufficiens ratio formandi conscientiam pra-
 cticè contra illud dubium: sc. non esse re-
 stituendum, quia melior est conditio possi-
 dentis: ac per hoc sufficienter evitatur peri-
 culum peccati: ita etiam in materia aliarum
 virtutum & legum occurrere potest similis
 sufficiens ratio contra dubium speculativum
 formandi conscientiam practicam certam, se
 nõ obligari: v. g. qui invincibiliter dubitat de
 voto emisso: die festo, vel jejunii, se non te-
 neri voto, festo jejunio: eo, quod etiam
 in iis dubiis melior sit conditio possiden-
 tis suam libertatem atque per hoc æquè
 vitabitur periculum peccati. Nulla er-
 go est ratio oppositæ sententiæ, talem ad-
 huc se exponere periculo peccati. Dein-
 de Pontifices in citatis Canonibus supponunt
 quidem illam regulam, in dubiis tutior pars
 est eligenda: non tanquam legem universali-
 ter obligantem, sed tanquam regulam con-
 veni-

venientiz: ob cujusmodi majorem convenientiam rectè statuunt in particulari dubio patrati homicidii, Clericum debere abstinere à sacris, tanquam irregularem ob reverentiam tanti sacramenti, & sacrificii: Sed ut fieri solet passim à Moralistis, ita & hîc miscentur putamina bæctis.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO I.

Frustra *Mysterium* quæritur in voce *Vajarek* Gen. 14.

VOx *Vajarek*, posito quod notet, *instruxit*, non tamen notat instructionem dogmaticam, sed militarem, quatenus Abraham instruxit suos armis. Hinc Junius & Tremellius: *armavit instructos suos*. 2. Vox *Vajarek* propriè & accuratè notat *evaginavit, expeditis, in aciem produxit*. 3. Optimi Interpretes hîc à Grotio, & quos laudat, recedunt, Arias Montanus, Pagninus, Tremellius & noster Lutherus, qui reddidit: *et wapnete*. Variant autem observante Malvenda Interpretes qui scribit: *Verbum Herik in Hiphil variè reddunt*. 1. *Et armavit*. 2. *Et accinxit, ad bellum*. 3. *Et educere eos fecit gladios è vagina*. 4. *Et expeditis*. 5. *Et eduxit*. 6. *Et evacuavit, id est, fecit expeditos, vacuos onere, & impedimentis*.

Quid Gen. XIV. v. 14. notet vox Hebræa *Vajarek*?

tit. 7. *Ad evaginationem exercuit. Quin decies alias plus minuve id verbum in Scriptura reperitur, & Noster diversè quoque interpretatur Genes. 42. 35. Psalm. 34. 3. Eccles. 11. 3. Zacharia 4. 12. 12. Malachia 3. 10. effundere dixit. Exod. 15. 9. Levitici 26. 33. Ezechiel. 5. 12, & cap. 12. 14. evaginare Ezechiel. 28. 7. & cap. 5. 2. nudare. Isaia. 32. 6. evacuare. Jeremia 48. 12. exhaurire. Psalm. 17. 43. delere. Habacuc. 1. 17. expandere. Hoc verò loco, numerare. sensum fortasse magis quam verbum sequuntur. Hic possis reddere: effudit, evaginavit, nudavit, evacnavit, expandit: hoc est, eduxit, emisit, levas, expeditos, nudatos, vacuos. Instruxit aciem levis armatura.*

Ad Th. IV.

OBSERVATIO III.

Non incommodè produxit Author exemplum Ministrorum Saulis & locum Deut. 17. de testibus.

Author de Carnifice differit & putat debere illi esse causæ merita cognita, atque legat in Notis Saulis Ministros & Achazi Speculatorem tertium, & tandem Legem Ebræam Deut 17. v. 7. eo respexisse vult. Primum non ita malè dicitur, alterum magis hoc confirmat; cùm quamvis abstinerint Mini-

Ministri Saulis à cæde & ex eo laudentur, tamen ab Interpretibus non omni culpa eximantur tantum ex eo, quod regium animum ad sanitatem non traducere laborarint, ut de calore remitteret, prout populus credidit hoc suarum esse partium, cum Jonathan ad ad mortem damnaretur. Unde Sanctius: *Laudandi sunt hoc loco Saulis servi, qui à Sacerdotum abstinnerunt cæde, etiamsi Regi maximè viderent esse in votis; sed hi non omninò liberantur à culpa; quia nullum adhibuerunt studium, ut si minùs placare, & ad sanitatem traducere Regium animum possent, at certè ita temperarent, ut aliquid remitteret de severitate decreti. Quod Chrysostomus miratur, & reprehendit super Psalmum 134. ubi observat, quo tempore damnatus est ad mortem Jonathas, intercessisse omnes, neque conquievissent, donec illum à capitali pœna reddiderunt incolumem. At hinc cùm viderent tot innocentes, eisdemque Tabernaculi addictos ministerio, ad eadem rapti & Idumai, id est, execrandi hominis ferro permissi; nullus tamen fuit ex his, qui Regio assistabant lateri, qui causam suscipere innocens, & funestam illam cladem aliqua ratione suo patrocinio levaret. Sic autem Chrysostomus: Quando Saulis filium eripere oportebat, omnes communiter assentantes Regi, licèt se iniquè gessisset, eripuerunt. Quando autem volebat occidere tot Sacerdotes, nec vocem quidem emisissent, nec eos defenderunt. Quod si tunc habebant naturam, qua pro eis faceret,*

Saulis servos, dum ipse grassaretur in Sacerdotes, quanquam manus abstinnerint à culpa tamen non esse liberos.

hic

Testium
Hebræorū
causa de-
buit esse
cognita.
Eorum for-
mula.

*hic etiam habebant iusti naturam. Erant enim Sacerdotes, & erat caedes nefaria, quæ ex ira, non ex recto iudicio oriebatur. Sed huius rei causa erat socordia, & quod Sacerdotum vicem non valde dolebant. De Lege Ebræa quod dicit admitti potest. Testes enim manus imponebant Capiti rei, qui instar victimæ ita destinabatur internecioni tanquam devoto & digno Capitali supplicio formulam quoque addentes hanc, *Malitia tua te adduxit ad mortem non nos, & ut intenta fuit veritas publicè ita comprobata facto. sicq; falsum testimonium hoc freno quasi fuit cohibi-*
tum.*





LIBER TERTIUS

In

LIBRUM III. GROTII,

De

JURE BELLI ET
PACIS.

CAPUT I.

Ad Th. I. & II.

OBSERVATIO.

Media à fine aliquam æstimationem accipiunt. Naturaliter eripere rem meam, quam alius detinet, licere naturaliter non videtur.



Xpendit Author, quibus de causis bellum gerere liceat; progreditur itaque & ostendit jam quid quantumque liceat in bello, quibusque modis; hoc verò nudè spectatur aut ex promisso antecedente nudè ex Jure naturæ primùm, dein ex Jure gentium in secundâ thesi disputat, quomodo ad ea quæ ad finem Juris consequendi sunt necessaria,

N n n n

Jus

Jus habere intelligamur, & docet ita, ut quo me & mea servem liceat mihi vi qualicunque injuriam à me arcere. Dicit autem in hâc thesi primò ea, quæ ad finem ducunt in morali materiâ æstimationem intrinsecam accipere ab ipso fine. Unde Pererius lib 8 de causis cap. 2. propterea scribit Media bona sunt nobis, & convenientia appetunturque non per se & ratione sui, sed quia finis nobis bonus est & conveniens & à nobis appetitur. Secundò, si vitam aliter servare non possim licere mihi vi qualicunque arce- re eum, qui eam impetit etiam si is fortè pec- caro vacet. Tertiò rem alienam, ex qua mihi certum periculum imminet citra culpæ alienæ considerationem invadere posse, & rem meam quam alius detinet eripere natura- liter mihi Jus esse. In primo nondum assen- sum obtinuit apud omnes, quamvis enim Medium amabilitatem habeat ex fine, non tamen omnem rationem & æstimationem ex fine obtinet. ut enim bonum est ex integra causa, malum ex quovis defectu, ita actio a- liqua non tantum ex fine æstimationem acci- pit, sed etiam ex cæteris ad illam requisitis. In altero quid sentiendum sit supra in libro secundo monuimus. de tertio non simplici- ter erit pronunciandum, quasi hoc ipsum li- citum naturaliter; non enim Jus Naturæ hoc dicit sed oppositum, præprimis positâ so- cietate.

Actio non tantum est ex fine pen- sitanda.

Ad

OBSERVATIO.

Innocentes posse interfici restrictè accipiendum. Zizania de hæreticis, exponenda, & DEO non indigna tribuenda.

PRoducit Author Exempla illustrandæ propositioni suæ duo, à navi piratis plena, domo latronibus, & asserit tormentis illas posse peti, etiamsi intra easdem sint pauci infantes, mulieres, aut aliqui innocentes, quibus inde creetur periculum. de quo disputant in materia de Occisione innocentis DD. in quantum illa sit licita, ex quibus ita Lugo disput. 10. Sect. 5. pag. 263 : *Adverte pro hoc, & aliis casibus sequentibus, quando dicimus, licere occisionem innocentis aliquando, quando ipsa non intenditur, sensum non esse, quod ipsa non intenditur, ut finis, ita ut licita sit, quando assumitur, ut medium ad occidendum nocentem: hic enim sensus falsus esset: nam siue intendatur, ut finis, siue eligatur ut medium, semper est illicita, si directè eam velis: medium enim ipsum, licet non intendatur ultimò à voluntate sistente in ipso; directè tamen eligitur, & amatur, & aliquo modo intenditur propter utilitatem, & convenientiam, quam habet ad finem ultimò volitum. Si ergò occideres innocentem, volendo hoc ipsum, ut occidere posses innocentem, jam directè velles, & intenderes occisionem innocentis, quod quidem licitum nunquam est. Unde in casu proximè adducto, si videns se non posse oc-*

Quibus
nam modis
innocentis
occisio sit
licita?

cidere invasorem, qui se infante protegit, nisi
 prius rumpas infantem, atque ita liberè possis
 postea alio ictu hostem petere, & ad hunc finem
 prius secare velis infantem, actio illa erit illi-
 cita, quia ille ictus directè & per se tendit ad
 mortem infantis, quam assumis, ut medium
 ad occidendum postea hostem. Sic etiam si in
 bello iusto habeantur in castris infantes filij ho-
 stium, non possunt hi occidi, ut pro liberandis
 filiis à nece parentes obfessi sese dedant: quis
 jam directè occiderentur innocentes, licet eo-
 rum occisio ad alium finem ordinaretur. Re-
 quiratur ergò ut licite fiat, quod neque ut finis
 neque ut medium eligas, aut velis directè talem
 occisionem, sed solùm indirectè, volendo cau-
 sam, non propter conjunctionem, quam habet
 cum tali effectu, sed cum alio, nempe cum oc-
 cisione nocentis, quem aliter offendere non po-
 tes, tunc enim vis actionem, prout conjuncta
 est cum alio effectu licite volibili, ad quod per
 accidens est, quod connexa sit etiam cum
 alio effectu, quem velle non potes. Au-
 thor (2) monet, Jus non esse rigorosè
 prosequendum, sed in mitiorem partem in-
 clinandum, ut tutiorem, idque probare vult
 ex dicto Christi Matth. XIII. *simise crescere
 Zizaniam.* Quod (1) concernit, consimilis
 sententia occurrit apud Gellium lib. 19. cap.
 21. ubi differens Herodes Atticus contra Stoi-
 corum ἀπιθειαν ait: *Sensus illos motuosque a-
 nimi, qui cum immoderatiores sunt, vitia fi-
 unt, innexos implicatosque esse Vigoribus qui-
 budam mentium & alacrisatibus, ac propter eam*
 si ois-

si omnino omnes eos imperitius convellamus, periculum esse, nè eis adherentes, bonas quoque & stiles animi insoles amittamus. Author autem procul dubio secutus est quosdam Pontificios Interpretes, qui locum hunc de zizaniis intelligunt de malis sive improbis moraliter talibus. Unde etiam allegat Thomam, qui secunda secundæ, ad locum hunc sic respondet quæst. 64. art. 2. p. 122. *dicens, quod sicut dictum est, licitum est occidere animalia bruta, in quantum ordinantur naturaliter ad hominum usum, sicut imperfectum ordinatur ad perfectum. Omnis autem pars ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum. Et ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus, quod, si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri, puta cum est putridum, vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter & salubriter abscinditur. Qualibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum; & ideo si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter & salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit, ut dicitur 1. ad Cor. 5. Ad Primum verò dicendum, quod Dominus abstinendum mandavit ab eradicatione zizaniorum, ut tritico parceretur, id est, bonis. Quod quidem fit, quando non possunt occidi mali, quin simul occidantur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent vul-*

Locus Matthæi XIII. de hæreticis loquitur.

tos sequaces: ita quod sine bonorum periculo in-
 terfici non possant, ut Augustinus dicit contra
 Parmenianum. Unde Dominus docet magis
 esse sinendum malos vivere, & ultionem reser-
 vandam usque ad extremum iudicium, quam
 quod boni simul occidantur. Quando verò ex oc-
 cisione malorū non imminet periculū bonis, sed
 magis tutela & salus, tunc licite possunt mali oc-
 cidi. cū tamen agat de hæreticis, qui sc. non
 excidendi & occidendi. quod patet tum ex
 eo, quia de zizaniis hīc dicitur, quod sint re-
 linquenda; at facinorosi per Magistratum sunt
 tollendi, tūm ex eo, quia agitur hīc de illis qui
 nati sunt ex semine verbi, quibus opponuntur
 zizania, & consequenter nati ex falsis dogma-
 tibus, tūm quia nostræ sententiæ consentiunt
 ex Patribus Tertullianus, Hieronymus, Au-
 gustinus & Cyprianus, ex nostris verò Luth-
 rus, Centuriatores, Chemnitius, Andreas O-
 siander & alii. Nec obstat quod reponitur,
 1. scopum parabolæ esse, ostendere semper
 futuros malos aliquos, nec posse ullā humanā
 diligentia mundum purgari ante diem iudi-
 cii. 2. Zizania hæc esse in medio tritici h. e.
 Ecclesia, hæreticos autem non esse in Eccle-
 sia, sed extra illam, 3. expressè exponi quid
 per zizania intelligatur, nempe filios Diaboli,
 filios autem Diaboli non esse hæreticos, sed
 etiam moraliter improbos. Ad 1. enim re-
 spondetur scopum esse utique ostendere sem-
 per malos fore in mundo, sed tales malos
 determinatè, nempe hæreticos, juxta illud:
Oportet hæreses inter vos esse, ut manifesti fi-

tolluntur
 obiecta.

ant prohi. Unde etiam Augustinus q. 12. in Matthæum, quamvis extendat ad alios quosque malos, de hæreticis tamen exponit, quos Diabolus in medio super seminet, & fidelibus corporaliter miscet. Ad 2. respondetur hæreticos esse in Ecclesia dupliciter intelligi posse, aut ut membra corporis mystici, quantum ad spirituales unionem, aut ut ulcera, ratione existentie localis; prius est falsum, posterius conceditur. Ad 3. respondetur filii Diaboli determinatè hîc dicuntur; nam opponuntur filiis Regni, qui generantur ex verbo, E. filii 78 mali sunt tale semen, quod propter doctrinam malam ita appellatur. Hinc ipse Grotius in Commentario: *Non qualescunque mali homines per lolium denotantur, sed hi qui Christianismum profitentur. Hoc est quod dictum erat lolium serî inter triticum, & infra εν τ βασιλείας αιων.* Et mox in similis sensus comparatione τα καλα η τα σπαρα sunt in eodem overriculo. Sicut autem filii DEI dicuntur, qui divinam imitantur bonitatem, ut supra v. 9. & 45. ita filij diaboli qui diaboli imitantur malitiam. Job. VIII, 44. nec malè Calanus ad Alexandrum M. corpora quidem nostra de loco in locum moveris, nec quicquam conscientie vim intuleris, lapidem citius loqui feceris, quam animum coegeris. De facto & poenitentia Theodosii legantur Sozomenus lib. 6. Hist. Eccl. cap. 24. Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 13. & Augustinus lib. 5. de Civitate DEI cap. 26. Tertio vult respici ad exemplum DEI, qui,

Hæretici
quomodo
dicantur
esse in Ec-
clesia.

Ius Domini in DEO per misericordiam quoad exercitium non impeditur.

quamvis interdum aliquid faciat ex jure permissivo domini, quod non in exemplum trahi posset, ob paucissimos bonos tamen voluerit parcere magnæ malorum Universitati. At repetit Author suum Pseudo-Principium de jure domini. Quamvis enim non negemus tale jus domini in DEO, de exercitio tamen illius disputatur, nū in calamitatibus publicis vel privatis processus detur ex hoc jure domini, num non potius illæ reducendæ sint in jus justitiæ? benevolentiam verò in Sodomitas non potest producere Author, tum, quia sicut non vult argumentum duci à DEO considerato juxta Jus domini, ita pariter obverti potest ipsi, non posse in exemplum adduci misericordiam divinam: tum quia, quod DEUS voluerit parcere Sodomitis propter paucos probos, non est ordinariæ sed extraordinariæ dispensationis, tum quia non est consequens, DEUS aliquando; insigniter misericordem se exhibet erga facinorosos quosdam, E. Judex quoque vel Princeps ita ad exemplum DEI gerere se debet. Sicut non est consequens penes Regem est Jus aggratiandi, & potest solum impunitum dimittere, E. etiam penes Magistratus inferiores & judices pedaneos hoc jus locum habet. Unde Rivetus: *In responsionibus DEI, animadvertendum est, concessionem illam de totâ civitate conservandâ, in gratiam, non tantum quinquaginta, sed etiam decem justorum, regulato non facere, ut statuat, quotiescunque talis numerus piorum alicubi*

at'icubi super' est, Deum judicia sua contra locū illum dilaturum. Specialis fuit concessio Abrahamo facta, qua trahi non debet in consequentiam perpetuam, quasi ad id Deus ex justitiā vel equitate teneretur. Id enim à misericordi voluntate totum pendebat. Nec semper & ubique id expediret aut conveniens esset, ut propter exiguum bonorum numerum, magna impiorum multitudinē Deus parceret. Quod certe Deus nunquam absolute in verbo suo promisit. Habet nihilominus hac DEI facilitas, unde agnoscamus propensissimam ejus voluntatem erga suos, in quorum gratiam, etiam impiis bene facit, & eorum precibus, etiam in iis qua justitiam suam remorari videntur, se flecti sinit. Sed tota haec inquisitio non sine speciali DEI providentiā directa fuit, permissumque ut ad numerum usque decimum Abrahamus descenderet. Hoc enim maxime facit ad justitiā divinā equitatem commendandam, quia exaggeratur hoc modo maxime, gentis illius malitia. Sic Jerem. cap. 5. vers. 1. Percurrite, inquit, plateas urbis Jerusalem, & videte jam, atque cognoscite, & disquirite in plateis ejus, an inveniatis virū, qui exerceat jus, requirat fidem, & condonabo illi.

Ad Th. VI.

OBSEVATIO.

Dolus bonus in Scriptura non fundatur.

Author nobilem movet quæstionem an dolus in genere sit semper malorum nec

Paulus à vi-
tio doli
boni vindi-
catus.

ne? & quidem viderur pro Authore facere,
quod doli detur etiam bonus, neque omnis
sit malus, vel maximè illud Pauli II. Cor. XII,
v. 16. ubi dicit Apostolus: *ego vos non gra-
vavi, sed cum essem astutus, dolo vos ce-
pi.* Dabitur itaque doli bonus. Verùm
hic locus non probat intentum, utut videat-
ur speciosus, tum quia ipse Apostolus I.
Theff. II. v. 3. hoc ipsum à se removet di-
cendo, *exhortatio nostra non fuit ex impostu-
ra, neque ex impuritate, neque cum dolo,* tum
quia Apostolus ex hypothese loquitur calu-
miantium, qui sc. ita dicere poterant, do-
lo sc. & arte circumvenisse Apostolum Co-
rinthos, alios subornando, qui acciperent
pro Paulo, cum ipse videri vellet nihil quic-
quam accipere à suis auditoribus, tum quia
versiculus sequens clarè docet, hæc hypotheti-
cè proponi, dicit enim, *numquid per aliquem,
quos nisi circumveni vos?* & testes ipsosmet
appellat, prout in re evidenti fieri solet. Un-
de ipse Grotius ad hunc Locum. *Forte mihi
hoc concedent illi me vobis palam gravem non
fuisse. Forte dicent me ut hominem versu-
tum fecisse per interpositas personas, quod per
memetipsum facere nolueram. Objicit hoc
sibi tanquam ex adversariorum verbis, ut sta-
tim solvat. Et explicatiùs Guilielmus E-
rtius: Occurrit objectioni, qua ex adverso mo-
vori poterat. Esto concessione adversarii
significat, ut sit sensus, concesserit forte quis,
quod ego ipse vos sumptu non gravavi, sed di-
ceret me tanquam hominem astutum, dolo &
arte*

erte vos circumvenisse, nimirum alias subor-
 nando qui pro me acciperent, cum ipse nollens
 videri quicquam accipere. Suspicatur Caje-
 tanus Apostolum hac dicere, quod his artibus ut-
 erentur Pseudo-Apostoli utpote dolosi operarii.
 Thomas Aquinas 2. q. 55. art. 4. ad 1. intelligit
 hoc affirmanter dicta à Paulo de seipso; & do-
 lum interpretatur, abusive sumptum in bonam
 partem: sicut interdum accipitur astutia. Ve-
 rum idem S. Doctor melius ex mente Apostoli
 locum hunc explicat in Commentario, quemad-
 modum nos fecimus, Nec alium sensum ad-
 mittunt, quæ sequuntur. Sunt tamen Juris-
 consulti, qui putant dari Dolum bonum &
 nomen hoc esse ex genere *ἴσως μίαν*, quæ am-
 biguam habent significationem in bonam
 scil. vel malam partem, ut etiam hæc: Vene-
 num, fama, facinus, Monsterum, Tyrannus, fa-
 ctio, scurra, videantur Bodinus, Freherus
 Gregorius Tholosanus & alii.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Accuratè loquendo Dolus qui in
 actu negativo consistit non est Dolus,
 neque Exempla ex sacris quadrant.

Probat dolum, qui consistit in actu ne-
 gativo, (2) adducit exemplum illius ex Je-
 remiz historia, & (3) laudat exemplum A-
 brahami. Sed quem Author dicit dolum

Dolus Ne-
 gativus
 nullus est.

negativum, ille accuratè dolus non est, sed
 est tantùm veritatis aliqua occultatio, quæ li-
 citæ est; prudentiæ enim est nonnulla subri-
 ptio, neque esse instar doli rimarum pleni,
 sed, ubi dicendi veri obligatio non adest.
 Quod (2.) concernit, Jeremiam, falsum est
 quod dolo fuerit usus. Nam Jeremias occul-
 tavit aliquid, quod erat tunc temporis pro-
 pter violentiam hostium occultandum, & di-
 xit aliquid, quod verum erat, prout constat
 ex v. 27. datur autem tempus, quo tace-
 dum est justo juxta illud Amos. 3, v. 10. &
 24. neque Veritas & prudentia inter se pug-
 nant, sed amicè conspirant (3.) quod exem-
 plum Abrahami concernit, itidem illud non
 quadrat, tum quia sunt plures Theologi, qui
 putant ad locum Gen. XII. v. 13. ipsum pec-
 casse, sororis enim vox æquivocè de multis
 aliis subjectis usurpata, principaliter tamen
 intelligitur de Germanâ. Qui E. absolutè
 dicit, hæc est soror mea, conceptum ingene-
 rat hunc, hanc esse Germanam; omne enim a-
 nalogiæ stat pro significatu suo famosiore. Posi-
 to autè hoc loco non peccasse, non tamen po-
 test apud iuricè probari falsum dixisse, eum ipse
 Abrahamus confestim veritatem enunciatio-
 nis explicet, dicendo, filia Patris mei est, h.
 e. soror de paterno genere, non de materno,
 vid. Augustinus l. contra mendacium c. 1.
 advocemus B. Gerhardum qui sequentia de
 hoc Exemplo prodidit: *Queritur hoc loco, 1.
 Quid de hoc abraha consilio statuerendum 1. Rab-
 bini statuunt, Abramum in eò tantum com-
 misse*

misse peccatum, ut posteri 400. annorum exilio
 istud luere coacti fuerint Exod. 31. v. 40. Gal.
 3. v. 17. cui serè conforme est, quod Calvinus
 Judaizans in crimen lenocinii Abramum pro-
 pterea vocat. 2. Contra verò multi ex veteri-
 bus consilium illud laudant. Chrysostomus Ho-
 mil. 32. in Genes. in commendanda Abram pra-
 dentis mutus est, August. lib. 22. contra Fa-
 stum. cap. 33. ab omni prorsus culpa cum ab-
 solve nititur. Indicavit, inquit, sororem, non
 negavit uxorem, tacuit aliquid veri, non dixit
 aliquid falsi: lib. 16. de Civit. DEI cap. 10. U-
 xorem tacuit non negavit, conjugis invidiam
 pudicitiam committens DEO, & humanis in-
 fidias cavens, ut homo. Hieronymus rationem
 consilii à Regum Egyptiorum consuetudine
 petitam existimat, qui eque ac Reges Persarum
 non nisi evulso anni spacio mulieres ad concu-
 bitum accersere soliti fuerint, Esth. 2. v. 12.
 Statuitigitur Abram DEUM intra illud tem-
 pus mirabiliter Saram liberaturum, cui serè
 conforme est, quod Pererius asserit, Abramum
 DEI instinctu hac dixisse & fecisse. Cornelius
 à Lapide in hunc locum; Cavet Abram vita
 sua, nequa maritus occideretur, quod cavere
 poterat & debebat: reliquum, quod cavere ab
 Egyptiorum incontinentiam non poterat,
 DEO commendabat, videlicet ne uxor viola-
 retur, 3. Veritas est in medio. Non quidem
 Abram tam graviter peccavit negando ux-
 orem, quam Petrus negando Salvatorem, nec
 propter hoc consilium vel nundinator cum Fas-
 to Manicheo, vel leno cum Calvino nominan-
 dus.

diu, interim non potest hoc ipsum factum ab omni peccati labe absolvi, excusari utcumque potest, laudari vel approbati non potest, 1. ratione causa efficientis sive principii. Profectum est hoc consilium ex prudentia carnali, ex prepostero vite amittenda metu, non ex plena erga Deum fiducia. Acceperat Abram largissimam DEI promissionem, benedicam benedicientibus tibi, maledicam maledicentibus tibi, eam debuisset firmam cordis fiduciam amplecti, nihil ex carnis prudentia suscipere, sed eventum DEO committere. 2. Ratione forma sive modi, De eo ipso rogabatur, an esset uxor, ideo noverat responsum ejus, quod sit soror, ab interrogantibus sic accipi, quod non sit uxor. 3. Ratione objecti. Ipsum Egypti Regem aquivocatione ista peccato involvit. 4. Ratione effecti. Uxoris pudicitiam & fidem conjugalem periculo exponit, quin & ipsam in peccati societatem pertrahit. 5. Ratione adjuncti. Non cogitat, rem diu celari non posse, cum amplam haberet familiam hujus negotii consciam.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Quæ pro positivo Dolo cumulat
Exempla non conducunt.

Author agit de Dolo, qui consistit in actu positivo, & vult eundem probare tum exemplo Christi, tum exemplo Pauli, tum tandem exemplo Josue. Verum hæc
non

non conducunt probando intento thesi Authoris. Non (1) tum quia illam Christi speciem ulterius ituri jam pridem Augustinus explicavit, dicendo significasse Christum, quod longius postea per accensionem esset iturus; quæ autem ad aliquid figurandum dicuntur non sunt mendacia, ut patet ex parabolis & Comœdiis; tum quia Christus etiam si composuerit gestum & motum corporis sui ut longius progressuri, non fecit ut deciperet viatores, sed ut hospitalitatis affectum hac ratione in ipsis excitaret, agnoscente ipso Grotio; tum quia commodissime dici potest, Christum verè voluisse ulterius ire, sc. posito quod amicis rogationibus hi viatores ipsum non essent detenturi: quanquam quidam putent hoc non consistere cum intentione Christi, quæ fuit in diversorio se manifestare hisce discipulis, nec causa fuerit cur Christus longius proficisceretur, cum in momento esse potuerit ubicunque voluerit. Quid? quod Verbum *οὐκ ἔτι* ad Eventum referri possit, quod scil. Christus non vellet ulterius progredi, nisi discipulorum precibus retineretur, sed quia revera ulterius non processit, visus fuerit simulare iter ulterius, ut quidam exponunt. Quod (2) concernit, dicimus Paulum non circumcidisse Timotheum simulando, aut circumcisionem statuminando; tum quia nuper Antiochiæ Petro in faciem restitit, qui circumcisioni videbatur nimis favere ad Gal. II. v. 3. tum quia poterat sine scandalo Gentilium Timotheum circumcidere,

Dolus positivus non adscribendus est Christo simulanti longius ire;

Non Paulo circumcidenti Timotheum.

cidere; mater enim ejus erat Judza, & Legalia tunc nondum erant mortifera; tum quia saltem hoc fecit, ne Judæos offenderet, & in errore suo pertinaciores faceret, cum viderent Timotheum gentilem incircumcisum agere Doctorem Evangelicum. Illud autem maximè absurdum est, quod dicit, malum erroris inde secutum esse. Absit hoc ab Apostolo, alium finem indicat Chrysostronus scribendo, *Paulus Timotheum circumcidit ut circumcisionem circumcissione expugnaret.*

Non Josuz
ad precep-
tum fu-
gienti.

Quod (3) concernit, illud quoque non militat pro Authore: tum quia quantumcunque quis signa timoris edit, si fiat ad recuperandum Jus suum, potest esse sine dolo aut falsitate; tum quia Josuz & Israelitz ceteri hanc fugam potuerunt adornare non animo fingendi & decipiendi, sed DEI jussui obtemperandi, aut alia intentione occupandi locum commodiorem sibi ad pugnam, etsi ex facto suo præviderent hostes decipiendos, ad quam deceptionem se habebant permissivè; tum quia in hujusmodi stratagematis potest intendi in genere occasio rei bene gerendæ. Adducamus Bonfrerium qui ita: *Sit ne licitum in bello insidiis, & stratagematis uti D. Augustinus hic in questionem vocat, & postea alii, potestque ea res in controversiam vocari ex duobus capitibus; videtur enim ea res vel contra justitiam vel contra veritatem. Verum ad esse licitum in bello justo, ex priori falsum capite vel ex hoc loco colligi licet; & cur in bello justo ut agere liceat, dolo, non liceat? ut enim*
quedam

vis quadam justa, ita & dolus justus; omnis seu vis, seu fraus ea duntaxat illicita est, qua injusta est, ut qua fieret in bello injusto. Itaque totum hoc insidiarum & stratagematum genus, nisi aliunde inficiatur, peccatum nullum injustitia in eis, qui justè adoriuntur, continet. Ex altero autem capite majus dubium; quo circa merito, ceteri id negat Masius, heres Augustinus, nec se satis expedit, nihil ne in simili factis mendacii; esto enim, ut vult Masius, sit licitum hostibus sua celare consilia, sit licitum insidias ponere, ut si, quo pacto sponte sua erumpant hostes improvise opprimantur, & ad unum omnes cadantur; in his enim nullum signum datur rei falsæ significativum; ac fugam & timorem simulare ut insidiarum locum pertrahas: vel aliud quid agere eo animo ut hostem decipias, & in errorem impellas etiamne hoc licet? & quid hoc aliud? non enim in facto minus quàm in sermone aliquo mendacium? quid nimirum & factum illud ad decipiendum compositum, fuga videlicet simulatio ad mendacium pertineat? Res hac aliquantulum perplexa, nam mendacium in istiusmodi facto asserere, est mendacium. DEO hic adscribere, qui quæ à Josua facta sunt fieri jussit: Eset similiter mendacium. Ducibus & militibus impingere, quos tamen ob similia stratagemata nemo vituperat, omnes collaudant, quibus in re istiusmodi mendacii religionem injicere esset militaris prudentia & glorie nervos incidere. Mihi primò videtur coram esse, quantumcumque quis signatim: a

edat, qua non sunt, aliterve fingat, aut simu-
 let, ac intendat decipere non posse in ea re esse,
 grave peccatum; cum enim fiat ad recupe-
 randum jus suum tantummodo potest esse men-
 dacium officiosum; imò istiusmodi officiosa
 mendacia in iure suo recuperando, maxime si
 in iis aliquid ingenii appareat, solent politica
 & civili estimatione haberi laude digna (nam
 & stratagematum nobilium libri extant, ut
 Sexti Julii Frontini) hinc fit ut nemo sibi re-
 ligioni ducat hanc ratione ad hostes decipiendos
 fingere. Secundo si de facto hoc Josua in par-
 ticulari agatur, facile à mendacio posse excusa-
 ri; potuit enim tam Josua, quam Israelita
 cateri non animo fingendi & decipiendi fugam
 istam adornare, sed vel ut DEI iussioni morem
 gererent, qui & insidias & fugam prescripserat,
 vel aliâ intentione occupandi locum commo-
 diorem sibi ad pugnam, etsi ex facto suo pre-
 viderent hostes decipiendos, ad quam decep-
 tionem ipsi habebant se permissivè. Similiter
 nec DEUS mendacium aut simulationem vo-
 luit, sed ut ad peccatorum Cananea illius gentis
 punitionem, quam delere cupiebat, aliquid fie-
 ret de se indifferens; ex quo providoras gen-
 tem illam excatandam & decipiendam, quem
 errorem ac deceptionem statuit permittere,
 unde sequeretur punisio illa, quam ipsis de-
 reverat. Tertia similiter dico in cateris
 huiusmodi stratagematis posse abesse formalem
 intentionem fingendi & decipiendi; potest e-
 nim inveni in genere occasio rei bene geren-
 da, & hoc intendendo aliquid fasens ad provo-
 candum

gandum hostes, ex quo prouidetur fortè securura hostium deceptio, licet formaliter ea non intendatur, potest enim ab ea prascindi, & ea duntaxat permitti. Fateor tamen hac à Ducibus & militibus non tam subtiliter seruari, ob idque licet r. vera fingere & decipere intendant, peccatum tamen non esse nisi materiale, quia id putans sibi licitum. quæ postrema tamen papisticam redolent. Theologiam.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Qui & quæ contra Mendacium & pro illo pugnent Author hic tangit non tamen omnes, qui adhiinniunt Licentiæ illi producit, nec ad Argumenta attendit.

GRavem movet Grotius disputationem, Utrum quis sermone possit uti, qui sit Mendacium, & primò contra disputat ex Scriptura, Augustino, Homero, Sophocle, Cleobulo, Aristotele, dein pro altera stat parte & provocat ad Exempla Scripturæ, Patrum pronuntiata, Philosophos & Oratores; potuisset autem his quoque accensere Judæos modernos, qui Mendacium officiosum probant & pluribus stabilire satagunt. Produco notissimum illum Judæorum Magistrum Menasse Ben-Israel, qui in Conciliatore Quæst 37. in Gen. pag. 47. 48. 49. ita procedit: *Sunt qui putent, prophetas mentiri nec debere, nec posse: quare quando in sacris literis contrarium inueniunt,*

Me ndacii officiosi Patronus Menasse Ben-Israel.

niunt, ajunt verba ambigua esse, & sub specie
 mendacii oculi veritatem. Vnde isdem negant
 mentitum Abrahamum, quia (ut superiore
 Quest. ostendimus) cum neptis appelleretur filia,
 parerat quoque Abrahamus, incorrupta veritate,
 Saram appellare sororem; quippe genitam
 Arano, fratre suo, filio Terabi: aut etiam, ut
 ibidem annotavimus, us verbu propinqua desig-
 nabatur. Eodemque modo à patre Isaco inter-
 rogatus quis esset, respondit; Ego, Esau primo-
 genitus tuus: ac si dixisset. Ego: tum pausum
 quiescit, ac si diceret, sum qui sum; Esau tuus
 est primogenitus. Vel, ut inquit R. Babye, ego
 sum in loco Esavi, & represento eum: postquam
 vendidit mihi jus primogenitura. Illud verò,
 quod dixit fratri suo: Sic enim vidi faciem tu-
 am, quasi si vidissem faciem angeli, non fuit, ut
 arbitror, adulantis: sed dubiu verbu affirma-
 vit, non minus se timuisse aspectum ejus, quam
 solent homines revereri aspectum sanctorum.
 Ea quidem mente ipse Patriarcha ea
 verba protulit, quamvis videretur Esavo judi-
 care ad eò se latatum conspectu ejus, ac si ipse
 angelos vidisset. Talibus autem ambagibus at-
 que intricatis verbis, & quocumque ducantur
 inclinaturis, uti licet, modo necessitas urgeat,
 & bono fine, atque absque alterius damno id fi-
 at. Sic sane fecerunt X. Patriarcha, cum co-
 ram Iosepho stantes dixerunt de de ipso Iose-
 pho וְהָיָה אֲנִי אֶלְיָסָבֶת & unus non est amplius: am-
 bigua significantes, aut mortuum esse eum, aut
 saltem ignaros sese, quid ei evenisset. Eodem
 modo

modo excusare Mosem possumus, quando Pha-
 raoni dixit, iter tridui ibimus: quae quamvis
 manifeste dolosa verba videantur, tamen, ut
 sentit Ahen Ezrah ad cap. V. Exodi, vera erant
 quia ex Aegypto ad montem Sinai, quo contem-
 dere in animo habebant ad accipiendam legem,
 recta regione est tantum iter tridui. Neque
 sic Moses se ad reditum obstringebat, ; tantum
 dixit, viam tridui conficiemus. Augustinus,
 Testatus, & Nicolaus Lira, effugium huius ver-
 bis querentes, dicunt Mosem quidem tunc tempo-
 ris spatium tridui petisse; ut si concederet id
 Rex, cum populo tridui iter procederet: sed po-
 stea reversurum, & DEI nomine plus temporis
 petiturum fuisse. Sed prior sententia, quam
 nos diximus, verisimilior videtur; quia ab uno
 loco ad alterum tridui tantum iter est. Hoc
 pacto etiam Semuelem excusaverit, quando ad
 augendum Davidem profecturus vitulum asum-
 sit, ut hoc obtentu velaret iter suum, alioqui
 suspectum Saulo futurum, dixitque iussu Domi-
 ni se vitulum ad immolandum summisse. Nam
 quantum ad vitulum, vera locutus est, cumque
 immolavit in Betlehem, etsi non illà solà de cau-
 sa iter suscepisset. Adeo ut talibus uti ambagibus
 liceat si id exigat necessitas. Sic quoque
 veteres nostri sapientes dixerunt, quod in Til-
 monad Babylonico, Hierosolymitano, lateat, & plu-
 ribus locis Rabot, confirmatur. מפני השלום
 ליתן לך מותר licet variare pacis causa: ubi il-
 lud variare, ambiguitatem verborum denotat:
 pacis autem vocabulum id, quod n:mini detri-

mentosum, & proximo utile est, finemq; bonum habet. Quin & exemplo ipsius angeli uruntur: quia is soluta in risum Sara, quod marito & se ad gravem proVectu atatem, audiret nihilominus se filium parituram esse; Abraham non omnia Sara verba retulerit, sed dimidiam tantum partem: scilicet, risisse eam, quia vetula esset, perinde ac si non de marito, sed se tantum desperaret. Idq; fecisse eum ajunt pacis studio, ne sciret Abramus se ab uxore sua pro effeto haberi. Hanc doctrinam sequuntur multi, in hunc Sylvester, Angelus, Navarrus, Lessius, & Suarez: unde infertur Patriarcham Abrahamum mandata divina non excessisse, sed vera prolocutum. II. Contra Abraham Aben Ezra statuit, Prophetam, qui legatione DEI nomine fungitur mentiri nulla ratione debere: eum tamen, qui prænuntiat futura, posse si ita res ferat, mentiri: sed tunc demum, quando necessitas adeo valida incumbit ut nullum aliud effugium detur: idque etiam affirmat R. Iosuah ben Sueb in sermonibus suis. Quare cum precepta data sint ut vivamus secundum ea quod in Levitico dicitur, non peccabat Abrahamas, cum ad servandam vitam mentiretur. Caterum ut tota hac res clarior fiat, dico secundum Augustinum, mendacii tres species esse, aliud enim perniciosum, aliud jocosum, aliud officiosum est. Perniciosum appellatur quod legi & boni moribus adversatur, & nemini prodest, alicui nocet. Hoc semper est peccatum mortale. Tale fuit mendacium serpentis, Sarae, filiorum Jacobi apud patrem suum, uxoris Porifarum, Gabaonitarum, meretricis qua ad Salomonem venit,

venit, falforum testium Izebel, falsi prophetae Betel, Gehazi, Hazeael, & Haman, qui mentiti sunt nemini commodo, sed damno alieno. Mendacium jocosum ad movendum risum, & oblectandis hominibus usurpatur: sed tali abstinere debet quicumque DEVM reveretur, hujusmodi erat Simsonis mendacium apud uxorem Delilam, quod vitâ citandem fœtit. Sed officiosum est, quod neminem offendit, & quibusdam prodest, idque si necessitas urgeat, licitum est: hoc usus Abraham apud Pharaonem, & Abimelechum, & famulos suos: deinde & Ioseph, Ishac, Iahacob, Patriarcha; obstertrices Hebraea in Aegypto, Rahel, Mibal, David, Husai, Elissah: qui mendacii beneficio à periculis evaserunt, absque damno aut offensa cujusquam. Nec Abraham sine causa id fecit; etenim (ut recte judicant R. Nisim, R. Ioel ben Sueb, & Ishac Abravanel) intelligebat, si Saram uxorem suam esse distitaret, ob eximiam ejus formam periculum sibi imminere, nec defuturos qui mortem sibi intentarent, ad obtinendam illam. At si sororem appellaret, non discrimen ullum, sed etiam principum virorum gratia eum manebat, qui ad habendam Saram ejus amicitiam erant expetituri: potuissetque eos, donec civitate excederet, inani hâc spe lacerare. Quamvis id quod futuram putabat, non evenerit. Quippe ut in S. Scriptura legimus, Principes, cum tantam formam non caperent, omnes dignam regio fastigio rati, Pharaoni eam commendarunt. Sed hæc hæcenus. Addeere libet, in veritate mundum à DEO creatum,

nec sine ea stare posse. Quod denotatur in prin-
 cipio & sine creationis; nimirum אלהים
 creavit DEVS: quarum vocum tres postrema
 litera sunt א ב ג Aleph, Mem, Tau, qua con-
 juncta faciunt vocabulum אמר Veritas. Unde ait
 Psalmographus, Principium verbi tui veritas.
 Rursum in fine creationis dicitur אלהים
 עשה creavit DEVS ad faciendum. Vbi simili-
 ter tres postrema litera formant vocem אמר
 veritas. Estque unum ex divinis attributis il-
 lud, nam ait Ieremias: Et Dominus DEVS ve-
 ritatis. Hoc dicunt sigillum ejus esse: quia ex
 tribus illis literis prima est princeps alphabeti,
 altera media, tertia novissima; suntque sym-
 bolum prima causa qua principium medium &
 finis est, novit praevita, praesentia, ac futura.
 Adeoque ipsa veritas est, nam ille solus verè e-
 xistit, quia ab alio non dependet. Igitur hu-
 de causis affirmanda est moralis illa virtus, quia
 ut ait Isaac Abravanel ad cap. III. Zechariae, in-
 cludit omnia activa praecepta. & virtutes Theo-
 logicas. Caeterum, ut dixi quādo aliter esse nequit,
 neq; offenditur quicquā, licet uti mendacio offi-
 cioso. Potuisset numerum augere ex Jesuitarū
 Schola, qui reservationibus mentalibus pa-
 trocinantur, & eo usque progrediuntur, ut
 usum illarum licitum esse asserant in huma-
 nis Colloquiis, atque commerciis etiam
 juramento firmatis, vel firmandis. In r
 articulos per facultatem theologicam Lov-
 niensem anno 1653. ad requisitionem Archie-
 piscopi Mechliniensis reprobatos, hic fuit ordi-
 ne quis-

esse quintus: *Licentum est, tam in judicio, quam
 extra judicium, jurare cum restrictione men-
 tali; non habito respectu ad intentionem ejus,
 qui petit juramentum. Rursus inter Artic-
 los per eandem facultatem anno 1657. ad in-
 stantiam Episcopi Gandavensis reprobatos, iste
 fuit ordine decimus nonus. qui mediante com-
 mendatione, vel munere, ad Magistratum vel
 officium publicum promotus est, poterit cum
 restrictione mentali prestare juramentum,
 quod de mandato Regis a similibus solet exigi,
 non habito respectu ad intentionem exigentis,
 quia non tenetur fateri crimen occultum. Do-
 minique inter Articulos per Episcopum Namur-
 censem cum sua Synodo Diocesana anno 1659.
 interdictos hic fuit ordine decimus. quis vel
 solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive
 propria sponte, sive recreationis gratia, sive
 quocunque alio sine juret se non fecisse, ali-
 quod quod revera fecit, intelligendo intra se
 aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem,
 ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud addititium
 verum, revera non mentitus, nec est perjurus.
 Audiamus Professore & Collegii Majoris in
 Academia Lovaniensi Praesidem: cujus
 Argumenta contraria praemittere con-
 sultum duximus, ut eò facilior via nobis sit
 in thesi sequenti. Ita verò ille pag. 415, 416.
*Istud ergò est primum Argumentum, & qui-
 dem peremptorium adversus mentalium reser-
 vationum praesim, quod nec ipsi quidem ear-
 um defensores aequo animo patientur sibi per
 eas etiam à suis discipulis illudi. Ex quò pla-**

Arguitur
 còtra men-
 talem Res-
 trictionem.

num est eas impingere in œcumenicum illud lo-
 gis natura principium nemini ignotum. Quod
 tibi non vis fieri alteri ne feceris. Alio pra-
 terea argumento evincitur non esse audiendos
 illius praxios defensores, quia nimirum docen-
 do illam praxin esse licitã fortassis eã ipsã praxi
 utuntur, dum dicunt esse licitam atq; ita in cor-
 de suo sentiunt illicitam quam Verbis mentali-
 ter restrictis venditant tanquã licitã. cur enim
 his non habeat locũ regula ista Augustini. Quo-
 modo credendum est ei qui putat, aliquando
 esse mentendam, ne forte & tunc mentiatur
 cum præcipit ut credamus? Quod si fortè asse-
 verent vel etiam jurent se non uti mentali re-
 strictione; quis equidem prudens eis fidee cum
 non immeritò ambigatur. num in hãc ipsã sua
 asseveratione vel juratione non utantur men-
 tali restrictione? Omnem ergò fidem sibi adi-
 mant, qui mentalium restrictionum Patronos
 se exhibent. Tertiò, quoniam nõ solum in simpli-
 cibus assertionibus, sed etiam in jurationibus us-
 sum mentaliũ restrictionũ approbant, Apostoli-
 cum illud oraculum penitus evacuant: Homines
 per majorem sui jurant, & omnis controversia
 eorum finis, ad confirmationem, est juramentũ.
 Nulla quippe humana controversia poterit ju-
 ramento ritè finire, si juranti fas sit mentali re-
 strictione uti: Quarto mentalium restrictionum
 usus omninò adversatur institutioni vocum di-
 cente Augustino. Utiq; verba propterea sunt in-
 stituta, non per qua se invicem homines fallant,
 sed per qua in alterius quisq; notitiam cogitatio-
 nes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaci-

um, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Pulchre & appositè Bernardus: O. Chaos magnum inquit, inter nos firmatum est; nisi interveniente quasi instrumento verborum fiat ad invicem transitus quidam cordium in communicatione cogitationum. Hac necessitate inventa sunt verba. Quando quis Deo soli loquitur, perinde esset an exterioribus verbis aut aliis signis, an exterioribus mentis conceptibus, an demique partim His partim illis loquatur; quia DEO equaliter omnia patefcunt, nec ullum chaos inter ipsam & cor humanum interjacet: sed quia homines mutuo corda non introspiciunt, indita eis est facultas loquendi, ut quod quisque gerit in corde, communicare aliis valeat verbo. Unde Augustinus: P. De falso testimonio, inquit, quod in decem præceptis legis positum est, nullo modo quidem concedi potest dilectionem veritatis in corde servandam, & proferendum falsum ad eum apud quem dicitur testimonium. Cum enim DEO tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas complectenda est: cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum est, quia homo non est corde inspector. Atque hinc exurgit quintum argumentum contra eundem mentalium restrictionum usum: adversatur enim summoperè societati humane, adeoque ipsi humane nature, qua eam societatem naturaliter appetit: Quia homo inquit Divus Thomas, est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent

homines ad invicem convolvere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem, manifestantibus. In dispersione gentium, post Babylonicam confusorem linguarum, illi homines sibi invicem coheserunt, qui se ejusdem idiomatis esse compererunt; quia ii soli mutua mentes intimare invicem potuerunt, sine qua intimatione conlescere in unam societatem nequiverunt. Unde Augustinus: Si duo inquit, sibi et invicem fiat obviam, neque praterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum neuter novit linguam alterius: facilius sibi animalia muta, etiam diversi generis, quam illi, cum sint homines ambo, sociantur: Quando enim qua sentiunt inter se communicare non possunt, propter solam linguarum diversitatem, nihil prodest ad consociandos homines tanta similitudo natura: ita ut libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. Alienus porro homini, quantum ad hoc propositum, est omnis homo cujus idioma non aperit socio mentem. Ac per hoc alienus censeri debet qui aliquid mente occultatum reservat, unde sensus integri sermonis pendet: perinde ac is qui vocabulis notis ignotum admisceat, ex quo provenit ut mens loquentis audiendum lateat. Quinimò in dictionum syllabis quidpiam simile observare licet. Sit, verbi causa, aliquis qui visis quibusdam hominibus opulenti dicat, suo socio, isti sunt divi, reservata mentaliter syllabâ tes: quis non mallet, cum suo cane quam cum tali socio conversari, qui pro divitibus obruserit ei divos? Et tamen nos

minus mutatur sensus enunciationis additione,
 subtractione, vel reservatione vocis integra,
 quam significatio nominis, aut verbi, additione,
 subtractione, vel reservatione syllaba, imò in-
 terdum unius etiam littera: ut si pro mensa di-
 catur mens, reservata mentaliter litterulâ à;
 vel pro veru offeratur ver, reservata mentali-
 ter litterâ n. *Quenam, obsecro, societas coe-
 lescere inter eos potest quorum alter alteri pro
 affirmatione negationem, aut vice versa obtru-
 serit? Et tamen reservationum mentalium
 patroni nunquam possunt rationem reddere,
 cur minus reservari mentaliter queant affictio-
 nes copula enunciativa, quam extremorum.
 Quod si etiam ha reservari licitè queant, licitè
 profectò & affirmationes pro negationibus &
 ha vicissim pro illis ingeri poterunt. Atque ex
 hac deductione argumenti quinti emergit sex-
 tum, in hoc consistens quod proferens scienter
 enunciationem falsam, sola mentali reserva-
 tione verificabilem, mentiatur. Cum ergò o-
 mne mendacium fatentibus ultrà ipsos restri-
 ctionum patronis sit illicitum: confectarium
 omninò est, prolatorem enunciationis falsa sola
 mentali reservatione verificabilis illicitè agere.
 Assumptum probatur imprimis autoritate Pa-
 tris Lassi, qui volens excusare multos veteres
 Tractatores mendacio in speciem falsam patro-
 cinantes, ut Origenem, Abbatem Joseph, Cas-
 sianum, Chrysostrum, Hieronymum, Theodo-
 rotum, Theophylactum, Oecumenium, & ple-
 rosque Græcos: S. Putarem, inquit plerosque ex
 prædictis Patribus excusari posse, quod MEN-
 DACI-*

DACIUM vocent etiam orationem alio sensu dictum, vel **HABENTEM TACITAM MENTIS LIMITATIONEM**, ita ut alter aliud intelligat, & decipiatur. Ex confessione igitur hujus magni restrictionum mentalium Patroni plerique illorum Patrum vocarunt mendacia orationes tacita mentis limitatione restrictas. Si autem ea vocarunt mendacia; proculdubio censuerunt eas reverà esse mendacia, alioquin fatendum foret; eos in hoc ipso fuisse mentitos, quod mendacia dixerint, quae mendacia non esse reverà censuerint. Idipsum probatur secundo auctoritate aliorum Tractatorum qui mendacia nullo unquam casu licere, censuerunt, ac docuerunt, ut in primis Divi Thoma, qui ait: Veritati opponitur quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se: quod ad mendacium pertinet. Praemisera quoque idem ipse quaestione precedenti art. 1. in corpore: Ratio mendacii sumitur à formali falsitate, ex hoc scilicet quod aliquis habeat voluntatem falsum enunciandi. consonat omnino Augustinus, ubi ait: Cum falsum ab sciente dicitur, proculdubio mendacium est; sive illo quisquam, sive nemo ladatur. & lib. de Mendacio cap. 3: Ille mentitur, inquit qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significatione enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio: una rei ejus quam verum esse vel scit vel putat, & non profert; altera rei quam pro ista profert.

sciens

sciens falsum esse vel putat. Hinc porro exurgit septimum argumentum adversus easdem mentales restrictiones. Cum enim juxta Augustinum ille mentiatur, qui aliud habet in animo & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat, procul dubio ex ipsius mente non minus mentitur qui mentaliter restringit verba sua, quam qui alia quavis signa exterius prodita. Atqui jam superiori capite. 388 ostensum est auctoritate congregationis Romanae, eos mentiri qui realia signa exterius prodita restringunt mentaliter: Ergo etiam mentiri censendi sunt, qui verba sua exterius prolata restringunt mentaliter. Quod quidem adeo clarum est, ut Divus Thomas loco mox citato ex falsitate verborum mentaliter restrictorum, tanquam notiore, colligat falsitatem reliquorum signorum similiter restrictorum, dicens: Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat, exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta, sicut ergo veritati opponitur quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per signa factorum, vel rerum, aliquid significet contrarium ejus quod in eo est: quod proprie est mendacium, quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo vel quocunque alio facto. Unde cum omne mendacium sit peccatum, ut supra dictum est consequens etiam est quod omnis simulatio

mulatio sit peccatum. Cum igitur hinc habeamus exteriorem simulationem, quantumvis mente restrictam, excusari à mendacio non posse; à fortiori idem censendum erit de exteriore uocum falsarum prolatione, quantumvis mentaliter restricta. Nec refert utrum qui ultronse, an inuitè ad taliter simulandum, vel taliter loquendum processerit. Nam ut Augustinus ait. Mentis est etiam qui mentitur inuitus. Qua cum ita sint, ambigi non debet, quin perjury crimen incurrant, qui ejuemodi mendacia sua quomodo libet palliata juramento confirmant. Quapropter in eos qui modos quosdam excogitant, & Regulas prescribunt, quibus doceant, quando nam & quatenus liceat uerba vel facta in seipsis quidem falsa, sed mentaliter restricta, juramento firmare, rectissime quadrat illud ejuudem Augustini lib. contra Mendacium cap. 8. Sunt in eis docti, qui etiam regulas figunt finesque constituent, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum! ut quid facimus, quo ibimus, ubi nos occultabimus, ab ira ueritatis, si non solum negligimus cauere mendacia, sed audemus insuper docere perjuriam? Certè enim quamuis grave peccatum sit pejerare, longè tamen grauius est perjuriam docere. Et idè quoque cum proportionè dicendum fuerit, de mendacii executione, & ejuemodè doctiõis. Unde idem Augustinus. ibidem inferius cap. 21. Aut cauenda sunt mendacia, inquit, rectè agendo, aut consistenda sunt penitendo: non autem cum abundans in seclis uisendo, angenda sunt & docenda. Ad

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

**Male Exempla congerit Grotius
ex scripturis stabiliendo Commento
suo de Mendacio.**

Progreditur Author & putat mendacium quandoque esse licitum, distinguitq; inter largiorem & strictiorem mendacii acceptionem, deinde duplicem significationis falsitatem ponit, unam quæ pertinet ad erudendum eum, qui curæ nostræ est traditus, alteram ad evitandam iniquam interrogationem, unam, quam confirmat exemplo Christi Joh. XI. v. II, alteram, quam confirmat ex historia profana. Verùm nos cum Scoto, Thoma, Bonaventura, & præprimis Augustino omne mendacium putamus esse peccaminosum & illicitum, idque quia ut Scotus rectè observat, nullus vult se decipi à proximo, quod tibi autem non vis fieri, alteri ne feceris. Non obstat hac ratione etiam peccaturum Doctorem, si falsum dicat discipulo suo ut exploret profectus. (2) si factis concessum sit falsum significare, etiam verbis hoc ipsum licitum esse; prius autem constare exemplo Josuæ & Davidis, Jos. VIII. v. 15. & Sam. XXI. v. 14. (3) quod aliquando laudabile sit mentiri, penes Medicum, qui Melancholico hoc vel illud persuadeat, penes ægrotum,

Omne mē.
daciū
peccami-
nosum.

Enarrantur
Objecta.

Pppp

tum,

Remove-
tur primū.

tum, cui triste nuntium læto mutetur; penes hominem occidendum, qui si quærat & quærenti dicatur non adesse ipsum. Primum enim argumentum non concludit juxta Bielem nostrum: Doctor quippe loquens falsum non loquitur contra conscientiam, nec oratio talis habet rationem mendacii, quia non profert illam assertivè, sed tantum tentative; non tantum enim Mendacium dicit orationem quandam externam interno conceptui oppositam, sed etiam directam ad fallendum, quæ in Doctore tali exspirat Intentio, neque enim vult fallere, sed cavere fallaciam. Unde Seneca, excusatus in his hujusmodi est Voluntate peccare, quam Casu. Grammaticus non erubescit Solæcismum si sciens facit, erubescit si nesciens: at in Arte

Secundum

vivendi turpior volentium Culpa est. Ad (2) respondetur signa talia esse indifferentia ad bonum & malum in factis. Præterea falsum non fuit significatum, ut supra constitit de Josua. De Davide autem possumus dicere ipsum peccasse, & si negemus peccasse ipsum, possumus dicere fictionem illam fuisse figuralem, præterea impingendo in ostia non dicebat se esse stultum, sed tantum id simulabat ob instans periculum, quod erat verum.

Tertium.

Ad (3) respondetur in tali casu non esse mendacium, sed solertiam, aliàs non obstat finis bonus, quia hac ratione etiam furtum posset excusari: posset enim quis dicere se furari eo sine, ut det eleemosynam. Hinc Augustinus apertè hoc ipsum refutat, & vult etiam non ad-
mitti

mitti debere mendacium, si vitā proximo servare possim hoc ipso, de quo in sequentibus, Mortuus dormire dicitur Ioh. XI.
 Quod II. concernit exempla adducta, non illa faciunt pro Grotio: nō illud Joh. XI. tum quia Christus vocabulo *dormiendi* mortem voluit significare, & saltem mollius expressit illam; tum quia ille illud confestim explicavit v. 14. tum quia ita locutus est propter brevi subsequenturam resurrectionem, ob quam quasi pro somno fuit habenda mors Lazari. unde Cornelà Lap. pag. 415. *Mortem vocat somnum quia mox ab ea suscitandus & evigilaturus erat Lazarus. Audi S. Augustinum Domino dormiebat, qui eum tanta facilitate excitavit de sepulchro, quanta tu excitas dormientem de lecto: hominibus autem mortuus erat, qui eum suscitare non poterant. Sic Paulus mortuos dormientes appellat, qui sunt resurrecturi.*
 Quid quod nihil aliud nisi juxta linguæ consuetudinem dixerit, quàm mortuus est Lazarus, unde vocem *κεκοιμηθε* non nemo ita ita exponit. *Κεκοιμηθε, id est, mortuus est. Syrus habet שכב quod lingua Syrorum peculiare esse scribit Angelus Caninius. Potest ita esse, tamen legitur in Jonatha qui usus fuit dialecto Jerosolymitana Deuter. XXXII. v. 5. שכב בטוריא morere in monte, & mox שכב אחרון mortuus est Aharon. Hinc mortui שכבין & שכבין dicuntur, quasi dormientes, & apud Homerum κεκοιμηθεις ἐπεὶ εἰς de mortuis & defunctis. Nam de somno mortis loquitur, quem Horatius perpetuum sopo-*

rem appellat, alii poeta etiam noctem vocant, ex quo illud: nox est omnibus una dormienda. Hinc etiam cippi libitinarii & sepulchreta κοιμηθηαια, scemeteria vacantur; quasi mors nostra dormitio quaedam sit, è qua simus novissimo die excitandi. Dormitionem Hebraei שכבה dicunt, & est quam vocant שכבת המוה dormitio mortis, de qua David intelligendus cum ait, ne dormiam mortem. Nam sensus est, dormitionem aut somnum mortis. Meminit ejus R. David Rimchi. Jes. L. 11. Alia est est quo dicitur החזן שכבלי cum aliquis in in morbo cubat, qui propterea vocatur שכב מרע egrotus, de quo Moses de Kotfi libro preceptorum CLXII, 2. Egrotus: cujus omne corporis robur debilitatus est ex morbo vocatur שכב מרע cubans ex morbo, quia cubat in lecto suo propter morbum, nec potest incedere pedibus suis per plateam. שכב pro mortuo etiam Thalmudicum est. Nam dicunt, בני תל תיו יומיו שכב intra tres dies mortuus est: & שכב peculiariter offerunt pro שכב defuncti, ultimam suo more resuscans: Quod Caninii sententiam penitus enervat. Sed nihil magis quam quod legitur 2. Reg. XX. v. 21. alibi passim, dormivit cum patribus suis. Et Jes. XIV. v. 8. מוה שכבתי LXX. κοιμηθηαια; dormiisti, i. e. mortuus fuisti. Qua lingua fuit antiquissima Mosis. Non ergo verbum est hoc significatu peculiare Syris, ut ille opinatur. Significat, autem in ea lingua magis cubare, quam

quàm dormire. Non dormio *jur* dicitur. *Videndi sunt Ambrosius de fide resurrectionis, pag. 41. Augustinus epist. CXX. cap. XXXII. & de verbis Apostolis serm. XXXII. Eucherius in libro formularum pag. 242. & alii plures. Scitum illud Augustini mortuos dormientes appellat Scriptura veracissima consuetudo, ut cum dormientes audimus, evigilatos minimè Secundum non congruit, tum quia fallum est, Christum intendisse hoc ipsum ut uerè intelligerent de templo Hierosolymitano, juxta quosdam enim digito tetigit corpus suum, & dixit: Solvite templum hoc, hinc Capellus: Christus cum hac diceret, non Templum lapideum, in quo ipse cum Judæis erat, sed se ipsum digito intento videtur omninò demonstrasse; sicuti cum infra cap. VI. 50. Capernaïis dicebat, ἕτος ἐσὶν ὁ ἄγρος ὁ ἐν τῷ ἔργῳ κατὰβαίνων, digito pariter sese demonstrabat. Sic apud Sophoclem in Oedipo tyranno, cum existimaret Oedipus Creontis consilio & suggestionem factum esse ut Tiresias Oedipum diceret Laii homicidam, ut hoc pretextu expulso, vel ræso etiam Oedipo, ipse regnum ejus invaderet, Oedipus ira percitus in Creontem, ita eum affatur:*

Christus
Ioh. II. vocem gestu
adjuvit.

ἄλλο, σὺ πῶς δέυρ ἤλθες, ἢ ποσὶν δέ ἔχεις
τόλμης πρὸσωπον, ὡσεὶ τὰς ἐμαῖς σέγας
Ἰκκ, φονεὺς ἂν τῷ ἢ τ' ἀνδρὸς ἐμφανῶς,
Ληστὴς τ' ἐναργὴς τ' ἐμῆς τυραννίδος.

Cum enim Oedipus hac verba τῷ ἢ τ' ἀνδρὸς efferebat, intento digito procul dubio seipsum

ostendebat. Tum quia sive ipsi intellexissent de templo materiali, sive de templo corporis ejus, signum fuit illud Judæis, si de priori hoc modo, quod qui tantæ potestatis sit, ut illud dissolutum intra triduum erigat, possit etiam templum corporis sui ab injuriis vindicare; si de posteriori, signum fuit utique divinitatis; Tum quia de quo Templo loquatur voce *ἔγερῶ* satis indicavit, non enim dixit *reædificabo* illud, sed *ἔγερῶ* excitabo, ut intelligerent non de materiali illo Templo esse sermonem & illius post destructionē reædificatione, sed de Excitatione Corporis demortuū in quo habitabat *καὶ τὸ ἑσχατὸν θεοῦ Ἰησοῦς Col.*

Ita locutus est Christus de regno suo ut intelligerent, Discipuli non esse regnum temporale.

2. Tertiū non quadrat, nam primò unde constat Grotio Apostolos Verba Christi nō aliter unquā accepisse, quā de Regno aliquo hujus vitæ, cujus spe ad ipsum momentum Christi ad cœlum ascensuri pleni fuerint, num vestigium illius in textu? num non ut Gratiā divinā temperaverit mentem, ut citra scrupulum acceperint panem benedictum & vinum, crediderintque esse Corpus Christi, esse sanguinem Salvatoris piā simplicitate, serenavit quoque illorum animum, ut, de quo regno esset sermo, intelligerent, utut Affectus carnis aliās in temporale propenderit & mundanum. secundò, num Christus non dilertè dixit: *dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater*, ut scil. per viam tribulationum & crucis ad illud contendam. annon promissionem de sessione super thronos opposuit contentioni de primatu in hoc Mundo, quā facile

Facile itaque concipi potuit aliud Regnum, aliam sessionem & dignitatem indicare, quam quæ fingitur à Grotio. Tertio, annon ipsa phrasis Scripturæ, usus loquendi Ebræis familiaris ostendit edere & bibere super mensam Domini, esse frui delitiis & voluptatibus illis, quarum *ἁγιων* sancti habent in hac vitâ, perfectionem expectantes in alterâ. Locus ex Actis allegatus non patrocinator Authori, cum tantum hoc ostendat quandoque ex sensu carnis repullulasse illam sententiam de Regno restituendo Israeli. Impium autem est, quod mentionem iterum injicit fabularum & hoc nomine parabolas Christi dehonestat, quod per fabularum ambages Christum dicit allocutum fuisse populum, & circumduxisse simplices, cum alliciant parabolæ, desiderium excitent sciendi, facilis sint Methodi & in Oriente consuetæ, quod allocutum dicit ita populum, ne audientes ipsum intelligerent, Lucem scil. Mundi radiis facundam non viderent?

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Non cedro digna sunt, quæ de Naturâ mendacii Author prodidit.

Strictiorem significationem mendacii sexponit in hac thesi, & hoc vult: communem in eo consistere, ut, quod dici-

Pppp 4 tur,

tur, scribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat, quàm in eum sensum qui à proferentis mente discrepet: ad strictam propriamque rationem mendacii præterea requirit, ut differentia sive conditio quædam accedat. Eam porrò nullam aliam videri præter repugnantiam cum jure subsistente ac permanente illius, ad quem sermo aut nota dirigitur. Id autem nihil aliud esse quàm judicandi libertatem, quàm homines colloquentes, his quibus loquuntur, debere quasi pacto quodam, tacito intelligantur. At primò falsum supponit nempe veram interdicendi mendacii causam non ex ipsâ rei natura, non è rationis orationisque dissidio, sed ex humani generis instituto petendam, quod videlicet homines tacito quodam consensu, jam inde ab rerum initio convenerint, ut inter se sine fuce & fallaciâ loquerentur, nec sibi mutuis verborum aliorumve signorum præstigiis erroris necessitatem objicerent. Itaque verum germanumque mendacium non esse, ut vulgo definiunt, falsam locutionem cum voluntate fallendi, sed falsam locutionem, sive rei falsæ significationem, quâ pactû humani generis, & mutux dicendæ veritatis obligatio violatur. Secundò putat homines in hoc cõvenisse: at quis Grotio indicavit; quibus conditionibus primi mortales inter se convenerint, ne mutuis sermonibus ad fallaciam uterentur? quos circumscriperint pacto suo cancellos? quos limites fixerint, ad quos

nec

Falsa interdicensi mendacii causa notatur.

Mutua obligatio non induxit homines ut mendacium vitarent.

nec ulterius dicendæ veritatis obligatio per-
tineret? Quis pueros? quis mente captos?
quis hostes? Quis injustè vel otiosè interro-
gantes exceperit, ut eos cùm liberet, falsis
locutionibus in fraudem inducere liceret?

Tertiò recidere videtur in illam Sententiam,
quam Mussipontanus Interpres SS. literarum
elegantè proponit, scribens: *Narrat Augu-
stinus Catholicum quendam hominem minimè
malum & idiotam, cum à culicibus importu-
nius pungeretur, à Manichæo rogatum fuisse e-
quid DEV M putares, tam molesta bestiola con-
ditorem? Negavit. Igitur, inquit ille, ne musca
quidem, assensus est. Igitur nec apem creavit
Deus. Cùm huic etiam Catholicus annuisset,
Manichæus ab ape ad leporem, à lepore ad o-
vem, ab ove ad bovem, à bove ad equum, ab
equo ad elephantum, ab elephanto ad hominem
sensim sine sensu progressus est, ita paulatim ex-
torisit, ut Deum hominis Authorem non fatere-
tur, & meritò; malè enim concesserat culicem
à Deo procreatum non esse, quo factum ut dein-
ceps non habuerit, ubi pedem figeret donas per
impietatis abrupta magis in singulas interroga-
tiones lubricante vestigio devolutus animad-
vertit eò prolapsus, unde ipsi non esset in-
tegrum sine stulticia confessione resilire. Sic ab
iis qui totam vera falsaque locutionis honesta-
tem boni malique inde provenientis præponde-
rantia referunt acceptam, eamque pro duabus
usurpandam putant, in quam momenta boni
majoris incumbunt, scire velim ubi tandem &*

Ne pro la-
bamus in
pejus nul-
lum men-
daciū ad-
mittendū
est.

quo pacto par sit nos in bonis examinandis consistere. Fortasse cum agitur vita vel nostra vel amicorum, bonum illud, cui falsâ locutione consulitur, veritatis honestati preponderare credendum est. Fatebuntur. Si hoc, cur non & pudicitia, quoties oratione falsâ poterit ab urgenti periculo liberari? Assentientur. Si pudicitia, cur non & fama? concedent. Si fama, cur non & divitia, præsertim ingentes? Si hoc etiam concesserint, aliquid de summâ deducam, & tam anciam, sextantem, teruncium detrahero, subdyctis singulis ex asse partibus rogabo, an quod residuum est, præponderare veritati existiment, & ita pergam ulterius donec ad sèmbellam veniatur. Eorâ est, ut cum Satyrico loquar, depungere ubi sistam, & bonorum è falsitate procedentium examen compefcam, certoque mihi circumscribere limites, extra quos progredi non possim, aut si definire non poterunt, fateri certè debebunt, ubicunque vel minimi lucelli spes affulget, insuper habendam esse veritatem, dicendumque ut illi vocant, falsum, ut ego caterique omnes partium putâque mendacium.

Ad Th. XV.

O B S E R V A T I O.

Etiam dedecet Superiores falsum loqui, de DEO verò simpliciter dici nequit Mendacium, nec Exempla Josephi & Solomonis commodè producuntur.

Licitum esse falsum loqui, quoties qui habet Jus supereminens in omnia jura alterius, eo Jure bono ipsius sive proprio sive publico utatur, statuit Aauthor. secundo DEO, quanquam summum Jus habenti in homines non convenire mendacium asserit & tandem Josephum producit in theatrum, Exemplum inculpatæ falsiloquentiæ, nec non Solomonem, concluditque dicto Quintiliani: *aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendantur.* Circa primum non possumus assentiri Grotio. Nam 1. etiam illis, qui habent jus supereminens, peccare non licet, falsum autem eo modo dicere, quo Grotius hîc asserit, nos inter peccata deputamus. Secundò nimis ita protenditur Jus illorum, qui præsunt subditis, non enim illud usque ad libertatem judicandi se porrigit, quasi integrum esset superiori, illam vel sufflaminare vel tollere. Tertiò, ipse Grotius contrarium habet ad caput Luc. 24 pag. 838. scribens: Quod Plato Medicis hîc in re æquat civitatum rectores, in eâ re nimiam li-

Jus Supereminens non excusat mendacium.

centiæ fenestram aperit. neque par ratio est, nam dignitatis differentia non tollit eam æqualitatem, quam inter omnes homines natura constituit, cujus pars maxima in mutuo & æquali sermonis usu consistit, atque adeò ut in Apologetico dixit Tertullianus: *Nulla lex civilis scilicet, sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis, à quibus obsequium expectat.*

Deus nullo modo mentiri potest.

Circa secundum notamus, rectè dici DEO non convenire mendacium, imò asserendum esse; ne posse quidem illi convenire, & horrendum est, quod Franciscus Suarez refert Disp. 3. de Objecto fidei Sectione quinta §. 3. pag. 31. *Est sententia aliquorum Catholicorum, qui pro certo habent Deum nunquam falsum dixisse, & consequenter etiam fatentur de potentiâ mentiri non posse, quia ipse legem statuit nunquam mentiendi, cui legi potentiam suam quoque alligare voluit, & hac dicitur potentia ordinaria. Nihilominus tamen ausi sunt dicere, posse Deum de potentiâ absolutâ, falsum dicere. Ita tenet Gab. in 3. dist. 12. q. 1. & dist. 38, Notat. 3. & concl. 2. qui ad vitandam vocis invidiam non admittit mendacium sub hac voce, esse possibile in DEO, quia mendacium (inquit) significat falsum dictum cum deordinatione, & malitiâ morali; Deus autem licet falsum diceret, non faceret malum moraliter & ita non mentiretur. Quam sententiam tenuit etiam Petrus de Aliaco in 1. quest. 12. & Holcot. in 2. dist. 5. & Adamus in 3. q. 5. Refutat verò eam hoc modo: Nihilominus dicendum est primo, Deum*

Deum nec de potentiâ ordinariâ, nec de absolutâ falsum, aut mendacium dicere posse. Hanc assertionem quod primam partem, de potentiâ ordinariâ, fatentur omnes, Theologi esse de fide: quoad alteram verò solum docent illam, ut opinionem Theologicam, dum simpliciter resolvunt, fidei non posse subesse falsum. Durand. in 3. dist. 24. q. 2. & latius Major. 3. d. 38. q. 4. concl. 4. Mars. in 3. q. 14. art. 2. Greg. in 1. dist. 42. q. 2. art. 1. Et omnes moderni Theologici hic art. 3. Valentia citato pun. 3. sub Nec de potentiâ absolutâ &c. Et Cano lib. 2. de locis. cap. 9. mihi tam certa videtur pars posterior, sicut prior: tum quia prior sine posteriore certa esse non potest, ut ostendam: tum etiam quia scriptura, & Patres equaliter utranque docent. Probatur ergò primò Script. ad Hebr. 6. ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, due autem illa res sunt assertio, seu promissio DEI, & juramentum: est autem sciendum, juramentum DEI non addere certitudinem dictis DEI secundum se, licet nobis interdum ita loquatur, quia illo modo solemus concipere majorem asseverationem & certiozem, cum tamen Deus non habeat majorem se per quem juret, tantum per se ipsum jurat, & idcirco juramentum ejus non addit auctoritatem dicto ejus; sicut ergò impossibile est, teste Paulo, Deum mentiri cum loquitur cum juramento, ita etiam cum simpliciter loquitur, quia semper eâdem auctoritate loquitur: Quod autò illud impossibile, sit simpliciter intelligendum

in ordine ad omnem potentiam, probatur, quia alias non firmissimum solatium haberemus: formidare enim possemus, an Deus uteretur suâ potentiâ absolutâ. Deinde est optimum testimonium Num. 23. Non est Deus, ut homo, nec ut filius hominis, ut mutetur: in quo testimonio duo notanda sunt: unum est, non minus ibi affirmari, DEO repugnare mendacitatem, quàm mutationem: est autem impossibile de potentia absoluta Deum mentiri, ergò impossibile est eodem modo mentiri: aliud est, cùm Deus ad hominem comparatur, non comparari secundum actum, hoc etiã modo, non omnes homines mentiti sunt aliquando, ut patet de virgine beata, & Johanne Baptistâ, comparatur ergò secundum capacitatem, quia DEI natura non est capax mendacij, sicut & humana natura; & idcirco per antonomasiam dicitur verus Deus in Scriptura, & non mentiri, scilicet ad Tit. 3. Qui non mentitur Deus, & ad Rom. 3. Est autem Deus verax omnis homo mendax. & Joan. 3. qui accipit ejus testimonium significavit, quia Deus verax, veritate, scilicet, que non admittit falsitatem, quia hoc modo accipiunt ejus testimonium, qui credit in illum, sic etiã Joann. 8. Qui misit me verax est. Facit denique illud Matth. 24. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, perinde enim est, acsi diceret, cælum, & terra deficere possunt, utiq; de potentia absoluta, nam de ordinaria non deficient, verba autem Christi per nullam potentiam falsa esse poterunt. Addit dicta patrũ & tandem ratio-

rationes non contemnendas, solutis quoque ad-
 versariorum objectionibus. Nec malè Mussi-
 pontanus Professor in suo Pleudagorâ : Si
 quoque modo DEVS ad enuntiationem falsi
 declinare posset, merito dubitare poteramus,
 an eo ipso quod potentiam suam voluntaria di-
 cendi veri lege obligatam esse revelâsse credi-
 tur, abusus fuerit absolutâ suâ potentiâ, ut ex-
 tra lineam veritatis exorbitaret, orationemque
 suam infalsi (ne dicam mendacii) salebras ac
 praerupta diverteret. Atque ita convulsis au-
 thoritatis divinae fundamentis superstructam
 Scripturam, fidei, religionis pietatisque Christia-
 nae molem everti necesse est: falsum ex ipso to-
 tius veri fonte manabit, quamvis Apostolo teste,
 omne mendaciâ non est, ex veritate: & quamvis
 omnis perfectio simpliciter simplex, ut vocant,
 ita debeat esse in DEO numerus omnibus cumu-
 lata perfectionis absoluta, ut major, aut perfe-
 ctior cogitari non possit, animo fingere poteris
 aliquam veritatem, quae sit divinâ veritate
 perfectior & ab omni falsitate remotior, eam
 videlicet quae nede potentia quidem absoluta
 possit ullo modo mentiri? Quae consuetaria, cum
 ex illa persuasione nata sint, quod non nulli to-
 tum mendacii virus, ac malitiam putant, non
 ex ipsis natura fontibus; sed è voluntariis hu-
 mani pacti ramulis redundare, consequentibus
 sublatis prima tolluntur. Equibus liquet causa
 Grotio nihil fuisse, cur aliunde quam ab ipsa
 mendacii natura propriusque principis ejus tur-
 pitudinem accersendam putaret. Hoc certe po-
 stremum argumentum, quod videlicet, si men-
 dacium

dacium naturâ suâ malum non esset, mentiri possit Deus, atque ad eam Scriptura vacillaret aut horitas, fidèique fundamentum subduceretur, tanti momenti putavit, Hugo Cavellus Scholius in Scotum, ut ceteris omnibus pratermissis in eo vel solum, vel potissimum acquiescat. Circa tertium notamus primò Augustinum hæc Verba Exploratores estis non accepisse eo sensû, quo aliàs accipiuntur, sed tanquam si dictum esset Exploratorum poenâ digni estis, hoc est Exploratores deputabimini, merito mendacii vestri, quâ ex segete verborum nihil metet Grotius. Secundò non egit Josephus (positè si verba accipiantur, ut jacent) asserendo, sed explorando, inquirendo, sicut itaq; Judex non tentitur interrogando reum de facto propensus in veritatem, ita nec Josephus. Tertiò Testatus Abulensis Orationem Josephi dicit fuisse imperativam non indicativam, non autem nisi indicativam esse veram vel falsam. Exemplum Solomonis non est ad propositum & examinavit illud Abramus, scribens p. 536. In Salomonis judicio tria spectanda sunt, unum quod jus suum utrique mulieri tribuerit. alterum quod ex affectu, atque (ut loquitur Scriptura) viscerum commotione veram infantis vivi parentem agnoverit. Tertium denique quod vivum infantem dividi bifariam jussit, ut ad vera matris notitiam perveniret. At cum mentitum esse quod falsam secandi pueri significaverit voluntatem. Na tu valde austerus es, mi homo, si in imperio, eo presertim

Non admittitur exemplum inculpatae falsiloquentiae in Iosepho cum Fratibus crimen explorationis inureret

Nec in Salomone dicente scortia

*sertim quod suscitandi, & indagande veritatis
 causa profertur, putas inveniri mendacium.
 Sed tamen, quoniam ita vis, mentitum esse di-
 sputationis gratia faciamus. Hoc ille specta-
 bat, hoc unum intuebatur, & ad hunc finem
 omnia consilia sua referebat, ut vera parenti
 suum restitueret partum. Quamdiu id abso-
 lute nullaque mendaciorum habita ratione
 spectavit, sine controversia rectam habuit vo-
 luntatem. Quamdiu media confuse duntaxat,
 indefinite respexit, ne minimam quidem eo re-
 spectu contraxit culpa labeculam. Nullam
 tamen hactenus sapientia, sed justitia laudem
 invenio. Veritatis, inquis, subodorande causa
 mentitus est. Ne hic quidem ullum sapientia
 divina, sed calliditatis humana vestigium. Un-
 de igitur viderunt, Sapientiam DEI esse in
 eo ad faciendum judicium? non quod mentitus
 fuerit (absit ut mendacium divina sapientia
 tribuatur) sed quod bene usus fuerit menda-
 cio, vel potius effectu mendacii, ac diversum
 mulieris utriusque sermonem, quem simulata
 dividendi pueri voluntate fallaciter elicerat,
 velut ansam apprehenderit, qua intimos ea-
 rum sensus teneret, atque ex affectu veram
 matrem ab ementita dignosceret. Aliud est
 enim veritatis indagande causa mentiri, aliud
 ex scientia mendacio parva ulteriorem inda-
 gare ac subodorare veritatem: quemadmodum
 nefarium est corpore questum facere, ut pecu-
 niam flagitio parvam in bonos usus impendas,
 honestum autem pecuniam flagitio parvam in
 bonos usus impendere.*

Ad Th. XVI.

OBSERVATIO.

Ne Vitæ quidem innocentis servandæ causa mentiri licet.

Innocentis
mortem
per mendacium
impendere non
licet.

INter modos licitos mendacii Author & hunc ponit, si scil. vita innocentis vel par aliquid aliter servari non possit, sed falsò. nam primò non sunt facienda mala ut eveniant Bona, teste Paulo Rom. 3. v. 6. Secundò omne mendacium contravenit veritati, in peccato cubat; tertio permittit ita mentiri in hoc casu, quam facile ad leviora progredietur alius & mentietur etiam ob illa quæ nec vitam nec paria illius concernunt, & omne mendacium diabolum Auctorem habet Joh. 8. vers. 44. Unde rectissimè Augustinus: *Quid si ad te homo confugiat, qui mendacio tuo à morte possit liberari? illa mors quam stulti timent homines, qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit, sicut Dominus Evang. docet. Unde præcepit, ne ipsa timeatur, os autem quod mentitur, non corpus; sed animam occidit. & paulò post: quomodo ergò non perversissimè dicatur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori. Sed aliquando nobis ipsius quoque salutis æterna periculum, opponitur, quod nostro mendacio, si aliter fieri non potest, depellendum esse clamatur? Velut si quispiam baptizandus in potestate sit impiorum*

atq;

atq; infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. Ab hoc invidiosissimo clamore, quo cogimur non pro cuiusquam opibus vel honoribus in hoc seculo transmutibus, non pro ipsa huius temporis vitâ, sed aeterna hominis salute mentiri, consugiam nisi ad te veritas? Et mihi abs te proponitur castitas. Cur enim, si custodes isti ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illici possunt, non facimus contraria castitati, & si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati? cum proculdubio nulli esset amabilis castitas, si non eam præciperet veritas? proinde ut perveniat ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur, esse mentendum, si non jubet castitas ut homo baptizetur, esse mendandum? Cur autem hoc non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas?

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO.

Assertionem suam Author de falso loquio licito apud hostem non stabilis Exemplis adductis.

Ponit exceptionem Author contra obligationem veracitatis, & putat illam obtinere,

Q949 2

nerc,

Iebusitarū
Exemplum
expendi-
tur.

nere, si agamus contra hostes & producit inter Christianos Chrysoftomum, qui tamen ei non favet, quicquid sit de thesi principali; ad Jabesitarum verò exemplum porrò delabitur, at primò, quomodo probabit non peccasse illos? Sanè Claudius Rangolius ita censet pag. 1354. *A mendacio Jabensis excusari non possunt, nisi, prout erant, antea polliciti statuerent, si forte deesset auxilium Regis Ammonitarum arbitrio seu potius libidini sese permittere, quanquam id minimè necessarium fore arbitrarentur, sed tuto eum ludere posse, confiderent. Mentiri autem aut fidem fallere nunquam licet tametsi præclara inde utilitas oritura credatur, aut damnum aliquod emersurum timeatur, nisi forte quod ad sponsionem attinet, id quod convenit impleri sine scelere non possit: tum enim pacte rei denegatio non tam mendacium habenda est, quam temeritatis atque imprudentie correctio. Præterea, si ponamus non peccasse, nondum demonstrari poterit illos falsum locutos esse, utut hostes intellexerint aliud, proprio errantes vitio, neque promiserunt illi egressum summo mane, ut Vulgatus quidem habet, sed indefinite, ut vox ebræa docet, quæ æquipollet τῷ cras, quo tempus futurum, non præcisè pars illius notatur. Denique Jabesitæ nullum mendacium commiserunt, sed conditionem tantum proposuerunt hosti, & interea auxilium quæsiverunt, auxiliis non submissis conditionem adimpleturi & hosti se submissuri. Exemplum autem Elisæi non quadrat,*

Vindicatur
Ejus à
mendacio.

tum

tum quia Elisæus non intendebat fallere, sed informare, tum quia verum dixit, quærebant enim milites isti Prophetam & viam ducentem in Urbem, in quâ putabatur latere, obvius itaque Propheta dicit: *Non est hæc via, neque hæc est civitas illa scilicet in quâ reperitur estis Prophetam*, non enim erat ulterius in Dothan: *Sequimini me & ducam vos ad Virum illum, quem queritis*, sicque duxit eos in Samariam, neque pollicitus est ostensurum se civitatem illis, quam quærerent, sed Virum, quod & fecit. Rectè autem reprehendit interpretationes tacitas & reservationes mentales, de quibus supra. Tandem ad Exemplum in notis adductum ex 2 Reg. 8 respondemus: *Quid si Regem Israelitico nomini longè infestissimum, & ut Scriptura loquitur, virum dignum morte sarcasmo quodam & responsionis ambiguitate ludificari voluit Elisæus, quemadmodum vulgo morbis omnibus levare dicuntur, qui extremum Spiritum ediderunt. Quid si vox illa sanaberis sive sanus eris aut etiam ut habetur in Hebraico תחיה תחיה chajim thichjeh vivendo viues, ad Hasaelem non, ad ipsum Benadad Propheta loquentis intentione referatur; quamvis hæc verba prævideat alium in partem acceptum iri, perinde atque si non ad Hasaelem, sed ad ipsum Regem ea futura sanitatis denunciatio pertineret. Neque se mendacio obligasset Hasaelus, si uti jubebatur Propheta responsum ita sine fuco & fallacia retulisset. Dixit mihi Propheta vivendo viues, id enim dixerat & verè dixerat, Hi-*

saelem Regis superstitem futurū regniq; successorē
 à Deo designatū, intelligens quod paulo post disser-
 tius expressit. Dicere etiam poteramus cum A-
 bulensi his verbis: וַדַּע לְךָ עֵמֶר
 lo chaiah thichich hanc sub. sse sententiam vade
 dic non vita. v. ves, siquidem dictiuncula Lo per
 al. ph est particula negans, & non propterea si-
 gnificat; Quamvis ut refert Buxtorfius in E-
 pitome radicum notatur in Masora magna
 Levit. 11. v. 21. quindécim locis scribi per aleph,
 pro quo legendum sit וָ per van, ei ipsi, ut hoc
 ipso quem pre manibus habemus ad cuius margi-
 num posterior ista lectio frequenter adscribitur
 atque ut videtur etate Hieronymi Textum
 ipsam in plerisque codicibus occupabat, quo fa-
 ctum est ut sublata negatione transferre ma-
 luerit: Vade dic ei sanaberis, sive ut paulo post
 dicitur: Recipies sanitatem, qua verbo Benadado
 decumbenti salutem appromittunt, nec Ha-
 saelo nullis morbis afflicto possunt ullo modo con-
 venire, cuius translationis explanationem non
 Hebraici textus evolvendam suscepimus. Ad-
 vertit Caspar Sanctius in hunc locum frequen-
 ter in Scripturis imperativum & optativum
 sumi pro futuro, ut non tam optet atque im-
 peret aliquid Propheta quàm futurum pradi-
 cat, ut Psalm. 108. & oratio ejus fiat in pecca-
 tum, non id optat aut jubet Propheta, sed fu-
 turum esse prænuntiat; Quare si duo hec vade
 & dic per futurum exponas, hic erit sensus: Tu
 vades o Hasael dicesque regi pro tuo & aliorum
 assentatorum ingenio salutem & vitam; longè
 tamen eris aliter quàm tu ad illius votum di-

Surus es, quia dominus ostendit tibi illum, esse moriturum. Probabilius videtur his verbis permissionem ironicam contineri, cui debortatio & dissuasio eodem tenore subnectitur qualis est illa Threnorum 4. v. 21. Gaude & letare Filia Edom, que habitas in terra Hus, ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis, atque ut multis interpretibus placet ista Ecclesiaste 11. v. 9. Latere ergo juvenis in adolescentia tua & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tue. & ambula in visis cordis tui & in intuitu oculorum tuorum, & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Ubi gestienti exultantique letitia calicis ac divini iudicii mentione frenum injicitur, cum reliqua voluptatibus habenas permittere videatur oratio: sic apud profanos.

*Issequere Italiam, ventis pete regna per undas,
Spero equidem mediis si quid pia Numina
possunt*

Supplicia hausurum scopulis.

Fingit impotens mulier se discessum permittere, cum potius manendi causas innectat, & ventorum, undarum, scopulorum divina vindicta commemoratione deterreat, & Cæcilianus ille Pater animo ardenti, corde ita cumulado filium suum bona dilapidantem acriter objurans, dide inquit & disscie per me licebit. Sic egebis tibi, dolebit mihi, sat est qui etatis quod reliquum est oblectem meae: ironice bona profundero permittit egestatis imminenti metu filium à profusione deterret. Sic Elifaus ironice, Vade dic ei sanaberis, hoc est cave salutem ei

denunties, quia ostendit mihi Dominus quod morse morietur. Restat ultima huiusmodi solutio quam noster Sanctius reliquis omnibus expedit: orem putat, qua negat (ut optimè ejus verbis uter) moriturum Regem à naturali causa, idest, ab eo morbo quo tunc laborabat. & de quo Propheta consulebatur, Consule Dominum &c. Cumque steteret Hasael coram eo Elifao ait: Filius tuus Benadad Rex Syria misit ad te dicens: si sanari potero de infirmitate mea hac; dixitque ei Elifao Vade dic ei sanaberis i. e. sanari poterit Benadad, & revera si vim infirmitatis intueare sanabitur siue non extinguetur ab infirmitate de qua una me consulit, quia illa gravis adeo non est & à medicina levari potest. Verùm morietur, quia vis illa afferretur extrinsecus & à ferro aut laqueo seu ab alia causa precluso spiritu potius peribit quàm ab extrinseca qualitate deficiente natura. Regem igitur eo morbo levandum esse predicit, quia morbus non erat ita gravis ut eum extingueret, & re ipsa convalescens erat, nisi Hasael ipsa vi repentina domestici sceleris eum de medio sustulisset; tum quia, si verum non dixeret, saltem celasset illud, quod licitum. Audiamus Coronidis loco Casparum Sanctium ad primum locum in cap. 6. lib. 4. Reg. v. 19. pag. 1419. §. 10. & II. qui ita censet: Hic non nemo mendacij arguere possit. Helisæum cum neque illum diceret esse viam, que duceret ad civitatem, quam ipsi querebant, neque illum esse Dothan, ubi tunc esset Helisæus, cum omninò se res haberet contrà.

Abu.

Abulensis q. 17. cum prius refusasset *Lyra* sententiam, qui dicebat non esse civitatem illam *Helisai* patriam, sed *Samariam*, atq; adco in verbis *Prophetæ* non esse mendacium, quia non negavit illam esse civitatem, ubi esset tunc *Helisæus*, sed illam esse *Helisai* patriam, & familiare domicilium. Quod verò *Samaría* esset *Helisai* domus, probat *Lyra*, quia, ut cap. precedenti vidimus, puella *Hebraea* dixit uxori *Naaman*; Utinam fuisset Dominus meus ad *Prophetam*, qui est in *Samaría*. & infra; *Helisæus* autem sedebat, in domo sua, & tamen ibi erat, sermo de civitate *Samaría*. Quod optimè confutat *Abul*. Quia *Syri* non querebant *Samariam*, sed *Dothan*, in qua erat *Helisæus*, atque idrò malè negavit illam esse civitatem, & ibi esse *Prophetam*. cujus causa eò essent profecti. Ille aliam adducit expositionem accommodatè non tam ad verba militum, aut *Regis Syriae*, quàm ad illorum desiderium, & animum. Querebant illi civitatem ubi inventuri essent *Helisæum*, sed reverà, ut satis probavit eventus, invenerunt, in *Samaría*; quia cum illum prius juxta *Dothan* non agnovissent, propter anxietatem, perinde fuit acsi vidissent nunquam. Quàm expositionem etiam adhibuit *Hugo*, verbis tamen obscuris. Quando inquit verba proferuntur prophetice, vel significativè, intelligi debent in sensu quo fiunt, non quem faciunt. Et tandem eò magis inclinatur *Abul*. ut putet *Helisæum* tunc fuisse mentitum, officiosè tamen, vel non reputatum esse mendacium, quia illud dicebat incitante

DEO, ut per ostensionem miraculi, magis esset Dominus Gentilibus notus. Mibi non displicet prior Abulensis explicatio; sed neque displiceret, si quis diceret, non de civitate, aut de homine, qua coram habuere milites illi, locutur Helisæum, sed de illa hominis & civitatis specie, qua se illorum oculis objecerat, qua longè aberat à vera civitatis, & Helisæi forma. Ac si diceret, illam, quam se videre putabant, non esse Dothan, quia longè alia erat, verà illius civitatis imago, licet materialiter, ut dicunt Logici, civitatem viderent; sicut etiam cum materialiter viderent Helisæum, formaliter tamen non videbant, quia non illius acciperant expressam imaginem; neque Helisæus promittit ostensurum se, quam querebant civitatem, alioqui Samariam non ostenderet, de qua ne cogitarant quidem, nisi ut illam effugerent, sed tantum virum, cujus gratia venerant, quem antè non videbant, cum tamen haberent presentem, quia alienam illis formam objecerat, non suam, se tamen ostendit cum sublata sensuum aëre, quia Helisæum esse cognoverunt, quem antè alium esse crediderant. Quare neque mentitus est Helisæus, cum dixit, neque illam esse viam, quia longè aliam apparere fecit, quam ipsi antè noverant, neque civitatem ex hoc solum negavit, neque de civitate ullum præterea verbum. Promisit solum virum ostensurum, quem querebant. Quod fideliter præstitit in Samaria. Expende singula, & videbis nullum in his verbis apparere mendacium. Non est, inquit, hac

via,

via, neque ita est civitas. Sequimini me, & ostendam vobis virum, quem queritis. Non dixit, ostendam civitatem, quam queritis.

Ad Th. XVIII. & XIX.

OBSERVATIO.

Rectè dicitur posito quòd admitti posset falsiloquium apud hostes non extendendum esse illud ad Verba promittentia.

NOtante Ambrosius lib. de Officiis Cap. 29. *Fides etiã hostibus servanda est, ut si cõstitutus sit cum hoste aut locum, aut dies pralio adversus justitiã putetur, aut loco praevenire aut tempore. Excipiunt D. D. & inter illos Tannerus tres Casus: Primus est, si promissio sit de re illicita; tunc enim licet juramentum firmatum, non ligat, ex cap. In malis 22. q. 4. Addit Valentianus 3. si ob factam interim rerum mutationem, absque gravissimo Reipublica damno servari promissum quamvis juratum non possit; ob eandem causam, & quia promittens hunc casum non intendit; sed de hac re disp. 1. q. 9. dub. 4. assert. 3. ubi verius docui, sola per se incommoda ex pactis alterutri parti obvenientia non dare ipsi causam sufficientem, ut à pactis recedat. Certè promissio juramento firmata, quantumvis onerosa, prestanda est sub peccato mortali, ut rectè etiam docet Molina ex cap. Debitores, de jurejurando. Secundus, si pro-*

Fides hostibus est servanda.

missio ab altera parte injustè sit extorta, nisi etiam juramento firmata sit, tunc enim servanda, ex communi apud Sylvestrum V. *Metus* §. 8. *Bannem* a. 3. & *Valentiam* pun. 3. *Molinam* disp. 111. Neque verò potest juramentum alicui præstitum relaxari, nisi vel ab eo, cui præstitum est, vel ab eo superiore; non autem à superiore illius, à quo semel validè præstitum, per se loquendo, ut docet *Molina* ibidem, & disp. 149. Certè propter scandalum & graviora mala, quæ inde sequerentur, ordinariè non licet, nec expedit juramentum Turcis præstitum (nisi fortè manifestè perniciosum bono communi) relaxare, tametsi forsàn absolute loquendo posset Pontifex, ut à dominio infidelium, ita etiam à juramento illis præstito Christianos absolvere, juxta dicta de fide q. 9. dub. 2. Tertius casus est, si hostis prior fidem frangat, vel ex toto, vel ex parte; sub hac enim conditione fides data intelligitur, si hostis prior non fallat, ut ex communi docent *Sylvester* V. *Juramentum* 4. n. 13. & *Valentia* cit. p. 3. Et colligitur ex cap. *Pervenit*, de *Jurjurando*. Qua de causa obsides, si nocentes sint, sive quia causam dederunt violanda fidei; sive quia in bello injustè & culpabiliter pugnarunt &c. licitè violata ab hostibus fide, occiduntur, modo aliqui culpa tanta pena non sit impar, ut rectè *Victoria* de *Jure belli* n. 43. *Molina* disp. 120. *Plura loc.* cit. de fide. In quo maximè reprobandum illud quod pontifici tribuunt parafiti illius, quasi posset à juramento Turcis præstito Christianos absolvere,

Pontifex
Rom. non
potest rela-
xare jura-
mentum
Turcis præ-
stitum.

vere, cum in viridi adhuc sit Memoria Clades Varnensis.

Ad Th. XX.

OBSERVATIO.

Dictum Christi Matth. XII. conscientias arctius astringit, quàm Grotius opinatur.

U Taliâ sua restringit ad Christianismum, ita hîc asserit generosius esse, ac Christianæ simplicitati convenientius falsiloquio in hostem quoque abstinere, cui quoad ipsum enunciatum subscribimus. In subsidium autem vocat dictum Matth. XII. v. 36. ubi Vaniloquentia Christianis interdicta, per *ῥῆμα ἀεργόν* quidam intellexerunt non vanum aut otiosum, sed malum & blasphemum Verbum; quâ Expositione admîsâ nullus inestet Nervus argumêto Grotiano. Videantur Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius: sed admittimus notari *κενόν* sive otiosum & vanum Verbum atque idem esse *ἀεργόν* quod *ἀεργον*, Christumque processisse hoc modo: si reddenda erit ratio Verbi vani, quantò magis blasphemi, calumniosi & mali; sed si hoc Effatum Christi ita accipiendum, non generosius tantum erit & Christianæ simplicitati convenientius falsiloquio in hostem quoque abstinere, sed præcepti erit, necessaria erit abstinentia ab omni illo, sub Metu reddendæ rationis de illo in die pantocritico, de tali enim loqui

ῥῆμα ἀεργόν quid
Matth. XII.
36?

loqui Salvatorem, non qualicumque Judicii particularis, ut somniant pontificii, constat ex phrasi. citra conditionē limitantem aut minuentem petitā & Interpretum saniorum Consensu, nec non subsequente versiculo 37, ubi dicitur: *ex Verbis tuis condemnaberis.*

Ad Th. XXII.

OBSERVATIO.

Quo Jure Transfuga recipiatur non est ἐξαγώνιον.

Dicit Author iniquum non esse, si quis operā spontē peccantis ad rem sibi licitam utatur, & laudat exemplum ipsius DEI, qui impiorum paratā opera utatur ex thesi 5. cap. 26. lib. 2. sed longē aliud est uti opera alicujus quocunque modo, aliud determinatē hoc modo, quem Author hīc intendit: si enim quis exacerbati in Regem operā utatur, ut vel ipsum impellat, vel mandet Regicidium, sanē cum peccato talis Regicidæ participabit, nec tam liquidus Juris est Receptus Transfugarum, cum aliud supra docuerimus de obligatione servorum & remissione ad Dominum.

CAPUT

CAPUT II.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Rectè quidem pronuntiavit Zeno, contingit tamen ut involvantur quandoque alii etiam Calamitate cuidam communi, qui videntur non involvendi.

LAudat Author Zenonis Imperatoris dictum existimantis naturali æquitati contrarium esse, ut pro alienis debitis alii molestentur; Secundò adducit titulos ex Jure Romano: Ne Uxor pro marito, ne maritus pro Uxore, ne filius pro patre &c. Tertiò probat illud Ulpiani, quod non singuli debeant quod Universitas debet. Primum fundatur in Ratione, absurdum enim est, alium esse debitorem, alium exigi: quanquam consuetudo quædam contraria in quibusdam Casibus introduci possit, alterum quidem eidem æquitati videtur esse conforme. unde etiam ipse Abrahamus Gen. XVIII. v. 23. 24. 25. **DEUM** in hæc Verba compellat: *An etiam perimes justum cum injusto? Sunt fortasse quinquaginta justi in Civitate ista: istos an etiam perimes, ac non parces isti loco propter quinquaginta illos justos qui fuerint in ea? Absit tibi ut facies tale quippiam, tradendo Morti justum cum injusto, ut ita sit justo si-*

Quid æquitati, præsertim divinz consonum.

616

cut injusto. Absit tibi : An iudex totius terra non exercet Jus ? sed si presse urgeantur hæc verba, primò ordinarium etiam non est ut propter quinquaginta justos parcatur Multitudini Nebulonum, qui pœnam commeriti, cùm justum sit punire fontes, justum malum tollere ex Republica citra respectum ad paucos innocentes. Secundò non posse universaliter hoc intelligi liquet partim ex ipsa dispensatione divina ; dum Abimelechi familiam duriter habuit unius ob noxam, dum toti humano generi non pepercit ad infantes usque à matre rubentes in diluvio , exceptis saltem Noachidis ob scelerum ab adultis completam Mensuram ; cum disertè dixerit se evaginato gladio excisurum justum & improbum Ezech. XXI. v. 8. 9. tertio si Pererii essent legenda vestigia non tam ex Apodicticis officina, quam ex Topica locorum probabili-um egisse Abrahamum dicendum esset, quod tamen mittimus. Tertium itidem non est simpliciter & absolutè accipiendum, sed cum gradu ordinis ; ponamus enim Universitatem aliquam destitui bonis, sanè Jus creditoris propterea non cessabit, sed debet qui præst à singulis tantum exigere, ut satisfiat illi qui subvenit Universitati, quod ipse Author quoque agnoscere videtur adjectâ limitatione.

Quomodo
singuli de-
beant Credi-
tori quod
debet Uni-
versitas ?

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Necessitas Gentibus suppeditavit, ut pro debito Imperantis vel Reipublicæ teneantur res & actus Subditorum.

IN hac thesi agit Author de jure Repressaliarum, & (1) generaliter definit, Jure gentium introductum esse, ut pro debitis Imperantis teneantur res & actus subditorum. Quod illustrat exemplis in prehensione hominum & rerum. Prior species dicebatur ἀνδραποψία, th. 3. posterior ἐνεχυρασµὸς th. 4. Videtur autem hoc jus Repressaliarum esse iniquum: (1) quia jure divino constitutum, ut filius non portet iniquitatem Parentum, sed quilibet proprium portet peccatum, Ezech. XVIII. v. 4. Si autem filius non debet portare iniquitatem Patris, qui naturali & ætiori vinculo eidem cohæret, quanto minus subditus obnoxius erit pro debito imperantis, vel delicto alterius, ut vel ipse capiatur vel res ejus pignoretur; (2) quia Christus apertè definivit contrarium cum Paulo: dixit enim Matth. V. *Ego dico vobis non resistite malo*, & Paulus Rom. XII. *Non vos vindicantes charissimi, sed locum date ira*, sc. divinæ. (3) naturali æquitati repugnat pro alterius debito vel maleficio alium capi, detineri, exigi. Pœnz enim debent manere su-

Contradicitur Iuri Repressalium.

I.

H.

III.

Repudia-
tur Obje-
ctum pri-
mum.

os auctores, & non debet aliquis alterius odio prægravari. Verùm hæc argumenta non evertunt hoc Jus. Non (1); tum quia si simpliciter verba hæc acciperentur, expungendum esset peccatum originale ab Adamo in filios & posteros derivatum. Non itaque procedit hoc ipsum dictum in peccato naturali, quale quid originale, vel tali ubi aliquid nomine communitatis gestum, vel à Capite Republicæ patratum, sed in peccato personali; tum quia ipse Grotius respondit ad hunc locum in tr. de satisfactione contra Creilium; DEUM non quid sibi necessariò faciendum sit, sed quid facere liberè decreverit, indicasse; si itaque non est immutabilis sententiæ, in foro humano etiam non semper obtinebit: tum quia in tali casu respicitur Respublica ut unum quoddam corpus, & consequenter sicut unum membrum participat de beneficiis totius, ita etiam de incommodis. Ad (2) respondetur 1. hujusmodi præcepta juxta Augustinum semper esse servanda, non quantum ad executionem Operis, sed quantum ad præparationem cordis, ut semper sc. homo paratus sit animo non resistere, sed quandoque aliter est agendum propter commune bonum. Hinc ipse Augustinus agenda sunt multa, etiam cum invitis, benigna quadam asperitate plectendis, & illa Resistentia prohibita esse intelligitur, quæ est ex Affectu Iræ in levioribus etiam offensis quas dissimulare commodius & à privatis in perniciem proximi ardentibus. 2. Hæc præcepta

Alterum.

pta

pta non tangunt Personas publicas & Summas potestates, sed unumquemq; Christianum in officio suo consideratum. 3. observante Hein- sio, Paulus non vindictam expungit simpli- citer aut ultionem sed intempestivam: vult enim dari Apostolus locum iræ; dare autem locum iræ idem est, quod irasci quando & quomodo oportet, non temerè & malo cum animo. Verba illius sunt: *Quid sit τὸν δίδοναι, nemo ignorare potest qui Helle- nistas inspexit. Sirachides, καὶ ἰατρῶ δὲ τὸ- πον. cap. 38. v. 12. Iras igitur admittit, sed justam, sed brevem, & qua in vindictam non prorumpit. Quam iram δεγὴν μὴ ἀμαρτάνωσω, ex ipso Apostolo dicas, qui optimè loci hujus mentem 4. ad Ephesios expressit. Ὁ δεγίζου, καὶ μὴ ἀμαρτάνετε. Ita hic, Δότε, in- quit, τὸν τῆ δεγῆ μὴ ἐνδικεῖτε ἢ ἑαυτῆς, hoc est, μὴ ἀμαρτάνετε δέ. Quid igitur relinqui vult DEO? τὴν ἐνδίκησιν, vindictam, quod & se- quitur. Inversa enim est constructio: quo nihil in his usitatus. Δότε τὸν τῆ δεγῆ, μὴ ἐν δικεῖτε ἢ ἑαυτῆς. Date locum ira, nec vos ipsi tamen ulciscimini. Quod cum interpretes non satis viderent, δότε τὸν τῆ δεγῆ, ad Deum transtulerunt. At qui, τὸν δίδοναι dicitur, τῆ δεγῆ, ὁ αἰς ᾧ ὅτε δεῖ δεγίζομεθα, qui, ut, & cum oportet, irascitur. Quemadmodum de eo loqui Philosophorum princeps solet: qui non temerè, non ἀναίρωσ non ἀτόπως, irascitur: qui citra denique vindictæ studium irascitur; Nec negarim interim, nonnunquam δεγὴν absolutè in Sacris usurpari, ut Dei, nempe, in-*

telligatur : quomodo non sensel loquitur Apo-
stolus. Nota enim illa, θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀρ-
γὴν ἐν ἡμέραις ὀργῆς. Item, ὁ γὰρ νόμος ὀργῶν
κατεργάζεται. Item, καὶ ἡμῶν φύσει τέκνα ὀργῆς.
Item, ἐφθασε ἢ ἐπ' αὐτὸς ἢ ὀργὴ εἰς ἱέλθ :
similesque loci, qui in his libris aliquoties occu-
runt. Neque aliter & Patres. Asceticorum
αὐτορ, ἐιζαροὶ πῦρ αἰδῶλεον δευσιζοντες τῷ θυ-
σιασιῶ, ποιάντης ὀργῆς ἐπειροδοῦσαν. Si enim
qui ignem alienum altari admoverunt, talem
iram sunt experti. Item, ὁ ἢ τὸ μὴ κατὰ λόγον
δεξιῶναι τῷ ἀδελφῷ, βαρβαίαν αὐτῷ γὰρ ἀπο-
ραὶ τιτον τῷ ὀργὴν ἐπάγει. Gravem illi & in-
exorabilem conciliat iram. Neque aliter in
Fœdere antiquo Hellenista loquuntur. Qua-
lia sunt καὶ ἐγμέτο ὀργὴ ἐπὶ ἴδαυ. καὶ ἐκ ἔσαι
ὀργὴ ἐφ' ὑμᾶς. Et sæpius in libris Paralipom.
Josue, & aliis : quoties imprimis vocem ἡγρ
interpretantur. Quo sensu נחם Nahum. c.
1. v. 2. Deus dicitur. Quia iram, nempe, con-
dit premitque, atque inimicis servat, ut de
ira quanquam dissimili in Tiberioloquitur Ta-
citus, cui gravem, sed dissimulatam, tribuit.
Idque ille credebatur, ut inferius Majestate
Principis, gravi & dissimulata offensione ab-
didisse. Unde & Hellenista aliquoties τὸ נחם
μλῶιον, de longâ ac diuturna (quâm χόλον
ἐπιμονον dixerunt Critici, qualem Achilli suo
tribuit Homerus) in Levitico, Psalmis, & ali-
bi exponunt, quomodolum Græcorum Theo-
logi, brevioris, θυμὸν, longioris Βεαδυπέραν
& μονιμώτεραν, dixerunt. Malo inierim sic ac-
cipi,

sipi, ut dixi. Quanquam si accipiamus de prohibitione vindictæ omnis & Iram accipiamus de Ira divina, cui Locus dandus, non tamen hîc fibulam Potestati publicæ ir. positam esse, cum ultor sit ad Iram ei qui quod malum est fecerit Rom. XIII. v. 4. concludendum, sed illis quos DEUS non armavit gladio, de quibus Seneca: Magni animi est proprium, placidum esse, tranquillumque & injurias & offensiones despiciere. Ad (3) respondetur repressalias posse dupliciter considerari, 1. præcisè in quantum dicunt vim aliquam, abstrahendo ab eo, qui infort; 2. ut circumstantiis suis sunt vestitæ, nempe prout proficiscuntur à summa Potestate, ut qui impetrat civis sit, ut exercitium suscipiatur post denegatam justitiam ab iis, quibus adversarius subjectus est. Hoc enim si consideretur, Repressaliæ neque æquitati naq; Juri gentium repugnant. Si enim non repugnat, ad prædam præviam Feccialem mitti clarigatum sive res repetitum, quibus non redditis bellum indicetur hosti, etiam æquitati & juri gentium adversum non erit, si Jus non reddat Judex adversarii pignorationes rerum vel personarum usurpare, vel Jus Marcæ aut Clarigationem, prout repressaliæ etiam vocantur. Subsistimus in Judicio Molinæ Eborensis Professoris. Disp. 122. pag. 468, scribentis §. 4. & 5. *Spoliare possunt bonis externis eos innocentes, qui sunt partes Reipublicæ cum qua gerunt justum bellum, eaque sibi retinere, modo ne excedatur summa bonorum, juxta ea,*

Postremâ.

qua disputatione 217. dicta sunt, jure belli, de tota illa Republica capere possunt. Hanc affirmant Cajetan. in summa, verbo belli Victor de jure belli num. 40. Covarr. reg. peccatorum part. 2. 9. num. c. 4. & alii. Ratio est, quoniam, ut disputatione precedente dictum est, tota Republica reputatur hostis, fasque est eam punire in omnibus suis membris, quatenus partes illius sunt, quod externa & fortuna bona. Ea etiam de causa fas est, imponere tali Republica tributum ab omnibus suis partibus solvendum, imò & ab omnibus successoribus, quatenus futuri sunt partes ejusdem Republica, esto cooperati non fuerint ad Republica delicta. Confirmari verò hoc potest ex communi Doctorum sententia, Bartoli in primis in proprio tract. de repressaliis: auctorum deinde qui casuum summas scripserunt, verbo repressalia. Victorie de jure belli num. 4. Covarr. loco citato, interpretum juris Canonici cap. unico. de injuriis et dam. dato lib. 6. & jur. civilis variis in locis asserentium licitas esse, repressalias (impignorationes castè loquentes appellant, marches etiam nonnulli vocant) quando aliquis, aut aliqui de aliena Republica damnum intulerunt, & neque ipsi volunt satisfacere, neque princeps supremi vè moderatores Republica admoniti cogunt illos satisfacere: eo namque ipso Republica in suo principe, aut moderatoribus, culpam contrahit, fasque proinde est Principi, cui subditus estis, qui injuriam est passus, concedere illis aut aliis suis subditis, ut faciant repressalias seu impignora-

tiones

tionem in bonis subditorum alterius Reipublicæ, etque ad debitam compensationem, esto illi, quorum bona occupantur, in culpa non fuerint. Ratio est, quoniam ejusmodi subditis puniuntur ea Reipublica; quæ quod tenebatur, vindicare neglexit. Concinit August. cap Dominus 23. qu. 2. datus aut: justa definiuntur, quæ ulciscuntur injurias, si Gens aut civitas plectenda est, quæ vindicare neglexit, quod à suis improbè factum est. Quo loco advertit, Principem aut supremos illius Reipublicæ moderatores, qui in culpa fuerunt, ut repressalia illa concederentur, teneri restituere innocentibus suæ Reipublicæ bona, quibus ita spoliati sunt. Si dicatur posito furem ex aliqua Reipublica vel Incendiarium incendere domum in aliâ, num licebit à quolibet cive alterius Reipublicæ damnum repetere vel pignorari & repressalium jure uti, respondeo non licere confestim; tum quia Reipublica illa ex quâ ille Incendiarius, poterit vel punire talem vel ad restitutionem adigere, vel utrumque exequi; tum quia, si aufugiat, Reipublica non videtur teneri; tum quia aut factum est Consilio vel alio concursu morali Reipublicæ illud damnum, aut non: si prius de scelere participat, & consequenter justè repetitur damnum, si non premi nequit nisi recipiat, reum foveat, vel nolit compellere ad satisfactionem, quod est participare de peccato.

In repressalium Reipublicæ non valet in furem exterum.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Jus *Ἀνδραληψίας* vel etiam *ἐνεχυριασμῶ* non ad omnes & singulos se porrigit.

Prehensio
hominum
non exten-
denda est
ad singu-
los.

Author dicit Jure gentium pignorandi Jus esse fundatum ut & Athenis in *ἄνδραληψία*. Sed si ad singulos hoc extendatur, admitti nequit. Nam (1) ita supponit statum quendam, qui nunquam fuit in rerum natura, nempe statum citra Imperium. At posito Imperio, data summa potestate, non licitum est jus illud pignorandi singulis, dicit enim rationem vindictæ privatæ, fit in præjudicium Superioris. (2) quomodo jure gentium potest hoc singulis competere, Jus gentium enim supponit gentes, supponit aliquid quod ab illis passim receptum, & probatum: num autem gentes probarunt & ceperunt illud, ut unusquisque haberet jus pignorandi. (3) Jus illud pignorandi est jus Repressaliarum. Jus autem Repressaliarum cum dicat vim publicam, non nisi Summæ Potestati vindicanda erit, quemadmodum bellum nemini nisi Supremæ potestati est concessum. Hinc etiam Marchiones huic juri tuendo constituti sunt olim in finibus Romani Imperii. Et Imperator Fridericus privilegium studiosis in Authērica habita con-

Jus Repres-
saliarum non
nisi Sum-
mo Impe-
rio compe-
tit.

tra

tra repressalias concessit; cui autem privilegium licet dare & dispensare in aliquo, ei censetur negotium aliàs regulariter subiectum. Quod autem Legem Atticam concernit Atheniensium, illa ipsa erat peculiaris & obtinebat in statu populari, prout & modus executionis peculiaris erat: qui enim cædis reus habebatur, proximis cognatis occisi tradendus erat ex ea civitate, vel fas erat tres apprehendere Viros & eos Athenas in iudicium agere, ut redderent cædis rationem & pignoris loco essent, donec Civitas illa vindicaret homicidium, aut homicidam dederet, de quo videri potest, Demosthenes in Orat. contra Aristocratem.

Ἀνδρολῆ-
ψία Αθη-
νησίων.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Repressaliæ non nisi cautè sunt exercendæ.

ADducit Author *ἡεχουελασμε* Exemplum antiquissimum ex Homero. Nestore ob abductos equos Patri Elidensium pecora & armenta capient, de quo disputari potest, cuiq; obijcimus commonitorii loco ea, quæ habet David à Mauden pag. 874. 38. Sic licet Principibus vel Reipublica literas dare repressaliarum quibus subditis aut militibus suis damnum injustum passu potestatem facit invadendi

Vbinam
locum ha-
beant Re-
pressalias

terram eorum qui damnum intulerunt, & oc-
 cupandi bona incolarum etiam innocentiam do-
 nec iusta damni compensatio fiat, dammodo prius
 communitas vel is qui communitati praeest ad-
 monitus compensationem facere aut imperare
 neglexerit. Ut si Galli inquit Victor. de iure
 belli num. 41. fecerint praeda in Agrum Hispa-
 norum & Rex Francorum nolit cogere illos ad
 restitutionem, cum possit, possunt Hispani au-
 thoritate Principis spoliare mercatores Gallos
 aut Agricolas quantumcumque innocentes, quia
 licet fortè à principio Respub. aut Princeps Gal-
 lorum non fuerit in causa, jam est in culpa, quia
 negligit. In his tamen cavendum est, ne, sine
 necessitate concedantur, cum sint periculosa &
 occasionem praebeant rapinarum ait Victor. ibid.
 Insuper ne contra personas Ecclesiasticas vel bo-
 na eorum repressalia concedantur aut exten-
 dantur, prohibitum est sub pena excommunica-
 tionis ipso iure lata in personas singulares, inter-
 dicti vero in communitatem nisi talem praesum-
 ptam licentiam intra mensem post diem con-
 cessionis aut extensionis revo-
 cent.

CAPUT

CAPUT III.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Locus ex Tacito allegatus non satis convincit, quod Author intendit.

A Pud Germanos latrocinia, quæ extra Civitatis cujusque fines fiebant nullam habuisse infamiam testimonio Cæsaris probat. Addit ex Tacito de Venedis: Quicquid inter Peucinos Fennosq; Sylvarum ac Montium erigitur, latrociniiis pererrant. An verò hic locus faciat pro Grotio merito dubitamus. Nam primò ipse Tacitus dubitat, num Peucinos Venedosque & Fennos Germanis an Sarmatis adscribat. Secundò argumenta sunt in contrarium non contemnenda: nam primò limites Germaniæ erant Rhenus, Danubius, Vistula & Oceanus Germanicus; At Peucini, Venedi & Fenni in Polonia, Litavia, Finlandia & Russia minore Moscovia, Moldavia, Podoliâ, Walachia, Bulgaria, Servia, Sclavonia, Croatia & aliis morabantur locis. Secundò ipse Cluverus admittit illos Carpatica & Sarmatica incoluisse juga. Tertiò ab aliis quoque Scriptoribus Sarmatæ appellantur, & Germaniæ eximuntur, ut constat ex Plinio lib. 4. Histor. Nat. cap. 13. Strabone, Ptolomæo & aliis.

Venedorum populus Germano non accensendus est.

Tertiò Argumentum, quod Tacitus petit à similitudine sermonis, cultus & morum non est satis firmum. Nam etiam diversi populi, in quibusdam convenire possunt. Confimilia enim demonstrare aggressus est olim Vir eruditus inter Germanos & Persas ex conspiratione in Religionis Negotio & Numinum Cultu, Morum Conformitate, cum ad Exemplum Persarum Germani Comam aluerint, armati semper inceserint, Vino fuerint dediti, osculo excipere advenas soliti, Linguz Consonantia, quod ex Scaligero & Casaubono probare contendit, & tamen ipse Tacitus repugnat, scribens Cap. 2. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimè que aliarum Gentium adventibus & hospitibus mixtos. Venedos verò esse Sinici generis alii probant, nec Nomadum more egisse Germanos facile demonstrabitur.

Ad Th. III.

OBSERVATIO

Exemplum Jephthæ non conducit intento Grotii.

Author postquam distinxisset populos, quamvis injustè agentes, à piratis & latronibus, concludit posse mutationem interdum accidere tum in singulis, tum in cœtibus. In singulis quidem ut qui prædonum Duces fuerint, justi Duces fiant, producitque in exam-

in exemplum Jephthen. Atqui hoc ipsum non fit conformiter Scripturæ, quæ Jephthen laudat tanquam Heroa quendam DEO placentem, Hebræorum XI. 32. Nec obstat locus ad quem respexit Grotius Judic. XI. 3. ubi dicitur: *Congregati sunt ad DEUM viri inopes & latrocinantes.* Nam (1) in textu originali Hebræo, in Græco, & in Chaldaica paraphrasi nullorum latrocinantium fit mentio, sed solùm vox Rekim habetur, quæ notat vacuos patrimonio & cura liberos, quos Hispani Aventureros vocant, notante Aria Montano. Verba illius sunt: *Chananaeum nomen Rekim vacuos otiosos, atque patrimonio & cura liberos significat, qui cum quid agant domi non habeant, militia, quàm compendiosissimam sibi fore sperant, sese ultro addicunt, sive ea justa & legitima sit, sive improbia, qualis prædonum, & piratarum, ac grassatorum.* Hos latini errantes, Hispani aventureros vocitant, qui quod stipendia non mereantur facilius teneri possunt, etiam à pauperioribus Ducibus, spe tantum commodorum, ex spoliis aut direptionibus dividendis contenti. Græci λιτολιν-interpretati sunt, quos Lortius secutus, Inopes dixit. horum ultrovenientium copiam, propter comitatus, humanitatis, atque dexteritatis opinionem, paulatim ac sigillatim collectam, certum in exemplari verbum *JITHLAKETV* declarat, translatum àb iis qui vel oleas, vel nuces, vel hujusmodi fructus in terra sparsos colligunt. Hispanicè, *appannaronse uno ab uno, dos à dos, y tres à tres.* Non coactos verò, sed

Jephthes contra injustum latrocinium defenditur.

Quid Rekim Iud. XI.

sponse

spontè convenisse, reciproca verbi forma docet: Et quasi Principem sequebantur. ex exemplari lingua: Et egrediebantur cum illo, quo dicendi tropo militaris ordo ac disciplina, exercitatio dexteritasque significatur ut illa: Et egrediebatur ad omnia David quacunque misisset cum Samuel, & amovit eum Saul a se, & fecit eum tribunum super mille viros, & egrediebatur & intrabat in conspectu populi. Atque hac oratio virum non latronem, sed prudentem ac strenuum Ducem describit, qui sociorum phalangem instructam, & in disciplina contentam, dictoque parentem, nusquam inertem, nusquam segnem, ac minimè usquam desidem, verum prorsus alacrem, ita ut nunquam ipse prodierit in bellum, quin omnes, nullo excepto, haberet comites, concordia animo ad omne belli discrimen secum subeundum promptos, quæ res & ipsis, apud quos debebant, populo ac principi utilis & grata fuit, & Iephthæ dexteritatis ac virtutis opinionem celebritatemque comparavit. (2) Posito, quod latrocinantes fuerint, qui congregati ad ipsum, nihilominus Dux latronum non potuit dici. Si enim rapinæ exercentur adversus hostem in bello justo, tunc sunt actus belli; si verò injustè exercentur erga quoscunque, tunc demum censetur exerceri actus latrocinii. Jephthæ autem non in Israelitas, sed in hostes populi Israelitici exercuit vim. Ammonitas scilicet & reliquos vicinos circumcisos. Ut itaque David non potest dici latro vel Dux latronum, de quo consimilia dicuntur I. Sam. XXII. 2. & XXIII. 27.

& 30. ite nec Jephthe. (3) Si ponamus latrocinantes fuisse istos adhaerentes Jephthæ, nihil tamen adhucdum obtinebit Grotius, tum quia ante latrocinari potuerunt: non quo tempore Jephthen sequebantur, tum quia potuerunt dici latrocinantes h. e. stipendia merentes: milites enim olim latrones appellati sunt, quasi laterones, quod Ducis lateri adstarent; tum quia latrocinium juxta Abulensem aliquo in casu est licitum, si quis scil. rapinas agat & prædetur ad vitæ necessaria consequenda. Quod postremum tamen nos non probamus.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Quousque se Imperium extendit, eousque etiam Jus Belli.

Qui summum Imperium pro parte habent, justum pro ea parte bellum gerere possunt, multòque magis illi, qui non sunt subditi, sed inæqualiter foederati. Confirmat hoc Augustinus, qui scribit: Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc postulat, ut suscipiendi Belli Authoritas atque Consilium penes Principes sit, si itaque pro parte aliqui habeant Principatum vel Imperium Bellum gerere posse intelligitur pro ea parte quâ habent. secundò ipse Aristoteles quoque hoc insinuat: cùm enim juxta illum

Iustū Bellum gerit etiam qui Κύριον pro parte habet.

una-

unaquaque Respublica sibi sufficere debeat, 3. Politicorum, etiam poterit se defendere, sua vindicare, injurias ulcisci: quousque itaque participat de hâc sufficientia pars alicujus Reipublicæ, vel habens Imperium pro parte, eousque etiam participat de Jure belli. Tertiò de Bello offensivò & defensivò ita differunt DD., quod legitima Autoritas indicendi Bellum offensivum sit in unoquoque penes quem est *κυβερνησις* in Republica; in bello verò defensivò eo usque progrediuntur, ut si Princeps agnoscat Superiorem nihilominus tale adversus hostem gerere possit: ut enim privatus potest, secundum illos naturali Jure se defendere contra iniquam invasorem vim vi repellendo: ita quilibet Princeps, quævis Respublica in tali casu, præprimis quando præsumit consensum Superioris, diuturna præscriptione hoc Jus obtinuit, & necessitas urget ut Saluti publicæ consulatur.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Denunciatio præter Summum Imperium in Bello solenni requiritur.

Author ut Bellum justum sit Jure gentium putat non sufficere, quod utrinque inter summas Potestates geratur, sed ulterius requiri ut publicè decretum sit, utque ejus

ejus significatio ab altera partium alteri facta sit. Inde sæpiùs pii & justii Belli, piorum & justorum armorum in Historia occurrit mentio: ita autem dicebantur illæ Expeditiones, quæ misso Feciali solenniter hostibus denunciabantur, nullum Bellum à Quiritibus justum habitum fuisse, nisi quod de rebus repetitis denunciatum esset ante & indictum, Cicero docet lib. 1. Officiorum. Florus unam Romanæ magnitudinis causam censet illa justa & pia cum exteris Bella, Alexandrum ad Urbem Celænas exercitu admoto Caduceatorem præmisisse testatur Curtius; quanquam Caduceatores non tam mittebantur ad Bellum indicendum quàm ad deditio- nem denūciandam, exemplo petito à Mercurio, qui Virgâ inter angues dimicantes inserta pugnam diremit, parte media sui voluminis inter se vinctis nodo herculeo, sed in oscula coeuntibus; hinc Caduceatores Festo dicuntur Legati pacem petentes, quò etiam respexit Livius 6. de Bello Punico 89. Limitat autem Author in sequentibus suam asser- tionem & statuit naturali Jure, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo qui deliquit pœna de- poscitur, nullam requiri denunciationem, ad- dunt alii, quod etiam non requiratur ad illos, qui jam hostes sunt, & de quibus Fæciales re- ferunt, non opus esse amicitia renunciatio- ne, cum Legatis res repetentibus eæ nec red- ditæ sunt, nec aliter satisfactum sit, & ut in foro civili Citatio quandoque omittitur, ita omitti posse denunciationem pronunciant.

Ad solen-
ne Bellum
requiritur
Denuncia-
tio.

S s s s

Adda-

Addamus, quæ B. Thummius noster olim produxit de Bello p. 89. th. 30. *Legitimus belli modus, respectu IUSTITIÆ, consistit 1. in LEGITIMA BELLI DENUNCIATIONE, seu, ut vocant: CLARIGATIONE, (quam solam, ut bellum sit justum, sufficere falso existimavit Alexander Magnus; Plutarch. in vita) cum hanc requirat 1. jus divinum, Deuter. 20. 10. 2. jus Gentium commune; ut attestatur Alexand. ab Alex. lib. 5. Genial. dier. cap. 3. Gellius ib. 16. noct. Atticar. c. 4. Livius lib. 1. Decad. 1. p. 16. Prisci enim volebant, ut antequam hostiliter agamus, amicitia vel communi illi, quæ inter homines est, renunciemus omnino prius. Hinc, hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus, ceteri latrones aut prædones, inquit Pomp. & Bald 3. conf. 102. Si bono viro non convenit, facere aliquid clam, quia sic aufertur, quod est. [3. jus civile, ut patet ex verbo decrevit, l. 24. ff. de captiv. & postlim. l. 118. ff. de verb. sign. ex titul. 17. Aur Bulla Caroli IV. de diffidat, juru naturalu; necque necessaria erit denunciatio.] 4. Ratio manifesta; Ut enim in iudicio fori, prius in jus vocamus, quam nostra vi repetimus: sic etiam decet bellum prius indicere, quam inferre: vel; ut, ridiculus illi esset, qui armatus à proximo suo debitum repeteret, cum tamen debitor ad debitum solvendum sit promptus ac paratus: sic ridiculosum imò incuriosum, armata manu hostem petere, cum tamen ille ad satisfaciendum se ultro offerat. Vide Hænon. diss. polit. 7. th. & seq. Hinc olim Feciales, quibus denuncia-*

zio sive diffidatio incumberebat, fuerunt consti-
 ti; *Warem. de Evemb. de sced. c. 3.* Hæc & ad-
 huc hodiè observanda, nisi quis illud Schyrici
Legati ad Alexandrum M. audire velit; Tu,
qui te gloriaris ad latrones persequendos veni-
re, omnium gentium, quas adisti, latro es. Is
nim. pleraque bella non indicebat prius, sed su-
bito milite inferebat, Ranzov. comm. bell. lib.
1. c. 5. Clarigatione enim hæc omissa, non bel-
lum, sed predatio & proditio appellanda, ar-
gum. l. hostes 118. ff. de V. S. l. 24. ff. de capit.
& postlim. revers. Gail. lib. 1. observ. 4. num.
41. Hænon. disp. polit. 7. th. 7.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Præceptum Deuteron. XX, datum
 ita respexit populum Israeliticum,
 ut tamen ad alios quoque commo-
 dè extendi possit, & fultum intelligen-
 tur etiam Lumine naturæ.

Author de Promulgatione belli agit, &
 postquam denunciationem posuisset ut
 requisitam, quid Juris naturalis & quid pro-
 prium Juris gentium sit, explicat. Naturali
 Jure nullam requiri denunciationem existi-
 mat, positis ponendis, neque per Naturæ jus
 indictionem esse necessariam, si Dominus
 rei suæ manum injicere velit, & tandem
 ad præceptum quod DEUS Hebræis dedit,

Præceptū
Deut. XX.
de iudicando Bello
superstrui
tur Lumi-
ni Naturæ.

respondet specialiter illud populo Israelitico datum. De primis duobus disputent alii. Nos tertium examinabimus. (1) quidem colligi videtur præceptum quod DEUS Hebræis dedit posse dici Juris gentium, nam 1. fundatur illud in naturali humanitate, quam ipsa recta ratio dicit, ne homines in se ruant ferarum instar cæco impetu, sed prius omnia tentent. 2. in ipsa natura belli; Augustinus enim rectè Epist. 205. ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas*; bellare enim non voluntatis est sed necessitatis, propter ingentia mala quæ cum bello conjuncta esse solent. 3. ipse Grotius hoc agnoscere cogitur, nam in Comment. ad c. 20. Deut. agnoscit legem, quæ Exod. XXII. 32. & 33. ponitur, intelligendam esse cum benigna exceptione, si scilicet ad primam denunciationem non paruerint, & valuisse hoc dicit etiam in terra Canaan, utque confirmet Jus gentium, adducit in consensum illud Terentii: *Omnia prius experiri, quam armis sapientem decet*. Additque Appollonii testimonium; & hinc dum asserit, quamvis Jus naturæ non præcipiat talem fieri interpellationem, honestè tamen & laudabiliter interponi. Et videtur posse concludi hoc modo: si DEUS voluit ut Legati de pace mittantur etiam ad populos Excidio devotos, humanitas postulabit, ut extra hunc casum vel maxime hoc divinum Consilium observetur. Prius autem quidam probare satagunt tum ex eo, quia Josuæ II, v. 19. dicitur: *Nulla fuit Civitas,*

tas, qua pacem feceris cum Israelitis præter Chivæos Gibeonitas. Cæteri omnes bello capti sunt. Induraverat enim animos eorum Dominus ad pugnam cum Israelitis conferendam, ut internecione deleret eos, nec fieret illis gratia; Unde colligitur populos illos deletos fuisse, quia belli aleam subire maluerunt quàm pacem amplecti, alioquin pari conditione futuros cum Chivæis Gibeonitis, qui pacem petitum venerant; tum ex eo quia Rachab fuit recepta in gratiam, utut ex impiis illis populis, attemperans se moribus Israelitarum; tum ex eo quia & pepercit hisce populorum reliquiis Solomon & jus habitationis in populo concessit sub fide tributi pendendi. 1. Reg. 9. vs. 2. Hinc etiam Moralistæ disputant, non tantùm ante bellum, sed etiam post mutuum aggressionem, si adversarius condignam satisfactionem offerat, acceptari debere, & bellum intermitteri, utut dubia hîc occurrant non contemnenda, an sc. ex justitia obligetur, an ex Charitate, de qua distinctione supra egimus.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Grotio non accedunt alii statuenti, quod Bellum simul atque indictum est, geri possit.

EXistimat Grotius Jure Gentium nullum tempus post indictionem requiri, nec

Bellum aut
simulatque
indictum
est geri pos-
set

Cyrum aut Romanos, quorum ille confessum movit in Armenios, hi in Carthaginenses malè fecisse arbitratur, posse tamen fieri ut ex naturali jure tempus aliquod requiratur ex negotii qualitate, sed de posteriori non est controversia: nam, si res repetitz sunt, pœna in nocentem postulata & id nondum negatum est, censentur adhuc omnia esse in suspensò, nec provolare licet ad arma nondum cognita mente illius, qui vel potest vel satisfacere vult; de priori autem disputatur, cum iniquum videatur ad indicationem confessum aggredi hostem. nam ratio quam ponit in thesi XI. indicendi Belli nondum est liquida, quod gentes ideò non requisiverint denunciationem, ne quid dolo agerent, sed ut certo constaret non privato ausu, sed voluntate utriusque populi Bellum geri, à dolo autem videtur vix excusari posse, qui ad indicationem statim irruit. Secundò observatum fuit ab Alberico Gentili, post indictum Bellum adhuc solitum fuisse expectari tres dies & triginta antequàm concurreretur. Tertiò, quamvis hosti ex Regulis prudentiæ non indulgendum sit tempus, quo vires augeat superiores futuras etiam ex mora indicentis, nihilominus ex Regulis æquitatis hoc videtur esse statuendum, ut quemadmodum in privato Bello imparatum adoriri non censetur laudabile, & tantùm permittendum est temporis, quo arma Adversarius quoque expediat, & gladium evaginare possit; ita quoque hoc concedendum in Bello publico. Unde etiam

eriam improbatum id quod à Cyro & Romanis gestum ab aliis.

CAPUT IV.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Vox liciti quidem rectè distinguitur, sed non rectè omni ex parte stabilitur.

D'istinguit Author vocem licere in id quod rectè fit & vitio caret, ex omni- que parte pium est, & in id quod impunè fit; illustrat prius etiam illo Pauli 1. Cor. 6. vs.

17. addit: Exempla de matrimonio licere il- lud; laudabiliorem tamen esse ex pio propo- sito cæliem castitatem, repetere nuptias, lau- dabilius verò uno contentum matrimonio, Christianum conjugem paganam relinquere posse, sed & posse retinere. Primum firma- tur sufficienter non tantùm Exemplis addu- ctis, sed & Authoritate Doctorum, imò æ- quipollere hanc vocem quandoque voci præ- cipere ostendunt ex Canon. 10. distinct. 50. Secundum controversiæ est obnoxium, si e- nim Græcos sequamur Theodoretum & Oe- cumenium, Apostolus hoc vult: omnia mihi licent per liberum arbitrium, in mea pote- stæ est fornicari, rapere, inebriari & cæte- ra, de quibus egit in antecedentibus Paulus: partim quia priora id ostendant, partim po- steriora, dum mox escarum & ventris, nec

Illustratur dictum 1. Cor. VI. vs. 17.

non fornicationis mentionem facit, addit autem non expediunt scil. salutem animæ meæ quin peccata sunt, quâ stante Interpretatione vox licere non erit stabilita ex hoc loco in illo sensu, quo id quod rectum ex omni parte piûmque significat. Grothius autem hæc verba in Commentario ad 1. Cor. 6. versiculumque duodecimum (qui enim allegatur in margine decimus septimus nihil de hoc habet) accipit hoc Effatum non ut dictum Pauli, sed ut verba usitata Doctoribus illis Corinthiis, qui opiparas divitum mensas sectabantur, & dicebant: Omnia mihi licent, id est, DEUS ista omnia nostri causa condidit, quare nihil est mali, si eis utamur, quibus respondeat Paulus adhibendum esse modum, non enim omnem usum talium conducere aut valetudini, quæ sapienti negligenda non est, aut recto usui rationis, nam corpus onustum hesternis vitiis animum quoque degravat. At posita quoque hæc Expositione *πὸ* licere non notavit hoc in loco, id, quod rectum & piûm. Sed missâ primâ interpretatione, quam Ambrosius refutat, dicens: *Quomodo licet quod prohibetur?* aut certè, si omnia licent, nihil potest esse illicitum, alterâ quoque Grothii quæ *ἰδιογνώμοσύνῃ* prodit, admittâ verò illâ, quæ de adiphorsilla omnia accipit, ut sensus sit: omnia, quæ nullo Domini præcepto prohibentur, ut Augustinus loquitur, mihi licent, sed non omnia expediunt, non conducunt ad proximi ædificationem, commodior erit loci hujus ad præsentem,

sentem significationem applicatio, quanquam & hinc illud Gregorii libr. 5. moral. cap. 8. occurrat: *Qui non cavet ab iis que licent & non expediunt, sapè etiam ad illicita delabitur, solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit.* Tertium sordes habet & ex fœcium adfluxu fœtet, præfert in genere Coelibatum Conjugio & vocat castitatem, quasi scilicet illa etiam non in conjugio locum habeat, idemque dicit quod Concilium Tridentinum sessione 24. Canon. quod Lapideus Jesuita in 1. Cor. 7. Virginitatem longè meliorem & præstantiorem esse matrimonio: de loco autè Apostoli alibi pluribus egimus. Digamia successiva malè audit inter Pontificios & interdicta est Sacerdotibus ex causa morali, suspitione scilicet, incontinentiæ: paganam conjugè quomodo relinquere possit Christianus cõjux, Paulus edocet 1. Cor. 7. v. 12. & seq. Juvat hinc addere, quæ Grotius alibi prædidit, scribens: *Conjugium tanti facit Papa, ut quia individuum est inter Christianos, eorum Christiani cum Ecclesiâ conjunctionem adumbret, rem & mysterium id vocet. Nemo ob conjugium à Baptismo, aut à comunione arcetur, nemo à spe salutis ob id abscinditur. At si in familia mea operà uti malim calibum, quàm conjuges habentium, erone ideo nuptiarum prohibitor & Apostolo contrarius? Non arbitror. Idem facit Ecclesiâ. Calibes, si castimoniam benè præstent, aptiores esse aliis ad Ecclesiasticas functiones, docet Christus Matth. 19. v. 12. & Paulus 1. Cor. 7. v. 7. 8. 26. Quid hic est. Pa-*

Coelibatus
Conjugio
non ante-
ferendus
est.

Grotius
pro Coeli-
bati Pon-
tificio. „

*pa imputandum? Tuetur morem quem rece-
 pit jam olim Occidens : quem Africa etiam
 tam sollicitè observavit , quo tempore cum sede
 Romana acerrimas habebat disputationes At-
 tamen quibus in locis mos valuit , ut presbyteri
 matrimonio uterentur , inde venientes , & com-
 munionem suam expetentes , non repellit. Ne-
 que ego diffido , quin tam boni dari possint Pa-
 pa , id est , patres (hoc enim est istius nominis
 significatio) qui quod in Græcis ferunt , non
 damnaturi sint in aliis , apud quos de constitu-
 tione , veteri sanè , sed humanâ , discessum est a-
 liquid , ut fœditatibus passim apparentibus , &
 multorum animos à reverentiâ sacerdotum
 avertentibus , iretur obviam. quibus sequen-
 tia reposuit Laurentius. Nemo ob conju-
 giū à Baptismo , aut à communione arceatur ,
 nemo à spe salutis ob id abscinditur : Imo ve-
 rò & a communione arceatur , & a spe salutis
 abscinduntur à Papa omnes Clerici , Ecclesiasti-
 ci , Sacerdotes , quicumque post votum matrimo-
 nium contrahunt ; Quorum scilicet matri-
 monia habet pro sacrilegiis & quovis adulterio
 pejoribus , ut notum est. Et cum de Sacer-
 dotibus etiam conjugatis , & qui de conjugio
 propriis sobolem procreant , eos vivere in
 carne , & DEO placere non posse , pronunciet
 Papa Siricius , Epist. 1. qua est ad Himmere-
 rium. Tomo 1. Concilior. quomodo omnes il-
 los & à communione , & à spe salutis non arceat
 & abscondit Papa ? At si in familia mea ope-
 rà uti malo calibum , quam conjuges habent-
 sium , erone ideo nuptiarum prohibitor , & A-
 postoto*

Impugna-
 tur Groth.

postolo contrarius? Non arbitror: Hoc simile omninò est dissimile; Equidem Ecclesia non est familia aut domus Papæ sed Dei 1. Tim. 3. v. 15. in qua versari debent omnes Episcopi, non ut dominantes Clero. 1. Petr. 5. v. 3. sed ut ministri Christi ac dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. docentes observare quæ ipse mandavit. Matth. 28. v. 20. Deo in die judicii rationem reddituri; Hebr. 13. v. 17. Neque id ut absoluti domini, sed ut ministri, ac servi, ac dispensatores. Idem facit Ecclesia: Dum papisticam Ecclesiam, Ecclesiam absolute hic dicit Grotius, na ipse jam propemodum persuasus curi Agrippa, non ut Christianus fiat, qualis natus & educatus, sed ut Papista. Interim, cum aperte doceat Papa, quod sacerdotibus nullo modo permittenda sunt matrimonia, ut est apud Costerum, in Enchirid. cap. 27. pag. mihi 529. revera ipse est nuptiarum prohibitor; Et cum eas cuilibet hominum generi concedat Apostolus Hebr. 13. v. 4. planè est Apostolo contrarius; Et quid apertius in hoc ipsius Apostoli verbis 1. Timot. 3. v. 2. 3. 4. 5. Oportet episcopum esse unius uxoris virum; vigilantem, temperantem, &c. & qui propria domui bene prosit, qui liberos contineat, in subjectione cum omni honestate. Nam si quis propria domui præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Calibes, si castimoniam bene præsent, aptiores esse aliis ad Ecclesiasticas functiones docet Christus Matth. 19. v. 12. & Paulus 1. Cor. 7. v. 7. 8. 26. Neque Christus, neque Paulus loquuntur ibi de functionibus Ecclesi-

sticis, aut Sacerdotibus in specie, sed de cultu
 Dei ac Christianis in genere. Addit autem ibi-
 dem Paulus versu 35. expresse: Hoc dico non
 ut laqueum vobis injiciam, &c. Quam pa-
 rum autem bene sacrificuli in papatu prastent
 castimoniam, plus quam notum, & agnoscit ip-
 se Grotius in verbis subsequenibus: Ut fedita-
 ribus passim apparentibus, & multorum ani-
 mos a reverentia Sacerdotum avertentibus
 iretur obviam. Certè, ut hoc unum ex mul-
 tis hic proferam, Henricus Cuykius Episco-
 pus Rurimundensis, successor in isto Episcopatu
 satis amplo, Guilielmi Lindani, in Epistola
 sua parnetica tertia, expresse scribit,
 quod Lindanus iste, cum ad hunc ad-
~~itus~~ accessit Episcopatum, non nisi sex ca-
 stos invenit pastores. Quid hic est Pape im-
 putandum? Nempe, primò, quod in Ecclesia,
 qua est domus Dei, sese gerat, non ut minister,
 servus, aut dispensator, sed ut absolute domi-
 nus, ac legislator summus. Deinde, quod con-
 tra Dei Verbum, & Apostolum sacerdotibus
 omnibus lege publicà matrimonium prorsus in-
 terdicat. Tertio, quod publice in eis tolere-
 ut vel assidue scortentur, vel domi suae concu-
 binam unam pluresve habeant. Is qui non ha-
 bet uxorem, & pro uxore concubinam habet,
 à communioni non repellatur, apud Gra-
 zianum dist. 34. cap. 4. fol. mihi 49. a.
 Quarto quod jam dudum Pape Episcopi & offi-
 ciales censum pro concubinato à Sacerdotibus
 quotannis extorquent, idque tam solam, ut a-
 pud plebem ipsam in proverbium abierit illa

concupinaria exactio sive lenociniū, quo dicunt, habeat vel non habeat, aureum solvat pro concubina, & habeat si velit, teste Agrippa de Vanit. scientiarum cap. 64. Neq; diffitetur ipse etiam Espensaus, Theologus Parisiensis, Comment, in Tit. Digress. 2. pag. mihi 67. Turpissimum est, inquit, quod Officiales & Vicarij cum concubinis, pellicibus & meretricibus cohabitare, liberosque procreare sinunt, accepto ab eis, atque adeo alicubi à continentibus, certo quotannis censu: Habeat, ajunt si velit. Dictam illam Epistolam paraneticam scripsit atque edidit dictus ille Cuyckius contra eos sui temporis Papistas Theologos, qui concubinarios pastores retinendos esse existimabant ac tolerandos, sub hoc obtentu, quod satius esse dicerent, tales, quam nullos haberi pastores. ibid. pag. mihi 77. Tuetur morem quem recepit jam olim Occidens: quem Africa etiam tum sollicitè observavit, quo tempore cum sed: Romana acerrimas habebat disputationes; Verum, unde est ista traditio? Utrum ne de Dominicà & Evangelica auctoritate descendens? An de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse qua scripta sunt, Deo testatur & proponit, ad Jesum Nave dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia qua scripta sunt. Item Dominus Apostolos suos mittens, mandat baptizari gentes, & doceri, ut observent omnia quacunque ille praecepit; Si ergo aut in Evangelio praecipitur, aut Apostolorum Epistolis

ant

aut Actibus continetur, ut conjugium Sacer-
 dotibus penitus indicatur, observetur etiam hec
 sancta traditio. Si verò & Evangelica & A-
 postolica auctoritate conjugium ipsis concessum
 est, quæ ista obstinatio, quæve presumptio, hu-
 manam traditionem divina dispositioni ante-
 ponere, nec animadvertere, indignari & irasci
 Deum quoties divina præcepta solvit & præce-
 rit humana traditio? Nec consuetudo quæ a-
 pud quosdam obrepfit, impedire debet, quo mi-
 nus veritas prævalat & vincat. Nam con-
 12 suetudo sine veritate, vetustas erroris est: pro-
 pter quod relicto errore, sequamur veritatem.
 Nam si ad divine traditionis caput & origi-
 nem revertamur, cessat error humanus & con-
 jugis ratione perspectâ, quicquid sub caligine
 ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce
 veritatis aperitur. Si canalıs aque, qui copio-
 se prius & largiter profluebat, subdito defici-
 at, nonne ad fontem pergitur, ut illic defe-
 ctionis ratio noscatur, utrumne crescentibus
 venis in capite sicaverit, an verò integra in-
 de & plena procurrens, in medio itineris desti-
 terit? At si vitio interrupti, aut bibuli cana-
 lis effectum est, quo minus aqua perseveran-
 ter continua ac jugiter flueret, refecto & con-
 firmato canali ad usum atque potum civitatis
 aqua collecta eadem ubertate atque integritate
 representatur, quâ de fonte proficiscitur. Quod
 & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta
 divina servantes, ut in aliquo si nutaverit, &
 vacillaverit veritas, ad originem Dominicam
 & Evangelicam & Apostolicam traditionem
 revert-

revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Cyprianus in Epist., ad Pompejum contra Papam Steph. p. mihi 327. 328. & 329. Imo verò rotunda atque aperta ipsorum Papistarum, ipsorumque adeo Jesuitarum confessio est: Copula sacerdotalis, nec legali, nec Evangelicâ, vel Apostolicâ auctoritate prohibetur, Ecclesiasticâ tamen lege penitus interdicitur. Gratian, *Causa 26. quest. 2. cap Sors*, fol. mihi 408. b. Conjugium inire, sive matrimonii contractio, etiam post ordinationem, nullo divino jure, sed solo Ecclesiastico prohibetur. Nec audiendus novus quidam in Italia dogmatistes, qui unus contra omnium veterum & recentium Ecclesiasticorum scriptorum sententiam, calibatuum ordini sacro contumaciter, hoc est, substantialiter & lege divina adjunctum esse contendit. Cassander in *Consult. Art. 23. pag. mihi 989.* Notans Franciscum Turrianum Jesuitam. Verissimum est, decretum hoc non esse propriè divinum, nec jure divino, sed humano duntaxat prohibitum esse conjugium sacerdotibus. Bellarm. lib. de Clericis, cap. 18. sect. 3. & 6. col. mihi. 281. De veteri quoque Occidente ita Polydorus: Non ante Pontificatus Gregorij septimi, qui anno salutis 1074. est Pontifex creatus, conjugium adimi Occidentalibus potuit. lib. 5. cap. 4. pag. mihi 400. Iste enim Gregorius Papa, celebratâ Synodo, uxoratos Sacerdotes à divino Officio removit, & Parris missas eorum audire interdixit; novo exemplo &, ut multis visum est, inconsiderato, contra sanctorum Patrum.

Jen-

sententiam. Sigebertus in Chronico, ad dictum annum 1074. De Africa quoque, hoc est, Ecclesia græca ac Orientali Cajetanus concedit, absolute licuisse in Ecclesia Orientali matrimonium etiam contrahere post ordinationem; apud Gregorium de Valentia Tomo 4. in Thomam, disput. 9. quæst. 5. punct. 5. §. 2. sect. Quare, col. mik. 210. Sed & sic expresse ipse Papa Stephanus: Aliter se Orientalium habet traditio Ecclesiarum, aliter hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, diaconi, & subdiaconi, matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ, vel Orientalium nullus Sacerdotum à subdiacono, inque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi, apud Gratianum, dist. 31, cap. aliter, fol. mibi 42. b. Et Glossa ibidem: Multi ex hac litera dixerunt, quod Orientales possunt contrahere in sacris ordinibus. Imò verò sic vel ipse quoque Grotius in suis Annotatis ad consultationem Cassandri pag. 45. Balsamo ante eam Synodum qua in Trullo est habita licuisse etiam Episcopis habere uxores. Orientales Sacerdotes matrimonio copulari ait Stephanus Papa. Cajetanus hoc amplius, Tomo 1. Opusculi. Tract. 17. Diu licuisse in Ecclesia Orientali post ordinationem. Denique de veterum Patrum temporibus, Latinorum pariter & Græcorum, ita Mantuanus Monachus, & Pösta Papista: De Hilario: Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor, legitimo conjuncta thoro. De Nazianzeno: Prasule patre satius (nam tunc id jura sinebant) pastorale pedum gessit post funera

ra patris. *Item.* Non horruit illa tempestate
Deus thalamos, curabula, tadas. Concludens
tandem secundum saniores :

Tutius esse volunt, quàm lex divina sinibat.

Ipse viâ, veterumque sequi vestigia Patrum.
Attamen quibus in locis mos valuit, ut pres-
byteri matrimonio uterentur, inde venientes,
& communionem suam expetentes, non repel-
lit : Hoc sanè quàm perexiguum ? Tu quis es,
inquit Apostolus, qui condemnas alienum
famulum ? proprio domino stat, aut
cadit. Neque de quâlicunque tolerantia Pa-
pa in aliis, qui extra ejus territorium sint, sed
de preceptis sibi subjectis latis, hîc sermo est.

Neque ego diffido quin tam boni dari possint.
Papa &c. Ego verò cur omninò hic diffidam
ut circa calibatam Sacerdotum Papa vel tan-
tillum aliquando immutet, aut relaxet, movet,
imò cogit pertinacia invincibilis Concilii Tri-
dentini, à quo nullis petitionibus, remonstran-
tiis, supplicationibus, aut seriis postulationibus
quibuscunque etiam Imperatoris, Regum,
Principum, Ducum, per ipsorum legatos, ob-
tineri potuit conjugium Sacerdotum. Non
obstantibus, quod Orator Bavarus in ipso Con-
cilio palam publiceque profiteretur ac diceret
inter alia : Clerum propter libidinem abique
infamem, Magistratum politicum nullum to-
lerare civem concubinarium, concubinatum
verò in Clero ad id esse frequentem, ut è centum
sacerdotibus vix tres quatuorve reperiantur,
quos ea labe non attigerit : Adcoque non nisi
Principis sui instanter peteret : Ut matrimo

nium Sacerdotibus permitteretur sine quo eâ tempestate incassum tentaretur omnis Cleri reformatio, apud Petrum Suavem; in Historia Conc. Trid. lib. 6. pag. m. hi 616. & 617. Non obstante etiam, quod postmodum idem Dux Bavariae Romam misit, & ab ipsa Papa per legatum petiit pro suis, ut conjugatis concederetur facultas predicandi; Rationibus adductis ad hanc concessionem persuadendum præcipuè, his ànabus: Scandalum, cui occasionem Sacerdotes incontinentes dabant, & paucitas eorum qui continentia sibi imperata ad ministerium reperiebantur idonei; habentibus tunc multis in ore celebre illud dictum Pape pii II. Ab Ecclesia Occidentali optimo jure olim ademptum Sacerdotibus conjugium, sed nunc meliori restituendum apud eund. lib. 7. pag. m. hi 793. Non obstante denique, quod & rursus Imperator & Bavarus postmodum apud Papam instarent per Epistolas; In quibus sic Imperator: Ad conservandas RELIQUIAS religionis in Imperio, & extirpandas hereses, magnum quoque momentum allaturum, si concedatur ut ij Sacerdotes, qui quod uxores duxissent, segrèges facti sunt, reconciliari possint, auxuriis recentis: utque in posterum in tanta Sacerdotum cœlibus penuria, admittantur ad Sacerdotium conjugali probata vite, & existimationis. Atque id suo, tum Ducis Bavariae generi sui nomine petere, per suasum (Papam) rem dignam pietatis ipsius, & sibi gratissimam facturum. In literis autem ipsius Bavari Dux rogabat etiam Sanctitatem ejus, ut saltem ad ali-

aliquod tempus peream liceat, Sacerdotes conjugatos retentis suis uxoribus Ecclesie reconciliari, etiam eos qui mariti sunt ad sacra ministranda ordinari apud eund. lib. 8. pag. mibi 962. Hisce quoque literis Imperatoris & Bavari adjunctus erat Commentariolus quidam, sive memorialis libellus à Theologis Pontificia religionis in Germania conscriptis, hisce ferè verbis: Negari non posse sacram utriusque Testamenti Scripturam, uxores Sacerdotibus permittere. Nam Apostolos (paucis fortè exceptis) uxoratos fuisse, nec reperiri, quòd Christus post eorum uocationem mandavit; ut se ab uxoribus separarent. In Ecclesia primitiva, tam Orientali, quàm Occidentali, matrimonium sacerdotum fuisse libera, & licitum usque ad Papam Calixtum: nec jura Civilia Clericorum conjugia improbare. Id quidem nemini dubium, calibatnm in Clero meliorem esse, magisque optabilem, sed propter nature fragilitatem, & seruanda continentia difficultatem, paucos reperiri, qui stimulos carnis non sentiant. Hinc esse, quod Eusebius narrat de Dionysio Corinthio, eum admonuisse Quintum Pyritum Episcopum, ut infirmitatis mulierum rationem haberet: nec onus calibatus tanquam necessarium fratribus imponeret. Et Paphnutium in Concilio Nicæno dicentem, castitatem esse cum propriâ uxore concubitum, persuasisse Concilio, ne talem de calibatu legem scisceretur. Et sextam Synodum Constantinopolitanam non prohibuisse uxoriam consortium, nisi quo tempore offerendum ipsis erat sacrificium.

cium. Quod si Ecclesia unquam causa fuit
 permittens, Clericis conjugium, hoc seculo
 * esse, Ex quinquaginta sacerdotibus vix unum
 reperiri, qui non sit scortator notorius. Neque
 sacerdotes tantum matrimonia expetere, sed
 etiam seculares, ne illam vita turpitudinem in
 Clericis videant, immo ob hanc causam Eccle-
 siarum patronas beneficia sua non nisi conjuga-
 tis conferre. Magnam esse inopiam Mini-
 strorum ob solum Matrimonium vetitum, &c.
 Videri perquam absurdum, non admittere Cle-
 ricos uxoratos, & tolerare fornicarios; utrosque
 // vero amovete, esse, Ministris velle carere, &c.
 apud eund. ibid. pag. mihi 962. & 963. Deni-
 que antiquus etiam Helvetiorum Magistra-
 tus Tigurinus edictum fecit aliquando publi-
 cum, quo licebat, cuique sacrificula concubinam
 habere propriam, ut ab insidiis honestarum ma-
 tronarum pudicitia struendis possent abstinere.
 apud eund. lib. 1. pag. mihi 19. Papa, id est,
 patres, hac enim est ejus nominis significatio: Ita
 quidem revera est, atque ideo antiquitus om-
 nes Episcopi promiscue dicebantur Papa; isto-
 que nomine literas suas inscribunt, uti in Au-
 gustini, & aliorum veterum epistolis videre est;
 Sed audiat GROTIUS plenius hoc ipso nomine
 nos instruentem Mosconium in Tractatu de
 Majestate Ecclesie Militantis, etiam jam an-
 te a nobis allegato, lib. 1. parte 1. cap. 1. pag.
 mihi 22. Papa dictio Græca est, & quasi balbu-
 // tientis pueri, qui patrem papam appellant.
 Inde Latini Jovem Papam quasi patrem nun-
 cupabant. Dicitur etiam Papa quasi papè!
 admi-

admirantis, eo quod illius dignitas & potestas omnibus sit admirabilis, velut stupor mundi, secundum glossam in Proem. Clementin. ubi legitur his verbis: Papa stupor mundi, non Deus, non homo, sed utrumque. Et rursus: Lino legitur primò nomen Papa tributum esse, licet & Episcopis fuerit hac vox concessa, & ab Episcopis dempta, tamen soli Papa convenit, quia ille solus est omnium pater. De constitutione veteri sanè, sed humanà: Error manifestus & contrarium omninò verum est; Non lex calibatus sacerdotalis, sed libertas conjugii verè est constitutio vetus, imò & vetustissima, quia Apostolica, & divina. Illa verò de calibatu, quia & verè & merè humana, etiam verè nova. Primus certe legis calibatus author atq; institutor fuit vel Papa Calixtus, vel Syricius, vel Gregorius VII. ut patet ex precedentibus; & qui postremus Papa factus est 1074. Equidem sic vel ipse Costerus Jesuita in Apologia Catholica belgica, contra Grevinckhorium pag. mihi 11. fides seu doctrina, cujus initium probari potest post tempora Apostolorum, etiamsi esset annorum mille, non est vera fides seu doctrina, adeoque & nova.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Causas Effectuum introductorum impunitatis Author recenset, ut communiter obtinent.

Postquam Author exposuit quomodo hosti hostem liceat lædere in Bello solenni

jure Gentium, nempè impunè, cum non puniri possit Miles ut homicida aut fur, nec Bello alicui talis facti nomine ab alto inferri possit, progreditur & in Causam inquirit cur talis Effectus introductus sit, & ponit primò hanc, quod interduos populos de jure Belli pronuntiare velle periculosum aliis populis, & secundò hanc, quod etiam in Bello justo vix satis cognosci possit ex indicijs externis, quis justus sit se tuendi sua recuperandi, aut pœnas exigendi Modus; an autem ita sufficienter fundatum sit hoc Jus, disceptari permitimus.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Directè innocentes non licet interficere.

A Uthor disputat de jure licentiæ, & dicit nò eostantum comprehendere, qui actu ipso arma gerunt, aut subditi sunt, sed omnes etiam qui intra fines sunt hostiles; & thes. 9. illud uberius explicat, ad infantes quoque & fœminas illud jus extendens. (2) Non vult adducere pro confirmatione exempla ex Deuter. II. & XX. & (3) illud existimat propiùs accedere ad testandum morem communem gentium, quod in Psalm. 137. beatus dicitur fore, qui Babyloniorum infantes petràe allidet. Quod (1) spectat, non ita

ita crudè illud accipiendum. - Nam in bello etiam justo, nunquam per se & ex intentione licitum est interficere ullos innocentes: partim quia Jus divinum generale evidens est, Exod. XXXII. 7. *insontem & justum non occides*, partim quia Jus divinum speciale de bello Deut. XX obstat, ubi dicitur vers. 13. *percuties omne, absque mulieribus & infantibus & jumentis*; partim quia ipsa æquitas & ratio naturalis contrarium dicat Si enim Princeps aliquis in propria Republica non potest occidere innocentem propter culpam alterius, neque hoc poterit in Republica aliena, eo ipso quo est contra justitiam, sed Author licere hîc ait id, quod impune fit in foro exteriori & hominum judicio, quo sensu patet Jus licentiæ hîc obtinere: interim tamè per accidens & præter intentionem licitum est in bello justo interficere innocentes, si sc. victoria aliter obtineri aut civitas expugnari non possit; tum quia licitum censetur, triremes Turcarum aggredi, in quibus remiges sunt Christiani & innocentes, bonum enim publicum quod speratur ex victoria vel expugnatione tale est, cui postponi debeat aliqua innocentium interfectio; tum quia, si in tali casu non liceret interficere innocentes, nunquam liceret bello oppugnare civitatem aliquam, quia semper aliqui innocentes sunt in illa; tum quia etiam ipsum Jus divinum diserte hoc ipsum non prohibet. Disputari tamen etiam hoc potest & argumenta sunt in promptu, quæ contrarium sua-

Infonsnum
quam justè
occiditur.
& nec in
bello qui-
dem solene
ni.

Rationes
contrariæ.

deant, juxta Conimbricensem Theologum. Nam in eo casu positive verè quis cooperatur morti innocentis, ergò non potest excusari à peccato. Secundò. Tam intrinsecè malum est occidere innocentem, sicut se ipsum: sed occidere se hoc modo etiam per accidens, est malum: veluti si milites diruant arcem, & murum, cum evidenter sciant se esse simul opprimendos. Cujus signum est, quia Samson, qui hoc fecit, à Patribus August. 1. de Civitate, capite 21. & vigesimo sexto. Bernardo libro de precepto, & dispen. Divo Thoma 2. 2. questione 64 à numero quinto, ad 5. solum excusatur, quòd instinctu Spiritus sancti fecerit Tertio. Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Quarto Matth. decimo tertio. Prohibentur eradicari zizania, ne simul eradicetur triticum. Quintò illi innocentes justè se defenderent, si possent, ergò injusta est contra illos aggressio. Sextò retorquetur argumentum, quia non licet matri uti medicina, qua certò novit interfectum iri prolem, maxime post anime rationalis infusionem, quod videtur habere communiter sementia Antonin. 3. part. tit. 6. cap. 2. Sylvest. verbo Medicus quest. 4. Navarr. c. 25. num. 62. Ratio verò est, quia si non possum subvenire uni, nisi alterum ledam, melius est neutrum juvare, Cap. Denique 14. q. 1. Sed respòdetur ad primũ: si physicè res consideretur, victor non occidit, quia non est causa per se, sed per accidens: moraliter autem etiam ei non imputatur homicidium, quia utitur jure suo, neque tenetur vitare damna proximis, qua inde

inde sequuntur, cum tanto detrimento. Ad secundum, nego id esse intrinsecè malum, propter eandem rationem, quòd ille re vera non se occidat, sed permittat mortem, quòd an tunc liceat; attendendum est ex ordine charitatis: nimirum an ibi intercedat tam commune bonum, ut pro illo tuendo debeat se exponere tanto periculo: atque non desunt, qui putent hac via posse excusari factum Samsonis: de quo tamen non videtur omninò militare ea ratio, quia si humano modo res consideraretur: non videbatur tam grande bonum, vindicta de inimicis, ut propter illa Samson licite se occideret etiam per accidens. Ad tertium. Mala moralia non esse facienda ut eveniant bona: mala autem pœna fieri posse: quamvis in presenti casu permittantur potius sequi; quàm efficiantur. Ad quartum in primis nego illam fuisse legitimam necessitatem: deerat etiam potestas: neq; præterea expediens erat ad finem patrifamilias. Ad quintum quidam respondent, per accidens posse tunc esse bellum justum ex utraque parte; sed hoc non videtur posse accidere seclusa ignorantia. Vnde dico, illos innocentes posse quidem se defendere pura defensione, id est, impediendo ne civitas, verbi gratiâ, comburatur, aut arx diratur, & cæc. Quia hoc solum est vitam tueri; quod licite possunt facere, non tamen posse se defendere quasi aggrediendo, id est, pugnando contra justè pugnantes; quia re vera non patiuntur ab illis injuriam: possent tamen innocentes illi pugnare contra eos, qui in casu sunt talis belli: nam ab illis verè patiuntur in-

Juriam. Ad ultimum: sententia illa intelligenda est, vel quando talis medicina non est simpliciter necessaria ad vitam matris: sed fortasse tantum ad firmiorem salutem: quia tunc vita prolis esset preferenda; quod videtur docere Ambrosius tertio de Officiis cap. nonq. Item intelligenda de applicatione medicine animo interficiendi futurum: alioqui verò, si necessitas subsistat, bonoque animo fiat, sine dubio licet, quod præter dicta patet: quia si mors matris permittatur, regulariter tam ipsa, quam filius morietur: ergò melius est, si fieri potest, servare vitam matris, permittendo mortem filii, quam utriusque necem permittere. Nonnullum verò dubium esset si comparatur vita corporalis matris cum vita spirituali prolis, quia fortasse posset baptizari: sed in hoc servanda sunt regula de ordine charitatis, de quibus supra. Unde etiam Arriaga ex recentioribus communem sententiam probat, scribens pag. 625. Respondetur autem communiter cum distinctione, directe scilicet & immediate nullo modo licitam esse, nisi ex speciali commissione DEI, Domini vita & neci; qualem jurisdictionem DEVS dedit Iudæis olim in multos populos terra promissionis: indirecte autem id est, opprimendo navim in qua sunt multi innocentes, diruendo domos ubi etiam opprimuntur infantes, jaculando in confertam turbam, &c. quia tunc illud innocentium damnum per accidens inde sequitur; actio autem illa opprimendi navem aut diruendi muros est per se necessaria ad victoriam; quæque si tunc non liceret, planè ridicula redderetur

ventur omnia bella : possent enim semper intermisceri ab hoste aliqui innocentes, & per hoc ligarentur manus justè bellanti. Innocentium autem nomine intelligantur infantes, pueri, femina, senes, omnesque illi, qui nullo modo concurrunt ad pugnam; Ecclesiastici etiam externi, qui casu illuc advenerant, & hostem non juvant armis, nec dirigunt consilio.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Justa fuit Excisio ad foeminas & infantes usque progressa, & commodè adduci potest pro confirmatione Theſeor.

PROducit Author Exempla foeminarum & puerorum, quos Hebræi occiderunt, & dicit DEI esse opera, cujus Jus in homines majus est quam bestias: at hæc cum grano salis sunt accipienda. Nam primò, Jus DEI in homines non eòusque est extendendum, homo enim bestiam potest occidere, destruere & quasi ad nihilum redigere, quod DEO in simpliciter innocentem salvâ sanctitate & justitiâ non est integrum. Secundò, Quousque extendatur Jus DEI in homines? dum Jus DEI hîc urget, ad Jus Dominiî absoluti respicit, at excidium Chanaanorum non processit ex Jure Dominiî absoluti, sed Justitiæ, rectè DEUS enim illud Exterminium præcepit, quia gravissimis peccatis isti Chananiærum inter-necio non transcribenda est in Jus Dominiî absoluti,

populi jam Abrahæ temporibus excidium, tum temporale, tum æternum erant promeriti Gen. XV. 16. cumque DEUS annos 400. ad pœnitentiam ipsis concesserat, & nulla secuta fuerat emendatio, jure fuerunt excisi. Quod si ergò consimile quid contingat, iterum potest repeti tale excidium. Et cum DEUS præceperit, hoc consequens erit, non esse intrinsecè hoc ipsum malum. Quod etiam de 2. loco erit sentiendum. 3. Malè adducit Author pro communi more Psalmistam, tum quia verba possunt accipi non de actu præcepto, sed de pœnâ demerito debita, quasi diceret: tanta est culpa tua, ut cum quis aliquando tuos raptos affliget ad petram pueros, rectè fecisse, & amore DEI ac templi illius fecisse videri possit: tum quia hæc non dicuntur per modum probati communis usûs gentium, sed per modum prædictionis & vaticinii, quod sc. DEUS daturus sit Persis & Mædis successum, quibus usurus sit ad vindicandas injurias, quas Israelitæ acceperunt à Babyloniis: tum quia justum DEI judicium hîc exponitur, quod ipse exerciturus sit, Thren. I. 21. Psalm. 57. v. 11. Audiamus Dn. Caloviû, quidû hætracto in manus devenit, ita verò ille ad hæc Verba: *Frustrâ fingitur mos seculi istius inclementior, penes populum DEI; Frustrâ ic in Hebræo Psalte excusatur; imò non nisi impiè affingitur Spiritui S. quo auctore ipse hæc protulit. Non fuisse alias leges morales sub V. Test. quam sub Novo, non alium divînstus concessum aut probatum mor. m populi*

senſocom-
matis ulti-
mi Psalm.
CXXXVI.

populi DEI istâ aetate, quam nunc, sapius di-
 Etum. Prædicatur hic Prophetice justum DEI
 judicium ac sententiâ ipsius Spiritus S. beati
 prædicantur, vel benedictio ac successus in exe-
 cutione judiciorum DEI ab Hieropsalte ipsis
 vovetur; qui nempe supplicium de impiâ Baby-
 lone sumturi erant, quemadmodum Cyro felix
 successus eâ in re etiam ab Esaia promissus est,
 Es. XLIV. omnibusque Magistratibus Zelo pro
 gloria Domini adversus idololatrias & hostes Ec-
 clesie hodieque optari & promitti potest. Ex
 adverso vero maledicti pronunciantur, qui
 opus Domini in puniendis impiis populis fraudu-
 lenter exequuntur Jerem. XLIX. 10. ideoque
 piè hæc ad Regnum Anti-Christi, ac vota fideli-
 um adversus eundem applicantur à Bugenha-
 gio nostro. Beatus, id est, benedictus sit ille popu-
 lus, quem ad hoc miserit DEVS, ut vicem tibi
 reddat; DEVS adjuvet manus ejus, ut ita pereat
 sciencibus hostibus, ut ne parvulis quidem, qui-
 bus in bello parci solet, parcat, ut non sit tibi
 spes reliqua, omnibus occisis, quo amplius exur-
 gas & crescas in Regnum. Sic & nobis orandum,
 ut impietatis AntiChristiana Regnum quod-
 nos miserè preßit, cum magnis suis & minoribus
 scandalis, per revelatum Evangelium intereat,
 ut ne parvuli quidem supersint, quibus rursus
 crescat & multiplicetur contra nos, sed fiat
 quod Ps. 9. scribitur: Quæretur peccatum illius,
 & non invenietur, peribit gentes de terra il-
 lius, non opponet ultra se magnificare homo su-
 per terram, Amen.

Ad

Ad Th. XII.

OBSERVATIO.

De acceptis in deditionem pronunciat Author non secundum id quod æquum, sed quod impunè licet.

Dediti sine
condicione
non pos-
sunt occi-
di univer-
saliter.

Author iterum pronuntiat, acceptos in ditione sine condicione ulla legas interfectos. At verò aliter pronuntiandum censemus. Nam aut illi sunt nocentes aut innocentes; Si sunt innocentes non possunt occidi. Si sunt nocentes possunt occidi, sed tum demum si se non dederint cum hac condicione, ne laederentur, tunc enim fides servanda est prout sentiunt Moralista communiter; sed Author agit de eo quod impunè fit, præprimis hinc consulendus Azorius th. 14. ubi de obsidibus, agit & putat illos posse occidi, adducit etiã obsides à Simone datos, & putat pueros posse dari. Quod vero Azorium concernit possunt quidem obsides occidi, quibus non est data fides de salute, si comperti sint nocentes, prout Navarrus, Emanuel, Sà sentiunt, si verò innocentes fuerint, non possunt occidi etiam si illi, qui miserunt ipsos, non stent promissis, ut ostendit Didacus Lopez. 2. quamvis non possint justè vel licitè etiam occidi, tamen possunt aliis pœnis affici, carcere sc. exilio, privatione bonorum, & cæteris ut docet Reginaldus, 3. quod de Simone adducitur, id num concludat dubitamus; probat enim tan-

tum

tum in certo casu pueros posse dari obsides, tum quia pueros dedit obsides Simon, quia intimè amabat Jonathanem, eumque sibi & Israeli omnibus modis restitui cupiebat, tum quia periculum seditionis erat ex parte populi & Reipublicæ everfio, tum quia putabat Tryphonem non tam crudelem, ut pueros occideret, sed de hoc uberius in sequenti Thesi.

Ad Th. XIV.

OBSERVATIO.

Obsides quidem impunè occiduntur. de facto tamen Simonis disputari potest.

DE Obsidibus disputat Author & impunè illos fuisse occisos asserit, extendit ad traditos etiam & tandem etiam pueros tradit obsides docet, ex 1. Maçcab. 13. v. 17. At primò quidem impune hoc fit, interim ipse Author aliter & mitius pronunciat lib. hujus cap. XI. Thes. 28. secundo si obsidum Occisio infligatur sub ratione poenæ, injustum videtur ad necem usque cum illis agere, cum non tam violârint pactum, sed Respublica, neque illi consenserint, sed potiùs meliora de Republica præsumplerint, atq; injuria fiat illis si violatur fides ab illis, à quibus sunt traditi, unde etiam Molina ita censet: *Quando obsides dati innocentes sunt, quia vel non sunt deli capaces vel in causa non fuerunt, ut Princeps,*

Cur obsides innocentes occidendi nõ sint?

aut

aut Republica, quæ illos dedit, fidem frangeret, neque ullo dolo usi sunt, interfici non posse propter peccatum sui Principis aut Republicæ; tametsi retineri ac servituti subjici possint. Si verò nocentes sint, interfici possint, modo culpa tanta pœna sit digna Primum probant rationes, quibus disputatione præcedente primam conclusionem confirmavimus: universim namque nefas est interficere per se innocentem. Tertiò de Exemplo Simonis disputari potest, utut enim excusari possit aliquatenus ex rationibus dictis in thesi præcedenti, occurrunt tamē nonnulla quæ imprudentiam arguunt in Simone. nam primò cognovit ut plura indicat Simon, quod Tryphō dolosè ageret, expertus erat ingenium illius vafriū & perfidum, qui antea Jonathanem etiam per fraudem cœperat & mille ejus locios occiderat, scivit esse hostem, hominem sine Numinis reverentiâ & timore DEI. Secundò iniquitatem subodorari facile potuit, quod tantam summam pecuniæ peteret, nempe, centum talenta auri, quæ siatica fuerint, faciunt sexcenta millia aureorum in auro, sine ebræa duplam summam, nec hoc tantum, sed & filios. Tertiò Metus ille querelæ potuisset fisti propositione rationum, quibus populus forsan fuisset in officio retentus, neque tum temporis indicia apparebant seditionis & tumultus, qui compesceudus, sed Author factum tantum refert.

Imprudenter egit Simon Tryphoni obfides mittendo.

Ad

Ad Th. XV. XVI. & XVII.

OBSERVATIO.

Veneno qui utuntur adversus hostem malè audiunt,

Disputat de venenatis mediis, an in bello illa sint permessa, & putat permessa quidem esse Jure naturæ, sed non jure gentium. Verùm meritò dubitatur, num permessa sint Jure naturæ. Quamvis enim permissum sit hostem occidere, modus tamen ille rectæ rationi videtur adversus: tum quia Jus divinum talem modum nescit, cui aliàs Jus naturæ consonat, in Scripturis enim legimus quidem insidiis usos esse Duces bellicos, Abrahamum, Josuam & cæteros, sed veneno, spiculis istiusmodi & infectione fontium usos nusquam legimus; tum quia quod ipsis senioribus Gentilibus visum est, indignum homine, id etiam rectæ rationi non cèletur esse consonum. Unde enim id habuerunt, nisi ex dictamine rectæ rationis? Atqui hostes ita tollere visum est indignum homine ipsis Gentilibus, videatur Florus qui de Aquilio scribit, mixtis (nefas) veneno fontibus ad dedicationem quarundam Urbium usum fuisse, quæ res ut maturam, ita infamem fecisse victoriam, quippe cum contra fas Deum, moresque majorum, medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violavit. Livius, qui cum Perseus animasset Taren-

Veneno hostem tollere Jus Naturæ vetat

U u u u

tinum

tinum ut Romanos veneno tolleret non iustum bellum, sed per clandestina scelera latrociniorum & veneficiorum illum grassatum esse dicit. Claudianus, de bello Gildonico; tum quia Scipio & Albericus Gentilis hanc sententiam probarunt, & Jesuitarum principiis conformem alteram rejecerunt, quibus frustra sese opposuit Nicol. Serarius Jesuita, neque eorum argumenta dextrè solvit. Unde quæso morbus ille, qui tot millia hominum conficit, quem Neapolitanum sive Gallicum dicunt, nisi ex venenatis puteis & submissis scortis.

Ad Th. XVIII.

OBSERVATIO.

Percussores non facilè adhibendi.

Percussorem immittere nefas est.

Dicit Author percussoribus uti non esse contra Jus Gentium, si nulla teneantur fide laudatque factum Scævola. At generosiùs esse aperto agere Marte, Lumen Naturæ dicat, nec Author abnuir cap. 1. lib. 3. thesi 20. Secundò de Percussoribus quorum, facto perfidia inest putat aliter censendum esse, atque non tantùm istiusmodi percussores, sed & qui eorum opera utuntur facere contra Jus Gentium existimat, quæ saniora illis sunt thesi XXII. ultimâ cap. 1. ubi ita determinat: *Aliud est si quis opera spontè nec suo impulsu peccantis ad rem sibi licitam utatur: quod iniquum non esse DEI ipsius exemplo alibi*

pro-

probavimus. Transfugam Iure Belli recipimus,
 inquit Celsus, i. e. contra Ius Belli non est ut
 eum admittamus, qui deserta hostium parte no-
 stram eligit. Exemplum talium percussorum
 habemus in sacris 2. Sam 4. v. 5, 6, 7, 8. ubi
 hæc leguntur: Iverunt filii Rimmonus Beero-
 thai Recab & Bahana, juraverunque astu diei
 in domum Ischboscherbi ipso meridante. Per-
 venerunt autem illuc usque ad intimum domus
 bajulantes triticum, & percusserunt eum quin-
 ta costa: deinde Recab & Bahana frater ejus
 protipuerunt se. Itaque ingressi domum illam
 ipso cubante in lecto suo, in cubiculo suo, quum
 percutientes morte affecissent eum amoverunt
 caput ejus, & assumpto capite ejus abiverunt
 via campestrium tota illa nocte Et afferentes
 caput illud Ischboscherbi ad Davidem Chebro-
 nem; dixerunt Regi: Ecce caput Ischboscherbi
 filii Schaulis inimici tui, qui querebat vitam
 tuam: Sic edidit Iehova pro Domino meo Rege ul-
 tiones hodiè de Schaule & de semine ejus, quod
 maximè improbavit David, dicens v. 9, 10.
 11, 12. Vivit Iehova, qui redemit me ab omni
 angustia, cum eum qui nuntiabat mihi dicendo:
 Ecce, mortuus est Saul, qui tamen videbatur in
 oculis suis quasi lata nuntians, apprehensum oc-
 ciderem, Tziglaji, quod oportebat me ei pre-
 stare proximum nuntii: Quantò magis oportet
 hominibus improbis qui occiderunt virum ju-
 stum, domi ejus in cubili ejus; Iam ergò annon
 reposcerem sanguinem ejus è manu vestra, &
 solberem vos è terra. Præcepit itaq; David servis
 suis, qui occiderunt eos amputaruntque manus
 Vuuu 2 eorum

Exemplum
 percusso-
 rum Isch-
 boscherbi.

eorum & pedes eorum, & suspenderunt ad priscinam Chebrone: Caput verò Ischboschebi assumentes, sepeliverunt in sepulchro Abneri Chebrone. Josephus putat exquisitissimis tormentis excruciatos prius, demum jussu Davidis supplicio datos; conspirat Theodoretus, & & asserit extremis membris mutilatos actos esse in crucē; adstipulatur Tostatus Abulensis, sed illi à nemine quem Textus quidem designat, fuerunt immissi, sed propriâ malitiâ ad id facinus perducti; quamvis Ambrosius lib. 1. Officiorum 40. commendat Eleasarum, quòd Elephantem hortatu fratris Judæ adortus fuerit ut Gorionides vult eminentem, putâs insidere illi Regē: *Quanta, inquit virtus, inquit, animi, primo ut mortem non timeret: deinde ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulnerata molem bestie subiret, ac sustineret; post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu. Cujus ruina inclusus magis, quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes inermem occupatam incurfare non ausi post casum ruentis bestie, sic trepidaverunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur. Cui addimus Gregorium lib 19. mor. c. 13. Eleazar, ait, in pralio elephātem feri: ns stravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergò iste significat, quem sua vi-*
ctoria

Eleasaris
Regem ad-
orturi.

Storia oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsa, qua subiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste, quem prostermit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.

Ad Th. XIX.

OBSERVATIO.

Stupra bellicæ licentiæ non accensentur, & Jure gentium non probantur.

RECTÈ Author reprehendit illam licentiam, quæ ad pudicitiam usque grassatur, dicitq; esse Jus gentium meliorum, ut illibata servetur, & tandem inter Christianos observari debere, non tantùm ut disciplinæ militaris partem, sed & ut partem Juris gentium. nam nec ebræa Lege impune quemquam tulisse læsionem pudicitia, ut intelligi possit ex ea parte, quæ de captiva ducenda neque vendenda postea constituerit, de qua Deut. 21. v. 10. Quamquam autem non malè dicatur illicitam esse illam vim in pudicitiam alicujus fœminæ, interim si licitum id est Authori quod impune fit, ut constat ex antecedentibus, etiam hoc sensu licitum erit corpore uti, quod succubuit armorum robori. Secundò, si jus gentium metiendum est non ex universali conspiratione populorum, quæ demonstrari nequit & ipse Author illud æstimat, ex consensu meliorum, ut passim ex

Quo sensu
bend dicitur
pudicitiam
in bello violare
esse illicitum?
Quo sensu
contraveniat
Juri Gentium?

Lex de du-
cendis in
maximo
nium fœ-
minis ca-
ptivis

hoc libro constat; si inter Christianos ob-
servatio hujus humanitatis non tantum par-
tem militaris disciplinæ facit, sed & partem
Juris gentium, non videtur absurdè pronun-
ciari ex hypothësisibus Grotianis esse illud ab-
stinentiæ genus Juris gentium absolutè. Ter-
tiò adducit Legem ex Deuter. cap. 21. v. 10,
11, 12, 13, & 14 ubi dicitur, si egressus fueris
ad pugnam contra inimicos tuos, & tradide-
rit eos Dominus DEUS tuus in manu tuâ ca-
ptivosque duxeris, & videris in munere ca-
ptivorum mulierem pulchram & adamave-
ris eam, voluerisque eam habere uxorem,
introduces eam in domum tuam, quæ radet
cæsariem & circumcidet ungues, & deponet
vestem, in quâ capta est: sedensque in domo
tua flebit patrem & matrem suam uno mense
& postea intrabis ad eam, dormiesque cum
illa & erit uxor tua. Si autem postea non
federit animo tuo, dimittes eam liberam, nec
vendere poteris pecuniam nec opprimere
per potentiam quia humiliasti eam. Grotius
colligit non licitam fuisse compressionem
captæ in bello, quia pœnæ loco constitutum
sit, si quis aliquam deflorarit vel humiliarit,
ut ducat, nec vendat postea. at aliud primò.
Ebraei colligunt, nempe concubitus cum tali
fuisse permissum, velut reportatæ victoriæ
præmium; Secundò, si iteraretur Concubitus
tum debuisset ducere in uxorem præmissis il-
lis ritibus, & hujusmodi mulierem fuisse
Mæcham filiam Regis Gessur, de quo 2.
Sam. 13. Tertio de ipsis ritibus hisce diversi
diversa

● Captivari
ac Iudæis

diversa sentiunt, ut enim discrepant Authores, quibusdam hanc legem in favorem foeminae latam, ut eò facilius Religioni Judaicæ accederet opinantibus, quibusdam in Contemptum datam existimantibus, ita quidam etiam volunt radendam fuisse cæsariem ut deformaretur, quidam verò volunt amputandam fuisse tantum superfluatim cæsariem, ut cæteri crines eò felicius enitescerent præcidendas fuisse unges, quia ferinum quid aliàs referebant, & deponendas fuisse vestes tristiores, quæ deturpabant. Verum hisce rejectis alii delabuntur ad Symbolicam rituum illorum rationem, quod scilicet significata fuerit per illas Cæremonias mutatio & transitus à Gentilismo ad Judaicam Religionem, ut colligit Thomas de Aquino.

nubentiã
foemina-
rum Ritus

CAPUT V.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Res hostium corrumpi & rapi posse limitatè admittitur.

Author (1) existimat, non esse contra naturam spoliare eum, quem honestum est necare. Verum hinc distinguendum. In bello enim dantur duplicis generis homines, innocentes scilicet, qui non absolute possunt spoliari, ut neque occidi, sed tantum quantum necesse est ad condignam compensationem

Ad personas restringitur jus capiendi & corrumpendi res hostium.

Uuuu 4 facien-

faciendam, idque ideò, quia tota Respublica contra quam bellum geritur, censetur hostis, E. licitum est, eam punire in omnibus suis membris, quatenus dispositioni & Jurisdictioni illius subiecta sunt. Sin verò ex bonis nocentum sufficiens compensatio potest fieri, innocentibus erit parcendum. Rodericus autem ab Arriaga distinguit & ita determinat: *Illud ulterius quæri potest, An saltem bonis innocentium possit directè noceri; vel, An sit è contrario eadem de illis bonis qua de vitâ ratio. Hoc ultimum asserunt aliqui; quia punire sine culpâ non licet. Melius Molina supra disp. 120. & 121, cum multis aliis, docet posse bonis eis directè noceri, quantum ad satisfactionem victoris necessum est. Ratio est clara; quia licet in bonis vitâ non efficiat civis unum quid cum Republicâ, ideoque hac non habeat jus in eam vitam nisi ob delictum civis; non enim potest eum directè occidere, aut mutilare ob ullam necessitatem; in bona tamen cujlibet civis habet Respublica dominium, ut in casu necessitatis possit ea directè accipere: hoc autem jus transit in victorem; quia hic ratione justa victoria fit dominus omnium illorum que ad Rempublicam victam vel Regem victum pertinebant; ergò cum tunc ad satisfactionem pro expensis necessarium sit ea bona etiam innocenti accipere, dicendum omnino est, id omnino ipsi licere. Neque hinc sequitur puniri innocentem sine culpâ; quia id non fit per modum pœnæ, sed ad compensationem damnorum: sicut si Respublica in casu extreme necessitatis ob bonum publicum*

Publicum acciperet ab eodem innocente bona, non puniret sine culpa, sed uteretur jure suo, etiam si inde damnum aliquod in innocentem sequeretur. Addunt aliqui, etiam in ordine ad punitionem pecuniariam eos, qui alioquin in sua persona innocentes sunt, posse dici peccasse per modum partis Reipublicae, ideoque in bonis, quae sunt eis cum Republica communia, qualia sunt bona fortuna, posse puniri; sic quando una Respublica peccavit, omnes amittunt privilegia sua, etiam illi qui fuerint innocentes, & possunt novis contributionibus aut tributis gravari. Probabilis solutio. & quae ad priorem reduci debet, ut sit bona; ideo prior sufficiat pro presenti puncto. Nam alioquin liceret victori etiam per modum poenae auferre innocenti bona, quod tamen nemo concedit.

Ad Th. II.

OBSERVATIO I.

Sacra profanari posse Jure Gentium non simpliciter verum est.

Author nobilem questionem tangit, Anum sc. etiam sacra hosti cedant Victori? & in affirmativam descendit. At (1) Grotius non probat intentum. Mittimus rationes Suarezii, qui putat non posse profanari sacra in bello, tam propter reverentiam, tum quia Ecclesia sit Respublica spiritualis distincta à temporali, quae exempta à jurisdictione civili: hoc notamus; Grotium non

U u u u s eon-

concludere. Nam ratione fundamenti nititur saltem factis & dictis Gentilium, nec non ratione objecti agunt illa non de istis, quæ DEO vero consecrata sunt, sed quæ Deastris, Idolis, & falsis Diis, qui utique contemni poterant, (2) non contemnenda sunt argumenta pro negativa. Aliud videtur suadere ratio recta, quæ enim DEO sunt relicta, humanis juribus sunt exempta, adeoque non possunt censi in bonis alicujus hominis. Aliud ipsa ratio Ecclesiæ, bellum enim est inter Principem alicujus populi & alium Principem, non inter Ecclesiam & Ecclesiam, quæ possunt esse ejusdem Religionis. Aliud tandem suadet ipsum Jus, injuria enim ab uno facta alteri, qui ejus particeps non est, noctiva esse non debet. Quid ergò ad DEUM, si Princeps peccavit. Accedit, quod Gentiles hoc ipsum observarunt, Philistæi pepercerunt Collegio Prophetarum, ut constat ex 1. Sam. 10, v. 5. & 10. sacrorum curam Trojanos habuisse ostendunt illa Virgiliti:

Sacra Iure
Gentium
enim pro-
fanari non
possunt.

Exempla
Gentilium
qui res Deo
vel Diis sa-
cratas non
corrupe-
runt.

*Sacra suosque tibi commendat Trojapenates,
Nos cape fatorum comites, his mœnia quare.*

Perfarum quæ fuerit Religio ostendit Cyrus, qui vasa templi aurea & argentea restituit, Esræ 1. v. 7. & 8. Macedones quid senserint Princeps illorum docuit, dum Thebanorum agros exceptis sacris inter auxiliares socios divisit. Arianus de Exped. Alex. cæteri Græci paria fecerunt. Unde Euripides: *Homo qui-
vis Vrbes vastat & his manibus sedes sacras ac*

tem-

templaque haud rectè sapit, nam similis ipsum
 pestis Excidii manet. Romani Alba captâ à
 Deorum Templis sibi temperarunt capta Ca-
 pua sacris pepercerunt, unde Silius Italicus :

*Ecce repens tacito percurris pœtiora sensu,
 Religio & savas componit Numine mentes
 Ne flammam tadasq; velint, ne templa sub uno
 In cinerem sedisse Roge.*

Et deniq; pro hac sententia stat iudicium divi-
 num contra sacra profanantes, videatur locus
 Dan. V. Diodorus Siculus de Xerxe, Gell. l. 2.
 Noct. Art. c. 9. quanquam limitatè hæc sint in-
 telligenda. audiamus nostros, qui ita: de Bon.
 Eccl. 101. & p. 96. *Non Hierosolymitani modò, sed
 & Delphici quoq; templi spoliatores, nec S. Ma-
 ria modò, sed & Palladis quondam contempto-
 ris misere multatos legimus. Etenim ubi Tro-
 jâ captâ Græci multa insolenter facerent, nec
 aris, ut est apud Virg. 2. Æneid. mensisque
 Deorum parcerent, & Ulysses paullo antè unâ
 cum Diomede Palladium manibus profanis
 contrectasset, diversis tempestatibus naufragi
 rerumque omnium egeni, decimo demum vix
 anno innumerabilibus malis exantlatis, patri-
 os ad lares reversi sunt. Phlegyas verò Ixionis
 pater, Lapitharum Rex, quòd templum Del-
 phis Appollinis devastasset atque incendisset, à
 Deo isto sagittis confixus, prætereaque ad infer-
 nos detrusus fingitur, ubi secundùm Maro-*

Iudicium
 DEI contra
 profanantes
 sacra.

*miserimus omnes
 Admonet, & magnâ testatur voce per umbrarum
 Discite Iustitiam moniti, & nò temnere Divos.
 V u u u & Acer,*

Acer etiam (ut verbis Val. Max. l. 2. cap. 1. illatam ultionem reconseamus ; scimus enim idolum nihil esse in mundo) sui numinis vindex Apollo , qui Carthagine à Romanis oppressa , veste aureâ nudatus , id egit , ut sacrilega manus inter fragmenta eius abscissâ incendrentur. Huius etiam Filius Esculapius (eod. memorante Val. d. l.) consecratum templo suo lucum à Turulio Prefecto Antonii ad naues faciendas successum dolens effecit , ut devictis Antonii patribus , Turuliû quasi manifestâ namis irâ in eum , quem violaverat , locum tractus à Casarianis militibus occideretur. Ceterum quoque Milesiam , Miletum ab Alexandro captâ , milites , qui templum spoliaturi irruerant , flammâ objectâ privâsse oculis testatur Id Val. l. 3. c. 5. Et Q. Plerninium , Scipionis legatum cum Proserpine thesaurum spoliasset , mox victum Senatus mandato , Romano protractum esse ; atque ante causâ dictionem , terribissimo morbi genere in carcere consumptum , Val l. 1. cap. 1. Et Pyrrhum , quod è Sicilia rediens , Thesauros Proserpine Locrensium ad eum usque diem in tactos naui arreptos imposuisset , hac alterâ mox die vicinis Dea littoribus illisa , vi tempestatis totâ cum classe dispersit , pecuniam tamen sacrâ incolunt repertâ , sanctissimique thesauri custodia restitutâ , l. & c. eod. Porro nec Q. Fulvius Flaccus impunè tulit , quod in Censurâ tegulas marmoreas ex Junonia Lucina templo in aditu Fortuna Equestrâ , quam Roma faciebat , transtulit. Negatur enim post hoc factum mente constigisse : quin etiam

per summam agritudinem expiravit, cum ex duobus filiis in Illyrico militantibus aliorum decessisse, alterum graviter audisset adfectum. Cujus casu motus Senatus regulas illico reportandas curavit. Miserat Cambyses 50000. hominum, qui templum Ammonis Jovis diriperent, direptum incendio fedarent. Sed ingens illa hominum manus, cum inter Oasim & Ammonios pransa esset, sub ita ventorum tempestate, priusquam ad locum veniretur, arenarum cumulis obruta est, ut nemo ex tanto agmine sit nuntius repertus. Ex proximis tamen arenarum accolis ejus rei fama ad posteros manavit. Sambicus latro templum Diana expilavit in Elide. Quod flagitium cum fateri nollet, annum perpetuum exquisitissimis cruciatibus ad mortem usque tortus est. Hinc Adag. Sambico graviora pati. Gundericus Rex Vandalor. captus Hispali, cum impiè clatus manus in Ecclesiam ipsius Civitatis extendisset, mox Dei judicio à Demone correptus interiit, Anno Christi 429, Chron. Sigberti. Theodorico Rege Gothorum, Arvernorum regionem vastante, nonnulli ex militibus Basilicam S. Juliani effringere, resque pauperum; quæ ibidem fuerant aggregata, diripere ausi fuere, qui à Spiritu immundo correpti, infestis dentibus propriis se morsibus lacerarunt. Gregorius Turonesis l. 3. c. 12. Eberulfus Francorum Regis Chilperici cubicularius, cum passim Ecclesiarum bona perfidè ad se raperet, tandem et ipse bonis omnibus exutus, post mortem Chilperici ex mandato Guntbramni Aurelianensi-

um Regis, interfectus est. Turonens. l. 7. Leo Copronymus è templo Constantinopolitano Coronam insignem auro & gemmis, quam Mauritiuſ in magnâ Ecclesiâ Deo consecrârat, cùm rapuisset, capitique suo accommodâſſet, statim vehementi febrî correptus est, quæ finem ei vite attulit, Zonaras. Regenarius Normannorum Princeps, An. 864. Carolum Regem graviter infestans, Parisiis Ecclesias & Monasteria diripuit, cujus sacrilegii pœnas protinus pendere coactus est, subitanè morte extinctus. Ejus verò milites plerique ex profluvio ventris interière. Anton. l. 6. de gestis Franc. Rhatarius Regis Francorum Childberti Prefectus Massiliensis, Episcopus Theodorum Massiliâ ejicit, resque Ecclesie diripit, & alia quidem sibi vendicat, alia sub sigillorum munitione concludit. Quod cùm fecisset, protinus famulos ejus sevisſimus invadit morbus, exhaustosque febrî perimit. Filius ejus ab hoc incommodo defecit, quem in suburbano Massilia ipsius cum gravi gemitu sepelivit, fuitque talis domui ejus plaga, ut cùm ab illâ urbe est egressus, vix ad Patriam suam regredi poteretur. Turonens. l. 8. c. 12. Gunthramni Exercitus, cum Vincentij Basilicam, quæ est juxta terminum Aggenensis urbis, referentem diversis incolarum thesauris, injecto in eam igni diripuisset, protinus divinam ultionem expertus est. Nam plerique manus divinitus urebantur, nonnulli arrepti Damone, bacchantium ritu martyrem declamabant; Plurimi verò semoti à seditione, propriis se jaculis sanciebant.

Turo-

Turonens. l. 7. c. 35. Celsus Patritius, Regis Gunthramni Praefectus, Ecclesiarum bona per vim rapta, suis adjungebat, cumque audivisset, vice quadam Esaie lectionem in Ecclesiâ legi: *Veni, qui jungunt domum ad domum, &c.* Esai. 5. v. 9. exclamasse fertur: *Hoc ve mihi & filiis meis.* Reliquit autem filium, qui absque liberis functus maximam partem facultatum Ecclesiis, quas pater spoliaverat, reliquit, Turonens. l. 4. cap. 24. Antiochus Magnus, Syriae Rex, cum noctu templum Dindymaei Apollinis spoliare aggrediretur, incolarum concursu cum militibus suis omnibus in sacrilegio interficitur, Strabone & Justino testibus. Poena qua Urracha Regina in Hispaniâ sacrilegium secuta est, admiranda prorsus ac celeritatis plena fuit. Nam cum in bello, quod adversus filium Alphonsum gerebat, pecunia ei deesset, & S. Isidori in Legione, urbe Hispaniae, fanum spoliare decrevisset, ceteris contingere sacros reformidantibus, ipsa manu suâ multa auferens, dum templo egreditur, mortua concidit, Fulg. l. 1. c. 2. In Elephantinâ Ethiopiâ sacrilegos Ophiusam herbam bibere cogebant, quâ potâ ita terroribus & falsissimis imaginibus afficiebantur, ut mortem sibi ulterò consciscerent, Alex. ab Alexand. Regem verò profanissimum Antiochum, pro contaminatione sacratissimi templi Hierosolymorum, Sacrorumque vasorum asportatione, percussit Deus insanabili plagâ. Apprehendit enim eum dirus dolor viscerum & amara intestinorum tormenta: ita ut de illius corpore vermes scaturirent, ac

vivens

viventis in doloribus carnes ejus efflerunt. Unde
 cum fetore ejus Exercitus gravaretur, & à ca-
 rioribus quoque devitaretur, rabie tandem at-
 que irâ plenus miserabiliter functus est, mani-
 festam Dei virtutem in se contestatus & fassus,
 propter violatum Judaeorum templum id se
 perpeffum esse, 1. Maccab. 6. Canon. 26. Syno-
 di Aquisgranensis. Menelaus autem sacrilegus
 illius hortator saeviter à Lysia trucidatus est. 2.
 Maccab. 13. Can. 27. Synodi Aquisgr. Nec
 minoris sunt Exempli Manasses, ejusdemque
 Filius Ammon, in Judaeam Reges, quòd Hiero-
 solymorum templum spoliassent, opibus & regno
 privati sunt. Ille enim ab Assyriis Babylone
 in custodiâ habitus est: at hic patri liberato
 cum aequè in impietate, ut in regno successisset,
 à suis in palatio obruncatus est. Et Nebu-
 cadnezar Chaldaorum Rex, quòd devictis Joa-
 achim & Sedechia, Hierosolymorum Regibus,
 templum invasisset, ac postmodo animo elato
 contra Deum & proximum insurrexisset, men-
 te captivus ad id deliravit, ut cum jumentum in
 sylvis oberraret & in nemoribus. Herodes au-
 tem, cum audisset Hyrcanum decessorem suum
 aperto Davidis monumento tria millia talen-
 tum argenti abstulisse, noctu fidelissimis amico-
 rum testibus idem monumentum aperit, ingre-
 ditur, ac argentum quidem ut Hyrcanus non re-
 perit, sed multum aurei ornatus, quo omni
 sublato, ad Cellas interiores, quibus Davidis
 & Salomonis Regum cadavera condita erant,
 properat: Quò dum penetrare contendit, duo
 ejus satellites perierunt, flammâ, ut fertur, &

rumpente; ipse perterritus discessit, atque ob id facinus res ejus domestice laborare videtur, Joseph. l. 17. Zonaras 1. annal. Julius Caesar, quod in Gallia sana Deorum nonnunquam prae quidem magis necessitate, quam delinquendi voluntate expulisset, miserè Roma confossus perit; Sueton. Nec paulo immanior manebat Neronem Sacrilegiorum poena. B. Fulgos. l. 1. c. 2. ejusque successorum pauci ad generum Cereris sine caede ac vulnere descenderunt. Caligula a militibus obruebatur: Cladius veneno interibat: Galba capite pledebatur per Othonem? qui paulo post ipse violentas sibi manus inferebat: Vitellius propiciebatur in Tyberim: Domitianus a suis interemptus est: Aurelius Commodus laqueo vitam amittit: Aelius Pertinax a Juliano confossus obiit: Didius Julianus vicissim a Severo interfectus est: Bassianus Caracolla a quodam suorum satellitum sublatum est: Et simili fato occubuerunt Heliogabalus & Severus Alexander. Maximinus v. praecipuus Christianorum persecutor, suorummet gladiis occubuit: & Gordianus a Philippo, qui primus Imperator Roma baptizatus Christianam religionem professus est, morte multabatur. Ita Julianus Apostata in bello Persico hostili manu occubuit. Caterum & inter Christianorum Caesares sacrilegi quidam graviter puniti reperiuntur. Et noti sunt de Caroli Crassi successore Arnulpho Versiculi Gregorij Sabini in Germ. Imp.

Cepis & Ansoniam depulsis Civibus Urbem, Templaq; militibus diripienda dedit.

Xxxx

Quas

*Quas meruit, justas solvit pro crimine penas.
Syllanis moriens vermibus escavit.*

In his autem, quæ Illustrissimis olim Bavaria Ducibus intra annos 1300 & 1400. cum vicinis subinde suis tum Principibus tum Civitatibus imperialibus erant, Bellis ubi inter alia militum facinora, tres inlyti Ducis Stephani Equites unà ex direpto fano quodam crumenam holosericam, quâ sacra ritu Ecclesiastico hostia fuisset adservata, in septem assium sive teruntiorum mercedem putido cuidam tradidissent prostibulo; ALTER eorum continuo per castra discursu miserè confectus expiravit; ALTER ubi a quatuor equitaret caballo excussus undisque abreptus interiit, ferro TERTIVS interemptus occubuit. Hieron. Cieglerus in Hist. Illustr. aliquot. Germ. c. 85. Ex quibus oppositum colligitur Jure scilicet gentium sacra non fieri profana, & si id apud Græcos vel alios etiam obtinuerit, non tam fuisse juris quàm permissionis & conniventia. (3) Nihilominus affirmativa aliundè poterit confirmari; Si enim res sacræ subsunt quoq; Imperio Principum, consequens erit devicto Principe illa cedere Victori. Hinc etiam sacra ab alienarunt Reges, ut constat ex II. Reg. XII. v. 18. & c. XVIII. v. 15. Daniel. 1. v. 2. DEUS tradidit Vasa sacra Nebucadnezari. Ita tamen ne si verè sint Numinis in contemptum illius profanentur, vel aliàs contaminentur.

Victori sacra etiam cedunt.

Ad

Ad Th. II.

OBSERVATIO II.

Tertulliani Locus videtur contrariari Authori, rectè tamen pronunciat de errante circa Idolum & Josepho.

Author in Annotatis allegat Locum Tertulliani pro propositione illa, quod omnia desinant esse sacra. Secundò asserit in thesi, si quo in simulacro Numen aliquod inesse credatur, id violari aut corrumpi nefas ab his qui in ea persuasione conveniunt. tertio aliud esse, si hostes non idem sentiant: prout Judæis non tantum permissum sed & præceptum simulacra gentium abolere, & Josephum castigat. In primo non dextrè concluditur, cum Tertullianus dicat id negotium sine Deorum non esse injuriâ, dicat tot sacrilegia fuisse Romanorum, quot trophæa; De altero certum est, si quis in simulacro Numen esse credat abstinentendum esse ab illius corruptione; quamvis enim erret talis, peccat tamen si contra conscientiam erroneam agat: miserrimus enim est homo, qui tali laborat in re Religionis, vel mandatâ aut prohibitâ, cum sive secundum illam agat, sive contra, peccato se involvat, priore modo sequendo Errorem quem posset & deberet deponere, posteriore agendo contra agendi Ducem, quem DEUS præfecit.

Quod locus ab hostibus capta desinant esse sacra Tertullianus non asseruit.

Peccat, qui simulacrū violat, cui Numen aliquod inesse creditur.

Iosephus reprehenditur, quod Diis alienis non esse maledicendum existimaverit.

cit. In tertio rectè pronunciat contra Iosephum, quem alii quoque castigant. Unde Salianus Tom. 2. ad Ann. Mosis 120. p. 297 scribit: *Diis alienis nemo male loquatur.* Βλασφημεῖται μηδὲς θεῶς, ἐς πόλεις ἄλλαι νομιζέσσι. *Nemo diis male dicat, quos alie urbes lege sanxerunt.* Quae adulatoria, atque impia est interpretatio; & per additionem depravatio illius loci Exodi, diis non detrahes, & principi populi tui non maledices; quod de populi iudicibus, & magistratibus omnes interpretantur; ut sensus sit: neque principi populi, neque magistratibus, qui ab eo potestatem habent, maledicendum, aut detrahendum: eis quippe honor debetur & obedientia, quia Dei vice funguntur, à quo est omnis potestas. Unde septimo habent Exod. viges. primo, διαπίστευον τὸ θεῶν, quasi Deus in iudicium persona iudicet. Et ita deorum nomen accipitur egr., precedenti Exod. viges. primo, & viges. secundo, ut ex Hebræo, & Græco clarissimum est. David quoque Deos pro iudicibus accipit; Deus, inquit; stetit in synagoga deorum, in iudicio autem deos diiudicat, si que ad verbum habent septuaginta. Imò & Pagninus, Vatab &c. Quia & Iosephus ipse hic, ubi de deposito agitur, Deos iudicis interpretatur. Hoc autem loco gratiam Ethnicorum demereri voluit, eosque officioso, ut putavit, mendacio, legi divina conciliare, quasi illa prohiberet de idolis male loqui, quae passim infringi severissime iubet, & quasi proprio nomine sordes & abominatiorum vocat, imprecationis & anathematis.

nim Moysen. *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt; neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiā detestaberis & inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est. Et rursus, Vidisti, inquit, abominationes & sordes, id est idola eorum lignum & lapidem, argentum & aurum, quae colebant. Et Exodi trig. 2. vocat idem vitulum, ignominiam sordium id est sordidam ignominiam, vel ignominiosas sordes, Denique Hebraei passim idola vocant gillulim, id est, stercorea. Adde quod de iis David, & omnes Propheta cum maximo contemptu, & irrisione loquuntur, quorum verba populus semper in ore habebat. At ea si Josephum audiret, nonnunquam usurparet. Qui consentaneè huic doctrinae suae, Oportet, inquit, bene sapientes in legibus propriis circa pietatem integre permanere, & aliorum minimè carpere. Vbi ergo est divini honoris zelus? ubi charitas proximam, praesertim ignoratione peccantem? Sed his consentanea subdit. Fana externa non sunt spolianda, neque sacra donaria tollenda. Reus ergò David violatae legis, sed Josephicae, non Mosaicae, cum tollit coronam idoli Melchior de capite ejus, & invenit in ea talentum auri & preciosissimas gemmas. Et spoliatis scilicet urbibus, idolorum speluncas, quasi Sanctis Sanctorum non attingebat, Certe*

*coronam illam idoli fuisse non hominis, de cu-
 jus capite sublata est, pondus ipsum centum vi-
 genti quinque librarum docet, quod nemo in
 capite ornamenti causa ferat. Sed ubi unquam
 Moyses talia? imò clarissimè frequentissimè-
 que inculcavit, confringendas statuas, oversen-
 das aras, succidendos lucos; ut paulò ante cir-
 ca exordium harum legum diximus. Sed hoc
 quoque impiorum auribus à Iosepho datum est,
 constat quidem eis non licuisse, nec ulli mortu-
 alium, sine causa legitima, alienas nationes licet
 idololatrias vexare; sed tantum apud Chanana-
 eos, quorum regiones Dominus Israelitis dede-
 rat, omnem idololatriam, ejusque cuncta vesti-
 gia exterminare. Quod autem Moyses isti po-
 pulo ad idolomaniam prurienti, hujusmodi
 legem tulerat, nusquam factum. Non ita vir
 sanctus unquam desipuit. De Templis quæ
 addit in tantum admitti possunt, ut quidem
 etiam hodie liceat, nec tamen si in Usus vero
 Numini relinquuntur & sanctificentur, im-
 probari debeat, rigidioresque videantur illi
 quos in Anglia Separatistas vocant, qui in
 Confessione & Apologia Controversiarum
 rationibus adductis diruenda esse talia Tem-
 pla septem rationibus ex Scriptura productis
 probare satagunt, quibus tamen opponi pos-
 sunt aliæ: Quia licet omni loco DEVM ora-
 re 1. Timoth. 2. v. 8. Job. 4. v. 25. quid ni er-
 go liceat ad publicas orationes convenire in lo-
 cum illum quo usi sunt olim idololatre II. quia
 mundis omnia munda & omnia sanctificantur
 fide & gratiarum actione Tit. 1. 1. Timoth. 4.
 & licet*

Tempia
 profanorū
 ad veri Nu-
 minis cul-
 tum licitè
 consecran-
 tur.

& licet vesci carnibus idolo consecratis modo in
 macello vendite ad communem statum essent
 redactæ & à sigillo doli absoluta 1. Corinth. 10.
 III. Quia quæ usum habere possunt communem
 & indifferentem sive quoad Materiam suam
 sive quoad formam artificialem, ut sedilia
 Mappa; candelabra, calices, suggestiæ, turres
 campana, cuprum, ferrum aurum, argentum
 pavementum, parietes, tectum, & ex iis consur-
 gens integrum adificium si reseruentur & ap-
 plicentur ad usus civiles aut ecclesiasticos prout
 ratio cultus publici hoc requirit non est ido-
 latria participata, quia etiam DEVS ex spo-
 liis Egypti, tabernaculum exstruxit & pretiosa
 vasa Jerichuntina in sacrum Thesaurum in-
 ferri voluit. Jos. 6. 19. Quibus tamen ad idolo-
 latriam incolas publicè privatim ve subinde a-
 busos esse indubium est. IV. quia pari ratione
 nec Curis; nec scholis aut academiis nec pleris-
 que domibus privatis olim exstructis, nec civita-
 tibus, nec plateis esset utendum ad opera civica
 nedum ad religionis exercitia tum domestica,
 tum privato publica tum publica, & de omnibus
 antiquis adificiis & civitatibus semper scrupulus
 hic haberet Christianis, an non fuerint olim di-
 cata idolis gentibus aut papisticis an non imagi-
 nes ibi erectæ & idololatria exercita, & conse-
 quenter an loca illa non sint diruenda?

Ad Th. IV.

OBSERVATIO I.

Sepulchra *ἀνύμων* dicuntur res religiosæ, interim non facile sunt temeranda.

Sepulchra
vel sacris
non accen-
denda.

Religiosa loca h. e. Sepulchra talia esse definere Hoste superiore facto Auctor asserit & primò quidem Sepulchra res religiosas dicit contradistinctas sacris, quod antiquorum superstitionem redolet: nam quia illi credebant Animas corpus egressas ad DEOS redire & divinam indure naturam, ideoque Corpori habitaculo animæ in terris relicto, & propter id Sepulchro, tribuebant Venerationem quæ terminabatur in ipsum qui imixtus DEORUM turbæ. Secundo sepulturae curam fuisse magnam & Sepulchra alias inviolabilia apud Gentes Historia prodit, apud Athenienses si quis Dux peremptos Bello sepelire neglexisset morte multabatur. Nicias totum Exercitum subsistere iussit, ut duos milites sepeliret. Quanta Cura fuerit apud Ebræos notum est ex sacris, Terquinius reprehenditur à Livio quod socrum suum prohibuerit sepelire. Tertio Lapidex ex Sepulcho sublato in quemlibet Usum convertere posse ex Pomponio asserit, male autem non vult tractari corpora illata, quia sit contra Jus sepeliendorum hominum. sanè Julianus rescripsit durissimâ Sacrilegii pœnâ esse co-

Neque ta-
men vio-
landa sunt

se cohibendos, qui lapidem sepulchro movent, terram evertant, cespitem evellant, ornamenta tricliniis & porticibus auferant; sed inter Arma censetur silesq; hæc lex; interim quamvis quocunque modo licere videatur illa Sepulchrorum violatio, nihilominus Honestas & Humanitas prævalere debet, nec hic simpliciter ad rationem liciti attendendum per jura civilia, cum etiam ossa hostium de Jure civili effodi potuerint sine pœnæ Metu, quæ tamen in humaniter tractare Grotius vetat.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO II.

Non tantum vi Bona hostium possunt rapi sed & dolo.

Author statuit, etiam dolis posse agi in bello, fraudibus & insidiis, & ut in genere hoc admisit supra, ita in specie nunc illos non improbat, si per illos eripiantur res hostium. At hoc ipsum videtur adversum tum justitiæ, fraudes enim & doli opponuntur justitiæ; In bello itaque justè non videntur posse admitti, idque eò magis, quia Deut. XXVI, 20 dicitur justè quod justum est exequeris: tum quia repugnat virtuti fidelitatis; Si itaque nulli homini est mentiendum, & hosti quoque servanda est fides, etiam insidiis non debemus agere contra hostem, tum quia vide-

Utrum dolo vel insidiis in hostem agi possit?

Permitti-
tur sub di-
stinctione
insidiarum.

tur repugnare juri naturali: quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris, nullus autem vult sibi parari insidias & fraudes, E, nec alteri parare debet. Verum dupliciter possunt intelligi insidiae, vel ad fallendum ordinatae uno modo ita, ut dicatur falsum vel non servetur promissum, & hoc semper est illicitum, neque hoc etiam licet fallere hostem, foedera quippe etiam inter ipsos hostes servanda, altero modo in quantum reticetur propositum nostrum, & ita denudatio animi non est sub praecipio, liciteque possumus occultare consilia nostra hostibus. Hinc patet responsio ad (1) nempe tales insidias non repugnare justitiae, justitia enim tribuit unicuique suum, non autem debetur hostibus denudatio animi, ad (2) non repugnare fidelitati etiam; Nam tum repugnarent fidelitati, si promissio quaedam intercessisset, aut falsum quiddam diceretur hosti; ad (3) non repugnare juri naturae, quia principium illud: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, intelligendum est de voluntate ordinata, esset autem voluntas inordinata, si quis vellet nihil sibi ab aliis occultari, interim quomodo haec sint accipienda ex superioribus constare potest.

CAPUT

CAPUT VI.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Malè Author de futuro accipit prædam Jacobi, rectè verò Jus illius probatum esse à DEO asserit. Unde etiam præceptum Josuæ.

Author disputat de Jure naturæ circa acquisitionem rerum bello captarum, etque (præmissa de Decimis Diis ex prædâ sacratis propositione, de quâ litigant Lancelotus, Andrewes Episcopus Wintoniensis. Kelletus, Richardus Montacutius, Prideaux, Willetus Angli ex unâ parte & Martyr, Zanchius, Author Altaris Damasceni ex altera, de quâ nos supra, inter alia adducit (1) Exemplû Jacobi, refertq; illud cepi Prophetico loquendi genere pro *certò capiã* ad futurû & Jacobo attribui, quod posteri ejus ab ejus nomine dicti facturi erant, asserit, reprehenditque communem Theologorum expositionem. (2) Dicit DEUM probasse jus prædæ, & (3) adducit exemplum Rubenitarum, Gaditarum, & partis Manassæ, qui participes facti sint prædæ hostium cum fratribus. Quod (1) concernit, malè Grotius propheticè hæc verba accipit, tum quia gladius & arcus possunt notare juxta Hieronymum Ju-

In verbis
Genes.
XLVIII. 21.
non appa-
ret Prophe-
ticum lo-
quendi ge-
nus.

sticiam Jacobi, quia meruit interfecto Siche-
mo & Hemore de periculo liberari, vel pec-
uniam qua emit agrum illum, vel potest in-
telligi de Amoræis, qui post discessum Jaco-
bi à Sichem invaserunt locum emptum à Ja-
cobo, quos postea reversus iterum gladio &
arcu expugnavit, sarrè ex Gen. 33. v. 19. con-
stat Jacobum ab Hemor & Sichem emisse a-
grum illum. quid quod vertant: *Vendicavi de
manu Amorraeorum oratione & supplicatione
meâ*, quia Jacobus non tam manu militum,
quæ parva erat respectu hostium, quam pre-
cibus DEO largiente victoriam obtinuerat.
quocunque autem modo accipias non de fu-
turo erit sermo, sed de præterito; tum quia
illud quod Author opponit non stringit,
nam, si accipiamus de illa expilatione, ut
commodissimè accipi potest cum Chryso-
stomo & Ambrosio, non tamen obstabit, quod
obstare putat Author, quamvis enim Pater
vivens & moriens vim istam damnavit pro-
pter multiplices excessus in illa, non tamen
damnavit effectum inde consecutum, quod
scil. agrum sibi posterisque suis promissum
jure belli sibi comparaverit, tum quia teste
Augustino mysterium quoddam hîc fuit insi-
nuatum, Josepho enim data fuit illa terra,
ubi Jacob disperdiderat gentes, obruendo
Deos alienos, ut indicaretur Christum pos-
sessorum gentes Diis Patrum suorum renun-
ciantes. Quod (2) concernit, rectè Author
statuit jus prædæ in Scriptura esse stabilitum,
& quidem ita stabilitum est, ut etiam spolia
possit

Prædæ Jus
Deus pro-
bavit.

possint bonâ conscientiâ possideri, 2. si legitimo bello sint hostibus erepta, 3. non tantum hoc in loco, sed vei maximè Num. XXXI.

11. Jos. XI. 14. Esa. IX. 3. Quod (3) concernit, agitur in loco allegato de divisione prædæ, ubi disputari maximè potest, num quod Josua pronunciauit, fuerit consilii an præcepti? & quidem præcepti fuisse patet tum ex eo, quia præcesserat nuperum mandatum divinum, & exemplum Moysis Num. XXXI. in Midianitis; tum quia ipsa verba, si intelligantur prout jacent, præceptum aliquod important, tum quia hoc ipsum convenit cū naturali æquitate, postulat enim illa, ut ii qui ad sarcinas castrorumque custodiam relinquuntur de præda quoque participent, consentientibus Masio, Serario, Cosma Magalliano & aliis. Addamus Bonfrerium in Jos. cap° 22 pag. 172. *Longè verius id fuisse præcepti quod item Masius Serarius, Abulensis, Magallianus sentiunt & verba ipsa sonant accedente naturali æquitate que postulat ut ii qui ad sarcinas castrorumve custodiam relinquuntur præda hostibus erepta participes fiant. Adde nuperum Moysis exemplum divinumque præceptum Num. 13. ubi Madianitarum spolia jubentur, ex equo dividi, ita ut media pars pugnantibus, altera pars dimidia ceteruqui in castris resederant, obveniret. Itaque nihil obest quod isti qui trans Iordanem remanserant otiosi extitissent, neque bellorum laboribus essent perdendi, satis enim est publico bono ibi remansisse, atque adeo & ipsorum bono qui Iordanem transierant.*

Vtrum verba Iosue
XXII. &
Participes
fuit prædæ
&c. consilii
fuerint
vel præcepti.

fierant, utpote qui remanserant ad tuendas,
 contra vim hostium suos suorumque contribu-
 tium fines. Verum quomodo facienda sit ista
 divisio ex equitate viritum & per capita, ita ut
 singuli qui remanserant tantundem acciperent,
 quantum ii qui pugnaverant, an verò ut prada
 dimidium obveniret iis qui remanserant, alie-
 rum dimidium iis qui in pugna fuerunt: hoc po-
 sterius placet. Nam & talis divisio servata fuit
 Num. 31. qua factum est ut ii qui pugnaverant
 longè plus acciperent, quam ii qui otiosi reman-
 serant idque aequitati naturali satis est consen-
 taneum, ut qui laboribus & periculis graviori-
 bus est perfunctus plus accipiat. Quod & hic
 factum fuerit, siquidem in qui bellum interfue-
 rant, fere duplex spoliiorum portio obveniret pra-
 iis, qui otiosi domi remanserant, siquidem bella-
 torum millia trans Iordanem remanserant fa-
 cile 70000 aut etiam plures cum ii qui ad beb-
 lum processerant 40000 millibus censerentur,
 prout supra cap. 4. v. 15. à nobis declaratum
 est. Postquam tamen à Davide statutum est 1.
 Reg. 20. ut aqua esset portio remanentis ad sar-
 cinas, & pugnam conferentis, qua lex ut ibidem
 Scriptura indicat deinceps perpetua
 apud Israelitas man-
 sit.

AD TH. III

OBSERVATIO.

Res mobiles statim fiunt in Bello capientis.

Quando res mobilis capta censetur ex Gentium Jure Grotius discutit & putat cum ita detineantur, ut recuperandi spem alter probabilem amiserit, & hoc in rebus mobilibus ita procedere, ut capta dicantur ubi intra fines præsidia scil. hostium perducta fuerint. At probabilius, confestim illa bona transire, quod constare potest ex ipsis Institutionibus allegatis, ubi de rerum divisione hæc leguntur: *Quæ ex hostibus, capimus statim jure gentium nostra fiunt, aded quidem ut & liberi homines in servitutem nostram detineantur.* De divisione verò prædæ ita censet Molina disput. 117. §. 5 pag. 457. *Barro l. si quid bello citata affirmat prædam esse afferendam ad ducem, ut inter pugnantes pro cujusque meritis dividatur, consonat cap. jus militare d. 1. Intelligendum verò id est, ubi ea viget consuetudo. In regno autem Castella, præsertim par. 2. tit. 26. varia statuta sunt leges circa modum prædæ dividenda, & inter alia, quinta pars Regi debetur. Licet autem hodiè quadam illorum serventur in locis Africa, quando Hispani prædas in Mauros exercent; in exercitiis tamen illa non servantur.*

Quando res mobilis capta censetur jure gentium?

Sunt

Sunt etiam variis in provinciis varia leges constituta quoniam pars præda sit dividenda. Audique in hoc Lusitania regno aliam rationem dividendi prædas constitutam esse in India, aliam in Africa; & aliam in aliis locis. Illud in genere dici potest, ejusmodi jura variâ inconstantiaque esse diversis in locis, meliusque illa scire milites ipsos, quàm nos, nec non in quibus eventibus vim inter eos habeant, & in quibus non. Illud possumus affirmare, in eventibus, in quibus leges illa vim habent, si quid milites contra earum legum aut consuetudinum præscriptum usum usurpent, teneri restituere alii portiones, quas ex præda illa juxta eas leges erant accepturi. Quando autem nulla est particularis lex nec consuetudo, aut licite sit, in aliquo tamou eventu cessat, tunc juri gentium statuitur, ut quod quisque miles justo bello capit, suum id efficiat. Et dicitur hoc ipsa ratio. conveniens enim est ac secundum naturam, ut quem sequuntur incommoda, commoda quoque cujusque rei sequantur, quapropter cum res hostiles occupans grande subeat vitæ periculum, vigilas sustineat, in ediam & alia sufferat, consequens est, ut & eo, quod labore suo paravit commodo fruatur:

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

De Agris non idem sentiendum,
quod de mobilibus.

A Gros non statim captos intelligi simul
atque in seſſi ſunt Author ſtatuit, tum Quando a
gri intelli-
gantur ca-
pit
demum verò ſi manſuris munitiõibus ita
includantur, ut niſi iis expugnatis parti alteri
palàm aditus non ſit. Allegat in margine
Cornelium à Lapide, qui ad cap 14. Gen.
ejusque verſiculum vigefimùm tertium ſe-
quentia ſubjicit: *A FILO SVBTEGMINIS VS-
QVE AD CORRIGIAM CALCEI, id eſt, nec
viliſſimum, nec miſimum quid accipiam. Eſt
adagium. Vox ſubtegmini, non eſt in Hebrao,
ſed à noſtro Interprete addita eſt explicationis
cauſa. Subtegmen eſt filum quod ſub ſtamine
texitur, vel quod ſtamine intexitur: in textri-
ma enim ſibi reſpondent quaſi correlativa, ſta-
men & ſubtegmen. Porro caliga eſt genus cal-
ceamenti militaris, unde milites caligati dicti
ſunt, & Cajus Imperator dictus eſt Caligula. Sic
Act. 12. 8. dicitur: Calcea te caligas tuas; quaſi
calceos tuos. NON ACCIPIAM EX OMNI-
BVS QVÆ TVA SVNT, qua ſunt Pentapoli-
tanorum, quaque ab hoſte recuperavi: nam ex
bonis hoſtium non negat Abram ſe partem ſuam
accepturum. Nota hìc continentiam Abre, qua
eum verè divitem fecit, ut poſſet dicere illud
Seneca: Mea ſunt divitia; t' divitiarum es;
quia divitia ſapienti in ſervi ute, ſtulto in Im-
perio*

perio sunt. Noluit ergò quidquam accipere: Primum, ut omnes viderent, eum non propter lucrum pug-
 nasse, sed ex charitate ad liberandus captivos. Quam paucos hodie sic bellantes invenies? Se-
 cundo, quia illa bona pauperibus erepta erant: maluit ergò ea ipsis restitui, quam illis dirari. Tertio, quia noluit esse obnoxius regi ea offeren-
 si. Quarto, ut gloriam victoria non sibi, sed Deo attribueret. Quinto, ut insignem animum, terrena omnia parvipendentem, impiis ostende-
 ret, seque majus quiddam habere quam opes, in quibus infideles omnem spem collocant. q. d. Habeo Deum, qui plus potest, quam omnia mun-
 di bona. Vnde S. Ambros. lib. 2. de Abraham 6. 8. Perfecta, inquit, mentis est, nihil de ter-
 renis, nihil de corporalibus illecebris assumere. Ideò Abraham dicit: Nihil sumam ab omnibus
 tuis. Quasi contagium declinat intemperantia, quasi labem refugit corporalis sensuum, dele-
 ctationes mundi rejicit, querens quae supra mun-
 dum sunt, hoc est extendere manus ad Domi-
 num. Manus, operaria virtus est anima. Au-
 gusta mentes invitentur promissis, erigantur
 speratis mercedibus. Aliter Pererim: Quae tua
 sunt, inquit, id est, quae tua fuerunt, sed jam
 mea sunt. nam capta bello justo, cujuscumque
 illa fuerint, sunt victoris, lege non naturali,
 sed positiva multarum gentium; quam in Hispa-
 nia servari docet Abulensis & Covarruvia.
 eandem in Belgio obtinere nonnulli dicunt, ut
 nimirum praeda ab hoste abacta, & hosti rur-
 sum excussa cedat excussari, modo illa spatio
 24. horarum fuerit in manu hostium. Verum
 hac,

hac, ut dixi, sunt juris positivi, non natura,
 quod sequitur hic Abram. Tannerus addatur p.
 716. §. 75, 76. qui sic pronunciat: *Spolia bono-
 rum mobilium, que ad hostes pertinebant, com-
 muni jure sunt capientium, ex dictis supra
 dub. 3. nisi fortè alicubi consuetudine introdu-
 ctum sit ut toti exercitui distribuantur; aut
 eorum pars aliqua Principi cedat in subleva-
 tionem oneris, & subsidium solvendi stipendii:*
*prout variis locis & casibus varia sunt leges &
 consuetudines, satis nota militibus; que ser-
 vanda sunt. Bona verò immobilia, quatenus
 justam compensationem, aut satisfactionem
 non excedunt, ad supremum belli Principem:*
*ex l. si captivus ff. de captivis. Ea verò immo-
 bilia, que ad hostes non pertinebant, sed ab iis
 injuste occupata tenebantur, prioribus domi-
 nis restituenda sunt; ut qui eorum dominio non
 sunt privati; ex communi & certa apud Co-
 varruviam in regulam Peccatum pars. 2. §.
 11. & Valentiam hic. q. 16. pun. 3. Quoad
 bona verò mobilia ab hostibus inique possessa,
 si bello justo capiantur, servanda cujusque
 regni recepta & approbata consuetudo. Ita
 Mol. d. 118. Sa V. Bellum. Ratio est. Quia in
 ejusmodi rebus, consuetudo habet vim legis; nec
 dubium, ob bonum commune, tum propter li-
 tes vitandas, tum propter extimulandos mili-
 tes, posse humano jure introduci, ut res ejus-
 modi spectent ad capientes, ut ex simili patet
 in lege præscriptionis. Unde Molina non au-
 det damnare Hispanos, qui ejusmodi res sibi
 reservant; saltē postquam ab hostibus semel*

in locum tutum recepta; cum idipsum etiam quorundam locorum jura statuant de iis rebus, quae una nocte fuerunt in hostium potestate, ut idem Mol. testatur. Sa quoque & Val. p. 3. probabilem asserunt quorundam sententiam; qui simpliciter docent, ablata justo bello ab iis, qui illa bello injusto acceperant, non esse prioribus dominis restituenda, saltem ut limitat Valentia, postquam intervallum intercessit, & res jam fuit ab hostibus in tutum locum recepta; quia videntur res quasi neglecta, vel amissa: additque Sa, ita receptum videri, ut capta à Turcis, prioribus Dominis non restituantur. Idem (facta tamen quarundam rerum exceptione) decernit jus civile, l. Hostes & l. si quid in bello. ff. de captivis, & Instit. de rerum divis. §. Item ea quae ab hostibus. Sed quod jus cum supponat bellum etiam ex parte hostis justum esse, per se ad Christianorum bella non pertinet, ut fusiùs prosequuntur Cevarruvias cit. §. 11. n. 7. & 8. & Molina disp. 118. Quod si alicubi lex vel consuetudo aliud habeat, id observandum. Hoc certum, si restituantur prioribus Dominis, teneri eos sumptuum & industriam compensare titulo actionis negotiorum gestorum. Disputant tamen hoc alii & ita progrediuntur: Si quis accuratius perpenderit legem sive in princ. & §. 1. ff. de acquir. possess. ei dubium non erit, quin ad id, ut ager dici possit captus ab hostibus, sufficiat qualiscumque naturalis possessio. Paulus namque Jurisconsultus juxta Labeonem in princip. d. l. 1. ait; possessionem
appel-

appellatam esse à sedibus, quasi positionem, quia
 naturaliter tenetur ab eo, quia ei insistit; ac
 statim subjungit §. 1. dominium rerum ex illa
 naturali cepisse possessione, ejusque rei vestigium
 remanere de his, qua terrâ, mari, cœloque ca-
 piuntur, quæque bello capta sunt. Sequitur
 itaque, qualicumque naturali possessione & oc-
 cupatione dominium ad hostes translatum esse,
 Quo facit & illud Celsi in 18. in fine. ff. de ac-
 quir. vel amitt. possess. si cum magnâ vi ingres-
 sus est exercitus, inquit, eam tantummodò par-
 tem quam intraverit, obtinet. Neque obstat
 Hannibalis exemplum à Grotio in opinionis sua
 probationem adductum; neque enim ex ven-
 ditione vendentis probare poterit dominium,
 nec sequitur, agrum illum, si venditus fuerit,
 adhuc in Romanorum remansisse potestate, cum
 juris minimè controversi sit, non tantum rem
 propriam, sed & alienam vendi posse. l. 28. ff.
 de contrahend. emptione & validam ad pretium
 consequendam actionem nasci, si emptor non
 ignoraverit empta rei conditionem. l. 57. §. 1. 2.
 ff. eod. tit. Vel etiam responderi potest, legiti-
 mam fuisse agri illius ab Hannibale detenti
 venditionem, quia nondum omnis postliminii
 spes erat dissipata. Ajala de jure & officio belli
 libr. 1. cap. 5. n. 36. certum enim est, etiam
 circa ea, qua reditura sperantur ab hostibus,
 contractum posse celebrari l. 22. §. fin.
 l. 23. ff. famil. ercisc.

Ad Th. VII.

OBSERVATIO.

Non solidè pro thesi sua ex Judicum XI. concludit Grotius.

Testimonio Jephthæ non probatur nostra fieri quæ hostes nostri aliis bello eripuerant.

Author disputat de Jure gentiû, & statuit nostra fieri illo jure, quæ hostes nostri aliis bello eripuerant, & post aliquod tempus possederunt. Quod quidem non negamus. Adducit autem in confirmationem exemplum Jephthæ, contra Ammonitas agentis ex Jud. XI. 23. At num hoc exemplum conducatur Auctori, maximè disputari potest. Nam (1) Rex Ammonitarum conquestus quidem fuit, quod Israel tulerit terram suam, sed respondit Jephthæ, non tulisse Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon, probatque quia tantùm cum Sehon Rex per terram suam transitum negasset, & valido exercitu occurrisset, Israelitæ ipsum vicerint, & terram illam quam ipse possidebat jure belli occuparint, quæ nõ ulterius erat terra Ammonitarum; sed non tantùm hoc argumento qualicumque utitur Jephthæ, sed aliis etiam & quidem prægnantioribus, inter quæ jus acquisitum DEI donatione, v. 23. & 24. adjicit Jus præscriptionis trecentorum annorum, v. 26. (2) Rex Ammonitarum potuisset utique replicare, si injusto bello hætenus possedit Sihon cum suis illam terram, verum quidem esse, non habuisse Ammonitas tum terram hanc de facto, jus tamen non intercidisse ad illam, utpote

pote paulò ante ab Ammonitis possessam, & per injuriam à Sehone Rege ipsis ereptam.

(3) Si Princeps aliquis exterus ante 30. annos vel plures Hollandis Regi Hispaniarum rebellibus intulisset bellum ob injurias sibi factas ab illis & occupasset regiones Hollandorum, non tamen prætensionis Jus amisisset Philippus Rex Hispaniarum ante pacem factam cum illis, non enim fas est cum alterius injuria occupare id quod alterius est. Audiat quem paulò ante in subsidium vocavit Cornelium à Lapide ita commentantem:

Casus hic est: Sehon rex bello occupavit urbes aliquas Moab & Ammon: Moses verò & Hebraei Sehon Regem occiderunt, omniaque que ejus erant occuparunt. Queritur ergo nunc rex Ammon de injuria sibi facta, terramque suam à Sehon occupatam ab Hebraeis, qui Sehoni illam bello exterserunt, repetit & reposcit. Tulit, scilicet injustè per vim & bellum injustum, terram meam: hanc enim injustè invasit & occupavit Sehon rex Amorthæorum; vos verò ô Hebraei Sehon invadentes & occidentes, omnia, quæ ipse tam justè quàm injustè occupabat; vobis usurpatis, excluso me, qui eram primus & justus heres, cui proinde ea reddere debeatis, non verò ea vobis vindicare. Historia narratur Numer. 21. 25. & seq. & licet ibi tantùm terra Moabitarum à Sihon subacta, ac eo occiso à Judæis occupata, fiat mentio; tamen Ammonitidis quoque partem tunc fuisse ab eis occupatam liquet ex hoc loco. Aut certe descendens cum Lyrano, Cajet. Dionys. &

aliis eundem fuisse olim, vel tunc regem Moabitaram & Ammonitarum: Moabita enim Ammonitis erant conjuncti, utpote à duobus fratribus Moab & Ammon à Lot progeniti. Genes. 19. Rex ergo Ammon agit pro Moabitibus, vel ut subditis, vel ut sociis & fœderatis, qui jus suum per eum ab Hebrais repetunt. Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon, quam scilicet adu tunc possidebant Moabita & Ammonita; veterat enim Deus Hebrais, ne eos quasi sibi ex Lot & Abraham cognatos invaderent. Numer. 21. & Denter. 2. & 3. illam verò Moabitudis & Ammonitudis partem quam bello sive justo sive injusto (res enim hac incerta & dubia) occupavit Schon rex Amorrhæarum, Hebrai eo prostrato jussu Dei occuparunt, ut in sequenti narrat Jephthe, quia illa jam non erat Moabitaram, sed Schonis regis hostis Hebræorum, quam ab eo recipere & bello repetere nequeverant Moabita: quare illam ut Schonis, non ut Moabitaram, jure belli, annuente Deo occuparunt Hebrai. Est hæc prima ratio, quæ Jephthe probat regem Ammonitarum falso queri de terra sua ab Hebrais sub Mose occupata, ideoque injustè cum Ammonitis in Iudæam immisisse ad eam opprimendam. Verùm hæc ratio sola non sufficiebat, nec satisfaciebat, regi Ammon, hinc alias subjungit Jephthe, quibus eam corroborat. Adde Ariam Montanum circa finem in Commentario Grotio aliquatenus faventem: Definitivi status erat indicare, consuetam gentis regio illa esset

Set, cum ab Israelitis capta fuit: deinde quo jure fuerit possessa cognoscere, ad legitimum pertinere statum, ad quem etiam tituli ac nominis definitio refertur solet. Omnia hec brevi quidem oratione, sed luculente satis dicit Iephote. Primum enim usurpationis titulus & nomen ex verbo, POSSEDIT, traditur, est autem possidere, sive Hebraicum JARAS, perpetuum propriumque sibi tenere, non tamquam commodatum, nec malo dolo initum, sed manifesta & quicquid publicèque comprobata lege obtentum, quodque intercessionem vel exceptionem patitur nullam, nec cujusquam repetitioni sit obnoxium. Nam si quis maxime repeteret poterat, is erat censendus qui antea tenebat & habitabat, quique & regni & Regis titulo potiebatur, ut Schon Rex Hesebon, sed eo cum tota prole, domo, ac gente sua, pariter extincto, terra & hereditas, que cultore ac possessore vacua mansit, alicui in usum jure cedere debuit, victori nempe, ac precipue si victoria non ex libidine & vi procurata, & per fraudem quaesita, sed ex manifesta sui defensione & propugnatione parca constiterit, cujusmodi hec fuerat ex Amorrhæis reportata habitatoribus regionis illius, non ab Ammonitis, ut minime illam habitantibus. ita definitiva constitutioni vel indicato habitatore satisfactum est. titulus autem verbo, POSSEDIT, est representatus quod si Israel eodem veniens, terram desertam, & habitatore vacuum reperisset; tamen occupationis jure inire ac tenere potuisset, nedum ab habitatoribus injustè laceffitus & vexatus bello, superiorque

riorque evadens, victoria & expugnationis jure teneret. sed nec hoc tantum jure, possessionis titulum & nomen sibi adscriptum defendit, verum alio longè illustriore & graviore, majorisque auctoritatis jure, donationis videlicet & assignationis, à legitimo & verissimo principe Deo facta, ad quem, tanquam ad auctorem, veteremque dominum, & primum terrarum omnium divisorem, & regnorum provinciarumque Imperatorem, regio omnis, qua cultoribus ejectis vel extinctis, vel alias desideratis, vacua deprehendatur, jure, uti dici solet, devoluto reverti debet. S. S. E. *M*eus enim est orbis terrarum, & plenitudo ejus mecum est. Quod quidem jus ut æternum, ita etiam DEO uni aeterno, & propter dignitatem, & propter auctoritatem, proprium esse constat, sed præter hoc singularis etiam ratio existit, quam ob rem regio hæc DEO singulariter in ditionem dominatumque concesserit, hoc est, vindicatio ipsa, qua Deus iudex ac princeps, maleque fraudis vindex, illatam Israeli injuriam & cladem propulsare, & nominis sui majestatem tueri, & impietatis ac superbia noxam punire decrevit, sceleratis improbis Rege ac populo possessione exspoliandis, & capite multandis, quorum res ad se imperij ac fisci legibus pertinentem, Israeli, cui immeritò periculum ab illis intenderatur, cuique decretum supplicium irrogandi cura commissa, & opera fuerat imperata, ultro donare voluit. Hæc ad possessionis titulum & nomen, atque aded ad causæ definitivum statum firmandum, à Jephthæ petita sunt,

cums

eum expositione ac descriptione terminorum regionis ab illis antea usurpata, atque ab Israelitis post victoriam possessa. Et universos fines ejus ab Arnon usque Jaboc, & de solitudine usque ad Jordanem. Hac enim terra omnis ab Amorrhæorum gente non omni, sed ab habitatoribus regionis illius manifestè tenebatur & colebatur, atque ad eò cognominabatur Amorrhæi Hesebonisque regio. ex qua Ammonisa Regis calliditas redarguitur, qui calumnia belli res alienas pro suis peribat, auctoremque fraudis Israellem insimulabat: Quia tulit Israel terram meam. quam petitionem constanti negatione refellit Jephthæ: Non tulit Israel terram tuam, nec tua terra fuit, nec Israel tibi, aut cuiquam quicquam consilio, aut studio, vel dolo, operaque dedita abstulit: terra enim Amorrhæi fuit, eaque per Deum justè ablata, Israeli donata fuit. Hac autem redargutio amplificatione & expositione confirmatur. Melius pro illo facit, quod ex 1. Sam. 30. vs. 20. adducit, ad quæ verba Claudius Rangolius Crespeientis Valesius hæc adjecit p. 1838. Quod jure belli eo que hostibus erantur Victor sibi vendicet & justo titulo possideat, divinis humanisque legibus confirmari potest, sed exordiar ab humanis. In ff. de captivis & postliminiò reversis. l. postliminium qua in bello amissimus vel circa bellum, ea si post recuperabimus, obtinebimus postliminiò. Nam dum non recuperantur, ab hostibus possidentur. hoc autem jus est erga eos, qui declarati sunt illi antè hostes declarati sunt,

Tyy 6 quibus

quibus populus Romanus publicè bellum indixit, aut qui populo Romano bellum indixerunt, ut habetur in eodem titulo l. hostes. Nam pirata atq; pradones non possunt hoc pacto dominium acquirere, aut quippiam armorum jure possidere. Oportet enim bellum geri, ut aliquid jure belli acquiratur & in D. de acquirendo rerum dominio l. Naturale §. ult. ea que ab hostibus capiuntur jure gentium statim, fiunt captivum, atque ita humane leges in hanc rem satis sunt perspicue. Ita etiam res in divinis legibus habet. Abraham ut constat libro Genes. cap. 14. bellum contra quatuor Reges gessit, qui Loth captivum abduxerant, confecto bello praeda illorum in potestatem & dominium Abrahami transit, quod facile probari potest, quoniã ex illa praeda Melchisedecho decimas dedit, non autẽ licuisset decimas de alieno dare, sua igitur erant de quibus dedit; quo circa pradam eam in ejus dominium pervenisse credendum est. Nam quod eam donaverit Regi Sodome fuit mera liberalitas, non enim lege ulla tenebatur. Sin quisquam idcirco Pentapolitanam pradam restituere debuisse arbitretur, quod federe & amicitia conjunctus sociis opem tulisset, nec prater stipendia & sumptus & que gratis offerretur exigere quicquã deberet: de spoliis tamen Regum Assyriorum dubitare nemo poterit, quin ea jure optimo possideret quorum duntaxat decimas decimas DEO & sacerdoti tradidisse nonnulli videntur asserere, possem ad hac commemorare qua Josue Caleb, Othoniel, David,

Sa-

Salomon, populus denique universus jure belli pararunt ac tenuerunt. Nam cum à principio veteres incelas vicissent, erepta hostibus venerunt in eorum potestatem. Sed non satis est inquis geri bellum ut aliquid ejus jure vindicetur sed justum esse oportet quia nisi justum sit non bellum est sed latrocinium & depredatio. Esto quis hoc bellum justum negat, quod DEUS jussit & ut serio administraretur tantopere Judais commendavit.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Res captæ ab hostibus singulorum fieri capientium negat Author.

DE hoc puncto DD. moralium paucis agunt & decernunt: *Res mobiles acquiri militibus acquirentibus, nisi aliter statuunt Principes, aut aliter in consuetudine sit receptum, nam bono communi expedit, ut hujusmodi bona sint militum, ut audatiores fiant ad debellandos hostes, leg. si quid in Bello ff. de captivis, & cap. dicat. 23. quest. 5. Ita Tabien. verbo Bellum num. 10. res verò immobiles sunt Principis Bellum indicentis, ex quo fit, ut hostes teneantur finito Bello restituere acquisita justo Bello, aut alio justo titulo, quia priores Domini amiserunt dominium; si verò Bellum fuit injustum, non possunt acquisita retineri, siue illa essent adversariorum, siue aliorum, nam Domini non amiserunt illorum dominium per Bellum*

An res ab hostibus captæ omnino singulorum capientium fiant?

Bellum injustum. Sciendū insuper non posse emē vili pretio ea, quæ ab hostibus aduersariis injustè extracta sunt, nam priores Domini non amiserunt dominium per injustam hostium extractionem; & rapinam, etiamsi priores Domini, nunquam recuperativi essent talia bona, non enim ob id admittunt dominium rerum suarum; si autem verisimile sit, ea nunquam peruentura ad priores Dominos, ut ordinariè evenit, possumus illa emere, etiam vili pretio hoc animo, ut Domino comparente illi eadem restituamus, pro eodem pretio, sin minus nobis eadem retineamus; sic enim utiliter gerimus negotium Dominorum, qui non censentur rationabiliter iniuri. Ita Molina disp. 222. Reginald. lib. 21. cap. 8. sect. 4. num. 117. & alii apud Vasquez de restitut. cap. 9. §. 2. disp. 5. num. 28. Rodriquez cap. 128. num. 6.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO.

Agri capti sive Terræ non fiunt singulorum, sed dividi possunt.

De agro-
rum manu-
captorum
divisione.

Agit Author de Bonis immobilibus & dicit apud Ebræos & Lacædæmonios agrū manu captū sortitò divisum fuisse, quod quidem constat de Hebræis in occupatione terræ sanctæ, in qua ut distributæ sunt terræ partim interventione sortis doceat; partim citra sortem, posteris Ruben, posteris Gad, & dimidiæ parti posterorum Manasses à Moyse con-

concessæ sunt possessiones, & agri ad illorum petitionem, consentientibus reliquarum trium principibus. Numeror. cap. 32. Par ratione Calebo juxta divinam promissionem attributa sine sorte fuit hæreditaria portio. Josuæ cap. 14. vers. 12, 13. Reliquis tribubus assignati per sortem agrorum termini, postquam per viros quosdam fide dignos ad hoc negotium ex unâ quaque tribu delegatos in æquas partes univèrsa regio pro trium numero divisa erat. Josuæ c. 18. & 19. passim. Singulis hoc pacto tribubus portione data, univèrsis dein familiis ac personis singulis constituti terræ limites; uti id apparet ex factò filiarum Selphad, Numeror. cap. 27. Josua c. 17. & Calebi Josuæ. cap. 14. Theodor. Grafwinckel de prælud. Justitiæ, quæst. 3. sect. 3. pag. 180. Si autem nonnulli post institutam immobilium divisionem finitimas è sedibus suis gentes depulissent, cum propter accrescentem hominum multitudinem nimis angustus esset habitandi locus; expulso agri ad illam solummodo tribum pertinebant, aut familiam, quæ peregrinos illos ejecisset populos. Josuæ cap. 17. vers. 14. & seqq. & cap. 19. vers. 47. De Græcis hoc habent vix certam regulam definiri posse: nihilominus quid obtinuerit aliquando, ita expediunt. Ad rempublicam pertinebant ipsæ civitates per vim occupatæ. Justin. lib. 3. cap. 6. & libr. 5. cap. 4. Res autem mobiles, quæ quis in ipso confli-

tu

Et ut cepisset, ab adversariis, occupantis erant, adeoque si armata manu citra deditioem capta foret adversariorum civitas, universa diripiebatur ab exercitu victore præda, Curtius libr. 7. cap. 6. Quod si justo prælio inter duos hostiles decerneretur exercitus, post certamen nulla direpta prædæ pars, sed inter omnes æqualiter dividebatur, uti divisum fuit inter Græcos aurum & regalis Persarum opulentia. Justin. lib. 2. cap. 14. eamque mediante sorte divisionem institutam fuisse docet Virgilius. libr. 9. Æneid. ubi Alcanius inquit:

*Si verò capere Italianam, sceptrisque potiri
Contigerit victori & præda ducere sortem,
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat, in
armis*

*Aureus? ipsum illum clypeum cristasque
rubentes*

Excipiam sorti.

Aut publicatur, ex eaque publicata vel singulis militibus præmii loco pars assignabatur. Alexander Magnus prædæ partem post admissum prælium militibus in congiarium dedit. Curtius libr. 6. cap. 2. Unde & alibi gloriatur, scire omnes unum se prædæ communis exsortem esse, in illis colendis ornandisque usurpare victoriæ præmia. Curt. libr. 4. cap. 14. Vel etiam inde restituebatur, quicquid ab hostibus dirutum esset aut eversum. Justin libr. 6. cap. 5. Phocenses præda ab inimicis parta mercenarium conduxisse militem idem Justinus autor est libr. 8. cap.

cap. 1. Arma autem devictorum quandoque consecrata. Sic apud Euripidem in Phœniss. Thebis crematis scuta Polynices Deis suspensa sacrat. Alia plura Græcorum exempla Grotius enumerat libr. 3. cap. 6. n. 14. Hinc necesse fuit post prælium à viris justitiâ ac probitate supra alis excellentibus effervari prædam, ideoque Aristidi virtutis causâ justo dicto commissa prædæ Marathonis custodia. Plutarch. in ejus vitâ. Trojâ captâ res omnes in unum collatæ locum ab Ulyssæ ac Phœnice custodiebantur. Virgil. libr. 2. Æneid. Et Alexander Magnus receptam prædam Parmenioni dedit asservandam. Just. lib. 4. cap. 1. Romanorum quod spectat, jus in iis quæ bello capta sunt, illud sic sese habet; res immobiles, ut agri, in prædam propriè sic dictam militibus non cadebant, sed publicabantur. l. 20. §. 1. ff. de captiv. & post. limin. l. 31. de jure fisci. nisi tales essent agri, quos ante à Romanis civibus hostes belli jure cepissent: in illis enim juri postliminii locus erat: sicut ad præstinos agri recuperati dominos revertentur; eo quippe jure res immobiles ejus consuebantur esse conditionis quasi nunquam ab adversariis occupatæ fuissent. Obiter hic notandum, postliminii jus in immobilibus regulariter obtinuisse, non item in mobili-

postliminii
lus.

bus. l. 28. ff. de captivis & postlimin. Nisi forte navis oneraria major, vel equus foret ab hostibus recuperatus l. 2. ff. de captiv. & postlimin. vel. servus noster. l. fin. ff. d. tit.

Z z z z

Scipio

Scipio tamen Africanus etiam in aliis rebus mobilibus postliminii jura vigere voluit: cum enim in hostili civitate captâ multa Græcorum signa reperisset & ornamenta, per præconem edici jussit, ut urbes Græciæ legatos mitterent, qui, quicquid ad se pertinere demonstrassent, rebus captis eximerent. Plutarch. in Apopthegm. Lucretius cum ingenti præda Romam reversus, eam omnem per triduum in campo Martio exposuit, ut suum quisque cognitum abduceret. Livius libr. 3. Sed de diverticulo in viam revertamur. Postquam igitur in publicum agri forent redacti, quandoque partem eorum veteranis in prædam assignatam esse patet ex l. 15. §. 2. de rei vindicat. l. 16. ff. de acquirend. rer. dominio, l. 11. ff. de evictionibus. Cujac. observat. libr. 19. capit. 7. Paulus Voet. in comment. ad §. 17. instit. de rer. divis. n. 1. & in tractat. de natura mobil. & immobil. cap. 19. n. 2. hinc Virgilius eclog. 1.

*Impium hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus hæc segetes en quò discordia civis
Perduxit miseros, en queis consecimus agros?*
& Cæsar apud Lucanum de bello Cæsar. & Pompeii libr. 1.

*His saltem longi, non me dæce, premia belli
Reddantur, miles sub quo libet iste triumphos
Conferes ex sanguis quo se post fata senectus?
Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur
Quæ noster veteranus arces? quæ ægria
fessis?*

Not.

Nonnunquam aliis indigentibus prædiorum in potestatem redactorum portio gratis concessa, atque ita de Antiatum agro capto partem inter pauperes divisam fuisse testatur Dionysius Halicarnass. antiquit. Roman. lib. 9.

Ad Th. XXIV.

OBSERVATIO.

Subditis rectè cessit dimidia prædæ qui in procinctu stant.

Author agit de subditis & sociis in prædæ divisione & proponit exemplum in populo Hebræo, apud quem pars dimidia prædæ cedebat his qui in procinctu fuerunt ex I. Sam. XXX. v. 22. Verùm (1) æquitas hujus divisionis probanda, quæ patet tum ex eo, quia reliqui illi de communi consilio substituerunt; tum ex eo, quia conjunctissimi fuerunt ratione societatis; tum ex eo quia cum lassæ & defatigati fuissent, & aliàs in hostem ire voluissent, voluntas ipsorum habenda fuit pro facto, præprimis quia commune periculum; nam si loci cæsi fuissent antecedentes ad illos quoque gladius penetrasset, (2) notandum est hanc legem, quam David deinde constituit, fuisse novam & aliquo modo diversam ab illa, quam Moses statuit, eamque perpetuam, continuatam tempore Maccabæorum ut constat ex lib. 2. c. 8. v.

Quomodo præda dividenda sit.

Expenditur locus I. Sam. XXX.

28. & 30. placuitque illa etiam ipsis Romanis teste Festo, videatur cap. 2. XII. Tab. (3) notandum, prædæ divisionem fuisse æqualem constitutam à Davide, non æqualitate Arithmeticâ sed Geometricâ, ut magis cesserit per proportionem pugnantibus, quàm feriantibus. Unde sæpius laudatus Theologus Gallus. *A. pnd Suidã in voce κνφλω*, *Bellisarius cum visu dixit non æquum esse, fucos quidẽ, rebus ab aliis magno labore partis frui, & alios mellis fructum sine ulla ærumna percipere; viros autem generosos, & fortes, & qui magnis cum laboribus, & periculis certant, suorum certaminum fructum privari. Hesiodus autem ἐργους ἤπρετας pag. 17. κηφίνεας κούρουσι dixit. fucos vocans sedentes & observantes apum exitum, ἔροι enim sunt ipsi custodes: κούρουσι igitur fuci dicti sunt, quasi κούρουσι, οἱ κούρουσι: id est, sedentes, & otiosi custodes, qui fores custodiunt, & observant apum exitum, ut mel ab ipsis paratum devorent. Vel potius dicti κούρουσι, quasi κούρουσι, παρὰ τὸ κούρουσι τὴν ἐρὰν ἢ τὸ ἐν αὐτῇ κέντησον. i. e. quod candidam regant, & aculeum in ea latentem, quia non ex erant aculeum ut ceteræ apes. Sunt enim ἀκέντητοι aculeis carentes: ἀβύτην δὲ ἢ ἐξ τῆν αὐθρῶτος, ὁ μὴ δὲν δεῖν ἀμαίμην. Hinc ergo homo fucus dicitur, qui nihil facere potest, piger, iners, ignavus. Nunc igitur isti, ut quidam videri volunt, ignavum fucos pecus à præsepibus arcet. Ad non continuo fuci dicendi sunt, si qui fortissimos corporis robore non æquunt, si tamen illis non desit animus ad ea, quæ viros*

rum

rum non superent. Nam ubi vis & natura facultas laboris magnitudine vincitur, cum vitio cuiquam dari non debet si non possit ultra conari; quin potius laudens meretur, qui quod potuit hoc summum prestare studuit.

Est aliquid prodire tenus si non datur ultra. Habent porro Traditiones Hebraice, qua S. Hieronymo tribui solent, hoc loco quod miremur. Sis autem habent: Cum in Latinis codicibus legatur, lassos quosdam substituisse, ad sarcinas, & in Hebraeo habeatur, iussos fuisse ut residerent ad sarcinas: locus hic monstrat, Hebraicam veritatem in hoc loco sequi debere; qua non lassos, sed iussos remanere ad sarcinas dicit fuisse. Ait enim ita: Aequa erit pars descendens ad praelium, & remanentis ad sarcinas. Non ait, qui lassos remanserunt ad sarcinas: quia, si lassos mansissent, nulla eis deberetur de praeis portio. Haec tamen ille tradit. At qui nunc lassos substituisse legitur in Hebraeo, ut patet ex variis translatis, quas supra descripsimus. Davidis porro ea prudentia fuit, ut quos lassos comperisset, teneri impedimenta juberet, ne manerent spoliis expertes. Jam enim nonnullorum avaritiam ac temeritatem ellocerat, qui partem praeae negari viderentur. Voluit igitur vel eo nomine iisdem deberi quod sarcinis praesidio fuissent. & pag. 1854. David statuit, ut praeda ex equo inter omnes dividatur. Justum enim decrevit esse, ut qui mansissent ad sarcinas, participes essent praeae. Id autem multis de causis videtur esse justum. Primum, quod de communi

omnium consilio mansissent : deinde quòd quancumque distarent locis , tamen non essent distincti societate. Adhuc, quòd cum lassì, & defatigati substituerint, & alioquin in hostem ire voluissent, voluntas ea habenda fuerit pro facto, quòdque ad commune periculum se contulissent. Nam si illi priores cecidissent, isti non potuissent diu esse incolumes. Quid quòd, si interea, dum David aberat, cum suis, hostis aliquis istos ad sartinas oppugnasset, isto non minori in discrimine futuri fuerint, quàm illi qui perrexerant in Amalechitas? Cum Abraham armasset suos, ut quatuor illos reges persequeretur, & Loth servitute liberaret, adjunxit sibi Aner & Eschol. Illi autem, quantum licet ex historia colligere, non pugnarunt. Fortasse relinquebantur apud impedimenta. Tamen prostrato hoste Abrahamus illis quoque dedit partem pradae. Unde sequitur, ut David hanc sententiam tulerit, & legem sanxerit, non ex aequo tantum & bono, sed etiam fretus exemplo majorum, atque adeo auctoritate Dei. Nam in Numeris cap. 31. cum pugna susciperetur adversus Madianitas, & ex singulis tribubus armata essent singula millia, reliqui autem mansissent in tabernaculis, confecta victoria, prada ita distributa est, ut prima pars cederet tabernaculo, altera pugnantibus, tertia illis, qui in castris manserant. Et in Levitico Sacerdotes, qui ministrabant in tabernaculo, etiam non omnes quotidie ministrabant, tamen omnes alebantur ex oblationibus. Josua cap. 22. cum filios Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manasse

*masse profligatis magna ex parte hostibus domum
 dimitteres, & benedixisset eis, dixit: In mul-
 ta substantia atque divitiis revertimini ad se-
 des vestras, cum argento & auro, aere ac ferro,
 & veste multiplici: dividite pradam hostium
 cum fratribus vestris. Hac ibi. Sed bona in-
 stituta saepe hominum socordia obliterantur.
 Itaque, piorum est primum curare, ut ea subinde
 revocentur. Ex malis moribus, inquit ille, bo-
 nae leges natae sunt. Ita hic ex istorum malitio-
 sa importunitate bona instituta revocata sunt.
 Ea porro veteris consuetudinis aequabilitas,
 quam seditiosi isti milites tollere conati sunt,
 David interpolavit: quantum deinceps ponde-
 ris ac momenti apud posteros habuerit, docet
 Maccabeor. liber. 2. cap. 8. quo loco fuso fu-
 gatoque Nisanoris exercitu. ver. 28 Post sab-
 batum debilibus, & orphanis, & viduis divise-
 runt spolia: & residua ipsi cum suis habuere.
 Rursum vero cum Timotheum & Bacchidem,
 ceteris viginti millibus profligassent, ver. 30. Plu-
 res Pradas diviserunt, aequam portionem debi-
 libus, pupillis & viduis, sed & senioribus facien-
 tes, &c. Quo pacto commilitiones labore fra-
 ctos, & impedimenta tuentes, in prada erci-
 scunda praeterire potuissent? Memini me quan-
 doque apud Festum legere, Sanatibus idem quod
 fortibus jus esto: quod caput est 2. par. 12.
 tabular. Sanates porro, ait Festus, dicti sunt,
 qui supra, infraque Romam habitaverunt:
 quod nomen his fuit, quia cum defecissent à
 Romanis, brevi post redierunt in amicitiam,
 quasi sine mente: Itaque lege 12. tabul. can-*

tum est, ut idem juris esset Sanatibus, quod For-
 titibus, id est, bonis, & qui nunquam defecer-
 rant a populo Romano. Legis equitas mani-
 festa est, ut ij scilicet qui benignitatem populi
 Romani experti essent, constantes deinceps in
 fide, atque ipsius majestate comiter tuenda, per-
 manerent: tum ut reliqui hoc tanquam invi-
 tamento ad Populi Romani societatem, atque
 amicissimam alligerentur. Hac illis. Quid no-
 stris militibus facere equum fuit, quos nulla
 ingenii levitas à reliquo exercitu abalienave-
 rat, sed ne pariter sequerentur, corporis imbe-
 cillitas invitos prohibuerat?

CAPUT VII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Servitus non est simpliciter con-
 tra Naturam, addici autem possunt
 capti servituti, quanquam tempera-
 mentum præferendum.

An servitus
 contra na-
 turam dispu-
 tatur pro
 negativa.

Author dicit (1) contra naturam esse
 servitatem. Atqui hoc ipsum admitti
 nequit. Nam supponitur libertatem esse om-
 nibus hominibus naturalem. Atqui li-
 bertas & servitus præscindunt à τῷ esse na-
 turali, & politica sunt vocabula, quæ suppo-
 sito Imperio demum emergunt, (2) contra
 naturam non potest esse servitus, nisi intelli-
 gamus

gamus naturam ut est in statu integritatis, ibi enim non obtinisset servitus, utut subordinatio locum habuisset ad superiores, (3) potius conveniens naturæ est servitus, supposito peccato; ut enim pharmacis & cruciatibus afficere homines est quidem contra primam naturæ constitutionem, non autem contra rationem supposito morbo vel peccato; ita contra rationem & naturam est servitus quidem, si de natura integra loquamur, at non si loquamur de corrupta, interest enim tum publicè tum privatim ut quidam serviant aliis, prout egregiè hoc ipsum docet August. l. 19. de Civ. DEI, c. 15. Author hoc supposito dicit omnes captos bello solenni jure gentium servos fieri. Verum hinc rursus videtur distinguendū esse inter nocentes & innocentes, potentiā & actum. Quamvis enim nocentes actu ipso ita servi fiant, innocentes tamen saltem redigi possunt in servitutem jure gentium, si bello capiantur, & si sint Christiani non debent redigi in servitutem, utut possint capi & justo pretio redimi, sed hoc pertinet ad temperamentum, de quo in sequentibus. Ratio autem quod etiam innocentes possint servituti addici est hæc, quia tota Respublica contra quam justum bellum geritur, censetur hostis, E. In omnibus suis membris puniri potest quoad bona fortunæ, quæ dispositioni & jurisdictioni Reipublicæ sunt subiecta; libertas autem pertinet ad bona fortunæ. Unde Caramuel in Theol. intent. pag. 96. part. 1. Lib 2. §. 347. & §. 348. *Ex*

An omnes capti bello jure gentium servi fiant Augustinus.

jure natura bello justo capti, possunt servari, & tunc fiunt servi. Constat ex dictis: & confirmatur Jure divino, quia Exodi cap. 12. & 21. & Evangelii multis locis, & in Epistola ad Ephesios 6. & in 1. D. Petri 2. indicitur servis ut factis domini serviant: ergo servi habent obediendi obligationem, & domini jus precipiendi. Sed & adhuc est examinandum, Utrum aliquis possit incurrere servitutem in vitis? Nam si sit implicitus partium contractus, in quo victor condonet salutem victo sub onere quod sit servus ipse; victus deberet hanc conditionem acceptare, & si non acceptat contractus videtur nullus esse; non enim sufficit unius voluntas, ne contractus firmetur. Respondeo, teneri hominem admittere servitutis conditionem, & servatori gratias agere; ni forte servitus talis imponatur, qua judicetur peior morte. Puta si capto Principi opera infamia indicerentur. Alexander Magnus hanc doctrinam confirmat; qui cum oppidum ad quod multi profugerant expugnasset, omnes profugos damnavit servitute, teste Arriano lib. 6. de exp. Alex. Magn. & antea captâ vi Thebanorum civitate, qua ab eo defecerat, fere omnes in servitutem redegit assente eodem Arriano lib. 1. Argivi etiam Mycenâ expugnata decimum virum sacrificantes ceteros servos fecerunt, ut Diod. Sicul. lib. 11. testatur. Græcos sunt etiam imitati Romani. Salaces, qui ab Octaviano Cesare defecerant, vicit M. Terentius Varro & eorum filios vendidit sub pacto, quod post viginti annos redimi à parentibus possent adno-

adnotante Dion Cass. lib. 53. Hist. Rom. & Lycios, qui in caput Romanorum militum conjurarunt, servitute damnavit, ut apud eundem lib. 60. Consuetudine verò inter Christianos introductum est, ut captivi, qui servantur, servi non fiant. Et demonstratur experientia: non enim videmus servos Hollandos Hispanis, aut Sæcos Germanis subesse, cum multos Mahometanos & Infideles habeamus. Hac consuetudine non obstante posset quacunque Republica decernere, quod Christiani bello capti incurrant servitutem, nisi contractus aliquo aut pacto speciali contrarium statuerit. Patet, quia sæpè salutem victis negat, & non datur universalis aut contractus aut lex, qua servos Christianos interdicit. Non dari persuadet Gallorum Monarcha Clodoveus, qui adeptâ apud Tolbiacum de Alemannis victoria plerosque servos fecit, eorumque res & personas fisco addixit, unde & Fiscalini servi dicti; multos communitatibus subiecit, qui idem dicti Ecclesiastici, eorundem rebellionem servitutis pœnâ severissimâ puniens. Sed & Bartolus, Baldus, Angelus, Franc, Aretinus captos in bello ab Imperatore & Rege Gallia, licet Christianos, incurrere servitutem existimant in l. qua à latronib. §. fin. de test. & alibi. Interim tamen innocentes, qui non sunt membra hostilis Reipublicæ non possunt capi & in servitutem redigi, nisi fortè per accidens, si scilicet periculum est, quòd conjuncturi sint se hostibus, aut vi adigendi ab hostibus,

ut ipsis subsidium præstent. Ut enim in tali casu licitum est, ejusmodi innocentes spoliare armis, pecunia, frumento, ne hostis corroboretur inde, sic etiam licitum est illos spoliare libertate, ut communiter sentiunt Moralistæ.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Qui Bello devicti & in servitutem rejecti, eorum etiam posteris illi statui sunt obnoxii.

Quomodo ex ancilla vel servo natus servus fiat discutitur.

QUæ passim obtinent Author hîc exponit & servum illum pronunciat, qui ex matre ancilla nascitur. Disputant tamen quomodo ex servo vel ancilla natus servus fiat, non enim potest amplius Domino suo acquirere servus, quam sibi si liber esset; nemo enim potest plus Juris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur, atqui, si servus esset liber non acquireret servos, sed filios. Ergò non acquirit servos Domino, cum filios; ad hoc dubium respondet Satrianensium Episcopus Theol. moral. art. 4. p. 98. *Respondeo servorum filios esse verè servos, & rationem in contrarium adductam nihil convincere; non enim filij servi nascuntur voluntate aut condonatione parentis, sed ex alia causa toto celo diversa. Rationem veram do: genuinam propono: Quia cum causa serva-*

tur qua perdi potuit, etiam omnes ejusdem effectus servantur. Cum Dominus ex mancipio quod occidere poterat, servum fecit, non solum ei vitam moraliter concessit, sed & universis ejus futuris filiis; si enim parentem extinxisset, ipsi non gignerentur. Ergo tametsi filij à servo sint physice producti, à Domino moraliter producti sunt; nimirum, servatione: ergo, qui eodem modo fuerunt servati, qua pater, eandem servitutem incurrerunt. Igitur servorum filij servi sunt. Fateor potuisse iniuri contractum inter victorem & victum, qui filios à servitute eximeret, sed ordinariè aliter sit, victor enim qui captivum occidere & in eo omnes ejus filios impedire posset, hoc jus pro victi & filiorum ejus libertate commutat. Hinc ad rationem oppositam respondeo negando majorem, plus enim Domino mancipium acquirit, quam sibi acquireret, si mancipium non esset; magis enim est Domino subditus, quam ipse sibi. A se enim ipso interimi non posset, & potest à Domino quouque servus reddatur. Servus autem à mancipio solà salutis condonatione distinguitur: hoc enim occidi potest, ille non potest. Quod si detur lex inhibens mancipiorum cadus, captivi in servos legali auctoritate transibunt à lege ipsa servati, at nos mancipij nomine hostem manu-captum intelligimus, nullà lege publicà, nullo privato pacto servatum.

Ad

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Rigidiùs Author decernit in servos.

Quousque
se extendat
dominium
in servos.

LAudat Author Senecam, qui dixit nihil non licere in servum, nullam perpeffionem, quæ non impunè illis imponatur esse afferit, sævitiam Dominorum in serviles personas impunitam esse statuit. At ut hoc invaluerit, nimis durum esse videtur. nam primò, ipse Seneca illud injustum esse censet, scribens 1. de Clementia cap. 18. *Servis imperare moderatè laus est, & in mancipio cogitandum, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat equi bonique natura, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.* Secundò servi dicuntur à servando. quamvis alii ex Græcia arcessant originem, nobis tamen favet Augustinus lib. 1. sup. Genesim q. 153. qui servos dicit bella fecisse. Cùm enim homo ab homine superatus jure belli posset occidi, quia servatus est, servus appellatus & mancipia, quia manu capta. Beneficium itaque esse debet servitus, non sævitie internecioni compar: at stante hâc thesi, quis non exclamet cum Hermolao, morte tristius esse servire, quis non mallet molli sub cespite cubare mortuus, quam vivus agere in Insulis fustitudinis & ferricrepinis, sævitiei obnoxius esse alicujus Flamminii vel Vedii Pollionis, de quibus Dion. &

Seneca

Servi Ety-
mologia.

Seneca lib. 3. de Ira cap. 91. Unde Agesilaus milites docuit minimè sèrvire in captivos, sed in custodiam abducere ut homines. Tertiò ipsa recta ratio cum Lumine Scripturæ aliud dicit, permissio itaque illa Juris gentium, quoad impunitatem potius restringenda & hisce principiis attemperanda.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO I.

Servo non integrum est fugere & reverti ad suos.

Author disputat contra Lessium, Banne-
sium & Covarruviam, & asserit quod An injusto bello captis liceat fugere discipatur.
injusto bello captis non solum liceat fugere ad suos, sed etiam alios, quia religionis vinculum non injiciatur animo ex juribus, quæ externum judicium spectent. At verò, si ponatur bellum finitum, res erit in vado. Vinculum enim utique religionis injectum esse creditur. Nam utut titulus acquisitionis habeat aliquod vitium, ponamus hoc, jus tamen dominiæ salvum subsistit. (2) In conscientia tenetur talis ad gratitudinem. Grati- tudinis autem non est fugere ab illo, qui aliquem servavit in vita, (3) disertè Petrus hoc jus dominiæ asserit, & vinculum religionis Epistola 2. c. 2. v. 19. Altera sententia, Lessii sententia impugnatur.
quæ est Lessii, quòd licitum sit fugere ad suos, etiam non subsistit, utut sit mitior nec argumen-

gumenta ipsius concludunt; quòd scil. servitus gentium consensu sit introducta, non itaque ejus conditionem magis onerari quàm consuetudine totius Orbis receptam, nam multa sunt, quæ ex consuetudine laxam habent interpretationem, & nihilominus atctius stringunt conscientiam. 2. quia hæc servitus cæteris sit nobilior, minusque probrosa; quicquid enim sit, manet tamen servitus, & consequenter relatio illa, jus & vinculum, de quo Petrus Epistola 2. cap. 2. 3. quia si non possint fugere, beneficium illud Legum, quo conceditur libertas, in termino esset inutile, quia non possent illud consequi nisi per peccatum; etsi enim inutile sit ad conscientiam tranquillandam, est tamen utile ad exteriorem statum. Quapropter tertia sententia nobis placet, quæ est Navarri, non licitum esse tali fugere etiam ad suos. Unde liquet quid censendum de Sententia Escobaris libr. 34. probl. 27. pag. 353. scribentis: *Mancipia bello etiam justo capta, ut Mauri, & Turca justè ac licitè possunt an fugere, & consilio ac re ad id ipsum juvari, modo in patriam, vel in alia loca ubi patiantur libertate vacent: non tamen per Regna, seu loca, ubi sunt servi, divagentur. Quia illi licitè possunt fugere, si à dominis occidantur, vel mutilentur: Ergo & ad recuperandam libertatem, quæ æquè est ac vita pretiosa, captivitas enim est mors civilis. Igitur qui ad vitandam mortem possunt fugere, sic etiam ad vitandam captivitatem. Dixi modo per Regna, aut loca, ubi captivi*

Contra
Sententia,

ptivi sunt, non divagentur. Quia dum in Regno dominorum suorum morantur, servire tenentur: unde consulentes & recipientes, tenentur damnum restituere; peccant enim contra justitiam, nisi retineant, ut eos liberent ab injusta dominorum divexatione. Sic Navarra restituitur. lib. 3. cap. 1. num. 200 Alens. 3. part. quas 48. artic. 3. num. 2. Sotus l. 4. de justit. quest. 2. art. 2. concl. 3. Gregor. Lopez lib. 23. tit. 29. part. 3. Bannes 2. 2. quas. 40. artic. 1. Covarruv. lib. 1. variar. cap. 2. num. 10. Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 34. quas. 3. Sa v. Bellum; num. 7. Lessi. lib. 2. cap. 15. dub. 15. num. 24. Fagund. Decal. lib. 7. cap. 12. n. 21. Mancipia, vero illorum cum quibus justum bellum gerimus minime possunt ad suos à nostra potestate aufugere, si in nostram captivitatem deducantur: & eis dantes consilium, aut operam lethaliter delinquant, & ad restitutionem tenentur pretii, & damni. Qui domini eorum sunt possessores indubitati, ac legitimi, & ipsi fugiendo, se ipsos à dominis furantur, ut habetur lib. 1. C. de servis fugitivis & lib. 3. c. eodem. tit. Ibi enim statuitur, ut servus deprehensus in fuga puniatur pedis mutilatione: at tam gravis poena injustè sanè statueretur nisi servi lethaliter fugiendo delinquerent. Certè si justè servi ad suos fugere possent, bellum ex parte utraque justum daretur; illi namque justè possent aufugere, & domini illos justè possent pedibus mutilare, aut trudere in carcerem, ne fugiant Ita P. Molina tom. 1. de just. d. 37. concl. 1. Navar. sum. cap. P. num. 63. Glossa cap. Ius gentium d. st. 1. For-

tunius ad lib. Manumissio, col. 4. D. Antonin. part. 3. tit. 3. c. 6. § 4. Turrcrem. in cap. Ingentium dist. 1. Sylvest. v servus, quas. 3. disto 2. Favent. cap 1. & 2. si quis servum 17. ques. 9. ubi dicitur peccare lethaliter, & ad restitutionem teneri juvantes, & hortantes servos ad fugam. Primam sententiam fortiori harentem fundamini teneo. Nam dominos justos esse eorum servorum possessoris fateor: non tamen absolute, sed sub certa conditione, & cum quodam addito, nempe, si possunt fugere ad suos, fugiant: sicut vinculus ac d:mnatus ad triremes post justam sententiam justè in carcere detinentur, & in triribus vincuntur: & tamen etiam justè ac licitè aufugiunt, cum carcerarii quidem damno, si possunt. Imò etiamsi servi in bello justo capti, consensissent pacto persistendi in servitute, haud tenentur illud servare: quia metu mortis fuit praestitus ille consensus. Secus dixerim de illo, qui se vendidit, liberè privilegio liber:atu renunciando. Scilicet hæc Lumini naturali & revelato sunt consona.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO II.

Furti crimine utique se contaminat, qui res suas, quæ transierunt in potestatem Victoris, vel mercedem laboris subducit.

Furti crimine se contaminat, qui injusto

Author dicit, si quis bello injusto captus sit, ab eo non contaminari furti crimine

ne

ne animum, si res suas subducatur aut laboris sui mercedem. At hoc est ex impia Jesuitarum morali Theologia, quæ conscientiam nimium laxat, tum quia in tali casu utique fit ablatio rei alienæ, quæ jam ad hostem transit quamvis invito domino; tum quia non potest res suas subducere talis, cû res suæ transierint in alterius dominium; tum quia nemo sibi metipsi mercedem laboris sui potest decernere, sed à domino debet expectari, sed de hisce Stephani Baunii, & aliorum commentis videatur Ludov. Montaltus in Epistolis Jesuiticis. Ita Escobar Theol. Moral. lib. 34. probl. 25. pag. 352. § 1. 8. *Clam potest accipere sine furti reatu. Quia pro justa compensatione accipit suum, non alienum, quod plerumque difficile, imò verecundum est famulis via juridica à domino recuperare. Quod si feratur excommunicatio in eos, qui occultè aliquid furati sunt, nunquam in ea comprehendantur, qui pro sua justa compensatione suum accepere.* Ita Lessi. l. 2. c. 12. dub. 10. numero sexagesimo primo. Navar. sum. c. 17. num. 124. Sylvest. v. Fortuna. qu. 15. & Fagund. citatus scilicet hoc est conscientiam adstringere.

bello capto
res suas al-
latas aufer-
fert.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO III.

Quæ illimitatè posita sunt frustra
Author limitat & restringit.

Author vult Canones interpretari, emol-
lire, & illudere, qui tamen generales &
Aaaaa 2 nimium

nimum evidentes: videatur Concilium Gangrense, quod sub anathemate prohibet, suasionem saltem, ut servus Dominum ministerio suo destituat, nec non canones Concilii Romani sub Martino primo, ad quæ Author respicit Concilia. non itaque tantum ratione scandali, hæc præcepta sunt accipienda, sed absolutè conformiter dictis Scripturæ, in quibus ipse Auctor agnoscit arctius indicari vinculum.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Quæ de servo profugo proponit Author ex Deuteronomio non probantur Ebræis.

An perfugium fuerit servis apud Hebræos tractatur?

Author dicit apud Hebræos perfugium fuisse servis, qui nullâ suâ culpâ in calamitatem illam devenerant, & probare hoc vult ex Deut. XXIII. 15. At videtur obstare, tum quia ita servorum protervia confirmata fuisset in optima Republica; tum quia juri gentium contrarium quid constitutum fuisse penes Hebræos doceri nequit; tum quia ipse Paulus Hebræus Onesimum servum remisit Domino suo, ut constat ex Epistola ad Philemonem v. 12. Verùm si legem illam rectè expendamus, non ad Grotii mentem, sed aliter erit accipienda, ut satisfiat objectionibus, nempe de servo gentili, qui à domi-

domino Ethnico ad Israeliticum populum confugit, & quidem ut religionem illam amplecteretur, hic non erat tradendus domino suo, quod ipsum patet tum ex paraphrasi Chaldaica, quæ ita exponit, tum ex Rabbiniis, qui hoc humanitatis officium ita explanant; tum denique ex ipsa recta ratione, quia Israelitæ salvâ justitiæ lege poterant imò debebant illa recipere, quæ possidebant exitio devotæ gentes, ut quidam volunt eo ipso quo devotæ erant, & in manus ipsorum traditæ, vid. August. quæst. 36. in Deuteronomium. Quanquam stante hâc sententiâ, quidam metuant, ingentem fenestram fuisse apertam & magnam illecebram servis exterarum gentium maximè vicinarum Judæis in terram sanctam profugiendi, atque oborituras fuisse cum gentibus illis injuriarum actiones.

CAPUT VIII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Quæ de Imperio in populo existente promit, non admittuntur ab Orthodoxis.

Author dicit, posse Imperium Victori Acquiri, vel tantum ut est in Rege, vel etiam ut est in populo. Atqui (1) Imperium non est nisi in Rege, neque populus habet illud

Imperium
nullo modo
habet
populus.

illud vel formaliter vel etiam radicaliter tantum, prout Jacobus Rex Angliæ contra Franciscum Suarezium ostendit, (2) quocunque modo in populo statuatur Imperium, absurdum id erit, sive juxta illam interpretationem quam habet Boxhornius l. 1. Inst. Pol. c. 4. §. 11. sive juxta illam quam habet n. 21. sive juxta Althusianam & cæterorum, qui Majestatem dividunt in realem & personalem, (3) ut se habet Majestas ita quoque Imperium. Majestas autem non est nisi in vicario DEI, qui DEI personam repræsentat, & populo imperat, E. etiam non nisi in illo Imperium. Et quomodo vel Majestas vel Imperium potest esse in populo, cujus officium est parere, cui præter obsequii gloriam nihil relictum? num enim hoc admitti poterit sine confusione ordinis à DEO constituti inter imperantes & parentes?

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Quamvis Author disputat pro Theffalis, rationes tamen produci possunt etiam pro Thebanis.

Author de Theffalis dicit, illos liberatos fuisse omninò obligatione centum talentorum, quam summam cum ipsi Thebanis deberent, Alexander M. Thebanorum Dominus factus jure victoriæ ipsis donaverat: Verum quamvis rationes producat Author,

thor, non tamen defunt etiam rationes pro Thebanis contra Theſſalos, tum quia jus belli in iis quæ in judicium trahuntur, nihil valet, tum quia illa, quæ armis tolluntur, non niſi armis retinentur, tum quia, quod ab Alexandro donatum eſt, tale fuit quod à victore non potuit donari. Id enim victoris eſt, quod apprehendit & tenet. Jus autem fuit in tabulis, quod incorporale eſt, nec manu prehendi poteſt. Ad hæredem quidem jus tranſit, ſed ad victorem tantum res & corpora. Sed hæc aliis relinquimus.

CAPUT IX.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Postliminiò quædam reverti Author ſufficienter docet.

Author agit de poſtliminiò & th. 11. de ſervis agit, quomodo poſtliminiò recipiantur, th. 13 de agris, th. 14 de rebus mobilibus. Placet autem addere circa hæc, quæ prodidit Claudius Rangolius Creſpeiensis Valleſius, qui hoc argumentum expendit, atque bona poſtliminiò redeuntia ex jure gentium, ſtatuit triplicia, homines, res mobiles, & fundos. Rejicit autem ſententiam antiquorum jurium, ſtatuentium uxorem jure poſtliminii non redire niſi conſentiat, quia contra Chriſti ſtatutum. De ſervis conſentit

tit Grotio ; De bonis autem mobilibus & immobilibus non parem rationem esse docet, & tandem concludit, quicquid quocunque tempore à latronibus eripiat antiquo domino repræsentari oportere, sicut & quod à legitimis hostibus, si tamen statim procinctâ adhuc classe eruatur; Sin ex intervailo legibus obtemperandum censet, ex quarum præscripto res quædam à quibuscunque receptæ sint ad pristinos possessores redeant jure postliminio. Quod nî ita sanxissent, & consensu receptum esset, censet ea omnia quæ hosti adimuntur, post legitimam possessionem, occupantis esse debere, cum is jure eripiat, & ab eo eripiat, qui jure videtur possidere, nec ullo justo titulo ei restitutio debeatur, qui rei dominio ac possessione dudum excidit. Verba ejus sunt pag. 1845. *Eorum quoque ratio habenda est, quæ raptæ sunt: neque enim omnia eodem pariter genere continentur: sed alia quidem postliminij jure ad possessorem redeunt, alia militibus, qui receperint, ascribuntur. Postliminium autem ut docet Paulus D. de Captivis, l. 19, est jus amissæ rei recipienda ab extraneo, & in statum pristinum recipienda, inser nos ac liberos populos regesque moribus, legibus constitutum. Nam quod bello amissimus, aut etiam citra bellum: hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere. Idque naturali æquitate introductum est: ut, qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is, ubi in fines suos rediisset, pristinum jus suum reciperet. Hac Paulus.*

Paulus. Jam verò quo pacto illa discernimus? Plurimum, ut opinor, ex jure gentium, neque enim certa lex jure divino constituta videtur. Juris porrò gentium legitima ex antiquorum scriptis, qui eadem longo usu, & diuturna consuetudine perceperunt, didicimus. Quamobrè ex eorundem autoritate bona civium, qua diripi possunt, in tres classes distribuimus: hominum, mobilium, & immobilium. Hominum quidam liberi, alii servi. Liberatorum, filii, uxores. Quod verò antiqua jura statuunt uxorem jure postliminiy non redire, nisi consentiat, nunc quidem impium est, postquam matrimonia Christus aeterno fœdere copulavit: at tunc temporis licere voluerunt. Sola nunc pudoris jactura, si spontè perierit, non quidem connubij nexum dirimit, sed thori genialis usum ac consuetudinem, si laesus abnuat, tollit.

De filiis Pomponius D. de Captivis, l. 14. Cum due species, inquit, postliminiy sint, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus: cum filius revertatur, duplicem in eo causam esse oportet postliminiy: & quod pater eum reciperet, & ipse jus suum. De servis jam diximus. Sed non eadem omnium temporum sententia fuit: aut certe, si longius intervallum fuisset, jura notandum censuerunt. Sic eximio D. de acquirenda vel amittenda poss. l. 1. §. 1. bello capta protinus eorum fieri, qui ceperint. Quo item loco Gothofred. Quid si Erotem servum dudum Mœvii captivum cepero? num meus fiet, an prioris domini? utique meus. Quid Mœvii immobilia? ad eundem Mœvium redeunt.

A a a a s

deunt.

deunt. *Ad illa transeamus. Pomponius sane de iisdem hac habet D. de Captivis, l. 20. Verum est, expulsis hostibus ex agris quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut prede loco cedere. publicatur enim ille ager, qui ex hostibus captus sit. An verò pariter de his quoque qua moveri dicuntur, sentiendum est? haudquaquam. Nam de his ita sancitum legimus D. de Captivis, l. 2. Navibus longis atque onerariis propter belli usum postliminium est: non piscator iis, aut si quas actuarias voluptatis causa paraverunt; Equus item aut equa frani patiens, recipitur postliminio: nam sine culpa equicis proripere se potuerunt. Non idem in armis juris est: quippe nec sine flagitio amittuntur: arma enim postliminio reverti negatur, quod turpiter amittantur. Pomponius l. 3. vestem etiam redire negat. Reliquum est ut modum quoque ipsum, quo praeda recepta sit, investigemus: siquid enim plurimum etiam conferet ad propositi dubii explicationem. Pars enim nonnunquam ab eis precibus impetratur; pars de relicta occupatur: ut puta cum greges abigere commode non potuerunt, aut properantibus aliqua exciderunt: denique non raro etiam per vim extorqueatur. De impetratis & ab hoste donatis haec Justinianus statuit. Si quid à Totilâ tyranno factum, vel donatum esse invenitur cuicumque Romano seu cuique alio, servare, vel in sua firmitate manere nullo modo concedimus: sed res ablatas ab huiusmodi detentatoribus antiquis dominis reformari praecipimus: quod enim*

enim per illum tyrannidis ejus tempore factum esse invenitur, hoc legitima nostra notare tempora non concedimus. Hac ille Constit. 1. cap. 2. Qui rursus ibid. cap. 4. Sed & si quis res absentis, vel etiam capti, forsitan greges, per suam aut cujuslibet auctoritatem invasit, vel petendo eas tenuit, reverso ea vel lib. rato, sine ulla dilatione jubemus restitui ipsi, vel etiam heredibus ejus. At plinius de inventis gregibus differit cap. seq. 13. Cum autem cognovimus, inquit, inimicis DEO propitio diversis expulsis provinciis, quosdam greges inveniunt ab illis relictas (Greges feminino genere dixisse veteres docet Lucretius exemplo suo lib. 4.) & suo eas vindicare dominio, licet ad alios antea pertinebant: sancimus, causa discussa, quantum quidem ad eos pertinet, eis praestari. Si quid verò ab aliis agnosceretur, dominum sua recipere: quod verò excepto Domino non cognoscitur, inter illos distribui, qui per eandem provinciam greges amisisse inveniuntur, divisione pro rata portione scilicet facienda. Haec tenus ibi. Caterum inter ea quae per vim praedonibus eripiuntur, nihil quidem privatim de gregibus constitutum reperi, sed eandem horum rationem esse puto ac supra porcorum, quos lupus invaserat: qui cum à vicino colono erepti essent Ulpianus censuit auctore Pomponio proprio Domino restituendos esse. Quo loco id quod idem ait, quod eripitur nostrum manere quandiu recipi possit, explicatione indiget, Nam si omnino recipi non potuisset, ne ille quidem colonus cum suis canibus eripuisset: sin verò ab

eodem eripi jubeat qui jacturam fecit, dura
 satis videretur conditio. Itaque hanc ejus ora-
 tionis sententiam esse arbitror: tantisper no-
 strū censei quod ereptum est, donec pro deli-
 cto habeatur, nec possessor insequi cures, idque
 verum censeo quandiu cum feris res agi vide-
 tur. At non perindè res habet cum homini-
 bus. Quoniam enim quicumque Reipubl. mili-
 tat, mihi militat, per meipsum recipere pu-
 tandus sum quicquid meorum miles receperit,
 aut quicumque militis munere defungitur.
 Tandem subductis rationibus, & re ad calcu-
 los diligenter relata, hanc summam feci cogi-
 tationum mearum; Quicquid quocumque tem-
 pore à latronibus eripiat, antiquo Domino
 representari oportere; sicut & quod à legiti-
 mis hostibus, si tamen statim & adhuc penè
 procincta classe eruat. Sin autem ex inter-
 vallo & post diutinam hostis possessionem, legi-
 bus obtemperandum censeo: ex quarum pra-
 scripto nonnulla res à quibuscumque recepta
 sint, ad pristinos possessores redeunt jure postli-
 minij. Quod ni ita leges sanxissent, & publico
 nationum consensu receptum esses, existima-
 rem ea omnia, quae hosti adimuntur post legi-
 timam possessionem, occupantis esse debere; cum
 is jure eripiat, & ab eo eripiat qui jure vide-
 tur possidere, nec ullo justo titulo ei restitutio
 debeat, qui rei dominio ac possessione dudum
 excidit. Verum enim verò latis ac promulgatis
 legibus parendum est: quae sicut & pleraque ju-
 ris gentium consuetudines ideo cum aequitate
 consentiunt, quoniam & si quid juris naturalis

Laxi-

laxitatem cohibere, & libertatem imminuere videantur, fieri tamen potuit ut communi nationum consilio, dum quisque tantidem de suo jure decedit quasi singulorum interesset, is usus obtinuerit, cui nulla deinceps ætas, tametsi apud diversos varietas aliqua notari potuerit, intercederet.

Ad Th. IX.

O B S E R V A T I O.

Diffolubilitas illa laxa Conjugiorum ex Jure Romano meritò improbatur.

Author comparationis gratiã adducit ex veteri Romano Jure diffolubilitatem illam conjugiorum, de quo passim in Jure civili. Constitutæ enim sunt causæ quædam graves ab Imperatoribus quæ crimen capitale intentabant alterutri conjugum, & leves e. g. verbera pernoctatio extra ædes ignaro marito &c. Peccarunt autem non solùm hîc Imperatores sed & Constitutiones Ecclesiasticæ, præter adulterium alias constituentes causas, nec non Maldonatus Jesuita. Non autem obstat quod objicitur, penes Imperatorem esse Constitutiones facere, penes subditos obsequium. 2. matrimonium esse contractum hominum, adeoq; humanis legibus obnoxium, 3. Crimina, quæ inter causas graves recensentur, esse graviora fornicatione, multo magis ergo dissolvi matrimonium illis,

Diffolubilitas conjugiorum apud Romanos taxatur.

Diffentientium Objectiones.

(1) enim

Satisfit ob-
jectionib9.

(1) enim non procedit, quia constitutiones etiam summæ potestatis non obligant, si verbo DEI sint oppositæ, ut hîc contingit, (2) argumentum itidem non est solidum, matrimonium enim est quidem contractus humanus, sed non merè talis, verum secundum quid tantum, subjektivè sc. in quantum inter homines locum habet, originaliter autem normaliter & terminativè est divinum quid, DEUM enim authorem habet, ad institutionem illius dirigi debet, & ad illius gloriam deferri. dicendum itaque erit matrimonium esse contractum mixtum. (3) non concludit, quia hîc non criminum inter se instituenda comparatio, quæ majora vel minora secundum se, vel quæ æqualia videantur fornicationi, sed illorum comparatio instituenda est ad matrimonii naturam & leges, quid in has directè ardet, quid scindat vinculum.

C A P U T X.

Ad Th. II.

O B S E R V A T I O.

Servi Nomen ex Injuria natum esse non simpliciter admittitur.

Servi nomen ex injuriâ non simpliciter natum est.

Author ex Seneca adducit servi nomen ex injuria natum, & putat respicere ad id Cortubensem Philosophum, quod sæpe accidit. Verùm nos existimamus non posse ex injuria hoc ipsum duci ut frequens, tum quia liber.

libertas non est jus quoddam obligans ad illum statum, cujus oppositum consequenter esset injuria; tum quia injuria accidentaliter sese habet ad originem servitutis; tum quia ubi juri debentur natales, non potest injuriam refundi id, quod ex jure oritur, & titulum juris habet. At si percurramus servorum genera, juris titulos inveniemus, nempe vel nativitatem, ut partus sequatur ventrem, e. g. in servis Abrahami Gen. XIV, vel emptionem, ut Josephus fuit venditus à fratribus, Gen. XXXVII. vel debita, ut servus ille in Evangelio Matth, XVIII. vel Jus belli, unde mancipia quasi manu capti, de quo Petrus II, Epistola II, v. 19; vel pœna, prout Cananzi servi facti sunt juxta prædictionem Gen. IX. vel denique conductio ad mercedem, prout illa hodie obtinet.

Servorum genera varia.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Interna justitia injustum est quod ex Bello injusto fit & Restitutio necessaria.

Author disputat de restitutione, & dicit in bello injusto actus bellicos operantes aut cooperantes illis non posse ad regnum cœleste pervenire sine pœnitentia, (2) teneri tales ad restitutionem, & (3) naturæ ductu hoc agnosci, pœnitentiam sine restitutione

Restitutio ex bello injusto parati necessaria

tione esse fictam, prout constat ex Rege Nivitarum, de quo non Jonæ II. v. 10. ut ille allegat, sed Jonæ III. v. 8. Quod (1) concernit, certum est tales non posse pervenire ad regnum cœlorum sine pœnitentia, quia raptoribus accensentur, de quibus I. Cor. VII. vers. 10 Disputant tamen Scholastici & putant non obligari Duces ad impedienda damna privatorum cum damno suæ vitæ, honoris aut famæ, sed saltem non impediendes facta vel alia damna suorum militum, quæ ex officio tenentur impedire, obligati ad restitutionem, vid. Lessius, Rebellus, Vasquez, Saa & alii, distinguuntque inter culpam Theologicam & Juridicam. Nos Grotio subscribimus. (2) quod de restitutione Author dicit, illa utique est necessaria, est enim juris divini naturalis & gentium quia disertè hoc ipsum habetur Esa. LVIII. v. 6. tum quia remissio peccatorum & salus suspenduntur à redditione rei malâ fide ablata, non quidem tanquam ab opere positivè bono, sed tantùm negativè non malo, Ezech. XXXIII. vers. 15. tum quia disertè obligationem restitutionis agnovit Zachæus Luc. XIX. v. 8. & regulariter illa est necessaria, nisi interveniat vel remissio Creditoris, vel cessio bonorum, vel compensatio debiti liquidi, vel extrema necessitas & inopia. Quod (3) spectat, I. concedimus naturæ ductu agnosci restitutionem esse necessariam, tum quia justitia commutativa hoc ipsum exigit, tum quia ipse Cic. 3. de offic. clare hoc exprimit scribens: Hoc multò

Remissio peccatorum à redditione rei fide malâ ablata suspenditur.

Quomodo restitutio hæc sit necessaria.

multo magis efficit ipsa naturæ ratio, quæ est Lex divina & humana, cui parere qui velit nunquam committet, ut alienum appetat, & id quod detraxerit, sibi assumat, tum quia non restitutio nihil aliud est quam furti continuatio. 2. quomodo Rex præceperit restitutionem loco allegato non videtur ita esse liquidum, verum non male hinc sensit Grotius. Nam quando in *textu v. 9.* dicitur unumquemque debere à via sua pessimam reverti, & recedere à violentia, per violentiam intelligitur vitium restitutioni oppositum, & hoc vult Rex, si quid per vim à quopiam sit raptum, restitui debere, atque ita deponendam esse violentiam. Confirmat hoc Chaldaeus, qui pro violentia habet rapinam, accedit Schneppsius noster, qui docet Niniven fuisse emporium, ubi vel maxime rapinæ & avaritia dominabatur. 3. Illud falsum est, Regem Ninives ex ductu naturæ agnovisse restitutionem esse necessariam ad poenitentiam, & propterea præcepisse. Contrarium patet tum ex eo, quia compunctus fuit Rex non vi luminis naturalis, sed vi verbi & comminationis legalis, quam intimavit Jonas, tum ex eo, quia poenitentia Regis & subditorum fuit vera & seria, constans contritione & fide justificante, aliter quam opinatur Calvinus & Coccejus, vera autem poenitentia non est ex ductu naturæ, tum quia Rex in ipso edicto suo misericordiae divinæ meminit *v. 9.* conformiter loco Joëlis III. 13. quod non habuit ex ductu luminis naturalis.

Non Naturæ ductu
Ninivitarum
Rex restitutionem
necessariam
ad poenitentiam
agnovit.

Bbbbb

CAPUT

CAPUT XI.

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Rectè dicitur in Bello Puerum ætatem excusare, Fœminam sexum.

A Belli injuria puerum ætas fœminam sexum excusat.

Author (1) statuit pueris semper esse parcendum, & fœminis, quia ipse DEUS hoc voluerit Deuter. XX. vers. 14. ratio autem cur DEUS voluerit parci hæc fuit: tum quia imbellis ætas & sexus hoc ipsum suadet, tum quia regulariter nullam injuriam inferunt pueri & fœminæ, tum quia si jumentis parcendum. ut additum, quia nihil promeruerunt propter quod occidi debeant, multo magis hominibus innocentibus. Unde etiam Serarius in Josue 6. cap. Quæst. 36. pag. 62. *Generatim loquendo, fœminarum omnium vite in bello, maxime cum urbs aliqua expugnata, & in manibus jam victoria est; parci debet. 1. Quia bellum, si quidem justum; vel ad nocentes plectendos, vel ad eorum vim ac injurias arcendas & propulsandas ab innocentibus suscipitur. At generatim & communiter loquendo, non sunt fœmina nocentes, neque vim & injuriam inferunt. 2. Eorundem auctoritate vel inferunt, vel illatum excipitur bellum, qui Rebus publicis præsunt, communiaque negotia ex officio, vel consilio vel manu administrant. At communiter à Rebus publicis.*

publicarum gubernatione, curiis, & dignitatibus exclusæ sunt fœmina. In Digestis libro tertio, de mun. & hon. ait Imperator. Corporalia Munera fœminis ipse sexus denegat. Unde & à feudis excludi solent, prout ostendit Alexander consilio 30. Decius consilio 139. 3. Ipse per ipsum sexus imbellis est, infirmus, & misericordiâ potius, quam vi & ferro dignus. 4. Ita docent Juris Interpretes, ut in Covarruvia videbis in regulam Peccatum p. 2. Victoria relectione de jure belli & Indis, Bellarmino libro tertio de Laicis cap. 15. Imo & è Gentibus Seneca. 4. Oclâ, fœmina, inquit, nomen hostis non capit: Scatinus Sylv. Stat serus rudis insciisque ferri. Narrat libro quarto Diodorus, apud Troglodytas à fœminis prælia dirimi, nefasque duci, eas ullo pacto ledere. Alexander Magnus apud Curtium libro quinto. Cum captivus, inquit, & fœminis gerere bellum non solico. Armatus sit, oportet, quem oderim. 5. Ecce verò & divina lex Deuteronom. 20. v. 13. Cum tradiderit Dominus Deus tuus urbem in manu tua percutes omnem, quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus.

(2) De mulieribus Midianitidis dicit illas occisas esse ob proprium ipsarum crimen. Sunt qui hîc confugiunt ad jus DEI absolutum Verum rectè statuitur crimen quoddam intervenisse, tum quia dicitur in versu antecedente 16. Num. XXXI. prævaricari fecerunt super peccata Peor; tum quia mulieres deceperunt Israelitas & ad fornicationem tum corporalem tum spiritualem allegerunt, tum

Midianiti-
dz ob pro-
prium cri-
men Israe-
litarum ar-
mis perie-
runt.

Quando in bello foeminae impune occiduntur

quia Virgines fuerunt reservatae, idque ea ex causa, quia ab isto delicto fuerunt immunes, non itaque foeminae occidendae sunt regulariter, nisi etiam ad arma ad volarint, vel culpa in ipsis haereat. Hinc Serarius pag. 62. §. 2. *Sunt causa nonnulla, ob quas in bello, etiam post victoriam foeminas occidere liceat. Prima est: si sint foeminae ipsae sceleri ac injuriae, ob quam bellum est; affines. Num. 25. Moabitides foeminae Israelitae ad foedam libidinem ac idololatriam pellexerant. Ob hoc illatum Moabitibus bellum Num. 31. Sed communi de foeminis non occidendis regula paula ante posita, cum nisi fuissent Israelitae, iratus Moyses; principibus exercitus, tribunis & centurionibus, qui venerant de bello ait vers. 15. Cur foeminas reservastis? Nonne istae sunt, quae deceperunt filios Israel ad suggestionem Baalam, & pravaricari vos fecerunt in Dominum super peccato Phogor, unde & percussus est populus? Pergis vero injusta & sanata hac ira Moyses, & iis, quae ad flagitium illos inflexerant, supplicium foeminis imponit vers. 17. Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: & mulieres quae noverunt viros in coitu jugulate. Puellas autem & omnes foeminas virgines servate vobis. Hinc & sapienter Poeta, dum Aeneid. 2. Aeneam ardente Troja, disputantem inducit, Helenamque malis totius facem & causam a medio tolletes, ait iri datum laudi, si non nefarium modo, sed ipsum veluti nefas tolletes.*

est

— *esfi nullum memorabile nomen*
Fœminea in pœna est, nec habet victoria
laudem.

Extinxisse nefas tamen, & superasse meren-
tis

Laudabor pœnas:

Prout non leviter hoc ipsum expendit in Poëti-
ca contra Tuccam, Varum; Servium & ho-
rum auctoritate commotum Casetanum 6. de
si cap. 14. Julius Cesar Scaliger libro tertio
cap. 12. & 24. Modicius eap. 4. Altera causa
est; si contra morem, hostilia manu & armis
molirentur fœmine, ut Penthsilea furcns, to-
taque Amazonum, quidquid Bertus, Gentilis,
& alii nescio qui dicant, fabula. Sicque a-
puđ Vopiscum non malè Aurelianus mulierum,
que virili habitu pugnarent, cecidit multas, in
triumphum etiam quasdam duxit, Tertia, si
Reipublicæ, hostiliumque partium tanta essent
crimina, tamque graves injuria, ut solorum iræ
virorum mors expiandis non sufficeret. Sunt
enim etiam fœmina quedam Reipublicæ por-
tio, quoddam virorum ipsorum bonum. ita, ut
ob illorum etiam solorum scœlera, possint hæ, il-
lorum in pœnam, truncari. idque factum sæpè.
Unde cum Germanos hostes latos, festamque no-
ctem ac solennibus epulis ludicram agitan-
tes aggressus esset Germanicus. Non, ait
lib. 1. Annalium Tacitus; sexus, non a-
tas miserationem tulit. Quarta; si ab iis
periculi postmodum aliquid victoribus rectè ti-
mevetur. Idem apud eundem Tacitum An-
nalium lib. 2. Germanicus, suos orabat. mi-

Bbbbb 3 lites,

lites infisterent cadibus: nihil opus captivis: solam internecionem gentis, finem bello fore. Quinta, si jubeat Dominus, Hinc enim summa, & contra quam excipi nihil potest, vita necisque mortalium omnium potestas: & verò cades ejusmodi, absque gravissimâ quâpiam causa, nunquam benignissimus jubet Dominus. Sic Dcut. 2. vers. 34. cap. 3. vers. 6. 1. Reg. 15. Causa verò hæc, vel una ex iis, quæ jam exposita sunt; est, vel alia quâpiam similis, nostra licet animorum animorum cecitati obscura. Recte siquidem quest. 36. & 39. in Judices Div. Augustinus, itemque quest. 56. in Leviticum, Dei jussio semper pro lege est, etiamsi jussionis nos ratio lateat. Hierichuntinum verò anathema jussit Dominus, uti quest. 18. ostensum supra: & majores natu fœmine idololatriâ, ceterisque sceleribus, quæ punita volebat Dominus Genes. 15. non vacarunt: minores verò civitatis totius portio, & quoddam parentum suorum bonum fuerunt, eaque propter anathe-

mate isto rectè omnes incluse. (3) Delabitur ad aliud præsidium & dicit, si hæc DEUS fecerit ac statuerit, justum fecisse; posse enim occidere ut pote vitæ datorem & Dominum. Verùm hoc ipsum, absolutè non debet admitti; tum quia DEUS non potest hominem integrum occidere, faceret enim contra semetipsum, utpote qui creavit ipsum inextinguibilem Sap. II. v. 23. tum quia mors est pœna peccati Rom. VI. v. 23. tum quia quod hodie possit impunè aliquem occidere, id non tam est ex creatione, quàm ex

Non in creatione sola dominium DEI à vèu-
 Juvor fan-
 datur.

prævia defectione, quia nullus & nemo hodie coram DEO est innocens.

Ad Th. X.

OBSERVATIO.

Rectè dicitur parcendum esse his qui sacra tractant, probatio tamen ex sacris expenditur.

Author dicit parcendum esse his qui sacra tractant, & vult hoc ipsum tanquam Juris gentium probare exemplo Philistæorum parcentium Collegio Prophetarum I. Sam. X. v. 5. & 10. At posset dubium moveri quia dicitur I. Sam. VII v. 12. humiliatos fuisse sub Samuele Philistæos, nec ultra venisse in terminis Israel, & Civitates, qualis erat Gaba, de qua Author. Sed responderetur verba illa non esse absolutè intelligenda, quod etiam non in aliquibus Civitatibus intelligantur Philistæi præsidium quoddam militare reliquerint, quod Israelitas ad pensitanda vectigalia coegit. Visus enim ipsis fuit locus commodissimus ad hæc Gaba, quia munita erat à natura, unde dicitur Ghibhath Elohim locus ille in textu, à Josepho oppidum Gabatha. Junius & Tremellius putant fuisse editiorem partem Gibhæ ubi Synagoga, excelsum sive locum cætui sacro destinatum, qui idèò vocètur Collis DEI. Rectè autem Author

Illustratur
Locus I.
Sam. X. 5
& 10.

Gaba quæ?

thor pro confirmatione sententiæ suæ adduxit locum.

Ad Th. XIII.

OBSERVATIO.

Ex loco 2. Reg. VI. captis parcendum esse non solidè concludit.

II. Reg. VI.
20. & seq.

Author vult probare parcendum esse captis ex eo, quia Elifa ad Regem Samariæ dicat hoc ipsum II. Reg. IV. Verùm hic locus non facit pro Authore; Nam (1) Elifa ideo non vult ut occidat Rex Syros præsentés, quia non ipse illos in has angustias redegerit, sed DEUS & quidem singulari quodam miraculo, cæcitate sc. immissa (2) negat occidendos esse ex causa finali, quæ hîc itidem singularis, quam agnoscit Chrysoſtomus scribens: Dimittit tot prædicatores, quot habuit hostes, tot relatores virtutum, quot homines hostium. (3) Stante hac sententia, non solum esset consequens captivos non occidendos, sed etiã splendidè illos excipiendos cibis & potu, quia hoc ipso v. 22.

hoc quoque præcepit Regi Samariæ Elifa.

Ad

Ad Th. XVII.

OBSERVATIO.

Quæ Author de pace offerenda Chananæis proponit, quibusdam Theologis non censentur liquida.

Author existimat, DEUM Chananæis primum pacem offerri voluisse, & vitam concedere sub tributaria conditione. Sunt verò quidam Theologi in contrarium, idque ideò, partim quia Deut. VII. 2. septem populi in terra Canaan habitantes absolute & simpliciter jubentur deleri; partim quia tota terra Canaan Israelitis à DEO erat possidenda tradita, quam non potuissent possidere, si tributarios tantum fecissent incolas; partim quia, si pepercissent, Israelitas secum commorantes ad idololatriam pertraxissent, quam causam interfectionis DEUS ponit Deuter. XX. v. 18. sed de hoc prolixè supra actum est, quæ de sortitione annectit ne nimium multi poenam subirent, placent quoque Delrio, Sanchezio, Lessio & cæteris; Scriptura tamen decernit oppositum & vult ut anima, quæ peccaverit, moriatur.

Quid Deus de Chananæorum excidio decernerit.

Ad Th. XVIII.

OBSERVATIO.

Non occidendos esse obsides extra casum delicti proprii rectæ rationi consentaneam est.

De occiden-
do in bellis
obside.

Author iterum aliquid monet de Obsidibus, & putat non esse occidendos, nisi ipsi deliquerint, quod & nos supra statuimus. Unde Sæ occidi obsides posse statuit, quibus non est data fides de salute, si comperti fuerint nocentes statuit, si verò sint innocentes non posse occidi, etiam si illi, qui illos miserunt, non stent promissis: propugnat Lopez 1. part. cap. 61. posse tamen aliis affici malis, ut carcere, Exilio, privatione bonorum. An autem ratio concludat Grothii, ex dominio DEI, meritò dubitamus, quia illud quidem obstat, quo minus aliquis semetipsum interficiat, non autem impedit, quo minus vitam suam aliquis oppignoret publici boni causa.

CAPUT XII.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Lex illa ex Deuter. 20. æquitatem ostendit abstinentiæ à re nobis fructuosa.

De non
succiden-
dis Arbori-

Author legem illam divinam de arboribus frugiferis adducit ex Deuter. XX.
At (1)

At (1) dubium est an per arbores ibi intelligendæ sint arbores fructiferæ, nam Tremellius & Junius, per arbores agri, intelligunt arbores agrestes, & volunt hunc sensum esse, in agro satis magna copia est arborum agrestium, quæ struendis turribus & propugnaculis accomodari possunt, (2) Rectius tamen cum Grotio, qui hic sequitur Targum Onkelos, accipimus ita, ut intelligantur arbores frugiferæ, ut sensus sit, non est sicut homo arbor agri, ut veniat contra te in obsidionem, neque est, ut timeas tibi ab arbore, velut ab hoste armato. (3) Rectè Author notat, quandoque etiam arbores esse succisas fructiferas II. Reg. III. 39. Sed hoc ipsum tum licuit, si desperarunt Israelitæ de urbis occupatione, vel ex dispensatione divina in majorem punitionem. Unde Bonfrerius p. 986. ita commentatur: *Non succides arbores de quibus vesci potest. Hoc est, arbores frugiferas, etiam ad instrumenta & machinas bellicas, ut sequitur; ad has enim construendas infrugifera arbores à natura data sunt, cum illæ ad alimenta & fructus subministrandos magna cura & industria nutriri & excoli soleant. Multò magis barbariorem sapit, in bello istiusmodi arbores vel fruges immaturas nullo fructu & usu succidere & demerere, nisi hæc hæc via ad hostium expugnationem & dedicationem faciat. Quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum. Hoc est, quia tibi in bello nocere non potest. Prior illa pars, quoniam lignum est*

B b b b b 6 & non

& non homo, in Hebraeo, Chaldaeo & Septuaginta per interrogationem offertur hoc modo: Numquid homo lignum agri?

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Conservari in Bello debent Temppla.

Verè Divinis rebus in bello parcendū est.

Judæi & Mahumetani à Christianis non sententiis tantūm distrepant.

Author de templis disputat & sacris, dicitque conservanda esse talia ædificia, & quæ eis accedant. Quod largiter conceditur de templis DEO consecratis, sed de templis Gentilium, utpote idolis dicatis, disputari potest. (2) rerum divinarum reverentia supponit res divinas, at ædificia sive templa Gentilium non sunt res divinæ, imò nihil aliud sunt quàm Diaboli habitacula. (3) quando dicit inter eos maximè debere hoc ipsum locum habere, qui eundem DEUM ex eadem lege colunt, etiamsi fortè sententiis, quibusdam, aut ritibus dissideant, ambiguè loquitur, & intelligere potest tum Judæos, tum Mahumetanos, tum Christianos, putat enim omnes hos unum DEUM colere, & sententiis tantūm discrepare, quod tamen falsissimum est, pro ut constat ex I. Cor. X. 20. sed de hoc egimus Supra. addit loca religiosa, de quibus rectè beatus noster Thummius pag. 92. *Res certè impia ac execranda est, casorum hostium CADAVERA sepulcra-*

pultura prohibere, aut in ea sapere, quod fecere Philistai, caput Saulis interfecti praecedentes, 1. Sam. 31. 8. 9. 10. Defuncti enim non belligerunt, sed hostes esse desierunt, qui homines esse desierunt.

Ad Th. VIII.

Q U O B S E R V A T I O.

Non est ad desperationem hostis adigendus.

NON malè non nemo: Prudenter Scipio fugientibus viam muniendam dicebat, Themistocles etiam Xerxem de fuga admonuit, ne tantam barbaram multitudinem inter viscera Græciæ contineret. Eadem Alphonso mens, qui fugienti pontem argeuteum esse sternendum censebat. Iphicrates etiam sensim secutus est fugientes, nec ad flumina urgebat, ne desperarent: Urbe capta, cum in foro concurrerent, iussit aperi portas, ut effusi sine periculo caderentur. Causa est, quia necessitas cum peritos & fortes premit, omnia penetrat: durum telum, & raro victi sunt, qui extrema necessitate pugnarunt. Desperatio rabidos facit, qui nihil metuent, aut vincunt, aut magna clade vincuntur. Monet illud Pontius Samnitum Imperator, cum nec datione noxiorum, nec ulla ratione Romanis satisfacere possent. Insignis prudentia legatorum Romanorum, dum Tuscis viam aperissent. Liv. libro secundo. Manlius quoque ad
restit-

restituendam aciens se ipse coram offert, duorum consulum cognita ora accendunt militum animos, simul & vanior iam erat hostium acies, dum, abundante multitudine freti, subtracta subsidia, mittunt ad castra oppugnanda. in qua haud magno certamine impetu facto, dum praeda magis quam pugna memores terevent tempus: triarii Romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerant, missis ad consules nunciis, quo loco res essent, conglobati ad pratorium redeunt, & sua sponte praelium ipsi renovant: & Manlius consul in castra relictus ad omnes portas milite opposito hostibus viam clauserat, ea desperatio Tuscis rabiem, magis quam audaciam accendit, nam cum incursantes, quacunq; exitum ostenderet spes, vano aliquoties impetivissent: globus juvenum unus in ipsorum consulem insignem armis invadit, prima excepta à circumstantibus tela: sustineri deinde vis nequit. Consul mortifero vulnere ictus cadit, fusique circa omnes Tusci crescit audacia. Romanos terror per tota castra trepidos agit, & ad extrema ventum foret, ni legati raptò consulis corpore patefecissent una porta hostibus viam, ea erumpunt, consternatoque agmine abeuntes in victorem, alterum incidunt consulem, ibi iterum caesi fusique passim. Et libr. 4. cum Volsci circumventi in orbem se voluerent, Messius eos adhortatus eduxit, ingentemque cludem attulit Romanis. Hic prabituri, ait, vos telis hostium estis indefensi, inulti? quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis? in otio sa-

mal-

multuosi, in bello segnes? quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem proteclurum vos, rapturumq; hinc putatis? ferro via facienda est. hac, qua me progressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, conjuges liberos estis, ise mecum: non murus, non vallum, sed armati armatis obstant: virtute pares, necessitate, qua ultimum ac maximum telum est, superiores estis. Hac locutum exequentemquo dicta, redintegrato clamore secuti, dant impressionem, qua Postumius Albus cohortes objecerat: & moverunt victorem, donec dictator pedem jam referentibus suis advenit, eoq; omne praelium versum est. Uni viro Messio fortuna hostium innititur, multa utrimque vulnere, multa passim cades est. Jam nec duces quidem Romani insruenti pugnant. Unus Postumius ietus saxo perfracto capite acie excessit. Non dictatorem, humerus vulneratus, non Fabium prope affixum, equo femur, non brachium abscissum consulens ex tam ancipiti praelio submovit. Messium impetus per stratos cades hostes cum globo fortissimorum juvenum extulit ad castra Volscorum, qua nondum capta erant, eodem omnis acies inclinatur. Consul effusus ad vallum usque persecutus, ipsa castra vallumq; ag greditur, eodem & dictator alia parte copias admover: non segnior oppugnatio est, quam pugna fuerat. Consulens signum quoque intra vallum injecisse ferunt, quo milites acrim subirent: repetendoque signo primam impressionem factam. Si fuga occasionem prabuissent circumveniens sine vulnere delere hostem potuissent.

nunc

nunc gravius quam initio praelium renovatur. Nam unus desperatione iraque, rabidus & mortem cum cruciatu timens plus valet, quam tres, quibus nulla pugnandi necessitas incumbit. Fugientibus ergo cautè instandum est, ne ex necessitate resistat, ut postea facilius fugiat, ratus non ad perniciem fugientibus instaturos victores, nam ancipiti malo oppressi memorabile tamen praelium edunt, ignaviam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est. Curt. libro quarto, docuit. Exemplo suo animosus miles Sempronius Gracchus in insidias precipitatus hoc agit, ne inulti cadant. Livius l. 34. Non esse includendum hostem Romanè etiam Senatus prudentia nos satis docuit, Gallos ne vigilia desideranter transuehendos & commeatibus iuvandos censuerunt. Gallis etiam per agrum Pomptinum data est fugiendi potestas. L. Martius Pœnis desperatione repugnantibus cum essent circumventi, fuga spacium dedit, & fugientes sine periculo concidit, sic Caesar Germanos, & Hannibal ad Trasymenum fecit. Antigonus Ecolos erumpentes fugere permisit, deinde aversor cecidit. Sic Agesilatus Thebanos emisit, Xerxes Themistocles. Pyrrhi præceptum fuit, non esse fortiter instandum fugientibus, ut alias facilius fugerent. Libenter enim cupit commori, qui se sine dubio scit moriturum. Una salus victis, nullam sperare salutem. Lucullum etiam superavit eo modo Datames, de quo Front. l. 2. cap. 7. Datames Dux Persarum, adversus Antiochum in Cappadocia, cum partem equitum suorum

trans-

transfugere comperisset, ceteros omnes venire secum iussit assensuque transfugas collaudavit, quod eum alacriter praecessissent, hortatusque est etiam eos, ut fortiter hostem adorirentur: pudor transfugis attulit poenitentiam: & consilium suum (quia non percipiebant deprehensum) mutaverunt. Dum enim desperat ob transfugarum suorum vitam: victoriam adeptus est. Catonis sane insigne factum, cum enim Ambraciam Aetoli oppugnarent, lembo advectus, voce, manu, gestu, visus est suorum naves advenientes vocare, ab oppugnatione itaque Aetoli destiterunt. Lycurgi leges erant: hostes fugientes non occidere. Servarunt itaque hoc optimi militum Spartiae, ut fugientem, quam resistentem videre mallent.

CAPUT XIII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Res hostium non debentur ex poena.

Author statuit, cum ex inaequalitate rerum tum ex poena, posse acquiri res hostium, & subditorum res ex introducto Jure gentium, quantum ad primum quasi fideiussione obligari. Verum (1) ex poena non potest acquiri res hostilis; poena enim in eum dicitur & exercetur, qui est sub jurisdictione nostra, qualis non est hostis, Alio itaque

Res hostium subditorum bello captae non retinentur ad modum debiti.

Cccc

titulo

titulo res hostiles transeunt in potestatem Victoris. (2) Si jura Majestatis sint penes Victorem, si sit ex numero summarum potestatum, acquirit sibi res hostiles ex potestate vindicandi injuriam acceptam, quæ privato quidem negatur, sed publicæ potestati competit. (3) etiam subditorum res in tali casu censentur esse obligatæ; tum quia Rex sive Princeps & Respublica unum quasi corpus constituunt, tum quia præsumitur consensus capitis & membrorum; tum quia, si licet jure belli interficere subditos alterius, quidni etiam liceret res ipsorum illis subducere?

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Frustra distinguitur inter Juris & Charitatis Regulas, si de divino sit sermo.

Non latius patent charitatis quàm juris regulæ. **A**uthor errorem recoquit de distinctione Juris & Charitatis, & latius putat patere Charitatis quàm juris regulas. Sed hoc subsistere nequit: partim quia juris regulæ, si genuinæ, debent etiam ipsam conscientiam tranquillare, & non tantùm impunitatem actionibus externis inducere; partim quia, qui observat juris regulas non solùm honestè vivit, sed etiam suum cuique tribuit & neminem lædit, quo ipso Charitatis officium explet, partim quia juris divini regulæ in Decalogo sunt

sunt expressæ & naturalis, qui itaque Decalogum observat, ille quoq; Charitatem debitam exercet, & quidem ita ut æque latè pateant tum juris tum Charitatis observatio.

CAPUT XIV.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

In Servitutem redigi possunt capti Bello.

Author disputat, num fas sit Servituti subdicere innocentes Reipublicæ, cumque justum est bellum? & dicit, si peculiare sit in hominibus delictum, quod Libertatis damno puniri æquitas postulet, posse tales servituti adjudicari, laudatque in suam sententiam Molinam. Molina autem disputat, quod nefas sit interficere eos innocentes, qui partes sunt Reipublicæ, cum qua bellum est justum, fas tamen esse eos servituti subdicere, adeoque absolutè disputat & decernit; tum quia tota Respublica reputatur hostis ad hunc effectum ut tota puniri possit in membris suis quoad bona fortunæ, cum itaque libertas sit inter bona fortunæ, consequens est ut quemadmodum tota etiam in membris innocentibus spoliari potest bonis externis, sic tota subdici possit servituti, quando tanta est culpa, ut terris & aliis bonis spoliari mereatur; tum quia hoc in praxi obtinet, dum

Mens Molinæ.

scil. captivi ducuntur infantes & mulieres Turcarum etiam à Christianis, quorum terras & omnia externa bona propter injurias illatas Christiani possunt usurpare; tum quia fas est captivos habere innocentes filios servorum nostrorum, sortiuntur enim conditionem parentum, & quodammodo parentes in illis puniuntur: fas itaque etiam erit ducere captivos innocentes filios hostium nostrorum, puniendo ita parentes in filiis. Republicamque in omnibus suis membris.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Humaniter agendum est Domino cum Servo.

Quomodo
Lex cum
qui ob ino-
piam se vē-
dit compa-
ret mercen-
nario?

Author dicit Legem Hebræam eum, qui inopia coactus est se vendere, disertè mercenario comparare Deut. XV. Verùm num disertè talem mercenario comparet, non ita est liquidum; tum quia quidam locum illum accipiunt assertivè & historicè, ut sensus sit, opera talis servi tibi magis profuit quàm mercenarii, ipse enim ut Israelita majori fidelitate tibi serviit quàm peregrinus, qui mercedem tantùm spectat; tum quia alii hoc explicant, de pacto quodam interveniente ad aliquod auctuarium, si benè & fideliter talis servus operam suam præstiterit; tum quia quidam de copiosa & liberali mercede

cede hoc accipiunt, plenissimè respondente operæ præstitæ ex Esa. XL. 2. Jerem. XVI. 18. Zachariæ IX. 12. Verùm pro Grotio dici potest, quicquid sit, aliquam tamen comparisonem esse cum mercenario, & quidem commodè accipi potest locus, ut sensus sit: quamvis dederis emptio istiusmodi Servo duplicem mercedem, sc. libertatem & donativum, non tamen debes indignari ob libertatem concessam, quia cum non tantùm tres sed sex annos tibi servierit, etiam duplum mercedis mercenarii ipsi jure debetur. Præterea allegat in confirmationem suæ sententiæ pro miti Imperio in servos locum ex Epistola ad Coloss. IV. 1. ubi probè observandum Apostolum non solùm monere Dominos, ut præbeant servis quod debent, nempe victum & amictum, sed etiam ut æquos & humanos se illis exhibeant, nec omne debitum servitutis ad amissim exigant, aut omne delictum eorum rigidè puniant: quod ipsum patet tum ex tota Oratione Apostolica, tum ex testimonio Jobi XXXI. 13. tum ex loco parallelo Ephes. VI. 9. Denique (3) in hac thesi adducit ex Jobo dictum, circa quod notandum, Jobum itidem Jus servi ostendere, non solùm tibi officium fecit, sed etiam ubi peccatum excusari potest aliquo modo, ut enim nobiscum agi cupimus quando peccamus, leniter sc., ita cum ipsis nobis agendum; tum quia juxta Jobum sicut servus meus mihi subjectus est ut ipsi imperem, ita ipsemet ego DEO: si autem omnia exegero

Pro miti
servorum
Imperio.
Col. IV. 1.

Job. XXXI.
v. 13.

Ccccc 3

à servo

à seruo meo, quomodo effugiam iram DEI, qui omnium ei sum debitor; tum quia etiam de sibi subiectis Herus aliquis tenetur reddere rationem DEO, tanquam superiori Domino, & DEUS æqualiter Dominum & seruum curat, tum quia similis est origo & Domini & serui, vult enim Jobus dicere, non fuit matrix mea nitidior & melior quàm illius, quod etiam agnovit Juven. Satyra 14. ita scribens:

Mitem animum, & mores modicis erroribus aequos

Præcipit, atque animos servorum & corpora nostra

Materia constare putat Rutilus &c.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Non punire inclementer Dominus Servum potest.

Explicatur
Lex Exod.
XXI. 26 &
27.

Hebræo
cum aliè.
nigenis
communis
fuit.

AUthor agit de Lege illa Hebræa Exod. XXI. 26 & 27. Circa quam legem observandum (1) sub nomine oculi & dentis excussi omnes intelligi membrorum mutilationes, exceptis vulneribus & livore, quæ expressa sunt in præcedenti lege v. 20. & 21. Non enim ex illis confestim secuta est manumissio. (2) Observandum Jurium ad servos & ancillas alienigenas restringere, & actionem talionis concessam fuisse Servis Hebræis, ex lege communi opinari, quæ lex legitur Levit.

Levit XXIV. 19. (3) Longè probabiliùs dicitur, legem fuisse communem, tum quia nulla hîc fit exceptio conditionis alienigenarum & indigenarum, tum quia non est probabile, servos Hebræos castigationi fuisse exemptos, neque potuisse cædi, tum quia potiores Interpretes in hanc sententiam concedunt.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Quæ de Lege Ebræa dicit, quamque restringit ad servum Hebræum, laxiùs videntur extendenda.

Circa finem dicit, laudandam esse benignitatem Legis Hebrææ, quæ servum Hebræum certo tempore exacto manumittere omninò jubeat, nec sine donis. Hic Author existimat Legem hanc saltem respexisse Hebræos servos, cæteros autem servituti perpetuæ fuisse addictos. Verum videtur hæc sententia non esse simpliciter vera. Nam quamvis Lev. XXV. 46. cæteri, qui non sunt Hebræi servituti addicantur perpetuæ, non tamen hoc simpliciter intelligendum etiam de profelytis justitiæ; tum quia profelyti justitiæ populo Judaico inferebantur, & eodem ferè jure fruebantur; tum quia textus non nisi de extraneis, sive in medio populi habitantibus loquitur, adeoque de profelytis tantùm domicili; tum quia de illis agitur,

Profelyti
iustitiæ
perpetuam
servitutein
non servie-
bant.

qui opponuntur fratribus h. e. Israelitis ex uno sanguine oriundis, profelyti autem iustitiæ facti sunt filii DEI, & consequenter fratres Judæorum censebantur.

CAPUT XV.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Laudabile est Jure Imperii abstinere in victos.

Author de Acquisitione Imperii agit, & laudabile esse existimat hoc jure abstinere in victos, laudatque in suam sententiam Amosum, cujus verba sunt c. 1. v. 13: *Deus visitaturum Ammonitas, quod dividerint gravidas, ut dilatarent terminum suum, Quo ipso indicatur odium inveteratum Ammonitarum contra Gileaditas, adeò ut etiam ipsis gravidis non pepercerint, ne liberi parentibus in possessionibus relictis succederent, atque ita ipsi vacuum terram occuparent, nemine qui eam vindicare & asserere posset superstitite. Non itaque necessum est, ut quidam volunt, ut verba hæc, qui dividerunt gravidas, accipiantur ita, quod confuderint montes, & moverint terminos, quod reprehenditur Deus*

XIX. 14.

Ad

Ad Th. IX.

OBSERVATIO.

Aliqua remanserunt Jura victis Judæis.

Author dicit apud Judæos mansisse Scæptum in Synedrio, de quo supra aliquid diximus, cum aliqua jura superfuisse demonstravimus. Non autem obstat quod Romæ accusari potuerint Reges Judæorum. Nam Herodes ut Augusto se subiceret, inductus fuit tanquam cliens reverentiâ erga ipsum, veritus ne potestate privaretur, quod Antonii partibus favisset, & tamen ea exercuit, quæ Rex & Princeps exercere solet.

Ad Th. XI.

OBSERVATIO

Non simpliciter asserendum avitæ Religionis Usus victis relinquendum.

Author dicit relinquendum esse victis Usus avitæ Religionis, si verò falsa apud victos religio, curandum, ne vera opprimatur. At (1) si avitæ religionis usus est hæreticus, peccaminosus, idololatricus, summæ Majestatis erit paulatim & prudenter illum abolere, idque ideo, quia summæ potestatis est, subditos suos facere quàm felicissimos, felicissimi autem tum vel maximè erunt, si ad

Quomodo
Victis Re-
ligionis li-
bertas re-
linquenda

veram religionem perducantur. (2) Si falsa apud victos religio non solum sufficere cave- re, ne vera opprimatur, nondum enim Rex adimplevit officium suum, sed etiam faciet, ut vera floreat; (3) Quamvis nullus Rex possit cogere coactione legali ad assensum vel dissensum mentis, neque urgere hominem contra conscientiam, tamen necessarium est, ut summa potestas si non ad cultum ipsum, DEI internum, tamen ad externam auditionem verbi urgeat victos, per quam sensim intrat Lux divina, & agere mediis veritatem persuadentibus, adhibitis Theologis, coactione violenta exulare iussa: sed ipse Author videtur persuasionis procuracionem admittere & ante illam tantum invitos & renitentes non compellendos esse asserere, quod admitti potest. Medium hic inter Libertinismum & papalem Phalarismum tenuere Beati,

CAPUT XVI.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Abrahamus potuisset pro Labore & periculo aliqua retinere.

An quod à
Sodomis
captivis ni-
hil Abra-
hamus re-
ceperat in
iuris con-
suetudine

Author produxit exemplum Abrahami, qui captivos reddidit, nec quicquam voluit sumere, detractis tantum sumptibus necessariis & parte tributa aliqua Sociis. Verum quod Grotius putat excelsi fuisse animi, id videtur

videtur Juri conforme fuisse, ita ut si contra egisset Abrahamus, non tantum generositas gloriam in discrimen adduxisset, sed & contra Jus egisset; tum quia Rex Sodomorum petiit ab Abrahamo restitui sibi personas, quæ abductæ fuerunt ab hostibus; personarum autem & rerum quantum ad abductionem par fuit ratio; tum quia ipse Abrahamus hoc agnovit, dicens non accipiam corrigiam calcei ex omnibus quæ tua sunt; agnoscit itaque illa abducta esse adhucdum Regis Sodomorum, tum quia actu ipse nihil retinuit Abraham, ne quidem filium subtegminis. Verùm ut hæc speciosè dicantur, nihilominus responderi potest ad (1) Regem Sodomorum non jure potuisse repetere ab Abrahamo personas, sed hoc ipsum petiisse ex humanitate: idque patet exinde, quia quæ per nos hostibus erepta sunt, non possunt vindicari ab his, qui ea possiderant antea & bello amiserant, Jus enim gentium tribuerat externum dominium hostibus. Hinc si auferatur aliquid hosti cedit Victori. Confirmatur hoc insuper ex Jud. XI. v. 23. & accedit illud, quod Dionysius Halicarnassæus refert responsum Volscis, cum olim à se possessa à Romanis repeterent lib. 6. ad (2) Respondeatur quando Abrahamus dicit ad Regem Sodomorum, nolo quæ tua sunt, non intelligit tua in statu, quæ ejus tunc actu essent, dominium enim fuit amissum ob bellum interveniens, sed in ampliacione, quæ sc. ante aut paulo post fuerant Regis Sodomorum. Ad (3) res-

tem potius quam in generosam mentem transcribendum sit disceptatur?

Rex Sodomorum ereptas hostibus personas à Victore Abrahamo repetere Gentium Jure non potuit.

Excelsi a-
nimi fuisse
factum A-
brahæ; defi-
nitur.

spondetur, rectè Grotium statuere id excelsi fuisse animi: tum quia licuisset, quidem Abrahamo victoria laxius uti, non autem expdivisset, quo quoque respicit Paulus I. Cor. VI. v. 12. tum quia gloriæ DEI intererat illa recusatione, Animum exponere, quia enim DEUS abundè benedixerat Abrahamo, ne Sodomæi dicerent, non à DEI benedictione, sed ab illo fructu belli profectum hoc ipsum esse, repudiavit ea; tum quia volebat ostendere, non spe lucri allectum se hoc bellum suscepisse, sed studio vindicandi injurias cognati, nempe Lothi.

C A P U T XVII.

Ad Th. II.

O B S E R V A T I O.

Exemplum quod pro Confirmatione thesæ, allegat, abstinentiæ scilicet à pacatis non solidè concludit.

Moses transi-
tum pe-
tens per a-
gros Idu-
mzorum
sinistrè ad-
fertur in
exemplum
abstinen-
tiæ à pacatis.

IN confirmationem illius, quod à pacatis nihil sumendum sit, producit exemplum Mosi, qui noluerat transire per agros Idumzorum, nisi summa cum innocentia. Sed hoc exemplum non satis probat probandum; rogavit enim Moses transitum, quia Esau & Jacob erant fratres, & ideò Idumzi ex Esau oriundi Israelitis jure quodam debebant hoc officium, quod consequenter non potest appli-

applicari ad illos, qui nulla connexionē sanguinis aut stirpis communitate tanguntur; tum quia petiit transitum per medium regionis, quod aliàs periculosum; nam licet v. 21. dicatur non concessum fuisse transitum, concessit tamen transitum Princeps Idumæus hoc modo, ut Idumææ regionis fines legerent, ibique transeuntes ab Idumæis alimenta & aquas pretio acciperent. (3) Etiam si denegasset aquam & alia, non tamen videtur illud esse tam injuriosum, & consequenter peti posse jure non universaliter verum. Erat enim integer exercitus, & loca Idumitica erant siticulosa, non autem tenetur quis alteri communicare ita, ut deinde defectum ipse sentiat. Addit in eadem thesi de militibus illud Johannis Luc. III. v. 14. *Et dicit à calumnia posse verti à rapina in notis.* Verùm in Græco habetur talis vox, quæ notat concussionē cujus titulus, est in Digestis, quæ cōcussio idem est quod exagitatio per calumniam, additur vox *συκοφαντικόν* quæ notat defraudare, quod male à Vulgato vertitur: neque calumniam faciatis. Et si huc respicit Grotius, non commodè etiam vertit Beza: dolo non opprimitate. Nam rapinam facere, violentiam designat, vox autem *συκοφαντικόν* non notat violentiam sed fraudem, prout colligi potest ex Luc. XIX. v. 8.

Luc III. 14.
Cōcussio.

*συκοφαν-
τικόν.*

Ad

CAPUT XVIII.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Absurdè dicit Author pœnam hostem exigere ab hoste, absurdius Jus naturæ per Legem Evangelii esse restrictum.

Author dicit, jus naturæ videri, in bello justo cuilibet concessum ea facere, quæ parti innocenti, intra justum bellandi modum profutura confidit, non etiam res captas suas facere, quia nihil ipsi debeatur; nisi forte pœnam justam exigat communi hominum jure, quod per Legem Evangelicam sit restrictum. At hæc absurda sunt: tum quia pœnam exigere non solet hostis ab hoste, etiam si sit publica autoritate armatus, sed vindictam, cum pœnæ exactio Jurisdictionem prærequirat; tum quia sive pœna sive vindicta vocetur, non potest illam exigere quilibet communi hominum jure: tale enim commune jus non datur; nam, si necessarius est ordo imperantium consequens erit, non nisi publica autoritate instructis licere vel pœnam vel vindictam exigere; tum quia falsum est dari legem Evangelicam, falsius autem restringi per illam ea quæ sunt Juris naturalis.

CAPUT

CAPUT XIX.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Fides etiam Hosti debetur videatur Thef. 18. & 19. cap. 1. lib. 3.

Author in genere disputat Fidem deberi hostibus quibusvis. Quod ipsum qui dam ex Pontificiis negant, inter quos Becanus, qui disputat, si secularis Princeps det alicui hæretico salvum conductum, hoc non obstare, quo minus Ecclesiasticus Judex officium suum exercent, & juxta allegata & probata procedat. Probare hoc ipsum nititur ex eo, quia quando sunt duo Principes qui habent distincta tribunalia, quorum alterum altero majus est & superius, tunc inferior Princeps non potest impedire superiorem ab executione suæ Jurisdictionis. Princeps autem secularis & Ecclesiasticus habent distincta tribunalia, quorum alterum altero superius. Ergo (2) videtur non posse hoc ipsum admitti, quia si pars altera ad scædus inendum per vim injustam adacta sit, quod in bellis, quippe quæ ex altera parte fermè injusta sunt, plerunque accidit, non videtur, quod metus causa gestum est & vi, ratum habendum esse, & non resiliendum à data fide. (3) Si appareat scædus publica autoritate ininitum Principi & toti Reipublicæ esse pernicio-

Fides hosti servanda est.

Dissentientis Becani argumentum primum.

Secundum

Tertium.

Profligatur
Primum.

Secundum

Tertium.

niciosum, fides non videtur esse servanda, quia Reipublicæ salus summa lex est, cui consequenter omnia cedere coguntur. Verum ad (1) Respondetur falsum esse Principem Ecclesiasticum habere aliquod tribunal, contrarium probatur ex illo Christi Luc. XXII. Principes gentium dominantur, vos autem non sic. Nec si haberet, superius esset; nec si superius esset quocunque modo, consequens foret, posse seculari Principi tantum officere, ut existimat Becanus. (2) Non concludit, quia stante hoc argumento in bello, eum paciscentes superiorem iudicem non habeant, qui causa cognita ipsis Jus dicat, quælibet pars paciscens posset causari ac dicere, sibi vim injustam illatam esse, adeoque fœdus à se rescindi posse. Quod ergò Prætor dixit: Metus causa quod gestum fuerit ratum non habeo, id spectat ad privatos & Jurisdictionis superiorem agnoscentes. Ad (3) respondetur salutem Reipublicæ esse quidem supremam legem, sed non debere obesse illi, quod Juris est naturalis, aut contra ea intendi. Quapropter si fœdus sit inicum, utut perniciosum Reipublicæ, si non ex objecto malum, servandum erit. Vid. Joh. Molanus lib. 3. de fide hæreticis servanda c. 14. 17. & 29. Manet enim illud Augustini: Fides quando promittitur etiam hosti servanda est contra quem bellum geritur. Cui addatur Ambrosius l. 1. Officiorum c. 29. Et ratio est, nisi enim fœdera publica obtinerent & servanda essent, nulla Pax aut societas inter humanum genus

genus subsistere posset ; intelliguntur introducta communi gentium jure. Unde ex Jurisconsultis non nemo ita concludit disp. 9. ad pandect. lib. 2. pag. 66. §.

9. Sic colligo : Cum quibus jus gentium commune est, his data fides servari debet. Est autem commune, cum hoste, l. ult. D. de Legationib. cum latrone. d. l. bona fides, cum maleficio, l. sunt quidam. 17. l. qui ultimo. 29. D. de poen. cum barbaris l. 6. in fin. D. de bon. damn. cum hereticis & infidelibus, arg. l. mutui. 43. §. 1. D. de Procurat. Ergo his fides data servari debet. l. nam & Servius 21. junct. l. si quis negotia 23. D. de negot. gest. Josua 9. cap. Duar. in d. l. 1. Hotom. illustr. quest. 7. P. Martyr. class. 2. locor. comm. loc. 3. n. 13. & seq. Bodin. 5. de Rep. ult. p. 937. & 944. Fach. 9. controuv. 58. Bronch. 1. antin. 29. Groz. 3. de jur. bell. & pac. 19. Diss. quod ad hostem Bartolus in l. 5. D. h. t. Z sinu in apol. contra Eckium. quod ad latronem, Cicero 3. de offic. Bachovius not. ad Trentl. vol. 1. disp. 6. th. 7. lit. A. quod ad hereticos, Gregorius IX. Pontifex, c. ult. extr. de heretic.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Etiam prædonibus & Tyrannis fides est servanda.

RECTè Author rejicit Sententiam Ciceronis & principale Argumentum confutat, Latroni data fides servanda.

D d d d

futat,

futat, quod cognationem quam natura inter homines constituit latro violat, addi potest licere talem interficere, ergo & jura auferre; inter jura verò etiam esse jus ex promissione quæsitum, denique qui metu compulit aliquem ad promissionem, teneri illum liberare cum damnum dederit per Justitiam, actum pugnantem cum libertate humana, sed respondent Jurisconsulti: *Dictū, Latroni datam fidem servandam lyrumq; promissum solvendū.* *Opp. Latro cognationem, quam natura inter homines constituit, violat. Item, Quem jure natura necare licet, ei & res & jura sua auferri possunt. Inter jura autem est & hoc jus ex promissione quæsitum. Denique qui metu alium sibi promittere compulit, tenetur promissorem liberare, quia damnum dedit per injustitiam, id est, actum pugnantem & cum natura libertatis humane, & cum natura actum, qui liber esse debuit. Resp. Latronem impunè occidimus, nisi fides ei sit data: hac factà vir bonus dimissus, pretium redemptionis solvet. Dum enim cum latrone, qua tali, quis paciscitur, simul de remittenda, quod hanc rem astinet, pœna actum censerit debet. Obligatus est promissor summo jure, nisi ex edicto prætoris, quod metus causa in integrum restituitur.*

H. Grotius d. c. 19. num. 3. &

2. seqq.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Rectè disputat Author contra Ciceronem hîc, miscet tamen quædam incongrua.

Author rectè disputat contra Cicero-
nem, quantum ad ipsam thesin, interim
tamen non rectè dicit (1) à quovis puniri
posse hos, qui atrociter malefici sunt. Nam
omnis punitio est actus Jurisdictionis. Non
autem potest competere Jurisdictio cuivis
homini, nisi ordo tollatur imperantium &
parentium. (2) regula Christi est evidens,
qui gladium accipit, gladio peribit, de qua
ipse Author agit l. 1. de J. & P. (3) punire
nemo potest, nisi qui terrori positus est ma-
lis & defensionis bonis. At hoc ipsum soli
competit potestati publicæ, ut constat ex
Rom. XIII. v. 1. 2. seqq. Quamvis autem
Piratæ sint publicæ fidei hostes, ipsoque jure
proscripti, & ut loquuntur Baldus & Salice-
tus diffidati habentur, imò quotannis in Bul-
la quam vocant Cœnæ Dominicæ pridie Pa-
rasceves excommunicantur, de quo videri po-
test Rebuffus, Stracha & alii, rectè tamen
Grotius sentit, si cum Pirata ut tali contra-
ctum sit omnino servandum esse pactum;
cum posito quod nullius juris capaces sint,
tamen si sciens quis cum tali ut tali contrahit,

Non à quo-
vis puniri
possunt a-
trociter
malefici.

Piratis Fi-
des præ-
standa.

jus sociale revocat, redintegrat, & consequenter fidem etiam servare tenetur tali.

CAPUT XX.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Induciarum Definitio ab Authore exhibita admittit accuratius Genus.

Induciarum per Conventionem ambigè definitur.

DE Induciis Author dicit quòd sint Conventio, per quam Bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum sit; sed ambigè dicitur Conventio, videtur potius esse consequens & causatum Conventionis, unde Ebraei Inducias describunt per talem statum, in quo securè licet hostem intueri, quod præviã conventionem supponit. Varro pacem vocat castrensem, Græci ἐκεχειρίαν cessationem à pugnâ manuum. Quapropter aut vox conventio accipitur in quantum dicit Tractationem de feriis Belli, aut in quantum coincidit cum ipsis feriis: priori modo le causaliter habet ad Inducias; posteriori autem modo statum notat ex Conventione ortum: melius autem substitui posse facile largimur, quemadmodum cum limitatione quoque accipiendum esse censemus, id, quod dicit de Induciis ex Gellio, non pacem esse inducias cum Bellum maneat, pugna cesset; si enim sunt induciæ centum Annorū, ut quidem fuerunt

Induciis pacis nomen convenit.

ruo

runt illæ quas obrinuerunt Veientes & quos Isdigerdes Persa Tutor Theodosii junioris constitutus pepigit, parum à pace aberunt & hò die vix tantum temporis indulgetur paci, quàm gratis istiusmodi Induciis.

Ad Th. II.

OBSERVATIO.

Induciarum Derivatio quam Author eligit non est extra Controversiam.

IN Grammaticorum viridaria expatiatur Author & inquit in originem Nominis Induciarum, rejicitque Gellium, qui voluit deductam esse hanc vocem ab *inde uti jam*, nec non Opilium qui ab *Endoium* id est introgressu derivat, & meliorem substituere intendit radicem nempe *inde otium*, quod inde à certo tempore otium sit & arma cessent. An autem Calculum mereatur in Judicio eruditorum meritò dubitatur. Ebræi utuntur voce Chazot, quæ notat & חזקת sive Speciem, & Inducias & Pacem; legitur illa Esaiæ 28. v. 15. & 18. ubi dicitur pepigimus fœdus cum Morte & cum Inferno fecimus חזקת pactum, quo mediante liceat illum Infernum scil. securis videre nobis, & obliterabitur fœdus vestrum cum Morte & חזקת pactum vestrum cum Inferno non subsistet, quo

D d d d 3 impii

Induciarum
Etymon.

impjii indicare völuent se Inducias fecisse cum Inferno ut non metuant illum, sed liceat intueri & spectare absque terrore illum. Græci, ut Author indicat, ἐκχεῖλαι dicunt, illamque adhibent Plutarchus, Thucydides, Lucianus & alij. Latinos autem dictos esse inducias alij censent à *die*, alij ab *indice vel Indicio*, alij ab *In & Duce* cum inducias facere penes Ducem sit, & in illius manu sive potestate, habent tamen singulæ aliquid quod difficultatî obnoxium ut Grotiana derivatio. Commodius forsan deducitur vel à græco *ἐνδύκτωρ*, vel quod simplicius videtur ab *Inducendo*, cum per Inducias inducatur cessatio pugnæ, unde etiam Varro illas dixit Ferias Belli.

Ad Th. III.

OBSERVATIO.

Non simpliciter admittitur quod de Rege infante, furioso captivo & Exule pronuntiat Grotius.

Competit
pacis in-
eundæ Jus
Regi capti-
vo, & men-
tis non
compoti.

Author disputat, quod Rex infans, furiosus, captivus & exul non possit pacem facere. Et quidem de captivo Rege pronuntiat hoc, si Regnum ex consensu populi ortum habeat, tali enim in casu jus totum non esse penes ipsum, sed exercitio & quasi tutela penes populum aut eum cui id populus commiserit. Verùm hæc nimis credenda sunt. Nam (1) Rex utut captivus sit, ta-

men

menadhucdum Rex est, nec dejectus à dignitate, quam DEUS ipsi concessit. (2) Si Regnum ex consensu populi ortum habet, ut Author loquitur, non tamen propterea desinit esse immediatè à DEO; consensus enim populi non ipsum axioma confert, sed de modo possidendi & exercendi saltem aliquid disponit. (3) falsissimum est in tali casu tutelam esse penes populum, ita enim fingitur in populo residere quod DEUS concessit Regi, ita Rex subjicitur subdito, & sententia Jesuitica, quam supra excussimus, probatur.

Populi consensus Regium axioma non confert.

Ad Th. V.

OBSERVATIO.

Quæ de Imperio, Regibus & Populo hic dicuntur cautè sunt accipienda.

Quomodo Imperium aut pars Imperii aut Regni Bona, pacis causâ validè alienentur Author exponit. differit verò in initio *Thesauri* de Imperio & asserit Imperium aut omne aut ejus partem, quales nunc sint plerique Regnum habentes non in patrimonio, sed tanquam in Usufu etu paciscendo alienare non posse. Imò antequàm Regnum accipiatur, quo tempore populus adhuc ipsis superior sit, lege publicâ tales Actus in futurum planè irritos reddi posse. In quibus Rex non est usufu etarius.

leam, quod usufructus sit tantum Imperii penes Reges, cum supra ostensum sit hoc vocabulum ad Bona privatorum spectare neque commodè usurpari de Imperio 2. plerosque Reges nostri temporis Imperium habere tanquam in Usufructu non patrimonio, cum contrarium constet, præprimis si per partes Orbis majores Oculos circumferamus atque etiam ad Reges extra Europam attendamus 3. Quod populus illis sit superior antequam Regnum accipiant, quod non nisi limitatè accipiendum nec quasi promiscuæ Multitudini, tunc in sit τὸ κύριον, sed quòd in potestate Reipublicæ sit conditiones proponere & præviis pactis sese submittere illi, quem DEUS Majestate coronat.

Ad Th. VI.

OBSERVATIO.

Pharaonis Imperium processit longiùs quàm Author ponit.

Imperium Pharaonis non tam ad res quàm ad personas Ægyptiorum extensum est.

PRoducit hinc Pharaonem, quem Themosin volunt dictum & dicit illum in personam quidem dominium non habuisse, sed in res & quidem ex empto; locus quem respicit legitur Gen. XLVII. ubi dicitur emisse Josephum omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subjecisseque eam Pharaoni. Atqui non tantum terra Ægypti, quæ antea erat Regis

gis ratione summi Imperii, Jure proprietatis facta est illius, ut Ægyptii essent tantum Emphytevtæ & Coloni agrorum, sed & ipsa Libertas expiravit & Pharao præter dominium in res etiam acquisivit dominium in personas, Regno in despoticum Imperium pro-
 vecto, quod liquet ex eo, quia ipsimet dicunt v. 18. *Eme nos & terram nostram pro pane*, quia versiculo 24. luculentius hoc iterum exponunt dicentes: *Conservasti nos in vitâ inveniamus gratiam in oculis Domini mei & erimus servi Pharaonis*. Ad quæ Verba quidam annotant quod pensionem quintæ partis quidem deprecari fuerint, in servitutum tamen consenserint: verùm utrumque subierunt & quidem volentes; quia deniq; Josephus hoc confirmat, scribit enim: Cum omnes possessiones in Jus Regis devenissent, alium aliò migrasse, quo certius esset regium dominium. Addit Cajetanus Josephum in signum tam servitutis ægyptiorum, quàm proprietatis terræ acquisitæ Pharaoni transtulisse populos de agro unius Civitatis ad agrum alterius, ut sic agnosceretur Pharao proprius Dominus singulorum agrorum mutando Colonos, & ipsi Ægyptii hujusmodi facto profiterentur, se esse non solùm subditos sed etiam servos Pharaonis.

Ad Th. XLIII.

OBSERVATIO I.

Duella non tantùm Jure gentium
externo sunt licita.

AUthor de duellis agit, & existimat jure gentium externo belli finiendi causa duella esse licita; (2) nihilominus internam Justitiam talibus præliis deesse, quia nemo vitæ suæ sit Dominus, & talis in proximi Charitatem peccet, atque in DEUM. (3) condicto certamine uti tanquam testimonio bonæ causæ vanum esse juxta Thomam, atque à vera pietate alienum. Verùm 1. non videtur tantùm jure gentium externo talia certamina esse licita: tum quia publici hostes sunt qui congregiuntur: hostem verò præsertim armatum, & per pugnam solennem non est prohibitum è medio tollere; tum quia absque cæde & multorum sanguine finis ita imponitur bello; tum quia virtutis est & heroicæ fortitudinis pro patria pugnare, & vitam suam in multorum commodum, & salutem exponere. Imò maximè militat hîc exemplum Davidis cum Goliatho decertantis, de quo paulò post.

Ad

Ad Th. XLIII.

OBSERVATIO II.

Homo non dicendus est vitæ suæ Dominus, quia pro patria fundere potest sanguinem.

SECUNDUM quod concernit, dubitat Fel-
denus, num verum sit illud, hominem non
esse vitæ suæ Dominum, vitæ enim suæ Do-
minum esse patere ex eo, quia quilibet pro
patria profunderet possit sanguinem suum.
At num hæc ratio concludat meritò dubi-
tatur: partim quia etiam servus potest pro-
fundere vitam suam pro Domino suo, nec
tamen propterea est Dominus membrorum
aut vitæ suæ, sed juxta ipsum instrumentum
animatum familiæ, sed quantum quantum est
sub dominio alterius; partim quia, qui pro
patria moritur, non moritur ex dominio quo-
dam antecedaneo in vitam suam, sed ex Im-
perio superioris, qui jubet ut militet, & im-
perare potest; partim quia non est conse-
quens in certo aliquo casu homo potest san-
guinem suum fundere, quod etiam Johan-
nes imperat, ut scil. moriamur pro fratri-
bus, E. absolutè est Dominus
vitæ suæ.

Dum quis
pro patria
vitam po-
nit jus ple-
num vitæ
ex eo non
habet.

Ad Th. XLIII.

OBSERVATIO III.

Duella licita sunt, si imperentur à Superiore & ordinentur necessitate sic exigente in Bonum totius.

QUOD (3) concernit, disputat Thomas, utrum divinatio sortium sit licita, & urget pro illa pugnam pugilum, quæ *μωρομαχία* dicitur, judicia ignis & aquæ, quæ ad sortes pertinent, quia per hujusmodi exquiruntur occulta, & respondet, talia judicia in quantum expectatur aliquis miraculosus effectus à DEO, excedere communem sortium rationem, unde ejusmodi iudicium illicitum reddi, & eandem rationem esse de lege duellorum, nisi quod plus accedat ad communem rationem sortium, in quantum non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi fortè quando pugiles sunt valde impares vel robore vel arte. Potest autem hæc controversia variè disputari. Quidam enim existimant duella spontè etiam suscepta esse licita. Quidam autem putant duella tunc demum esse licita, si imperentur à summa potestate, & extremus sit necessitatis casus: utj aut metuenda sit cædes totius exercitus, aut incundum sit tale duellum. Quidam denique putant posse non tantum ab hoste accipi hanc conditionem, sed etiam posse offerri, si etiam periculum illud & summa necessitas non instaret.

Dimicatio singularis quibus casibus licita. Varis Sententis.

staret. Verum ut postremam sententiam in medio relinquimus, ita mediam tanquam certam inter Theologos sequimur; tum quia ita sanguini humano parcat Imperator, & subditus facit ad quod tenetur, nempe vel discrimini objiciendo, vel etiam impendendo vitam suam pro Patria. Imò, si licet multis adversus multos dimicare supposita justitiæ causa & Imperii autoritate, cur non etiam licitum esset uni adversus unum. Nec obstat, quod objicitur (1) ita fieri provocationem ad id, quod aliquis non potest sine peccato acceptare, inducendo itaque aliquem peccare. (2) ita exponi innocentes periculo mortis, quod per se videtur malum, (3) adstringi ita Principem ad non defendendos suos, si vincantur ab adversariis, aut sint in evidentissimo periculo, quod pugnet cum jure naturæ, quo tenemur defendere innocentes. Nam ad (1) respondetur talem Principem non provocare ad malum, sed ad minus malum, quia directè petit jus suum, quod, quia peccat alter, potest ad vitandum maximum malum, bellum scil. petere, ut commutetur in minus malum, scil. pugnam & periculum paucorum. Ad (2) respondetur pro communi bono id fieri interdum posse: nam etiam in bello multò plures innocentes exponuntur periculo mortis. Ad (3) respondetur, sicut præceptum de defendendo innocente non semper obligat; ita è contrario obligare se ad non defendendum innocentem, in casu aliquo non esse intrinsecè malum, sed tunc licere potest,

Eligitur
Media.

Impugnatur.

Propugnatur.

test, quando cum iis fit circumstantiis, ut prudenter censeatur, aliquem non posse defendere innocentem, quia non sine communi incommodo defendet. Sunt tamen, qui etiã hinc aliter censeant, quos inter eminent supra laudatus Gallus, scribens ad cap. 17. p. 466. *Sexta causa est, si majus periculum ea ratione vitari possit. Exempli gratia, ne strages edatur, & in exercitu periclitentur omnes copie, prestat rem omnem in duorum periculo constitui. Sic olim Albanis Romanisque de Imperio paciscentibus, sergentini fratres utrinque armis concurrerunt. Sic quoque nunc Goliath optasse videtur: sed illam conditionem David non accepit. Neque enim ad singulare certamen hoc satis fore visum est. Non enim faciendum est malum, ut veniat bonum. Quod si tua causa justa est, cur eam pateris in unius capite periclitari? Primum videre debes, ne bellum injustum suscipias: deinde facere quantum potes, & omnibus copiis dimicare. Neque enim justitia habenda est ludibrio, & in duorum fortuna collocanda. Quid igitur, inquit Cajetanus, si duo sint exercitus, & alter aequitate causa superior, viribus autem multis partibus inferior, ita ut si veniatur ad manus, omnes videantur necessario perituri, an non potius est unius vitam in dubium venire, quam totum exercitum ire in certum exitium? Verum ne hoc quidem causa potest esse satis. Proficiscitur enim ex timore & desperatione: DEUS enim, ut dixit David, non defendit in gladio & clypeo, nec minus in paucis, ut inquit Jo-*
nathas,

nathas, vincere potest, quàm in multis. Sed peribimus, inquis. Qui scis? Anima tua anima DEI est: & causa tua, si sit justa, causa est DEI. • Caterùm etsi perire necesse sit, non enim justis victoriam DEUS ubique est pollicitus: non arbitror cladem scelere averti oportere. Scelus est, si cum hoste Magistratus pacit, civem immerentem & sua fidei à DEO commendatum, sua cura ac presidio periclitantem destitui. Solemus tamen, inquis, quo reliquum corpus servetur incolume, non raro membrum unum securi permittere. Non sanum ac vegetum. Quare ne tu quidem labi purum civem interimas.

Ad Th. LIII. & LIV.

OBSERVATIO.

Obsides non interficiendi sunt, non tamen fugere possunt, præprijis si fidem dederint.

Author dicit de Obsidibus, non fuisse Obsidi fugere illicitum. animum civitatis obligandi civem ne aufugeret, & putat ita defendi posse Clæliæ factum, virginis sc. obsidis datæ Porſennæ Regi Hetruriæ. Bodinus hîc dicit semper licuisse obsides fugientes necare, etiamsi expressum pactis de hoc non esset. Albericus Gentilis idem Jus esse dicit, quia obsides non sint captivi, quibus fugere licet. Obsides enim datos esse ex conventionem, quam

Obsides an
teneantur
scolere eo-
rum à qui-
bus dati
sunt.

non liceat fallere. Grotius vult tempera-
mentum adhibere. Sed qui in hanc senten-
tiam concedunt, quod obsides propter eo-
rum perfidiam à quibus dati sunt interimere
liceat, de qua superius, illi pronuntiabunt
hîc absolutè contra Grotium. Antecedens
autem putant esse evidens; tum quia talem
interemtionem existimant esse juris divini
Gen. XLII. 37. I. Reg. XX. 39. 40, 41. tum
quia putant, fidem nullo modo posse violari
tanquã rem pretiosissimam; tum quia hoc
ipsum juris gentium esse existimant, & exem-
plis confirmant. At illud quo nituntur non
est solidum. nam primò, quamvis exempla
producant illorum qui se oppignorarunt ali-
quos ex sacris, non tamen sequitur Juris di-
vini esse, vel ita tales submittere ad illud
officium vel statum, vel interficere obsides &
quidem ex alterius culpa, cum tales spontè
sefe submitterint in casu casûs supplicio. Ex-
emplum Rubenis non quadrat liberos offe-
rentis Jacobo interficiendos si Benjaminum
non reduxerit: nam eousque processisse men-
tem Rubenis, ut seridè voluerit mortem fi-
liorum in casu casûs non potest præsumi, sed
verbis illis Patrem tantum expugnare voluit
renitentem, & suspicionem amoliri periculi
quod metuebat Jacobus circa Benjaminum;
neque credi potuit Jacobum non reducto
Beniamino occisurum nepotes, quo non do-
lorem leniisset sed auxisset & peccato imma-
ni cumulasset. Exemplum ex I. Reg. 20.
adductum non facit ad hanc Andromachen,

Ruben ob-
sides pa-
renti filios
sicens.

Reg. XX.
41. non a-
gitur de
obside pro-
prie ita di-
ctæ.

non

nō enim de obside accuratè loquendo, ibi est sermo tradito à Republica, sed de victima succedēa qualicunq; nec de periculo calamitatis, ex alterius perfidiā, sed pœna luēda ex peccato proprio, nec de licito humanæ actionis, sed de Justitiā divinā vindicatrice. DEUS enim in Achabo vindicavit neglectum officii, quod nō exsecutus fuit contra Benadadum blasphemū, quod erat exequendum, unde Cornelius à Lapide: *Quia dimisisti Benadad Regem Syria, qui reus erat mortis tum ob continuum odium & bellum contra Israelitas, tum præcipuè ob blasphemiam, quā dixit me esse Deum montium, non vallium; hac enim valde Deum irritavit, ut patet vers. 28. ita Hebraei, Rupert. Tyrann. Dion. & alij. Occideris pro Benadad, quem occidere debuisti. & populus tuus pro populo ejus. Occidetur pro Syris Benadad subjectis, quos occidere debuit. Ita re ipsa contigit, ut audiemus cap. ult. Est hoc exemplum neglectæ justitiæ, justæque vindictæ notandum, alièque infigendum mentibus Regum & Judicum: Homicida es, eò quòd hostem dimiseris, ait S. Chrysostr. loco citato. Secundò fides utique non est violanda, sed hoc vitium non est obsidum, sed illorum qui ipsos tradiderunt, in quo si non communicant in periculum quidem conjicuntur, sed pœnam illis subeundam esse videtur incongruum. Tertiò Juris gentium esse nondum demonstratum, Exempla ex Historiis rem non conficiunt, sed facta exponunt.*

E e e e

CAPUT

CAPUT XXI.

Ad Th. IV.

OBSERVATIO.

Author censet, si designetur terminus induciis, magis naturale videri, ut terminus sumatur, qui pars sit rei.

Tempus
Induciarū.

Author agit de tempore induciarum, quod illustratur exemplo à quibusdam desumpto ab induciis inter Philippum Regem Hispaniarum & Henricum Galliarum, inter quos pactum erat ut 5. Febr. Anno 55. seculi superioris bellum suspenderetur; verum eo ipso die Dux bellicus Regis Galliarum Vignale expugnavit, de quo disceptatum fuit an restitui deberet. Quidam putabant restituendum, quia captum fuit tunc, cum bellum per inducias suspenderetur. Quidam autem posse retineri, quia ab eo die h. e. post diem finitum bellum suspendebatur.

Ad Th. XXIII.

OBSERVATIO.

Captivi sunt redimendi etiam, si casus necessitatis hoc requirat & defectus argenti, Vasorum sacrorum alienatione & destructione.

Author agit de captivorum redemptione & (1) dicit illam multum habere favo-

ris maximè apud Christianos, quibus lex divina hoc misericordiae genus peculiariter commendat. Atqui (1) non tantùm Christianis, sed & in V. T. quibuscunque commendata fuit illa misericordia, (2) si in Decalogo comprehensum est hoc genus, omnes omninò homines concernit, (3) Lex divina non tam commendat, quàm præcipit & ad illud obligat. (II) de captivorum redemptione in specie differit ex Lactantio & Ambrosio. Verùm potuisset etiam, quia hoc non speciale est, ut existimat, Christianos peculiariter concernens, differere de hac redemptione ex scriptis Judæorum. In Thalmude enim scribitur, magnum præceptum est redemptio captivorum. In Alcorano Mahometanorum paria leguntur Surata secunda. (3) De vasis Ecclesiæ differit, quod illa contracta sint ad liberandos captivos. Verùm hoc disceptationi obnoxium, num vasa Ecclesiæ abalienari possint, quia DEO sunt dicata, & proin non sub alterius dominio. Ernestus de Eusebiis, quàmvis noluerit negare, vasa Ecclesiæ posse abalienari, tamen cum ex eo concluderetur, ita in cæteris juribus & bonis Ecclesiæ, suppositâ causâ necessitatis evidentis, posse aliquem cedere, respondit, fieri id quidem posse quantum ad vasa, quia sint res mobiles, sed non posse concludi ad res immobiles, prædia, pagos, & ditiones Ecclesiarum. At frustra, cùm ratio diversitatis in mobilibus & immobilibus non obstat communi rationi & indoli, quam

Misericordiae Lex nõ Christianis tantum posita.

II. De captivorum Redemptione sententia Thalmudis;

An Vasa Deo Sacra abalienari queant? Dubitatur;

Approbat- tur affir- mans.

Quid habendum de facto Laurentii denegantis Decio thesauros Ecclesiaz?

utraque hæc bona ad hunc actum habent. Aliud est, si urgeatur factum Laurentii, qui Decio Imperatori noluit thesauros Ecclesiaz sibi concreditos tradere, de quo disputant in utramque partem, & sunt qui existimant ipsum non benè fecisse, quòd vitam exposuerit discrimini: tum quia vita præferenda pecuniæ; tum quia si placanda fuit crudelitas tyranni, non irritanda, non debuerit Laurentius denegare pecuniam; tum quia ad Imperatores & Principes Ecclesiarum quoque opes & thesauri pertineant.

CAPUT XXII.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Inducias dare non tantum est summorum Ducum, sed etiam minorum.

Vtrum Duces minores dare possint Inducias.

Rationes negantes.

Author inducias dare Ducum esse asserit, nec summorum tantum sed & minorum, iis nempe quos oppugnant aut obsessos tenent. Sed non videtur hoc admittendum: tum quia penes quem bellum est, penes illum quoque sunt induciæ, quemadmodum penes quem lex est, etiam relaxatio & dispensatio circa legem intelligitur esse, tum quia periculosum est Ducibus concedere hoc jus, cum ita per inducias hostis possit vires de novo acquirere, in præjudicium, vel

nocu-

nocumentum Superioris; tum quia si induciæ ad pacem spectant, & illius quoddam sunt rudimentum juxta ipsum Authorem, ad belli Ducem non pertinebit hæc facultas, ut constat ex th. 7. At nihilominus rectè statuitur, etiam Ducibus minoribus hanc facultatem & jus competere. Neque obstant objecta, quia non omnia quæ ad bellum spectant tantùm referenda sunt ad summam potestatem, sed quædam etiam in minoribus terminantur, scil. dirigere exercitum hoc vel illo modo, obsidere civitatem hac vel illa parte, nunc urgere illam tormentis, nunc aliud agere, & consequenter quoque inducias dare. (2) Argumentum non concludit, quia si ratio periculi obstaret induciis, obstaret quoque in Ducibus summis, ratio enim adducta nititur virium incremento probabiliter acquirendo; (3) Denique ratio non concludit, partim quia juxta Authorem bellum finire non est belli gerendi pars, partim quia induciæ non sunt rudimentum pacis, sed conventio saltem per quam bello manente bellicis actibus abstinetur, status enim hostilis manet, partim quia, si essent rudimentum, & dici ita permetterentur, non procederet nihilominus consequentia. Non enim cujus in potestate est aliquod exhibere rudimentum, ejus quoque in potestate erit pacem exhibere solidam, perfectam, & suis numeris absolutam. aliàs negari nequit Induciarum indulgentiam pertinere ad Jura Majestatis vel potestatis in territorium, inter-

Destruuntur.

rim, si potestate gaudeant à Superiori concessâ intuitu publici Boni Duces etiam inferiores possunt, si Reipublicæ conducatur, inducias facere & quidem illas, quæ sunt brevioris Moræ.

CAPUT XXIII.

Ad Th. I. & II.

Q U O B S E R V A T I O.

Privati etiam fide hosti datâ imò piratæ & latroni maximè si jusjurandum accefferit, obstringuntur,

An Fides
hosti data
privatum
quoq; ob-
stringit, di-
sceptatur.

Refellitur
negantium
argumen-
torum
Primum.
Secundum.

Refellitur hîc illa sententia, statuens privatos fide hosti datâ non obstringi, imò th. 2. Author statuit etiam latroni, & piratæ datam privatam fidem obligare; Interim tamen si metus injustus incussus fuerit, posse talem petere restitutionem, aut sibi eam præstare. At (1) videtur hoc ipsum non subsistere ex eo, 1. quia sic latronibus cederet pecunia in maleficii præmium, quia 2. talia promissa non sunt voluntaria, sed metu extorta, quia denique 3. neque veritas neque iudicium & justitia comites hujus sunt obligationis. Verùm respondetur ad 1. accipere quidem latronem, & dare illi quod promissit, sed non dare per modum præmii, verum mediæ redimendæ & conservandæ vitæ, ad 2. respondetur voluntarium esse duplex vel absolutè tale vel secundum quid, ut talis promissio non sit voluntaria absolutè, est tamen secundum

dum quid talis sc. respectu finis, utut non ratione principii externi prementis, quemadmodum mercatoris actio ejicientis merces in tempestate, ut vitam conservet, voluntaria esse censetur, ad 3. respondetur ex parte promittentis utique veritatem judicium & justitiam cenleri comites obligationis, præpmissis si juramentum accesserit. Veritas enim requirit, ut quod promissum est & affirmative dictum præstetur, justitia requirit, ut quod transit jam ad alium per promissionem ei tribuatur, cum unicuique suum tribuat, Judicium denique hinc intervenit, rectè enim judicat qui e. g. vitam pecuniâ redimendam judicat. Probatum autem nostra sententia tum ex eo, quia quicumque jurans in damnum suum, non mutat, is demum est commoraturus in tentorio DEI Ps. XV. 1. At jurans se daturum latroni pecuniam pro redemptione vitæ & dans etiam, est jurans in damnum suum & non mutans E. tum quia Deus vult, ut hosti fides servetur, E. & latroni, & ob violatam illam graviter succensuit Regi Zedekia, Ezech. XVII. 13. seqq. tum quia istiusmodi promissio est de re possibili, licitâ & consequenter obligatoriâ. (II) Quod dicit interveniente metu injusto posse permittentem petere restitutionem disputari potest (1) enim vix casus dabitur, ubi viator latroni promittat aliquid sine metu injusto, suadentq; (2) Theologi, si juramentum intervenerit ad honorem Numinis non facilè esse hoc remedium tentandum. (3) quomodo sibi petere vel præstare possit

Ultimum.

Ejus, quod ob metum injustum promittitur, nã peti restitutio possit.

restitutur nem vix deprehendi potest : partim quia ita privatus sibi met ipsi jus dicit, partim quia ita fidem datam frangit & rescindit, partim quia satius est & tutius in conscientia pecuniam negligere, quàm peccati periculo sese exponere.

CAPUT XXIV.

Ad Th. I.

OBSERVATIO.

Silentium quandoque Indicium
est Consensus,

Silentium
quandoq;
consensum
probat.

Author disputat, quomodo fides tacitè interponatur, & dicit silentio quædam conveniri non malè Javoleno dictum esse, quia consensus qualitercunque indicatus & acceptatus vim habeat juris transferendi. At certum quidem est juxta Ciceronem taciturnitatem imitari confessionem & silentium signū esse confitentis juxta Euripidem, verum hoc non absolutè est accipiendum, nam in rebus favorabilibus & appetendis silentium indicium est consensus, in damnosis autem ex silentio consensus inferri illicò non debet, quod observavit Aristides, scribens, quod vulgò dicitur silentium confirmare crimina, id unum & simplex non est, verum simul & jure suo privabitur, & dignitatem totam amittet, qui tacet. Hinc saltem videtur talis jus suum tueri non posse.

CAPUT

C A P U T U L T.

Ad Th. III.

O B S E R V A T I O.

Non legavit Christus Apostolis suis pacem politicam nec dictum Pauli dextrè explicatur à Grotio.

Author dicit pacem tutam satis haberi, si possit & malefactorum & damnorum & sumtuum condonatione non male constare, præcipuè inter Christianos, quibus pacem suam Dominus legaverit, cujus optimus Interpres Paulus scil. Rom. XII. velit quantum fieri potest, quantum in nobis situm est, cum omnibus pacem quærere. Verùm (1) detorquet sententiam Christi ad pacem politicam, quasi eam legasset suis discipulis sive Christianis, & procul dubio respicit ad locum Joh. XIV. vers. 17. ubi planè non agit de pace politica & externa, sed de interna & conscientiarum, quod patet tum ex tota structura textus, tum ex statu Apostolorum consequente, qui non fuit pacificus sed persecutionibus obnoxius, tum ex oppositio-
ne in ipso textu indicata pacis cœli & pacis seculi. (2) adducit dictum Pauli Rom. XII. 18. ubi Paulus dicit, pacem esse cum omnibus colendam, si possibile, hoc est omni modo & omni studio pacem servandam esse. Addit autem pacem colite cum omnibus

Pacem Politicam non legavit suis Christus.

Vindicatur locus Pauli Rom. XII.

E e e e e s

quan

quantum in vobis est situm, quo indicare vult
ut si alter nolit, nos tamen debeamus animo
esse pacifici. Malè autem hoc dictum ex-
ponit in Commentario, dum etiam ad Ido-
lolas extendit, & ex Spiritu Christi, quem
putat in N. Testamento sese demum exerq̄is-
se deducit. Nam primò cum Idololatriis pax
est colenda scil. externa & politica, ita tamen
ne ulterius progrediamur, atque tepidè in
Communione peccati delabamur, unde
pax & veritas à Zachariâ conjunguntur. Se-
cundò Spiritus Christi non tantùm in N. T.
fuit efficax & operosus, sed etiam in Veteri
in omnibus illis, qui per Gratiam Jesu Chri-
sti salvati sunt, sicut nos. Tertiò Apostolus
vult, ut pacem colamus si fieri potest, obstat
enim sæpè hominum Improbitas & quantum
in nobis, ex parte nostrâ, salvâ veritate, cum
omnibus, ut si etiam belligerandum bellum
sit adversus ipsos, quale est bellû Spiritus no-
stri adversus carnem nostram, quam Spiritus
non odio habet, sed adversus eam dilectione
concupiscit, ut castigata subjiatur servituti
juxta Augustinum lib. 2. c. 58. contra Petilianû:
Aliud autem est pax, aliud consensus, cum
pax possit esse inter non consentientes, non
autem concordia, & hoc dictum magis fa-
cit pro Grotio, quàm prius illud ex Johan.
XIV. probat etiam Apostolus illud ipsum
ab injusto, quia reddere malum pro malo
est vindicta, quæ non competit privato sed
DEO vel DEI vicario, tum ab authorita-
te Scripturæ ex Prov. XXV. v. 21. 22. ubi ra-

tio insinuatur à compensatione Divina, ne videaris perdidisse beneficium, si esurit inimicus tuus ciba eum, & si sitiatur, da ei bibendam aquam, nam prunas tu coacervas in caput ejus, & Jehova repondet tibi; quasi diceret non peribit tibi beneficium, & inimicus si non emollietur, à Zelo DEI consumetur, ita causam tuam suscipiet & eam agget DEUS; tum à victoria, qui enim repondit bonum pro malo vincit malum bono, qui vero malum pro malo reddit vincitur à malo, fit enim similis ei qui malum facit, & à charitate deflectit ad odium proximi. (3) Grotius ut adduxerit hoc dictum Apostolicum, hallucinatus tamen est circa illud, dum distinguit inter V. & N. T. & putavit in V. jus datum esse vindictæ singulis in certis casibus e. g. vindici sanguinis, quod putat in V. hæc habuisse saltem rationem consilii, in N. aurem habere rationem præcepti. Nam quod Paulus hinc præcipit, id quoque præceptum fuit in V. T. & obtinuit, quod patet ex ipsis verbis; confirmat enim ex V. T., confirmare autem non potuisset, nisi quoque in illo fuisset præceptum. Neque exceptiones Grotii solidæ sunt. - Nam quod de jure vindictæ opponit, illud non erat juris moralis & perpetui, aliàs apud omnes & singulos obtinuisset, etiam extra statum Reipublicæ Judaicæ viventes, imò obligaret adhuc dum Christianos N. T. sed erat sancitum jus lege Forensi, & legitima erat ira, quod homicida tradebatur vindici. Alterum autem non consistit,

tura

Vindictæ in Test. Vt non habuit Consilii rationem nec in Novo rationem præcepti.

Vindictæ Vindici sanguinis concessa perpetui juris non fuit.

tum quia quæ DEUS consulit ut utilia populo suo, ea in lege operum sunt de numero præceptorum, quæ qui facit in eis vivet; tum quia non per modum consilii sunt concepta illa verba, quæ Paulus adducit, sed per modum præcepti, tum quia tota hypothesis falsa est, cui Grotius hæc super struit, nempe in V. T. legem moralem fuisse imperfectam, & ei in N. T. factam esse quandam accessionem. Subjiciamus Commentarium Coccei, qui hæc habet: *Addit, ei δυνατὸν, si possibile. Idem præceptum Psalm, 34. 1. Pet. 3: 11. διωξάτω, persequatur. Nulla possibilis ratio habenda pacis omittenda est. Ita per, si possibile, indicat, omni modo & omni studio pacem servandam esse. Alterum, quod addit, τὸ ἐξ ὑμῶν, quantum in vobis est situm, eò pertinet, ut, si alter non velit, tamen nos simus pacifici. Chrysostomus putat illa additamenta esse limitativa. Μὴ προτιμα, inquit, τὴν ὁμόνοιαν τῆ ἀληθείας, noli concordiam præferre veritati. Aliud est pax, aliud ὁμόνοια, concordia & consensus. Possimus pacem agere μὴ ὁμονοῦντες, non consentientes. Chrysost. ἀλλ' ἴσασθαι γενναίως μέχρι θανάτου, καὶ μηδὲ εἶτω ψυχῇ πολέμει, μηδὲ ἀποσπρέφει γνώμην, ἀλλὰ τοῖς πρῶτοις μάχην μόνον &c. καὶ ἐκείνῳ μὴ εἰρηνέυη, σὺ μὴ πληρώσης χειμῶν & τὴν ψυχὴν, ἀλλ' ἔσο φίλῳ κατὰ γνώμην, τὴν ἀλήθειαν μὴ προτιμῶς. Sed sta fortiter usque ad mortem; ac tibi lottum noli animo pugnare, neque mente averſare, sed in res solas pugna. &c. Etiamſi alter non præſtet se pacificum, tu animus tempore*

Nullum
colendæ
pacis studi-
um inter-
mittendū.

te ne repleveris, sed mente esto amicus, verita-
 tem non prodens. Generale praeceptum confir-
 mat. Ab injusto. Reddere malum pro malo
 est ἐκδικησις vindicta; qua non competit pri-
 vato. Id enim est ejus, qui confidit brachio suo
 ad saluum. 1. Sam. 25: 31. Ezech. 22: 5. Deo
 ea competit. Id probatur ex Deut. 32: 35. ubi
 Apostolus non sequitur LXX. ἐν ἡμέραις ἐκδι-
 κήσεως ἀνταποδώσω. Potius jungit vers. 41. Da-
 te locum irae. Chrysostr. συγχώρησον αὐτῷ ἐπε-
 ξελθεῖν, concede ipsi, ut ulciscatur. Grot. Ne
 occupate poenam, quam Deus inflicturus est per
 se aut ministrum suum. de quo Cap. 13. vers. 5.
 Prov. 24: 18. Ne videat Deus & malum sit
 in oculis ejus & avertat iram suam ab ipso. Il-
 lustrat id & confirmat auctoritate Scriptura
 ex Proverb. 25: 21. 22. In hoc dicto continetur
 secunda ratio, à compensatione divina: ne vi-
 dearis perdidisse beneficium. Si esurit inimicus
 tuus, ciba eum, & si sitiat, da ei bibendam
 aquam. Nam prunas tu coacervas in caput
 ejus; & Jehovah rependet tibi. Nec peribit
 tibi beneficium: & inimicus, si non emollietur,
 à zelo Dei consumetur. Ita causam tuam su-
 scipiet & eam aget. Nostrum tamen est qua-
 rere, ut inimicus sanetur & emolliatur, & hoc
 sane tum benè facere, tum orare pro inimico,
 eique benedicere. Judicium autem Deo com-
 mittendum est. Utcunq; eveniet, Deum certè
 tibi addictum invenies. Grotius hic distinguit
 inter Vetus & Novum Testamentum. 1. In
 veteri dabatur jus vindicta singulis in certis ca-
 sibus, ut vindici sanguinis, Resp. Erat jus san-
 gitum

citum lege forensi. Hac erat legitima ὀργή ira, quod homicida tradebatur in iram Vindicis. Attamen ira viri propterea non laudabatur. II. In veteri erant consilia, que in Novo sunt precepta. Resp. Imò, que Deus consulit, ut utilia, populo suo, ea in lege operum sunt de numero preceptorum, que qui facit in eis vivit. Eadem autem in fœdere gratie sunt regula respicientia & conversionis ad Deum, & consilia obligantia ad studium. Neque enim ea precepta injunguntur, ut homo querat in eis vivere & ex illis justitiam se posse consequi putet. Id enim non sine magno errore & sine blasphematione nominis DEI putabit. Tertia ratio ducitur à victoria. Qui rependit bonum pro malo, vincit malum bono: qui malum pro malo reddit, vincitur à malo. Fit enim similis ei, qui malum facit, & à charitate deflebit ad odium proximi, & fit homicida apud Deum, vel etiam amplius. Vide Matth. 5: 22.

Ad Th. VIII.

OBSERVATIO.

Grotii Monita ita inscribenda optamus illis penes quos Jus Pacis & Belli ut benè dicta hæreant pectoribus, sequiora ne tangant quidem.

Optat Grotius ut DEUS hæc inscribat, qui solus potest, Cordibus eorum, quorum res Christiana in Manu est & Mentem divini humanique Juris intelligentem det, quæque

que semper cogitet lectam se ministram ad regendos homines DEO carissimum Animal.

ult.

Nos quoque optamus ut DEUS quæ salutaria sunt in opere Grotiano Cordibus inscribat, quæ verò inter Retrimenta deputant Orthodoxi amoveat, ne cum semine bono zizanium intret & alterum suffocet. Precamur quoque cum Grotio Mentem illam Summis Potestatibus, quæ præprimis Jus divinum respiciat profectum ab illo, qui ipsa Sapientia & Justitia, illam Legem, quam Ebræus Rex justus est legere omnibus diebus vitæ suæ, ut disceret timere Dominum DEUM suum, vovemus ut attendant ad Regimen commissum, ad homines curæ concreditos, pacem & tranquillitatem publicam, ne Bella exardeant & flammæ martiales omnia consumant. quam probrosum hominibus illud Satyrici :

Conclusio
Opertis cū
monito ac
voto aurea
Facis.

*Sed jam serpentum major concordia, parcat
Cognatis maculis similis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore us-
quam*

*Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacens
Perpetuam: sauis inter se convenit ursis:
Ast homini ferrum letibale incude nefandâ
Produxisse parum est, cum rastra & sarcu-
la tantum*

*Affueti coquere, & marris, ac vomere lassè
Nescierint primi gladios excudere fabri.
Aspiciamus populos, quorum non sufficit ira,
Occidisse aliquē: sed pectora, brachia, vultū
Crediderint genus esse cibi.*

quam

quam honorificum verò Salomoni, commodum subditis, quod pacem habuerit in omni Circuito, habitavitque. Juda & Israel absque timore ullo unusquisque sub vite suâ & sub ficu suâ à Dan usque Bersabee :

Pax hominum genitrix pax est custodiarum

Pax aperit juris justitiaeque forum

Gloria pace minor, minor est victoria pace

Atq; aliquid pejus pace triumphus habet.

Hoc dulce nomen, hanc rem jucundam, hoc salutare bonum tot suspiriis & gemitibus impetratum conservet Imperio Romano Pater misericordiarum, Princeps pacis,
DEUS benedictus in
secula.



INDEX



INDEX AUTHORUM.

A.

A Barbanel
A Abbas Rhcgino.
 Aben Esra.
 A Costa.
 Adamus Bremensis
 Adamus Kelletus.
 Adamus à Contz.
 Ægidius Conink.
 Ærodius
 Æschylus.
 Almain.
 Albericus Gentilis.
 Alcimus.
 Alahenus.
 Alexander Polyhistor.
 Alexander ab Alexandro.
 Alphonfus à Castro.
 Althusius.
 Alvarus Valascus.
 Ambrosius Catharinus.
 Anaxarchus.
 Anaxagoras.
 Andreas de Castro novo.
 Angelus de Clavasio.
 Antonius de Dominis.
 Antonius de Escobar.
 Antonius Fonseca.

Antonius Gomezius.
 Antonius Melina.
 Arias Montanus.
 Aristoteles.
 Arnobius Afer.
 Armachanus.
 Arnobius.
 Arragonius.
 Arrianus.
 Athenæus.
 Augustinus de Ancona.
 Aventinus.
 Averroes.
 Avicenna.
 Azebedo.
 Azorius.

B.

B Afilius.
 Bajia.
 Balduinus.
 Bannes.
 Bartholus.
 Bartholomæus Caranza.
 Barlæus.
 Baronius.
 Barret.
 Barclajus.

Fffff

Bafilus

I N D E X

- | | |
|--|--|
| <p> Basilus.
 Basso.
 Bassolis.
 Baptista Mantuanus.
 Becanus.
 R. Bechai.
 Beda.
 Bellarminus.
 Bembus.
 Befoldus.
 Biblia Sacra.
 Binnius.
 Bironius.
 Blondellus.
 Bodinus.
 Bœclerus.
 Bolius.
 Bonacina.
 Bonaventura.
 Bonfinius.
 Bonfrerius.
 Boxhornius.
 Bozius.
 Brenzius.
 Brochmand.
 Budæus.
 Bullenger.
 Buxtorffius.
 <div style="text-align: right; margin-right: 20px;">C.</div> Cajetanus.
 Calixtus.
 Calvinus.
 Caramuel. </p> | <p> Canisius.
 Capellus.
 Carolus Bortelius.
 Carolus Caraffa.
 Carolus Bovius.
 Carolus Paschalius.
 Carneades.
 Casaubonus.
 Cassianus.
 Cassiodorus.
 Catechismus Racoviensis.
 à Castro.
 Castro Palao.
 R. Chelbo.
 Chemnitius.
 Chokier.
 Choppinus.
 Chrylostomus.
 Ciaconus.
 Cicero.
 Clarus.
 Claudius.
 Clemens Alexandrinus.
 Clemens Quartus.
 Coccejus.
 Cœlius Rhodiginus.
 <div style="margin-left: 20px;"> { Francotha-
 } lense
 { Leowardi-
 } ense. </div> Colloquiũ
 Columella.
 Conimbricenses.
 Conradus Celtes. </p> |
|--|--|

Con-

AUTHORUM.

Contarenus.

Corduba.

Cornelius Jansenius.

Cosmas Magaliauus.

Covarruvias.

Coufardus.

Cranzius.

Crellius.

Crojus.

Curcellæus.

Cuttenus.

Cujacius.

Cunæus.

Cunerus.

Cypselus.

Cyrenæus.

Cyrillus.

D.

DAmascenus.

Dathenus.

David à Mauden.

David Ganz.

Davius Perronius.

Decius.

Dietericus.

Dominicus à Soto.

Dio Cassius.

Diodorus Siculus.

Diogenes.

Dionysius Halicarnassensis

Dionysius Petavius.

Drusius.

E.

EManuel de Naxera

Emanuel Sà.

Epiphanius.

Episcopiùs.

Erasmus.

Escobar.

Evagrius.

Eugubinus

Euripides.

F.

Petr. **F**Aber.

Fagundes.

Faustus.

Fenestella.

Fernandez.

Filliucius.

Franzius.

Franciscus Connanus.

Franciscus Gomarus.

Franciscus Junius.

Franciscus Victoria.

Franciscus Picolomineus.

Franciscus Panigarola.

Fridericus à Marselar.

Fulgentius.

Fullerus.

G.

Gabriel Vasquez.

Gabriel Albaspinzus

Gagnejus.

Galenus

Ffifi 2

I N D E X

Galenus.
Garzias.
Gelsius.
Gellius.
Genebrardus.
Gerhardus.
Gerhardus à Reneffe.
Gerson.
Geyerus.
Giphanius.
Glossator decreti Gratiani
Goldastus.
Gometz.
Granwinckel.
Gregorius Nyffenus.
Gregorius de Valentia.
Grezerus.
Guilielmus Amęsius
Guilielmus Estius.
Guilielmus du Vair
Guilielmus Twyffe.
Guilielmus Apollonius.
Guilielmus Velvod.

H.

HAffenrefferus.
Halichot Olam.
Haythonus.
Heerbrandus.
Henricus de Bracton.
Heinsius.
Henriquez.
Hermannus Contractus.
Hermannus Gigas.

Hieronymus.
Hieronymus ab Oleastro.
Hippolitus Fronto.
Th. Hobbes.
Hoffmannus.
Hoffmeisterus.
Homerus.
Horatius.
Hottinger.
Hottomannus.
Hugo Grotius.
Hugo de Roy.
Hunnius.
Hülsemannus.

I,

Jacobus Mestertius.
Jacobus Revius.
Jesuita Turrianus.
Imola.
Innocentius.
Joh. Andreas Cardinal.
Joh. à Choquier de Surlet.
Joh. Ferus.
Joh. Jacob. Wisenbach.
Joh. Major.
Joh. Martinez de Ripalda.
Joh. Meursius.
Joh. Prideaux.
Joh. Franciscus Picus.
Joh. de Lannoy.
Joh. de Ries.
Joh. Teutonicus Semeca.

Josephus

AUTHORUM.

Josephus Antiquitatum
 Jud, Scriptor.
 Joseph Albo.
 Isacias à Rama.
 Isidorus Pelusiota.
 Juchasin.
 Julius Cæsar.
 Jus Canonicum.
 Justinus Historicus.
 Justinus Martyr.
 Justus Calvinus.
 Juvenalis.

K.

K Eckermannus.
 Kelletus
 Kirchnerus.
 Kizelius.

L.

L Actantius.
 Laertius. (gensis.)
 Lambertus Schaffnabur-
 Laurentius Pignorius.
 Laurentius Valla.
 Laymannus.
 Leander.
 Leo Papa.
 Leonhardus Marius.
 Leonclavius.
 Lessius.
 Libertus Fromondus.
 Ligfogtus.
 Linschott.
 Lippomanus.

Lipsius.
 Livius.
 Longinus.
 Lorinus.
 Lorca.
 Lucas de Penna.
 Lucianus.
 Lucretius.
 Ludovicus Vives.
 Ludovicus de Roma
 Ludovicus Wolzogenius.
 Luffius.
 Lutherus.
 Lyranus.

M.

M Accovius.
 Magallianus
 Maldonatus.
 Malderus.
 Malvenda.
 A Mandeslo.
 Martialis..
 Martinus Bonacina
 Martinus de Egarza
 Martyr.
 Marianus Scotus.
 Martinus Laudensis.
 Marquardus Freherus.
 Marquardus de Sufianis.
 Masia.
 Masius.

I N D E X

Medina.
Meisnerus.
Melchior Cano.
Melchior Nicolai.
Menasseh Ben Israel.
Mendoza.
Menochius.
Menzerus.
Michael Bajus
Michael Ephesius.
Michael de Medina.
Mich. Piccardus.
Modestinus.
Molina.
Molinæus.
Montacutius Anglus.
Montecatinus.
Mornæus.
Moses B. Majemon.
Moses Amyraldus.
Münsterus.
Musæus.
Musculus.
Myler ab Ehrenbach.
Mynsinger.

N.

Navarra.
Navarrus.
Naclerus.
Niellius.

O.

Obertus Giphanius.
Obrechtus.
Occamus.

Oleaster.
Olaus Wormius
Onuphrius.
Oranus,
Origenes.
Orpheus.
Osiandri.
Ostorodus.
Ovidius.

P.

Pado Lucanus.
Pagninus,
Papillus.
Papinius.
Pareus.
Patavini.
Paulus Castrensis.
Paulus Juris Consultus.
Paulus Burgundensis.
Pauermeister.
Periander.
Peronius.
Petrus Gassendus.
Petrus de Alliaco.
Petrus de Crescentiis.
Petrus Faber. (doza.
Petrus Hurtadus de Men-
Petrus de Ledesma.
Philippides.
Philo.
Philippus Bergomensis.
Philastrius.
Phocyliides.
Photius.

Pineda.

AUTHORUM.

Pineda.
 Piscator.
 Placidus Parmensis.
 Plato.
 Plautus
 Plinius.
 Plutarchus.

Politianus.
 Polybius.
 Pomponius.
 Pontius.
 Possevinus.
 Procopius.
 Pythagoras.

Quistorpius.
Q.
R.

Rabbanus. (cha
 Rabbi Josua F. Kar-
 Rabbi Isaac Corbolenfis.
 Rabbi Levi Barcelonita.
 Rabbi Salomon.
 Rabbi David Kimchi.
 Rabbi Meir.
 Rabbi Levi Ben Gerson.
 Rainoldus.
 Rebellus.
 Renatus Laurentius.
 Regnerus.
 Reginaldus.
 Revius.
 Richardus de S. Victore.
 Rickelius.
 Rivetus.

Robertus Bodius à Troch.
 Robertus Sanderfon.
 Rodericus ab Artiaga.
 Rodriquez.
 Rogerius.
 Rossæus.
 Rovanius.

S.

Salgado.
 Salvianus.
 Salonius.
 Salasar.
 Salas.
 Salmeron
 Salmasius.
 Salomo Jarchi
 Samuel Bochartus.
 Samuel Marefius.
 Samuel Petrus.
 Sanctius.
 Sanchez.
 Sanderus.
 Sanderfon.
 Sayrus.
 Scaliger.
 Scotus.
 Schikardus.
 Sculterus.
 Sebastianus Oximensis E-
 Seldenus. (piscopus.
 Seneca.
 Sigonius.
 Sianichius.
 Fiff 4

Sixtus

INDEX AUTHORUM.

Sixtus Sinensis.
 Socinus.
 Socrates,
 Sophocles.
 Sotus.
 Stapletonus.
 Stephanus Menochius.
 Strabo.
 Suarez.
 Suidas.
 Suetonius
 Sulpitius Severus.
 Sylvester.

T.

TAbiena.
 Tacitus.
 Talmud.
 Tamburinus
 Tannetius.
 Tarnovius.
 Taurinensis Paletius.
 Terentius.
 Tertullianus.
 Theganus.
 Theodorus Beza.
 Theodoretus.
 Theognides.
 Theophylactus.
 Thucidides.
 Thomas Aquinas.
 Thuanus.

Thummius.
 Titus Popma.
 Tiraquellus Circerius.
 Tirinus.
 Toletus.
 Tostatus Abulens. Episc.
 Tribonianus.
 Triglandius.
 Turrianus.

V.

Valentinus Smalzius.
 Varro.
 Vasquius.
 Varablus.
 Vega.
 Vegetius.
 Veracruz.
 Virgilius.
 Vivaldus.
 Vlpianus.
 Voctius.
 Volkelius.
 Vorstius.
 Vossius.
 Vrsinus.

W.

Wescabecius.
 Wicklesus.
 Wilhelmus ab Effern.

X.

Xenophon.

Z.

ZAnardus.
 Zepperus.
 Zieglerus.
 Zuallardus.
 Zvingerus.

INDEX

CATALOGUS DICTORUM,

Quae in Opere hoc explicantur & vindicantur.

Genes.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	26.	1132.
II.	17.	663.
III.	16.	764.
	19.	1095. & seq.
IV.	15.	350. & seqq.
	23.	352.
IX.	5.	211.
	6.	344. 548.
X.	8.	848.
XI.	4.	661.
XII.	13.	1308.
XIV.	14.	526. 1293.
	15.	336. & seqq.
	23.	1514.
	24.	1017.
XV.	2.	811.
	9.	978.
XVI.	19. & seqq.	269.
XVIII.	23. & seqq.	1359.
XXI.	12.	269.
	27.	1008.
XXII.	9. & seqq.	733-1
XXV.	1.	833.
XXIX.	23. & seqq.	777.

CATALOGUS

Cap.	Vers.	Pag.
XXXI.	32.	645.
	44.	1010.
XXXIII.	53.	987.
XXXVI.	19.	917.
XXXVIII.	1.	759.
XLI.	24.	360.
XLII.	29. & seqq.	933.
	9.	1344.
	15.	981.
	37.	1536.
XLVII.	20.	1528.
XLVIII.	22.	1435.
	Exod.	
II.	12.	1278.
VI.	20.	778.
VIII.	18.	65.
XII.	36.	818.
	44.	259.
XVII.	9.	340.
XX.	2.	277.
	5.	1202.
	7.	377. 973.
	14.	334.
XXI.	7.	728.
	18. & seqq.	1070. 1140.
	26.	1510.
	28.	211. 1040.
XXII.	1.	1163.
	2.	439. 624. 643.
	9.	1163.
	16.	1074.

XXIII.

DICTORUM.

<i>Cap.</i>	<i>Vers.</i>	<i>Pag.</i>
XXIII	7	614
XXIV	11 & seqq.	382.
Levit,		
VI	4	1163
IX	12	1000
XVIII	1.	770
	18	779.
XIX	12	378
	18	379. 1016.
XX	17	766
	20	771
XXII	25	258
XXIV	19	1511
	21	374
XXV	4. & seqq.	926
XXVII	28.	732

Numer.

XII	11 & seqq.	1265
XV	15	275.
XX	17	679. 1516.
XXX	2.	377. seqq.
	5.	711
XXXI	3.	606
	18	1491
	27	1437.
XXXV	19	355. 1131.
	25.	1194.

Deut,

CATALOGUS

Deuter.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	17.	436.
II.	4. & seqq.	944.
IV.	1. & seqq.	250.
	12.	1174.
V.	32.	94.
VII.	1.	382.
XII.	7.	1009.
XIII.	12. & seqq.	1200.
XV.	18.	1508.
XVII.	12.	531.
	14.	540.
XIX.	5.	1186.
	19.	1162.
XX.	10.	1379.
	16.	966.
	14.	1490.
	19.	1498.
XXI.	10.	1414.
	15.	742.
	16.	812.
	20.	735.
	23.	1098. 1103.
XXII.	1.	889.
	25. & seqq.	1074.
XXIII.	3. & seqq.	1090.
	19.	939.
XXIV.	1.	376.
	4.	756.
	16.	1211.
XXV.	1.	1114.
XXVIII.	63.	1122.

XXXIII.

DICTORUM.

<i>Cap.</i>	<i>Vers.</i>	<i>Pag.</i>
XXXIII.	4.	251.
	Jofua.	
I.	8.	548.
VII.	25.	1205.
VIII.	15.	1312.
IX.	15.	965. 968.
X.	6.	1270.
XXII.	8.	1437.

Judic.

XI.	3.	1373.
	9. & seqq.	709.
	18.	680.
	23.	1446.
	39.	735.
XV.	3.	1129.
XVI.	30.	1109.
XX.	1. & seqq.	603.
	13.	1185.
XXI.	18.	969.

I. Samuel.

VIII.	5.	534.
IX.	3.	842.
X.	5.	1495.
XVI.	12.	835.
XX.	15.	720.
XXI.	14.	1330.
XXV.	22.	972.
XXX.	22.	1459.
XXXI.	4.	1110.
	12.	1094.

2. Sam.

CATALOGUS

2. Samuel.

<i>Cap.</i>	<i>Vers.</i>	<i>Pag.</i>
II.	10.	528.
IV.	5.	1411.
V.	6.	1348.
VIII.	1. & seqq.	838.
X.	7. & seqq.	603.
XII.	5.	643.
	8.	747-754.
XXI.	6.	1206.
	26.	1103.
XXIV.	10.	1145.
	15.	1214.

1. Reg.

II.	22.	835.
III.	25.	1344.
X.	28.	682.
XII.	14.	682. 684.
XIV.	10.	1207.
XX.	42.	1536.

2. Reg.

V.	17.	263. 264.
VI.	18.	1348.
	20.	1446.
VIII.	9. & seqq.	1207.
X.	7.	1273.
XII.	2.	982.
XIV.	6.	1211.
XVIII.	14.	1082.

1. Paralip.

XXIII.	8.	126.
--------	----	------

2. Pa.

DICTORUM.

2. Paralip.

<i>Cap.</i>	<i>Vers.</i>	<i>Pag.</i>
XI.	18.	835. seqq.
XIX.	11.	518.

Job.

XXXI.	13.	1509.
-------	-----	-------

Psalt.

I.	2.	283.
II.	1. & seqq.	388. seqq.
XIX.	1. & seqq.	282. 386.
XXIV.	I.	1094.
CXXXVII.	9.	1394. 1404.
CXLVII.	19.	250.

Proverb.

I.	26.	1122.
III.	18.	658.
	27.	675.
VI.	I.	905.
VIII.	15.	470.
XI.	29.	869.
XVI.	4.	1120.
XVIII.	18.	1246.
XX.	21.	1022.
	28.	1006.
XXIV.	11.	421.

Eccles.

III.	19. & seqq.	67.
VII.	30.	659.

Eesai.

I.	24.	1122.
II.	4.	412.

Jerem.

CATALOGUS

Jerem.

XXXI.	33.	
XXXVIII	27.	1308.
XXXIX.	.	604.

Ezechiel.

XVII.	13.	1543.
XXXIII.	15.	889.

Daniel.

VI.	22.	1212.
-----	-----	-------

Michæ.

II.	2.	1166.
-----	----	-------

Sapientia.

II.	23.	658.
V.	3.	46.
VI.	5.	470.
XII.	1.	954.

Syrach.

III.	3.	725.
XXX.	25.	812.

I. Maccab.

II.	41.	559.
VIII.	22. & seqq.	1019.
XII.	7.	593.
XIII.	17.	1407.

II. Maccab.

III.		264.
XIX.	37.	1111.

Matth.

I.	19.	1191.
V.	11.	631.
	20.	317.

DICTORUM.

<i>Cap.</i>	<i>Vers.</i>	<i>Pag.</i>
	21.	372.
	33.	959.
	34.	989. 998.
	38.	1136.
	39.	415.
	40.	638. 1139.
	43.	381.
	44.	420.
VII.	1.	1149.
	12.	994.
	22.	46.
X.	34.	393.
XII.	36.	1357.
XIII.	30.	1117. 1300.
	44.	857.
XV.	4. & seqq.	293. 831.
	15.	974.
	22.	255.
XVIII.	15.	1126.
XIX.	16. & seqq.	98.
XX.	21.	318.
XXII.	20.	580.
XXIII.	18.	975.
	21.	982. 985.
	23.	1006.
XXVI.	25.	1334.
	52.	347. 445 & seqq.

Marc.

X.	19.	1166.
XII.	31.	96.

Ggggg

Luc.

CATALOGUS

Luc.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	6.	173.
II.	1.	1220.
III.	14.	397. 1517.
XI.	42.	317.
XIV.	8.	42.
	23.	1179.
	31.	1267.
XVI.	16.	253.
XVII.	10.	42.
XXIII.	34.	1158.
XXIV.	28.	1311.

Johann.

I.	17.	96.
II.	19.	1333.
VI.	32.	873.
VII.	19. 22.	873.
VIII.	7.	1118.
XI.	11.	1331.
XIV.	17.	1545.
XV.	12.	368.
XVII.	20.	548.
XVIII.	36.	1227.
	39.	431.

Actor.

II.	46.	655.
V.	29.	529.
VII.	38.	873.
	57.	1133.
XVI.	3.	1311.

DICTORUM.

<i>Cap.</i>	<i>Vers.</i>	<i>Pag.</i>
XVII.	4.	257.
	36.	1143.
XXIII.	3.	404.
	Rom.	
I.	20.	64.
	14. & seqq.	36.
II.	12. & seqq.	45.
	14.	272.
	16.	46.
III.	3.	248.
	15.	248.
	19.	277.
	23.	42.
	26. & seqq.	385.
IV.	11.	276.
V.	6.	1263.
VII.	2.	428.
	7.	206.
	12.	283.
	14.	105. 386.
VIII.	32.	735.
X.	4.	299.
XII.	18.	1545.
	19.	1363.
XIII.	1.	395. 470. 542
	4.	391.
XIV.	23.	1231. 1288.
	I, Corinth.	
V.	1.	770.
	5.	638.
	12.	1215.

Ggggg 2

VI.

CATALOGUS

Cap.	Versf.	Pag.
VI.	4.	417.
	17.	1383.
VII.	4.	740.
	21.	1218.
	25.	161. 162.
XI.	14.	955.
XII.	3.	145.
II. Corinth.		
II.	2.	44.
VI.	14.	1026.
X.	4.	81.
XII.	14.	819. 826.
	16.	1306.
Galat.		
II.	15.	46.
III.	24.	301.
IV.	1.	698.
	18.	954.
V.		275.
Ephes.		
II.	3.	46 950.
	14.	406.
	15.	292.
IV.	32.	1265.
VI.	1. & 8.	1286.
Coloss.		
IV.	1.	1509.
I. Timoth.		
V.	8.	823.
		II. Timoth.

DICTIONARIUM.

II. Timoth.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	4.	588.
III.	8.	65

i. Petr.

II.	18.	759.
-----	-----	------

I. Johan.

II.	16.	1159.
III.	16.	448. & seqq.
V.	16.	1127.

Hebr.

II.	2.	384.
VI.	16.	988.
	17.	960.
VII.	16.	384. 1167.
	18.	298.
VIII.	7.	298.
IX.	15.	1144.
XI.	6.	1175.

Jacob.

I.	15.	1158.
V.	12.	989. 998.

Apocal.

XXII.	2.	658. & seqq.
-------	----	--------------



I N D E X

R E R U M P R Æ C I P U A R U M A C V E R B O R U M,

A.

- A**Bgari epistola subventanea, 394.
- Abrahamo** filium immolaturus non dispensavit **DEUS** in Naturæ Lege. 187. ejus consummatus occisionis actus non adversatus esset tabulæ secundæ. 187. ejus semen non sunt Ismaelitz, Idumæi & Cethuræ posterii. 268.
- Bellum Abrahami** quî videatur contrarium Juri Naturæ. 336. susceptum speciali Numinis jussu. *ibid.* & *seqq.* non privato sed extraordinario motu gestum. 526
- ab exemplo** ejus non colligitur Potestas Patria vitæ & necis 733. ejus cum Cethura matrimonium non fuit ad Morgengabicam. 833. Fedus ejus cum Abimelecho pactum non fuit cum Gentili. 1008. non iniit Societatem Bellicam cum infidelibus Sodomitis. 1017. an quod ab eorundem rapinis nihil acceperat, in Juris potius conformitatem quàm in generosam mentem transcribendum sit. 1514.
- Acceptatio** quomodo Promissori debeat innotescere. 913. an ad eam requiratur intimatio per nuntium ex natura rei. 914.
- Actio** non tantum est ex fine pensitanda. 1298.
- Actionum** finis quomodo cognoscatur. 53. competit Brutis. *ibid.*
- Actus** hominis, **Actus** humani vel morales. 158.
- Adoptionis** divisio. 791.
- Ædium**

RERUM & VERBORUM.

- Ædium pestiferarum aut similibus Conductor an eximendus à solvenda pensione pro rata temporis.** 935.
de Spoliis Ægypti quid sentiendum. 187.
Æquitati præsertim divinæ quid sit Consonum. 1359.
Æquivocationum fœditas. 1028. 1079. & seqq.
Æstimativa Facultas deprehenditur in Brutis. 149.
Affectus num extirpari possint. 327. Fuga quæ affectibus insita est non arguit commixtionem & naturæ Lege illicitam. 767.
Affinitatum diffundendarum ratio. 767. utrum naturæ Lex vetet affinitatis & sanguinis gradus. 769. & seqq.
Aggressorem occidere licet 335. 608. & seqq. an quis teneatur de Jure Naturæ. 612.
Agri quando intelligantur capti. 1441. 1442. & seqq.
de Agrorum manucaptorum divisione. 1454. 1455. & seqq.
Alienatio non potest de naturali Jure Traditionem. 83. 804. alienandi potestas residet penes regem. 805. Consensus alienandi ad ipsam alienationem non pertinet. 806.
Alapam dum patienter ferre jubet Christus, non excludit atrocioris injuriæ patientiam. 416. ad arcendam alapam non licita Interfectio. 625. & seqq. improbe asseritur justa occisio ob acceptam. 627. & seqq.
Alimentis privari potest Filius exorbitans. 825.
Alluvio utrum prædiorum Dominis cedat Naturali vel Gentium Jure. 859. & seqq.
cum Amalekitis DEI jussu decertatum est. 339.
Amen Juramenti formula. 998.
Ambitio per diluvium repurgati Mundi Concordiam non rupit. 661.
Amramus. 777.
Ἀπολυψια non extendenda ad singulos. 1368.
 An-

Animantium Vires non arguunt inter prima Naturæ non esse quod Bello repugnat.	229.
Animæ immortalitas non concluditur à ratione apodicticè. 67. 68. & 69. non transcribenda est in Dei Justitiam, nec in nexum conformem in tertio æternitatis, sed in Decretum ejus.	69. 70.
Animi puritas eadem ante Christum est exacta, quæ debetur post ipsum.	402.
Apostolorum Jus Ecclesiasticum.	1226.
Appetibile quotuplex.	960.
Appropriare nemo rem suam sibi potest privato ausu.	817.
Arbor vitæ cujus rei Symbolum.	658.
Arbores frugiferas in Bello nefas est excindere. excipitur Casus.	1498. 1499.
Arcefilas Scepticus.	83.
Ἀρχὸν πῆμα. *	1357.
Aristotelis Authoritas & Principatus Tyrannidem Scholis induxit. 85 & seq. præjudicat Veritati. 86. & seqq.	86. & seqq.
Armorum usus non pugnat cum dilectione Proximi.	79.
Arrogationem Adoptionis esse speciem per divisionem explicatur.	790.
Afylorum Jus inter Hebræos. 1186. an in Christianorum Civitatibus locus illis dandus. 1187. & 1188.	1186. an in Christianorum Civitatibus locus illis dandus. 1187. & 1188.
Authoritatis Prudentum ac sequentis Usûs Valor in divinis Scriptis magni non æstimandus.	424.
Ἀυτοχρεια nunquam probabilis. 1108. Samson non fuit αὐτόχρη. 1109. exemplum Saulis. 1110. Rafiz.	1111.
Auxilium quid.	1178.
Auxilia Gratiz in sensu Grotiano rejiciuntur.	1179.
	Bea-

B.

Beatitudo æterna Præmium est proportionatum Naturæ. 1135. ad consecutionem Beatitudinis quomodo requirantur Virtutes. 1135.

Bellum non pugnat cum dilectione præximi. 79. non contravenit Mandato Christi. 401. ab eo Naturæ Jure nullus prohibetur. 587. an ob delicta in DEUM possit suscipi 1172. an detur utrinque Justum. 1256. 1257. ut vitetur sæpè remittendum de Jure. 1259. Christianis non interdictum est. 79. & seqq. per illud ad pacem contenditur. 132. an dici queat Status. 133. 135. describitur pag. 136. Lipsius per Vim definit. 137. ejus Etymon. 140.

Belli incommoda, 78. Bellum dissuadentium rationes. 77.

Belli Federum Jura an referantur ad Jus gentium. 235. & seqq.

Bellum privatum. 138. improbatur. 525. num prius publico? 138. ambiguè dicitur Bellum, quanquam Bellum præscindat à Justo & injusto. 139.

Bellum non contrariatur Juri Naturæ. 330. est Juris divini. 334. Vires animantium non arguunt inter prima Naturæ non esse quod Bello repugnet. 229. Delineatio Modi Belli gerendi mandatum necessarium non excludit. 341. 342.

Bellum regionis & Religionis causa licitè moveri, 336. item subditorum. 1270. An Civitatibus injussu Principis tentare liceat? 455.

Belli distinctio Rabbiorum 343. Sanguinis fundendi interdictum non est Belli prohibitio. 343.

ad **Bellum** Publicum requiritur non tantum is qui Jurisdictione gaudet, sed & summæ Potestatis Auctoritas. 434. Bellum mixtum ex publico & privato

INDEX

- veram Belli naturam non refert. 435. Si Princeps consentiat potest una Civitas Regni alteram nolentem satisfacere armis cogere. 457.
- Bellum Civitas indicere Civitati justè non potest. 457.
- Magistratus imperium ad suscipiendum Bellum injustum Subditos excusat. 1284. & seqq.
- Bellum Solenne Denuntiationem requirit. 1377. & seqq. eaque Juris naturalis est & divini. 1379. 1380. simul atque indictum est Bellum geri non posse. 1381. & seqq.
- Bellandi Jus Hebræis non accessit ex mensura scelerum Chananzorum, nec ex titulo repetundarum. 407. sed ex sola Dei Autoritate. 408.
- Belli gerendi Potestatem tribuit Pareus etiam Magistratibus. 434. malè. 452. pendet ab Autoritate Principis. 453. In iis quæ licitè agit Magistratus Jus Bellandi non fundatur. 454. In quibuscumque Bella geruntur non sint privati. 452. Formula Romanorum Bellum indicentium. 453. Pontificii à BELLI Jure Clericos prohibentes refelluntur. 588.
- Belli suscipiendi causa adæquata non est injuria. 595. omnium justissima defensio. 600. Cæarum Belli distinctio. 601. Belli causa est Injuriam vindicta. 602. an restituto damno puniendæ culpæ gratia inferri Bellum queat. 603. & seqq.
- de Belli causis justis. 1216. inter eas non est Barbarorum Infidelitas. 1223. 1224. non stipendium ac præda. 1283. & seqq.
- Bellum Justum gerit qui *κέρειον* pro parte habet. 1375.
- Belli componendi medium Sors. 1246. Belli devitandi conditiones quærere utri magis incumbat. 1255.
- Belligerantium laudabilis est abstinentia. 1512.
- Benjaminitarum scelus reliquis Israelitarum tribubus

mari.

RERUM ET VERBORUM.

matrimonium prohibendi Jus non dedit.	693.
בן נכר Ben Nechar.	258.
B. stis non fit injuria 210. 211. (<i>vid. Bruta.</i>) Domi- nium in bestias in quo situm.	1132.
Biblicarum Sectionum & Caputum Origo.	422.
Bona & Mala quo se modo ad voluntatem divinam ha- beant. 59. dantur antecedenter ad DEI voluntatem. 59. fundantur non in proportione ad voluntatem DEI sed in proportione ad integritatem ejus. 60.	
Bruta non agunt ex habitu. 207. Jus Nat. non agno- scunt.	<i>ibid.</i>
Brutorum Actibus complendis non requiritur intelli- gens aliquod extrinsecum.	48.
Brutis non fit injuria. 210. & <i>seq.</i> nec in eas pœna ca- dit.	212. 213.
deprehenditur in Brutis Facultas Æstimativa.	49.
Temperamentum in eorum Actibus Instinctui Na- turali debetur.	51.
Brutis Actionum Finis competit. 53. rationis nullum gradum habent contra Cl. Salmasium.	213.
C.	
Abul Urbs Palæstinæ.	489.
Cælibatus Conjugio non anteferendus est. 1385.	
Pontificiorum Cælibatus impugnatur. 1386. 1387.	
	& <i>seqq.</i>
Caini ob fratricidium trepidantis collectio. 350. Cæ- dem ejus ob hominum raritatem Deus non impe- divit.	351.
Canones Apostolorum supposititii.	776.
Captura fæfarum cur Jure Gentium concessa dici ne- queat.	670. & <i>seq.</i>
Captæ ab hostibus res fiantne singulorum capientium.	1453.
	Captis

I N D E X

- Captis in Bello non justo an fugere liceat.** 1471. 1472.
- Capti Bello redigi in servitutem possunt.** 1507. **sunt redimendi, si necessitas urgeat sacrorum quodque Vasorum pretio.** 1538.
- Caramuel refutatur.** 197.
- Carneadis contra Juris Naturæ Legem opinio refutatur.** 38.
- Certamen singulare, concedente etiam Invasore dimittendi Licentiam, non licitum est.** 646.
- Chananza num σιβομνή.** 255.
- Chananzorum internecio non transcribenda in Jus absoluti Domini.** 1403. **iis non decreverat DEUS avertere excidium sub tributaria conditione.** 1497.
- Charitatis obligatio ad procurandam salutem proximi æternam supponit proximum concursus nostri indigentem.** 611. **qui ex Charitate tenetur, tenetur etiam ex Justitia.** 1050.
- Charitatis & Juris regulæ frustra distinguuntur.** 1506.
- Christus πάλῳ Legis i. e. Consummatio, non Finis.** 299. **Mosi non opponendus est** 371. 405. **non est Legislator novus.** 372. 387. & seq. (*vid. Lex nova*) **Regnum ejus Lex nova non est.** 297. **Christi exemplum in quantum sit imitabile.** 448. **Mors ejus non suscepta est intuitu Federis cum Patre, vel obtinendæ Gloriæ vel augendæ Ecclesiæ** 449. **non est Rex temporalis.** 1233 1334. **vocem gestu jovit.** 1333.
- Lex Christi malè dicitur sustulisse Mosaicam.** 405.
- Christi sputum non signum sed remedium fuit.** 1229. & seq.
- Christianos disciplina Superior non obligat.** 79. 541. 946.
- Christianæ disciplinæ Corpus non potest constituere Veritas per sectas diffusa & collecta.** 84. Chri-

RERUM & VERBORUM.

- Christianorum Virtutes differunt à Gentilium non tantum accidentaliter. 84.
- Christianorum Veterum pro sceleratis intercessio non fuit Pietatis 431. non eorundem emissio circa Pascha. 433.
- Circumcisioni non adstringebantur omnes ex Abrahamo oriundi. 266. sed restringitur ad solos Israelitas. *ibid. & seqq.*
- Circumvenire se mutuo non est fraudis authoramentum. 950.
- Cives an abscedere à Civitate possint. 787. & seqq.
- Civitatum & Rerumpublicarum forma varia. 456.
- Civitas non est subiectum primum Potestatis. 476. Facultas moralis gubernandi Civitatem. 458.
- Clarigatione non opus est semper, ubi quod tuum est petas. 339.
- Clementis Constitutiones opus adulterinum. 1011.
- Clientum diversa genera. 520.
- Cognitiones capitales Christianis non derogandæ. 1149.
- Colaphum inflatum dum patienter ferre jubet Christus non excludit atrocioris injuriæ patientiam. 416.
- Commerciorum usus an sit Juris Gentium. 236. & seqq.
- Commodatum est gratuitum. 947. Commodator intra constitutum tempus rem potest repetere. 1041. 1042. & seqq.
- Communia naturali Jure non omnia fuerunt. 652.
- Communions status ut nunquam fuit, ita nec durabilis dici potuit. 653. exempla. *ibid.*
- Communio utilitatis innoxie solidis rationibus non adferitur. 676.
- Concionatores an quibuscumque territoriis immiti possint ut prædicent Evangelium. 691. pro negante decij-

- deciditur. *ibid.*
- Conclusiones scientificæ quæ tales non deficiunt. 184.
- Concubinatus utrum verum Conjugium. 781. Patriarcharum cum Concubinis verum fuit. 782.
- Concupiscentia, 1158. & seqq. Lex de non Concupiscendo motus animi etiam internos spectat. 1166.
- Concurrentes tum demum tenentur ad restitutionem si causa Damni fuerint. 1051. 1052 & seqq.
- Concussio quid. 1517.
- Condonatio nõ ab omnibus simpliciter exigenda. 1265.
- Conductori utrum sterilitas aut alia Usus impeditentia damno sint. 935. Conductor ædium pestiferarum & similibus eximatur à solvenda pensione pro rata temporis. 935. de pretio conductæ navis & per ventos ad litora repercussæ. 935.
- Conjugium definitur 739. Conjugio feminam tenendo non sufficit Cohabitatio 740.
- Conjugium Fratrum ac Sororum admittendo DEUS non dispensavit in Lege Naturæ. 188. nec est illud contra Jus Naturæ. *ibid.*
- Conjugii Institutio *Gen. II.* habet vim Legis Polygamiam prohibentis. 742.
- de Conjugio Christus perfectiorem legem non sanxit. 757. Consensus necessariò requiritur ad Conjugiorum validitatem. 758. & seqq. 740. ex qua causa illicita sint Conjugia sanguine aut affinitate junctorum. 765. de Fratrum & Sororum Connubiis Adamo Lex posita. 773.
- Conscientia arguit Juris Naturæ Existentiam. 36.
- Conscientia probabilis definitur. 1233. explicatur in seqq. Conscientiæ incertitudo duplex. 1237. licet in Conscientia sequi opinionem verè probabilem intrinsecè talem. 1238. quomodo peccetur in

Con-

RERUM & VERBORUM.

Conscientia formaliter & extrinsecè dubia. 1288.

Consilii perfectionis & Præcepti distinctio. 117. & seqq.
refutatur. 161.

Consilia quæ explicantur per opera indifferentia per-
mittuntur à Theologis. 161. nihil merentur. 161.

Consiliorú & Præceptorum Distinctio castigatur. 425.

Consensûs triplex Distinctio. 716.

Consensum quando probet silentium. 711.

Consensus non qualitercunque indicatus vim habet
transferendi Juris. 711.

Consensus necessarium Conjugii requisitum. 740.
& 741.

Conjecturis in Div. Lege non datur locus. 363.

Consuetudo an obtineat vim legis. 714. 715. & seqq.

Consuetudinis tolerantia nihil confert ad vim legis.
716.

Contractuum Distinctio. 152.

Contractatio rei alienæ in Casu etiam necessitatis ex-
tremæ improbat. 149.

Controversias componendi Medium quale. 1242. 1243.
& seqq.

Conversatio cum infidelibus quænam interdicta 1026.
1027. *vid. Societas Bellica.*

Corban quid. 974. & 975. Juramentis & votis faci-
endis adhibebatur. 975.

Corpora Damnatorum an in conspectu publico sint
relinquenda. 1102. 1103. & seqq.

Correctio fraterna non unicè competit personis Eccle-
siasticis. 1125. & seqq.

Cornelius non fuit Profelytus. 256.

Credendi præcepta non dantur. 364. (*vid. Lex Nova;
Lex à Christo lata.*)

Culpa

I N D E X

Culpa unius an transire ad alterum possit expenditur.
 1202. 1203. & seqq.
 Culpæ compertus interpellantis arbitrio relinquen-
 dus est. 1185.

D.

DAmnum quot modis inferre dicatur. 599. ad fru-
 ctus extenditur. 1049.

Davidis regnum quæ Patrimoniale. 838. peccatum ejus
 non confecit pestilentia populum innocentem.
 1213. & 1214.

Debitum Universitatis quomodo singulorum fiat de-
 bitum. 1360.

Decalogus est compendium non moralis tantum sed
 totius Mosaicæ Legis. 304. habet ergo aliquid Mo-
 rale ; *ibid.*

Decimarum ferendarum Jus an Divinum sit & Natu-
 rale. p. 314. Deciditur. 319. Decimæ quotuplices
 314. Præceptum Decimarum an Christianos etiam
 obliget. 316. earum pensio non est Juris perpetui.
 321. quomodo dicatur Juris Divini. *ibid.* an ma-
 gis spectet ad Jus Ceremoniale quàm Judiciale. 322.
 & 323. Videtur ad Ceremoniale. 323. quomodo in
 Naturæ Jure fundetur. 323. quo tempore inter Chri-
 stianos ceperit. 322. exempla eorum qui decimas
 non solverant, 321. 319. Poloni ad pensitandas De-
 cimas Verberibus compulsi sunt. 321.

Dediti sine conditione non occidi possunt universali-
 ter. 1406.

Defensio privata est licita. 332. eam dicitur & ratio mo-
 ralis & naturalis. 333. Partitio Defensionis. *ibid.*

Defensio sui est Juris Naturalis positivi. 443. ab ea tem-
 pore Maccabæorum non sine peccato abstinerunt
 Judæi,

553.
 Defen-

RERUM & VERBORUM.

- Defensio Belli causa est omnium justissima.** 600.
**Defensio facta cum vulneratione vel interfectione an
 licita sit contra Invalorem.** 608. 609. **Defensionis
 licitum fundamentum.** 612. **De puncto licitè de-
 fensionis differitur.** 616. **Periculum opinabile de-
 fensionem cum interfectione justam non facit.** 617.
**Defensio adversus Principem non est illicita tantum
 ex utilitatis intuitu** 623 & seq.
Desperatione hostis non urgeatur. 1501. 1502. & seq.
**Desponsatio clandestina sequenti Parentum ratihabi-
 tione valida fieri non potest.** 760. 761.
Detractio contrariatur Legi Naturæ & Divinæ. 142.
Devotarum rerum distinctio. 732. **DEI existentis
 Notitia non nititur tantum ratione vel traditio-
 ne, sed rationis omnem Discursum antecedit.** 61.
quomodo eam probent Miracula. 63. & seqq. **unde
 oriatur.** 1175. **Notitiæ de DEO communes.** 1173.
Unitatis & existentia DEI par est evidentia. 1176.
**DEUS promissis suis se adstringens nihil libertatis a-
 mittit.** 904. **Promissorum DEI fundamentum.** 905.
**Premia æterna DEUM sibi obedientibus redditu-
 rum non nisi per revelationem creditur.** 67 **DEUS
 tuetur suos ordinatè ad Media.** 332. **non omne quod
 intuitu DEI peragitur probandum.** 985.
**DEI Actiones, quæ nituntur Summi Domini Jure
 citra propositum finem nunquam fient.** 1120.
**semota etiam DEI Providentia possunt quædam esse
 difformia rectæ rationi vel conformia.** 59.
DEI Jus in homines quousque extendatur. 1403. *vid.*
Dominium.
Diis alienis impunè maledicitur. 1428.
Dictamen Vox ambigua. 175. 176.
Dies Solis cur Dominica, 308.
H h h h h *Dictator*

I N D E X

- Dictator Romanus an Majestatem habuerit.** 485.
- Dilectio Proximi comprehendit depositionem animæ pro Fratribus.** 368. 369. debet anteponi propriæ dilectioni. 369. & seq. Major dilectionis gradus à Christo nusquam præceptus est. 421.
- Dispensatio LL.** 1157.
- Divortia nec Mosis nec Christo adprobantur.** 376. us non indulsim fuit in Lege Hebræa, neque hujus libertatem sustulit Christus. 419.
- Dolus bonus in Scripturis non fundatur.** 1305 Negativus nullus est. 1307. 1308. Dolus positivus non tribuendus est Christo simulanti longius ire. 1311. non Paulo circumcidenti Timotheum; *ibid.* non Josuz ad præceptum fugienti. 1312. & seqq.
- Dolo utrum agi in hostem possit.** 1433.
- Dominium DEI in Creaturas per misericordiam quoad exercitium non impeditur.** 1304. *vide Jus DEI.*
- Dominium emipens.** 147. & 150. ejus Fundamentum. *ibid.* & seq. 1217. non est perfectio, administratio, Jurisdictio, 148. nec Imperium *ibid.* & seq. nec Necessitas. 149. debetur non Civitati sed Potestati Summæ. 467.
- Dominium definitur.** 699. & seqq. per habitudinem. 700. cum proprietate in statu etiam integritatis perennasset. 656. Dominii objectum non personæ sed res. 694. & seq. 699. competit Furiosis & Infantibus. 696. utrum in infantibus ac mente captis tantum actus primus Dominii sit admittendus. 697. Dominii secundus Actus datur in Furiosis ac Infantibus. 698. non recipiuntur Dominium & Jus in re. 699. an Dominium formaliter ac essentialiter sit Jus. 702. & 698. an ad translationem ejus sufficiat in dante voluntatis Actus, 800. 801. cessante volun-

RERUM & VERBORUM.

- voluntate non tollitur. 867. nec *sublato* ante alienationem *Subiecto* interit. 868. Populus sublato Domini Subjecto sui Juris non fiet. 870.
- Dominium quibus modis Lex transferat. 930.
- Dominii Jus in DEO per misericordiam quoad exercitium non impeditur. 1304.
- Domini Mors Servo libertatem parit. 868.
- Jus vitæ & necis Dominorum in Servos an & in quo statu obtineat. 793.
- Dominò cum Servo liberaliter agendum est. 1508. & *seq.* 1510.
- Donatio prodiga quo sensu carere dicatur Juris effectu. 910.
- Draconis Leges. 74.
- in* Dubiis pars tutior eligenda. 1289. 1290. *in* dubiis speculativis non necessariò pars tutior sequenda. 1291.
- ⲙⲏⲏ quid Hebræis. 779.
- Duellum in quibus casibus illicitum. 646. 1251. Duellatores committens Rex valde delinquit. 647. nec à peccato immunis est, qui singularem dimicationem jussu Magistratus acceptat. 647.
- Duella non tantum Jure gentium externo sunt licita. 1530. quibus conditionibus liceant. 1532. 1533.

E.

- E**cclésiæ Jus in Barbaros nullum. 1223.
- E**cclésiastica Jura quo se usque extendant. 463. & *seq.*
- E**'ixñ. 391.
- Electiois Jus Romano populo ademptum est. 880. ex Electione & Successione non judicanda Natura Imperii. 481. & *seq.*
- Eligens indignum quí teneatur. 1047. 1048. Elisa.

H h h h h 2

I N D E X

- Elisabetha Angliæ Regina Caput Ecclesiæ. 465.
 Elissæus vindicatur à Mendacio. 1348.
 Emissio sceleratorum circa Pascha debet Originem
 consuetudini Judæorum vitiosæ, non Romanorum
 Lectisternio. 433.
 Emptionis & venditionis actus respiciunt Justitiam
 explettricem. 154.
 Ἐνεχυρασμῶν, id est, pignorationum pro aliis exem-
 pla. 1369.
 Ephesiorum Leges. 74.
 Ἐπιθυμία. 1158.
 Ἐπορκεῖν quid notet. 377.
 Ἐπίκαια definitur. 1156.
 Erasmus suspectus de Fide. 81.
 Evangelium Lex vocatum. 282. 283. non adimit bel-
 landi Jura. 330. 331.
 Evangelium non complectitur peculiaria præcepta,
 nec strictiùs obligat, nec plenius peccatum denudat.
 364. 542. ejus Distinctio. 365.
 Evangelica verba & Naturæ Leges distinctissima. 365.
 Evangelica Lex nulla. 615. 1025. *vid. Lex nova.* si qua
 foret Mosaicam perfectione non antecelleret. 638.
 1025.
 Exlex homo creari nequit. 192.
 Extraneis licitè interdiciuntur quibus communibus
 cives utuntur. 690.
 Exulibus sede pulsus habitatio sub conditione non est
 neganda. 685. an concedenda iis sit perpetua. 686.

F.

Fabula definitur. 1267. differt à Parabola. *ibid.*
 Facultas eminens 147. & 150. ejus Radix. *ibid. & seq.*
 Moralis Facultas gubernandi Civitatem versatur
 tam

RERUM & VERBORUM.

tam circa Sacra, quàm circa profana. 452. tria complectitur. 458.

Fama & honor non sunt homini naturâ Suum. 1046.

Familias segreges non compulit ad Societatem Necessitas. 557.

Federa omnia sunt personalia. 1038. quæ cum populo libero contrahuntur, non sunt realia. 1039.

Federum feriendorum ritus. 978. 979. Mosis legibus contrahendorum Federum Jus non abolitum est. 1009. 1010.

Federis novi acceptio duplex. 1110.

Feminae captivæ: Hebræorum Lex pro illis. 1414. ductarum in matrimonium ritus. 1415. feminas à belli injuria ætas exemit. 1490. & seqq. quando impunè occiduntur. 1492. 1493.

Feudum quid ex nominis ratione. 712. Feudorum ordo. 524. Contractus Feudalis Germanis debet Originem. 522. fuit & aliis Gentibus communis. 523.

Feræ quænam egrediantur Dominium possidentis. 842. an fera incidens in laqueum ab alio possit capi. 844. & seqq.

Ferus Evangelicæ Veritatis Confessor. 1116.

Fides ut actus præceptus non justificat. 364. non accipitur pro dictamine Conscientiæ. 1231. Fidei salvantis Objectum. 1176.

Fides servanda est hostibus. 1355 1519. & 1520. Tyrannis 990. 991 & seqq. Latronibus. 1521. 990. 991. & seq & Piratis. 1523.

Fides hosti jurata num privatum quoque obstringat. 1542. 1547.

Filius exorbitans quibus alimentis privari possit. 1547. 1547.

Fœnus, vide Usura, non est saltem honesta Lex de non fœnerando. 944.

- Fratrum ac Sororum Conjugium** admittendo **DEUS** non dispensavit in **Lege Naturæ**. 188. nec contrariatur illud **Naturali Juri**, *ibid.* de **Fratrum & Sororum Connubiis** **Adamo** **Lex** posita. 773. **Fratres** sub **initia Mundi** **Sororibus** mixti **Naturæ Legem** non violarunt. 774. Illustratur simili **Physico**. 775.
- Fructuum** merè **naturalium & industrialium** distinctio. 892. ad **fructus industriales restituendos** bonæ **fidei** possessor non tenetur. *ibid.*
- Fur nocturnus** cessante **Judicio** potest occidi. 439. **Lex** de **necando Fure** **naturalis** est. 440.
- Furum capitalia supplicia** adprobantur. 642. **Notitia** **divinæ Voluntatis** de **Suppliciis Furum** ex **Scriptura** an **solidè** concludatur. 643.
- Fur** utrum sub **expletricis** **Justitiæ Intuitu** ob **conservandas** **res** possit **interfici** 631. & *seqq.* **Privata Furis** **interfectio** num sit **justa**. 633. & *seqq.* **Difficultas** **discernendi** **impunem** facit **Furis nocturni** **causam**. 636. **directè** **rerum ablatarum** **causa** non **interficiendus**. 636. & 637. **Legis Hebrææ** **expositio**. 637. **Lex XII. Tab.** de **Fure nocturno & Lex Hebræa** **discrepant**. 637.
- Furtum** in **casu** **etiam** **necessitatis** **improbatur** 149. **disti**nguitur. 132. an **faciat**, si **quis** **quod** **ad** **vitam** **necessarium** **est** **capit** **ex** **alieno**. 673. & *seq.* **Præceptum** **furti** **occupatur** **etiam** **circa** **actum** **positivum**. 889.
- G.
- GENERATIO** num **pariat** **Jus** **in** **liberos**. 722. & *seqq.*
- Gentes** **acceperunt** à **DEO** **Legem**. 1177. **Pii** **ex** **Gen**tibus. 257. & *seq.*
- Gladii** **jus** **summæ** **competens** **Potestati** **solidè** **adstrui**tur. 390.
- pro DIVINA GLORIA** **obligamur** **ad** **passionem** **non**

non simpliciter & absolutè. 554.

Graduum affinitatis interdictio est Legis perpetuæ. 776. Improbationis graduum cum Naturali Jure congruentia. 772. *vide Affinitas.*

Γεγραμμέναις qui fuerint. 131.

H. Grotius: ejus tota vitæ Periodus recensetur à pag. 1. usque ad 31. Photinianismo accedit. 98. Cælibatui Pontificiorum favet. 1385.

HÆreditas est Consecutio debiti Naturalis. 832.

Hæretici quomodo dicantur esse in Ecclesia. 1303.

Hasmonæorum cum Romanis & Lacedæmoniis Fe-
dus improbat. 1018.

Hiramus Idololatra. 492. ei datæ Urbes an fuerint ab-
alienatæ. 490. & seq.

Homicida tenetur ad restitutionem damni. 1068.
1069. & seq. tenetur solvere expensas factas in
Medicos. *ibid.*

Homicidam post diluvium interimens non impunè
tulit. 354. & seq.

Homicidæ mortem inferre, quâ conditione potuerit
homicida. 356. Lex de non occidendo Homicidam
an permissiva sit vel positiva. 355. & seq. Lex de
occidendo Involuntarium Homicidam fuit permis-
siva. 358. 359. & seq.

Homicidium generaliter non prohibetur. 344. & seq.
Sententia ejus sicut in Veteri ita in N. T. obtinet,
346.

Honor homini Naturâ Suum. 1046.

Hostium corrumpendi & rapiendi licentia ad perso-
nas restringenda. 1415. Nostra non fiunt quæ ho-
stes nostri aliis bello eripuerunt. 1446. 1447. ne-
que id Jephthæ testimonio suadet. *ibid.*

Hhhhh 4

Hostilium

I N D E X

- Hostilium Subditorum res non retinentur ad modum debiti.** 1505.
- I.
- Jacobus in matrimonium Sorores ducens.** 777.
- Jannis & Jambris de Digito DEI Confessio.** 65 & 66.
- de Idolorum Cultoribus,** 954. & 955.
- Jehudæ in Thamarem præceps sententia.** 360.
- Jephthæ contentio cum Rege Ammonitarum usucapionem inter diversos populos non stabilit.** 709. ab ejus exemplo non colligitur Potestas Patria vitæ & necis. 733. Jephthes contra injustum latrocinium defenditur. 1373.
- Ignoscere interdum licet.** 1153.
- Impellens alium Imperio ad factum primo loco non tenetur ad Restitutionem.** 1065. 1066.
- Imperandi & parendi Ordinem non tam adprobavit DEUS, quàm constituit.** 542 & 543. & 544. eum ex commodo metiri periculosum. 543. Imperandi Jus Imperans populo non debet. 556.
- Imperatoribus Romanis per electionem non semper collatum est Imperium absolutum.** 483.
- Imperium non est penes Populum.** 878. nec manet penes illum tanquam corpus. 878.
- Imperii Objectum sunt Personæ.** 694. Imperii & Domini Distinctio. *ibid.* Imperiorum Honos. 719. non desertur Populi Consensu. 721. mera voluntatis cessatione non tollitur. 867. 869.
- Imperium non habetur Jure Usufructuario.** 484.
- Imperium Summum non tollit Promissio.** 499. non contrahit Obligatio cadens in Actum. 501. non cadit in Facultatem. 502.
- Imperium Summum quomodo inferat successio.** 481.
- Imperium absolutum Imperatoribus Romanis per Electionem**

RERUM & VERBORUM.

- lectionem non semper collatum est.** 483.
Imperii Natura ex Electione & Successione non judi-
canda. 481.
Imperiorum Temperatura in quibusdam Rebuspu-
blicis. 509.
Imperii partitio non fit per partes Subjectivas. 507.
Invasorem Præscriptio non legitimat, 568.
Imperii Hebræi Indoles. 510.
Imperium Summum habenti Magistratus inferiores
justè resistere non possunt. 546. Sententia contra-
ria Parei proposita expugnatur. 546. & seqq.
an vim obligandi habeant actus Imperii quos Invalot
exercet. 573.
Imperii Romani Translatio certis documentis proba-
tur. 874.
Inachidas fuisse Enakzos Criticorum est Divinatio.
 592.
Incestus Cananorum expulsionis Causa. 776. vid.
Fratrurn Connubia &c.
Induciæ per Conventionem ambigùè definiuntur.
 1524. earum Etymon. 1525.
Induciarum indulgentia an ad Minores Duces perti-
neat. 1540. & seq. Tempus. 1538. 1540.
Infantium ad benè agendum aliis propensio naturalis
deprehenditur non moralis. 54. & seqq.
Infantes quomodo obnoxii bellico Juri. 1403.
Injuriarum repulsionem citra publicam cognitionem
status nullus agnovit. 438. ferenti injuriam subve-
nire concessum est. 585. Injuriaz propulsandæ in-
strumentum non ut Filius ita servus est dicendus?
 587. **Injuria materialis non est sufficiens Causa Belli**
justifica. 597.
Injuriam privatus vendicare nequit, etiam si cesset vin-
dicativæ

- dicativæ potestatis subsidium. 598. Injuriz Vindictio justa Belli est Causa, 606. exemplum. 607.
- Injuria quâ volenti fiat, 930.
- Innocens nunquam justè occiditur, & nec in Bello quidem Solenni. 1399. 1400. & seqq.
- Innocens an ut imminens periculum evitetur hosti tradi possit. 1271. 1272. & seqq. qui interpositus fugam aut defensionem impedit an possit interfici. 614. Civis innocens non tenetur spontè se offerre petenti Tyranno ob Reipublicæ libertatem. 1275. innocentis occisio sitne licita. 1299.
- Insidiæ quando prohibitz. 143. iis utrum adversus hostem agi possit. 1433. & seqq.
- Interficere per Judicem qui calumniis conatur, utrum præveniri debeat. 618.
- Interfectio ob arcendam alapam illicita, 625. *vid. occid.*
- Interpretatio Legis. 1157.
- Invasor Imperii interfici potest ex Authoritate Jus imperandi habentis. 575. eum Præscriptio non legitimat. 568 an vim obligandi habeant Actus Imperii quos Invasor exercet. 573.
- Invasorem non tantum licitè vulnerat sed etiam occidit invasus. 608. & seqq. 335. an interficere aggressorem de naturæ Jure quis teneatur. 612. Periculum propter quod invasori resistitur debet esse in puncto. 616.
- Jocabeda. 777.
- Johannis ad milites Orationem ad Christianos quoque pertinere. 397.
- Johannes nullum præceptum proposuit. 297.
- Jonathan F. Saulis Regni onus non subterfugit. 720.
- Josephi Monopolium. 933.
- Ira definitur. 961. an sit perfectionis. *ibid.*
- Iram

RERUM & VERBORUM.

- Iram DEO non nisi metaphoricè tribui. 961.
- Isboſethus Davidis ſubditus non fuit. 527. De Percuſſoribus ejus. 1411.
- Iſraelitz, Idumzi & Cethuræ poſteri non ſunt Semen Abrahæ. 268.
- Iſraelitarum & Chananæorum bella ex utrâque parte juſta. 597.
- Judæi ſtipendia ſub Græcis & Romanis Imperatoribus fecerunt. 400. à Chriſtianiſ non ſententiis tantum diſcrepant. 1500.
- Judæorum generalis converſio expectari temerè jubetur. 415.
- Judæis victis omnia Jura non interciderunt. 1513.
- Judex idem & offenſus eſſe poteſt. 597.
- Injuſtum eſt, quando Juris explementum per Judicem obtineri nequit, rem propriam ſibi vendicare. 816.
- Judicium quando relinquitur Magiſtratu Vindiçtæ nomen non habet. 366. an Judicia capitalia tempore Chriſti inter Judæos ceſſaverint. 403. Judicia publica non pendent ex hominum Sançtione, ſed ſunt Juris Divini, 436. Moraliſ & Naturaliſ, 437.
- Juramentum eſt Actus Cultus divini. 957. & ſeqq. per affirmationem religioſam accuratè non deſcribitur. 957.
- Juramentorum abſtinentia eſt præcepti non Conſilii, 427. 957. non eſt Juramentum quod ſine animo vel intentione jurandi prolatum eſt. 962. & ſeqq. effectus Juramenti. 989.
- Juramentum ab idolorum cultoribus non recipi tantum, ſed & exigi poteſt. 986. nec propterea inhibendum, quòd peccantem adigit ad peccatum. 986. Judæorum deciſio de Juramentiſ Idololatri- cis. 987.
- Juran

I N D E X.

- Juramentum silentii latronibus factum non contrahit obligationem.** 994. Promissorium neque à Christo neque à Jacobo interdicitur. 999.
- Juramenta Subditorum irrita reddi possunt Actibus Superiorum.** 995. & seq. utrum contra antecedens Juramentum gestus sit efficax. 1002. actus positivo Jure irritus non confirmatur Juramento novo priori contrario, 1003. Pontifex Romanus non potest relaxare juramentum Turcis præstitum. 1356.
- Juramentum obligat, etsi is qui jurat se nolit obligatum.** 963. 964. etiam elicitum dolo validum censetur. 965. exemplum Josuæ & Gibeonitarum. *ibid.* an horum Juramentum validum fuerit, vel ex dolo vel ex incapacitate materiæ. 967. & seq. Israelitarum Juramentum in re Benjaminitarum an servandum fuerit. 970. etiã illiciti Juramentũ servari potest. 972.
- Juramentum Davidis de extirpando Nabale fuit de re illicita** 972. Josephi in stricto significato Juramentum non fuit. 981. Ægyptiorum mos per vitam Regis Jurantium. 982.
- Jurare an sit inducere Testem.** 958. 959 Lex de Jurando quot modis juxta Hebræorũ mentem violetur. 973.
- Jurare per Creaturas non est illicitum.** 982. per falsos Deos etiam obligat. 985. & seq. Jurata Fides Tyrannis & latronibus servanda. 990.
- Jurisjurandi Justiniani impia formula.** 987.
- Jurisdictionis Fundamentũ residet p̄ncip̄s τὸ κύριον.** 460.
- Jure nostro, ut vitetur Bellum, cedendum est.** 1259. & seqq. non semper remissius exercendũ est Jus. 1263.
- Juris Præcepta pro diversitate materiæ mutationem suscipiunt.** 185.
- Jus Atticum divini Juris rationes stabilivit.** 242.
- Juris Distinctio.** 35. Significata. 173. 174. Jus pro Lege acc-

RERUM & VERBORUM.

- acceptum dividitur in Naturale & Voluntarium. 171.
 Jus naturale ubique eandem vim habet. 171.
 Jus Distinctum ab Hebræis in מִצְוָה & דִּבְרֵי refuta-
 tur. 172.
 Jus DEI an extendatur tantum ad occisionem homi-
 nis. 100. an ad condemnationem æterni supplicii
 sine prævia culpa. 99. 100. & seqq. in quo funde-
 tur, 100. Non antecedit Creationis Beneficium 103.
 nec in creatione sola fundatur. 1494.
 Juris Divini Distinctio. 242.
 Juris Civilis Existentia. 218. obligatio extenditur ad
 conscientiam. 219. Calvini Sententia adversatrix
 219. Refutatur, 222.
 Juris Civilis assertio, 121. exordium. 73. progressus.
 su. 34 Nævi. 34 præstantia. 34. non generatur ex
 Jure Naturæ. 73. ei occasionem dedit Utilitas.
ibid. ejus Leges non conveniunt omnes cum Na-
 turæ Legibus. 72. est à maximis quibusque viris
 excultum. 129 Usus ejus est amplissimus, 131. &
 121.
 Jus Civile Hebræorum. 123 Atheniensium. *ibid.* Ro-
 manorum. 112. hujus Natalia. *ibid.* & 128.
 Jus Forense Mosaicum non obligat hominem quæ ta-
 lem 289. in quo tertio differat à communibus. 288.
 an in Rebuspublicis Christianorum habere debeat
 vim legis, 285. & seqq. an præferendum sit Juri Ro-
 mano. 285.
 Jus Gentium obligatorium 226. & 239. Distinguitur.
 331. 227. Existentia controvertitur. 227. probatur.
 228. Distinguitur à Jure Naturali. 229. & seqq. Di-
 sceptatur de origine, quæ non est consensus popu-
 lorum. 231. ejus Forma & Definitio varia. 232. vera
 240.

I N D E X

240. Fundamentum. 341. Objectum. 234. non sunt moratiores tantum gentes. *ibid.* Jus hoc proprie consuetudini accedit, 236. & *seq.* ejus affinitas cum Jure Naturali. 239. Actus ejus discernendi. 240. Leges Gentium cum Mosaica congruentes Legem Naturæ non ponunt. 439.
- Juris Hebræi Objectum. 246.
- Juris humani Divisio in patens arctius & latius disputatur. 216.
- Juris majoris Partis Fundamentum. 784. quo in statu id obtineat. *ibid.* exulat in Religionis Negotio. 785.
- Juris Naturæ Existentia. 36. eam arguit Conscientia. *ibid.* Carneadis contra Naturæ Legem Opinio. 38. *vid. Lex Natura.*
- Juris Naturalis Origo. 70. & *seq.* non est à natura humana. 71. non est Societatis custodia sed DEUS. 58. non est deducenda ex Facultate hominis Intellectiva. 72. Specificum definiens non est Natura rationalis sive patefacta voluntas DEI. 177. vel absolutum est vel hypotheticum. 178.
- Jus Naturæ Lege DEI in libris utriusque Fœderis revelatâ imperfectior est. 116. malè per Dictamen definitur. 175. nec melius per dictatum rectæ rationis. 176. quare recta ratio non datur antecedenter ad Jus Naturæ. 176. ejus præcepta absoluta obligant absolutè. 178. Quæ absolutæ sunt Legis hujus, ab Adamo servata sunt in statu integritatis. 178. & 179. Actus oppositus Juri Naturæ absolutè spectato nunquam honestus esse potest, non item oppositus Juri Naturæ hypotheticè sumto. 179. est immutabile. 193. & 180. nec ab intrinseco mutat illud Materia. 183.
- Juri Naturæ quæ adversantur, non mala sunt ex prohibitione

RERUM & VERBORUM.

- bitione Legislatoris DEI. 188. Evangelium an præcipiat, quæ non sunt Juris Naturalis. 365.
- Jus Naturale non erit, si DEUS contrariam rationem ei, quam inscripsit mentibus hominum imbueret. 189. 190. &c. non cadit in Bruta. 206. dicit aliquid de imagine divina, 207. dicitur *γινώσκοντες Θεόν*. 207. ejus *γνωρίσματα*. 215. quomodo differat à Jure Divino voluntario. 240.
- Juris Naturalis Distinctio. 364. & 775. spuria. 840.
- Jus Rectorium & Æquatorium. 143. quodnam horum maritum inter & uxorem detur. 144.
- Jurisperitos nominat Scriptura *νομοδιδασκάλου, γραμματεῖς & νομικῆς*. 129.
- In Justitia expletrice seu commutativa respicienda proportio Arithmetica 151. & seq. ei pœnarum irrogatio non adimenda. 1113. 1114.
- Justitiæ attributricis sive distributiæ Objectum. 151. & seq.
- Justum quid dicendum. 142. duplex vel triplex. 205.
- Justum & injustum fundantur non in proportione ad Voluntatem DEI, sed in proportione ad integritatem ejus. 60.
- Justus. 1141.
- L.
- L**aban per Deastros jurat. 987.
- Labarum Constantini. 428.
- Lacedæmonios Hebræorum cognatos fuisse fictitium est. 1593.
- Lamechus ex Caini facinore impunito, impunitatem sibi polliceri non potuit. 352. & seq. ejus Oratio ad Uxores, quem Hebræi ab iisdem malè multatum fingunt. 354. & seq.
- Laurentius Imperatori Decio thesauros Ecclesiæ negat. 1540.

INDEX

- Legare non est Actus Justitiæ sed Liberalitatis.** 155.
Legationum Jus in Jure gentium non fundatur. 1079.
Legatus municipalis vel provincialis Jure communi non gaudet. 1080. 1081.
Legatorum admissio & immunitas utrum sit Gentium Juris. 235 quibus fundamentis nitatur Inviolabilitas. 1079. Regi bellis victo Jus legandi non perit. 1081. Legatorum rejectorum Causæ. 1082. & seq. an puniri possint ab eo ad quem missi. 1086. & 1087. qui per fines aliorum transeunt inviolabiles habentur. 1088.
Legatus subjaceat Juri Talionis. 1089.
Lex servata etiamnũ hodie pollicetur Victoriã. 1023.
Legis sensum manifestantia. 1032. **Ratio Legis.** 1033. 1034. & seqq.
Legis Ratio non expirat in delictis. 1156. **Interpretatio.** 1157. **Dispensatio.** *ibid.*
Leges Jus necis habent ex quovis delicto. 641.
Lex est Regula. 157. **Actuum moralium.** 158. obligandi vim habet ut Legislator. 158. in eod. gradu à Christiano & à Iudæo exigit. 387. **In Divina Lege conjecturis non datur locus.** 363.
Legis novæ & antiquæ discrimen expungitur. 96. & seq. 365. 278. 242. 97. 372. 342. 638. 387. 402. 424. 615. 946. & seq.
Lex, ut Lex sit, à Legislatore solo habet. 76.
Lex nulla sine eo qui tulit 60. **utrum sit in Bonum commune.** 75. & 76.
Subditorum est parere Legibus quæ utilitatem suam non spectant. 75.
Leges Ephesiorum. 74. **Draconis.** *ibid.* **an sine lege vixerint prisca secula.** 121. **sine Lege vivere Juniores Romanorum Patricii contendebant.** 122.
Legis

RERUM & VERBORUM.

- Legis & præcepti distinctio. 217.
 quid sit licitum ex Lege. 230.
 Leges Gentium cum Mosaica congruentes Legem Naturæ non ponunt. 440.
 Legis Hebraicæ jugum quomodo extraneis subeundum. 246. 251. ad illam aliqua ex parte obligamur. 276.
 Lex humana est obligatoria & propter transgressam in culpam incurritur, nec tantum est explicatoria obligationis in Lege Divina. 222. 223.
 Legem Pharisæi non Politicæ sed Religioni aptarunt. 386.
 Leges Civiles non conveniunt omnes cum Naturæ Legibus. 72. earum Origo ponitur Utilitas 73. *vid.*
Jus Civile. permittentes aliquid non omnem culpæ rationem simul tollunt. 640. Legem Civilium à Summa Potestate hodie sancitarum & Legis Forensis Mosaicæ æqualis est authoritas. 642.
 an Reges teneantur ad Leges municipales. 1004.
 Legis Naturæ descriptio. 203. alia in statu integro, alia in corrupto. 205.
 Legis Naturæ & Morâlis Convenientia 104. Discrepantia specifica. 105. (*vid. Jus Naturæ*) Immutabilitas. 180. eaque intrinseca. 181. & *seqq.* Ideò DEUS in Lege Naturali non dispensat. 186. 193. & *seqq.* ut tollat Legis materiam. 187.
 Lex Moralis virtutes omnes in summo gradu exegit. 296. & *seq. vid. Lex nova.*
 Legis Moralis Distinctio multiplex. 249. obligatio non ad Judæos solos extenditur. 251. & *seqq.* ab eâ quomodo dicamur liberi. 254. simpliciter abrogatæ non est. 278. Perfectiorem eâ Christus in N. T. non exegit. 296. & *seq.*
 Lex

I N D E X

- Lex Mosis quomodo & Christianos obliget.** 247. & *seqq.* quomodo eâ gentiles teneantur. 280. Ejus distinctio in generaliter & specialiter acceptam reprobat. 384. quanta quanta est spiritualis est. 386. pro omni statu animam non tranquillat. 642.
- Leges ferre licet Potestati Christianæ ejusdem sensus, cujus sunt Leges forenses Mosaicæ, modo non implicentur Legibus Ceremonialibus.** 294. & 295.
- Legis Ritualis vel Ceremonialis abrogatio, non facta est per modum meræ cessationis, sed per positivam rescissionem.** 279. 280.
- Lex à Christo lata est nulla.** 242. 278. 365. 615. nec successit illa Legi antiquæ 278. 542. 372. & *seq vid. Lex nova.* 364.
- Leges politicæ & præcepta morum distinguuntur.** 296
- Legis scriptæ & oralis distinctio.** 234. **Oralis Origo.** *ibid.* **propagatio.** 234. & 244. **Consignatio** 245. **Rejicitur tanquam Rabbiorum fabula.** *ibid.*
- Legis πλΘ Christus est.** 299. quomodo id accipiendum. *ibid.*
- Legum Regiarum vis in Actus Regum quâ tales.** 1002.
- Lex Pædagogus quâ ratione dicatur.** 304.
- Lex vetus perfecta est & ἀμειπτό.** 298. quomodo dicatur reprehensibilis. 298.
- Lex Voluntaria utrum hominû generi sit ter data.** 241.
- Liberorum abalienationis Causæ.** 729. & **Modi.** 730. *vid. Parentes.*
- Liberorum expositio nunquam licita.** 825. iis secundum Jus Naturale præter alimenta debentur alia. 823. & *seqq.* an teneantur alimenta Parentibus sufficere. 826. 827. & *seq.* quodnam Jus obliget filios ad subventionem Parentum. 829. & *seq.* eos sequitur Hereditas ob præcisum debitum Naturale. 832.

Liber-

I N D E X

- Matthæi Evangelium Græcum non est Interpretis.** 1005.
Matrimonium cum eâ quæ alteri nupta est, ita repu-
gnat, ut nec ipsius Viri dimissio censeatur potestatem
facere alteri. 763. etiam Mosis & Naturæ Lex irru-
ptam exigit matrimonii copulam. 764.
Matrimonia cum exteris contrahendi Jus non facit
• Necessitas. 688.
Matrimonium prohibendi Jus non dedit reliquis I-
sraelitarum Tribubus Benjaminitarum Scelus. 693.
Media æstimationem à fine capiunt. 1297.
Mendacium omne peccaminosum. 1329. 1330. 137. &
seq. non excusat id Jus Supereminens, 1339.
Mendacii officiosi Patronus officiosissimus Menasse B.
Israel. 1315. mutua obligatio non induxit homines
ut mendacium vitarent 1336. ne quidem innocentis
mortem per mendacium impedire licet. 1346.
Mentiri Deus nullo modo potest. 1340. & seqq.
Mentientium Jebusitarum exemplum. 1348.
Mentis Conceptus quæ sit Locutio. 802.
Mentalis Jesuitarum restrictio improbatur. 1321.
Misericordia Divina quomodo spectet peccatum. 1142.
Mohatra Contractus species. 947.
Monomachia bellum finire an liceat? 1532. & seq. vid.
Duellum.
Monopolium quid. 932 quodnam ex iis pugnet cum
Jure Naturali. *ibid.* In Josephi exemplo pro Mono-
poliis nihil est præsidii. 933.
Morales Actus quid & quotuplices. 158.
Mori interdum præstat quàm ab injuria vitam defen-
dere. 444. pro Fratibus quo casu teneamur. 449.
Mors, quam pro suis oppetierunt Gentiles, non tam
indicat stricturas rectæ rationis, quàm abortus vi-
tiosæ

RERUM & VERBORUM.

tioſæ mentis pronæ in gloriam. 367. eam pro Fra-	
tre obire Moſaicæ & Moralis Legis eſt. 368. 369.	
Mortem pro aliis ut oppetamus aliquatenus obſtrin-	
gimur Naturali Jure. 366. & ſeq. Modus obliga-	
tionis ponendi animam pro Fratribus.	369.
Morte mori.	375.
Mortuus dormire dictus.	1331.
Moſes Chriſto non opponendus.	371.

N.

נאמן & ספק utrum diſtincta.	172. & ſeqq.
Naeman Proſelytus.	264.
nondum Natis fieri poſſe injuriam.	721.
Natura hominis non habet concreatum aliquem amo-	
rem, quem temporis ſucceſſu temperaret.	326.
Naturale quot modis dicatur.	793.
de Navis conductæ & per ventos ad litora repercuſſæ	
pretio.	935 936.
Naufragorum bona Fiſco Regio non debentur.	813.
& ſeqq. rationes advertæ.	813. & ſeqq.
Noachidarum præcepta toti hominum generi non	
ſunt promulgata. 260. ad ea ſola pii non fuerunt	
obligati. <i>ibid.</i> non ſunt omnia Juris Naturalis. 261.	
ad ea obſtricti fuiſſe dicuntur Proſelyti portæ. 262.	
Nocentibus nihil condonat DEUS III9. nec ulli Pote-	
ſtati licet.	<i>ibid.</i>
Nominis Divini abuſus omnis lege prohibetur.	377.
Νομοδιδάσκαλοι qui?	130.
נשׂא quid Hebræis.	941.
Noſtra non ſunt quæ hoſtes noſtri aliis bello eripue-	
runt.	1446. 1447. & ſeqq.
Nuditas non fuit Simpliſſimitatis argumentum.	657.
Nummus Poſſeſſionis Indicium. 580. Uſus nummo-	
	rum

I N D E X

rum antiquissimus. 916. Patriarcharum an fuerint signati. 918.
 Nuptiarum secundarum abstinentia non est laudabilis Consilii. 427.

O.

Obedire oportet DEO potius quàm hominibus. 529. & seq.
 Obligatio est effectus adæquatus Legis non tamen Unicus. 167.
 Obsides innocentes cur occidendi non sint. 1408, occidendos esse si ipsi deliquerint. 1498. an teneantur scelere eorum à quibus dati. 1536. Rubenis exemplum. *ibid.*
 Obsidi non licitum est fugere. 1535.
 Occidendi Jus debetur Magistratui. 349.
 Præceptum NON OCCIDAS naturale Jus spectans subintellectas condiciones includit, propter quas mutatum dici non potest. 183. & 184. Lex de non OCCIDENDO non generaliter intelligenda. 345. 346. nec aliter in Novo, quàm in V. T. erat acceptanda. 346 præceptiva est non comminatoria. 347. occidi privatum à privato aut posse aut debere Naturalis æquitas non suadet, 350. an qui calumniis per Judicem occidere nititur præveniri debeat. 618. & seq. Præventio nec ante tollendi propositum nec post illud locum habet. 620. Occidendo pudor malè defenditur. 620. & seq. quo in casu laudabilius occidi malle quàm occidere. 622. an hoc patientiz sit contrarium. 622. Utrum, si quis videat se deinceps in probrum DEI victurum, exceptio fiat de Lege se non interficiendi. 1108. occisi propinquo non simpliciter permessa fuit privata ultio in Hebræa Lege. 1132.

Occi-

RERUM & VERBORUM.

- Occupatio rerum Juris Naturalis est. 840. & seq.
 Occupare res alterius non permittit Necessitas ex Jure
 pristino Statûs communis. 672.
 Occupatâ Terrâ occupatum etiam alluens Mare intel-
 ligitur. 704.
 Odii Præceptum non est Commiserationis prohibitio.
 381.
 Orbem totum ab uno regi non expedit. 1222.
 Opinio definitur. 1236. Opinionis probabilis signa &
 Conditiones. 1240.
 Orientalis Imperii alienati causa. 880.
 Osculum Venerationis & Cultus argumentum. 389.

P

P.

vid. Federa.

Actum.

Parabola de Nuptiis in Evangelio impiè dicitur Fa-
 bula. 1179.

Parentes an liberos possint vendere. 727. & seqq. Pa-
 ternum Imperium non transtulerunt Hebræi. 729.
 Fundamentum Juris Parentum in liberos. 725. &
antecedentibus. Parentibus Jus naturale non per-
 mittit Jus necis. 736 nec Jus Gentium. *ibid.* quo-
 modo alimenta liberis debeant. 820. & seq. Secun-
 dum Jus naturale liberis præter alimenta deberi a-
 lia. 823. & seq.

Parentum Consensus in contrahendis Nuptiis neces-
 sarius. 758. 759.

Parentum meritis non attendit Judex Justus. 1155.

Parentum & Imperantium Societas. 1440.

Parei Commentaria manu Carnificis combusta. 552.

Partus ut ventrem sequatur an Naturale. 861. 862.

Plusne de Patre habeat, an de Matre. 863.

Paternum & Dominicum Jus. 216. 217. Imperium.
 727. & 728. & seqq. Patriæ Potestati an competat

I N D E X

- Jus necis. 730. & seqq. Exempla. 731. & seqq.**
Paterna Societas includit ordinem Imperantium & Parentium. 438.
Patientiæ Præcepta non sufflaminant omnem defensionem. 443.
Pax Libertati præferenda. 1268. Pacis ineundæ Jus Regi Captivo aut mentis impoti non adimendum. 1526. Monita Pacis. 1550. Pacis colendæ studium nullum intermittendum est. 1548. Pacem Politicam non legavit suis Christus. 1545.
Peccatum inevitabile verè peccatum habendum est. 1150. Peccatum esse potest quod non fit liberè. 1150. omne peccatum lædit aliquo modo hominum Societatem 1151.
Peccata quomodo spectet Misericordia Divina. 1142. in Peccata post Evangelii notitiam severior non est animadversio. 1143. Graviter DEUS vindicat scelera licet non in sui contumeliam patrata. 1209.
Percussorem immittere nefas est. 1410. Percussorum exempla. 1411. & seqq.
Perduellionis de crimine participantes pœnam luunt. 1112.
Perfectum absolutè. 205. Secundùm quid. 206.
Periclitantibus extremè subveniendum. 1278.
Permissio Legis Actioni contradistinguitur. 166. Permissio facti & Juris. 168. quæ sit effectus Legis. *ibid.*
Permutationis exordium. 916. antiquitas. *ibid.*
Perfarum Reges soluti Legibus sui que Juris. 502. & 503.
Pharaonis Imperium non tam ad res quàm ad personas Ægyptiorum extensum fuit. 1528.
פֶּה לֵבָבָא quid Hebræis. 782.
Pii ex gentibus. 257. & seqq. Pœna

Pœna non cadit in Bestiam. 212. 213. exactio Pœnarum ad quam Justitiæ speciem spectet. 1112. 1113.

Jus puniendi naturaliter ad certum Subjectum restrictum est. 1115. Superiori pœnarum exactio à natura per modum necessarij demandatur. 1116. 1117.

Pœnæ capitales è Christianorum Republica non eliminandæ. 1146. an Pœnæ locus ante constitutam Legem pœnalem. 1154. ob delictum Universitatis exigitur. 1200.

Pœnitentibus non est opus exactione pœnæ à semet ipsis. 1144.

Πόλεμος unde 140.

Polygamiam prohibentis vim habet Institutio Conjugii *Gen. II, 742.* Patrum Polygamia num incurrerit in crimen. 744. & *seq.* Polygamis Patribus circa Legem dispensasse DEUM concluditur. 746. 747. non adversatur Juri Naturæ Polygamia. 748. Cur, dum non sit contra Jus Naturæ, dispensationem requirat. 750. datur aliquo modo adversam esse rationi rectæ. 750. unde dispensatio constat. 751.

Pontificis Coronatio nullam Potestatem Romanorum Regi collatam arguit. 881. 882. Pontifex Romanus vacante Imperio Feudorum Investituras nullo Jure tribuit. 884.

Pontificis Summi inter Hebræos Judicium limitatum. 531. nec penes solum. *ibid.* à Judicio Politico sæpius discludebatur. 532. Supplicio capitis ex Lege multatus. 532. Conciliis necessariò non interfuit; & quid ei in Judiciis dijudicandum fuerit relictum. 533.

Populus (*vid. Subditus, Rex, Potestas &c.*) liber futuro Regi non imperat per modum manentis præcepti. 508. Liberi Princeps non datur. 560. idem censetur etiam post multos annos. 871. & *seq.* sublato

I N D E X

- Dominii Subjecto sui Juris non fiet.** 870. *ratione destitutus populus non caret dominio.* 1217.
- Possessor Bonæ Fidei ad restituendos fructus industriales non tenetur.** 893. *rem possessam & consumptos fructus restituat.* *ibid.*
- Possessor naturaliter fructus suos non facit.** 864. & 865. *ponitur contraria.* 864.
- Possessor malæ Fidei tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum.** 866.
- Postliminii Jus.** 1457.
- Potestatis conceptus duplex positivus & privativus.** 146.
- Potestati in Concreto acceptæ parendum est.** 395.
- Potestas Civilis in tribus consistit juxta Aristotelem.** 458. *ejus partes.* 461. *ea non tantum circa profana sed & circa sacra versatur.* 462.
- Potestas Summa non imminuitur Conditione.** 505. *exemplum.* *ibid.* *si quid imperet naturali Juri aut divinis præceptis adversum non parendum est.* 529.
- Potestatibus Summis resistere non licet.** 558.
- Potestas Politica duobus tribui non potest.** 476. & *anteced.*
- Potestatis Subjectum primum non est Civitas.** 476.
- Potestatem Summam habet qui inæquali tenetur federe.** 520.
- Præcepta Juris pro diversa Materia mutationem suscipiunt.** 185.
- Præcepta affirmativa cum negativis per se nunquam desinunt in Lege Naturali.** 182.
- Præcepti & Consilii Distinctio.** 117. & *seq.* 425. & *seq.* *ité Præcepti & Legis* 217. *Præcepti alia Distinctio.* 426
- Præcipere & prohibere non eodem modo obligationem inducunt.** 168.
- Prædæ Jus Deus probavit,** 1436. *per modum præcepti*

RERUM & VERBORUM.

- pti. 1437. quomodo dividenda. 1459. & *seqq.*
 Præmia æterna DEUM sibi obedientibus redditurum
 non nisi per revelationem creditur. 67.
 Præscriptionis Natura & Finis. 707. & *seqq.*
 Prima Naturalia. 324. stabiliunt statum purorum Na-
 turalium. *ibid.* pugnant cum secundis, nec in inte-
 gro nec in corrupto homine admittuntur. 325. Con-
 servationis studium sine illis non cessabit. 326. non
 sunt regula Juris Naturæ. 328.
 Primi homines otiosam vitam non tractarunt. 663.
 Primorum hominum Simplicitas positiva erat virtu-
 tum omnium excellentia. 659.
 Primogenituræ Jus. 834. & *seqq.*
 Princeps Populi liberi non datur. 560. de Principi-
 bus ex populi conditione, repellendis vel morte
 puniendis. 560. an quòd alterum læsit ex eo sit læ-
 so subditus. 603. & 604. Actum ejus dissensus li-
 beri populi non tollit. 808.
 Privatum à privato aut posse aut debere occidi natu-
 ralis æquitas dissuadet. 350.
 Prohibere & præcipere non eodem modo obligatio-
 nem inducunt. 168. Prohibitio quomodo compre-
 hendatur sub præcepto. 168.
 Promissis suis DEUS adstringitur ut nihil Libertatis a-
 mittat. 904. Promissorum DEI Fundamentum. 905.
 Promissiones Cœlestes non exigunt conditionem
 Virtutum nostrarum. 297.
 Promissio non tollit Summum Imperium. 499. & *seqq.*
 ejus distinctio. 501.
 Promissio de naturæ Jure obligat. 897. obligat ex Vir-
 tute Veritatis, Fidelitatis & Justitiæ. 898. etiam ex
 Natura sua. 899.
 Promissionis Gradus. 900. obligat interna Promissio.
 901.

I N D E X

901. 902. furiosi vel amentis utrum valida. 906.
 Promissionis valori metus officit. 906. per vim Ty-
 rannorum aut Latronum extorta non adstringit.
ibid. ob causam turpem non præstanda est. 909.
 Prodiga unde oriatur. 910. in Promissione ut transfe-
 ratur Jus, requiritur acceptatio Promissorii. 911 912.
 utrum de Jure Naturæ. *ibid.*
- Propensio Infantum ad bene faciendum naturalis non
 moralis deprehenditur. 54. & seqq.
- Proprietatis Exordium. 650. 663. & progressus. 651.
 Dominium cum Proprietate in statu etiam integri-
 tatis perennasset. 656. fieri potest Mare proprium.
 664. Causæ Juris in res proprias factas expendun-
 tur. 674.
- Profelyti an semper fuerint inter Hebræos. 258. Pro-
 felytus Justitiæ & domicilii. 259. Profelytorum tria
 genera. 259. 260. Profelytorum Justitiæ privilegia.
 263. ubi adoraverint in templo Hierosolymitano.
 264. Profelytus portæ cur dicatur. 265. Profelytus
 Justitiæ Israelitâ in quibusdam inferior. 274. in
 quibusdam par. 275. perpetuam servitutem non
 serviebat. 1511. Profelytus non fit Debitor Legis
 totius per Circumcisionis susceptionem. 275. &
 276.
- Πρότερον κατὰ φύσιν. 324. & seq. *vid. prima Naturalia.*
- Providentia DEI nec bona dicetur nec mala si sepona-
 tur Existentia. 59.
- Proximi significatio semper porrecta fuit ad homines
 quosvis. 1136. 379. 420. 421. 1016.
- Prudentis Judicium an sit norma Virtutis. 90. 91. &
 seq.
- Pudicitia occidendo non rectè defenditur. 620. & seq.
 quo sensu pudicitiam in bello violari posse sit asse-
 ren-

RERUM & VERBORUM.

- rendum, 1413. quo sensu contraveniat Juri Gen-
tium. 1413.
- Pueros à Belli injuria ætas exemit. 1490.
- Punitio quí sit effectus Legis, quí Judicis? 170. quí Juris-
dictionis? 1171. Natura adsignavit discrimé eorú, qui-
b⁹ in punitione cogere licet & nō licet, 1127. ab ea ab-
stinere ratio nō patitur. 1155 Fundamenta punitionis
posterorum. 1208.
- קוּדֵי קוּדֵי quid. 699.
- R.
- R** Abbinorum scripta quid Lectioni Librorum Fœ-
deris antiqui conferant. 113, 114. Cœcitas. *ibid.*
- Rabface Legati munere non functus est. 1083.
- Rasæ Judæi Ἀυτοχρησία. 1111.
- Ratio opinionem de DEO simpliciter non dicat. 62.
Rectæ rationi possent quædam esse difformia vel
conformia, semotâ etiam per conceptum Providen-
tiâ DEI. 59.
- Recta ratio nō datur antecedenter ad Jus Naturæ. 176.
- Regionis Causâ Bellum inferri posse. 331.
- Regnum non habetur Jure Usufructuario. 484. cum
illo qui se regno abdicavit ex privatorum Jure ab-
solutè non agendum. 562. Alienari Electione aut
successoria Lege delatum potest. 564. derelictione
non amittitur. 867.
- Religionis causa Bellum movetur. 331. quí Bello tol-
latur. 332.
- Religionis avitæ libertas quomodo relinquenda Vi-
ctis. 1513. qui circa Religionem hallucinantur sup-
plicio afficiendi non sunt. 1180. & 1181.
- Remittendum nos lædentibus. 1137.
- Re-

INDEX

- Repressaliarum Jus iniquum.** 1361. 1362. quotuplex
 1365. non valet hoc Jus in Furem exterum. 1367.
 non nisi Summo Imperio competit. 1368. ubi lo-
 cum habeant Repressalia. 1369.
- Reservationum mentalium usus redarguitur.** 1320.
 1321. & seqq.
- Lex de non Resistendo non pendet à Voluntate Co-
 euntium.** 556.
- Res ab hostibus captæ an singulorum capientium fi-
 ant.** 1453. 1454.
- Res mobiles quando captæ censeantur Jure Gentium.**
 1439. & seqq.
- que Moses de Repudii servandis conditionibus scri-
 psit, non sunt Verba præcepti.** 756.
- Respublica temperata.** 509.
- Rerumpublicarum & Civitatum forma varia.** 456.
- Restitutio in integrum ex mero Jure Civili non pro-
 ficiscitur.** 1006.
- Restitutionis rei alienæ obligatio necessaria est Jure
 Naturali & Divino. 885. 886. sitne necessaria ad sa-
 lutem per modum conditionis. 889. an Restitutio-
 nis Lex Hebræa restringatur saltem ad Fratrem
 Israelitam.** 896.
- Restitutio dignitatis vel famæ peragitur sine menda-
 cio. 889. ob causam turpem acceptam sitne resti-
 tuendum. 895. & 896. utrum qui lædit in contra-
 ctu, si læsio non sit ultra dimidium, teneatur ad re-
 stitutionem ex conscientia. 929. 930. non semper
 ad restitutionem ablatorum Princeps tenetur. 1007.
 qui Imperio alios impulerunt ad factum primo lo-
 co tenentur.** 1065.
- Homicida tenetur ad restitutionem damni. 1069. item
 Adulter & adultera. 1073. ad quam restitutionem
 obligetur Virginem vitians.** 1073. 1074.

RERUM & VERBORUM.

- Restitutionem necessariam ad pœnitentiam non Naturæ ductu Ninivitarum Rex agnovit. 1489. ejus quod ob metum injustum promittitur non potest peti Restitutio. 1543.
- Regi futuro Liber Populus non imperat per modum manentis præcepti. 508.
- Regum Jus circa Sacra. 462. & seq.
- Reges Capita in Ecclesia. 465.
- Regis & Subditorum Societas. 144. Regis ac populû mutua subjectio perperam asseritur. 479. quis ex Filiis Successor in Regno. 839.
- Regum Potestas est immediatè à Deo. 469. 470. 471. & seq. (vid. *Majestas*) Potestas exsequendi fundatur in aliquo positivo. 1170.
- Regibus quando parendum. 479. 529. iis vel furiosis vel Infantibus Imperium absolutum non demendum est. 487. uti nec pacis feriendæ Jus captivo vel mentis etiam impoti. 1526.
- Reges Persarum soluti Legibus. 502. & 503.
- Regum Judææ dignitas post Antonii tempora multum imminuta. 521.
- Reges Hebræi Verberibus non mulctati sunt. 511. cum iis non actum Excalceationis Lege. 512.
- Regum inter Hebræos absolutorum Pœna non fuit negatum Jus sepeliendi. 503. Causa non sepultorû quorundam in loco debito. 504. Reges Hebræi non partiti sunt Imperium cum Synedrio. 115. nullum iis Judicialium Cognitionum Genus erat ademptum. 116. Jus Regium Hebræorum. 534. & seqq. illi non officit Ratio vivendi divinitus præscripta. 540. nec id quod de populo Opem DEI imploranturo refertur. 541. Hebræorum Regi Uxorum & Concubinarum definitus numerus non fuit. 754.
- Regis

I N D E X

- Regis delictum an requirat punientem Judicem Regem alium. 603. & seq. exemplum. 605.
- Reges Lacedæmonum an Reges titulotenus. 561.
- Rex qui in perniciem quoque Populi fertur non semper & simpliciter privandus est. Majestate. 565. cum Rege Majestatem deferente propter residuam Authoritatem ex privatorum Jure absolutè non agendum est, 562. An alienandi potestas resideat penes Regem, 805. Libertas populi alienationis Jus illi non intercipit. 806. *vid. Princeps &c.*
- Rex non est usufructuarius Regni. 805. 1527 potest auferre subditis Jus quæsitum vi supereminentis Domini. 1007. non nisi à subdito pœnas poscit.
- Roma cum Provinciis suis Paschali Pontifici à Ludovico donata esse fingitur. 494. ejus Donationis Instrumentum Spurius. *ibid.*
- Romanus Populus alius hodiè quàm qui olim. 877.
- Ei Jus electionis Imperatoriæ ademptum est. 870.
- רַקִּים qui. 1373.

S.

- S**abæorum Rex ἀντιέφυγε & non potuit à Subditis lapidari. 505.
- Sabbathi Lex quomodo Christianos obliget. 302. pertinet ad Legem Moralem. 302. Sententia opposita. 303. & seq. Sabbathi Distinctio. 206. 307. Perpetuitas malè à Judæis defensiva. 308.
- Sabbathum quomodo sit Juris Naturalis. 307. cur institutum. 1174.
- Sabbathi Lex mixta est ex Morali, Ceremoniali & Forensi. 309. & seq. semper exceptionem habuit summæ necessitatis. 555.
- Sacerdotes vocandi Jus Regibus iniquè adimunt quidam

RERUM & VERBORUM.

- dam Calvinianorum, 466.
 Sacra Jure Gentium profanari non possunt. 1418.
 exempla Gentilium, *ibid.* Judicium DEI contra
 profanantes Sacra. 1419. 1420. & *seqq.* ea Victori
 cedunt. 1426.
 Sacrorum cura penes Civilem etiam Potestatem collo-
 catur. 462. & *seq.* Jus Majestatis circa Sacra. 462.
 & *seq.*
 Sacra tractantibus parcendum in Bello. 1495. Sacra
 possunt abalienari. 1539. Sadducæorum hæresis cur
 à Judæis tolerata. 1184.
 Salomonis Proverbia non prudentiæ saltem monita
 sed præcepta Legis continent. 421. & 422. & 1023.
 Saulus Rex non resipuit. 1110.
 Scepticismus proscribitur. 82. & *seq.*
 Scribæ *Γραμματεῖς* alii Politici alii Ecclesiastici. 129.
 & 130. distinguuntur à *Νομίνοις*. 130.
 Scripturæ V. T. veneranda Dignitas. 106. & *seqq.* Vi-
 lipendium 115. Scriptura quod de LL. Politicis ni-
 hil disponit eo nomine imperfecta haberi nequit.
 291.
 Sectionum Biblicarum Origo. 422.
 Sede pulsus an habitatio sit concedenda. 686.
 Sepulchra Sacris non accensenda. 1432. neque tamen
 violanda. *ibid.*
 Sepulturæ Jus nascitur ex Jure Divino. 1095. ex Jure
 gentium. 1092. 1093. causæ inhumandi defunctos.
 1096. 1097. an qui suoapte fato emoriuntur illo ipso
 die sint inhumandi 1099. rationes præcepti de se-
 peliendis facinorosorum corporibus. 1000. 1101.
 1102.
 Sepultura quibus debeatur. 1107.
 Sergius quis. 394.

Kkkkk

Servitus

I N D E X

- Servitus** queis obtigit sunt contenti sorte sua. 1218.
 ea num sit contra Naturam. 1464. num Servituti
 omnes bello capti addici queant. 1465. 1466. &
 seqq.
- Servus** Naturâ nemo. 792. 1219 **Jus vitæ & necis** Do-
 minorum in Servos an & in quo statu obtineat. 793.
 an fugere possit. 796. qui ipsi se dederunt in Servi-
 tutem fugere non possunt. 797. Sensus Dictorum
 de Subjectione Servorum. 798. & seqq. iis mors Do-
 minorum Libertatem largitur. 868. 869. pro miti
 Servorum Imperio. 1508. 1509. quomodo ex ancilla
 aut Servo natus Servus fiat. 1468. **Dominium** in
 Servos quousque se extendat 1470. **Servi** Etymon.
ibid.
- Silentium** quando consensum probet. 711. 1544:
Simplicitas primorum hominum positiva erat virtu-
 tutum omnium excellentia. 659.
- Simulacrum** qui violat, cui Numen inesse credit, o-
 mninò peccat. 1427.
- Societas Bellica** cum infidelibus. 1017. cautè ineunda.
 1020.
- Societas inter DEUM & homines.** 144. **Imperantium**
 ac Parentium, Regis & Subditorum. *ibid.*
- Societas Gentium** quasi Naturalis est. 236.
- Societas paterna** includit ordinem Imperantium & Pa-
 rentium. 438. **Necessitas** non compulit ad Socie-
 tatem familias segreges. 557.
- Societatis respectus** major est quàm propriæ incola-
 mitatis curæ. 614.
- Societas negotiatoria** iniri potest sine servata æquali-
 tate partium in damno & lucro. 948. 949.
- Societates** morte finiri non tantum est **Juris Civilis.**
 1039.
- Sodo-

RERUM & VERBORUM.

- Sodomæus Rex ereptas hostibus personas à Victore
Abrahamo repetere Gentium Jure non potuit. 1515.
Sors Medium componendi Bellum. 1246. ejus Species.
1247. & seq.
- Sortitio à vindicativa Justitia est removenda. 648.
- Spes contrariæ præsumtionis refellitur. 718.
- Spuriis alimenta Jure Cæsareo interdicta. 824.
- Stratagematum in Bello Usus 1312. *vide Insidia; Dolus.*
- Studiorum diversitas nec æmulationi nec cædibus cau-
sam dedit. 660.
- Subditorum & Regis mutua Subjectio perperam asse-
ritur. 479. Subdito quæsitum Jus aufertur licitè.
1007. Delicti Rectorum suorum fit particeps. 1199.
- Subditus à Bello injusto contra Magistratus Imperium
licitè subducitur. 1284. & seq.
- Successio quomodo Summum Imperium inferat. 481.
- Scriptoribus antiquior est Electione. 482.
- Successio ab intestato originem ex Jure Naturali ha-
bet. 819.
- Suppliciorum Capitalium Fundamentum. 360. Suppli-
cia non sunt prohibita in iis quæ Mosis non Capi-
talia. 641.
- Supplicium Crucis utrum ante Christi tempora irro-
garint Judæi. 1099.
- Suspensorum corpora utrum relinquenda sint in con-
spectu publico. 1102. 1103. Lex de non contami-
nanda Terra propter suspensos Ceremonialis fuit.
1105 Ceremonialis etiam maledictio. *ibid.*
- Συνοφαισιῶν quid. 1517.
- Synedrii Hebræi Natales. 513.

T.

- Tabularum XII. Authoritas & Pondus. 74.
- Talionis Lex à Christo non est soluta. 378. Rejicitur
Pytha-

INDEX

- Pythagorica. 1139. *vid. Ultio.* an quæ datur in Talione proportionalis compensatio, constitui possit ex Lege de restitutione quadrupli aut quintupli. 1161. Talionis Legi non subjacet Legatus. 1089.
- ΤΕΛΟΣ quid? 300.
- Templa profanorum ad veri Numinis cultum licite consecrantur. 1430. & *seqq.* iis in bello parcendum est. 1500.
- Territorium desertum an alienari queat. 687.
- Testamenta utrum Alienationis species. 808. utrum Juris Naturalis sint. 809. an Gentium Juris. *ibid.* & *seqq.*
- Testamenti Veteris æstimium & necessitas. 106. & *seq.* Vilipendium. 115.
- Testium Hebræorum Formula. 1296.
- Theagenis statua. 1040.
- Thesaurus inventori cedit, si aliter non dispositum Civili Lege. 855. an consuetudo partem inventi Thesauri Superiori tribuens sit justa. 856. 857.
- Tingen, Oppidum Numidiæ, ab exulibus Cananzis extructum. 410.
- Trajani dictum ad Præfectum Prætorio. 552.
- Transcendi Jus terræ & maribus, quæ in proprietatem alterius iverunt non largitur Necessitas. 678. & *seqq.* exempla. 679. si ad postulationem denegetur, utrum vindicari manu queat. 680. exemplum Mosis. 8516.
- Transfugarum receptus quo Jure fiat. 1358.
- Translationis Distinctio. 801.
- Tributa Summæ Potestati solvenda, nec forma nec materia nec sine æstimato, sed solius præcepti Auctoritate. 411.
- Tyrannicum Regimen demoliri Materiam seditionis sub-

RERUM & VERBORUM.

subministrat. 578. non licet armis avertere Tyrannidem Principi Vicino. 1282.

Tyriis Moabitis &c. Legem moralem Prophetæ inculcabant, non Ceremonialem. 265.

- V** Ectigalia utrum Mercibus imponi possint, si detur transitus ab eo qui Imperium habet. 681. an in hunc modum Solomon exegerit. 682. & seqq. accipere ea non injustum. 684. Fraudantes tenentur ad restitutionem. 1076. 1077. & seqq.
- Venationem utrum Princeps impedire possit Legibus. 669. quare ferarum captura Jure Gentium concessa dici nequeat. 670. an subditus possit venationem prohibere in suo agro. 671.
- Venandi Jus utrum solis Principibus assignandum. 847. & seqq. Fundamentum Juris venandi Principibus unice competentis. 852. 853. & seqq.
- Venditionis ac Emptionis actus respiciunt Justitiam explettricem. 154.
- Venedorum populus Germano non accensendus est. 1371.
- Veneno hostem tollere Jus Naturæ vetat. 1409.
- Veritatem celare licet, 1031. quomodo concessum subintelligere Conditionem. 1031.
- Veritatis divinæ duplex manifestationis modus. 959.
- Victis quomodo Religionis libertas relinquenda. 1513.
- Victoriam etiam nunc hodiè pollicetur Servata Lex. 1023.
- Vindicatio quibus modis licita. 1122. privata quæ licita. 1128.
- Vindicandi potestas non est penes unumquemque. 1132.
- Vindicti sanguinis contemptus Privilegii immunitatem dederat. 357. ei concessa vindicta perpetui Juris non fuit. 1547.

INDEX

- Vindicta** quæ à Rabbinis rejicitur est personæ propriæ. 356. *vid. Ultio.*
- Vindictæ nomen** non habet, quando Judicium relinquitur Magistratui 356. ejus libertatem nec natura indulget, nec Judicia submoverunt. 1131. Propinqui occisio non simpliciter permiffa fuit. 1131.
- Vindicta** in Testamento V. non habuit Consilii rationem, nec in Novo rationem præcepti. 1547.
- Virgarum & Securium Romanis Potestatibus prælatarum Symbolum.** 393.
- ויר** 1293.
- Virtus** an definienda per Habitum. 89. an formale e-
jus Mediocritas. 89. 90.
- Virtutis Definitio Aristotelica** examinatur. 89. an Vir-
tutis Norma fit Prudentis Judicium. 90. 91. & seq.
- Virtus** quomodo fit ad aliquid 91. & seq. non est mera
defectus & excessus privatio. 92.
- Virtutes Christianorum** à gentilium non differunt sal-
tem accidentaliter. 84.
- Vim vi repellere** tam non vetat Naturæ Jus, 330. &
334. ut etiam suadeat. 334. est Juris Divini. *ibid.*
& Civis. 335.
- Vitam ponere pro Fratibus** quo casu teneamur. 449.
- Vita homini naturâ** Suum. 1045. Dum quis pro Pa-
tria vitam prodigit, Jus plenum vitæ ex eo non ha-
bet. 1531.
- Ultioni privatæ** non indulsum fuit in Lege Hebræa,
nec libertatem ejus sustulit Christus. 419. *vid. Vin-*
dicta. Ultio privata quæ licita. 1128. an Samson fla-
graverit studio privatæ ultionis. 1129. amplio-
rem ulciscendi libertatem Lex Hebræa non indulget.
1137. de ultione quæ cavet in Futurum. 1138. Re-
jicitur Talio Pythagorica. 1139.

Votum

RERUM & VERBORUM.

- Votum metu susceptum non ratum est. 994.
 Urbes Hiramō Tyrīorum Regi datæ an fuerint abalienatæ. 490. & seqq.
 Usucapionem Jus Naturale non fundat. 705. quī ad Gentium Jus referri queat. 706. ejus Definitio. 707. Fines. *ibid.* Regnum Papæo-Romanum illa non tuetur. *ibid.* exemplum. 709.
 Usura distinguitur. 937. quænam contraveniat Juri Naturali. 937. & seqq. à quibus exigi possit. *ibid.* quo Jure licuerit Judæis usuram exteris infligere. 943. non est saltem honesta Lex de non usurando. 944.
 Usus sequentis ac Authoritatis Prudentum Valor in Divinis Scriptis parvipendendus. 424.
 Utilitas Civium quomodo sit requisitum Legis. 75.
 Uxor Subjectio cum consociatione non pugnat. 737. Jus inter Maritū & Uxorem quale. 144. Fundamentum Juris Mariti in fœminam. 737. Uxorū & Concubinarum definitus numerus Hebræorum Regi non fuit. 754. Utrum dimissam adjungere sibi Sacerdos potuerit. 756. an Dominium Viro in Uxorem competat. 763.

W.

W Aldenses non sociandi Photinianis. 255.

Z.

Z Eli Judicium non prodit reliquias prisce & privati Juris ulciscendi. 1133.

F I N I S,

18
11169

das es nicht ist /
das Schwert / vr
so ferben /

